DOCTORIS ANGELICI

DIVI

THOMÆ AQUINATIS

SACRI ORDINIS F. F. PRÆDICATORUM

OPERA OMNIA

PARIS. — IMPRIMERIE Vve P. LAROUSSE ET Cie
49, RUE NOTRE-DAME-DES-CHAMPS, 49

DOCTORIS ANGELICI

DIVI

THOMÆ AQUINATIS

SACRI ORDINIS F. F. PRÆDICATORUM

OPERA OMNIA

SIVE ANTEHAC EXCUSA,
SIVE ETIAM ANECDOTA; EX EDITIONIBUS VETUSTIS ET DECIMI TERTII SÆCULI CODICIBUS RELIGIOSE CASTIGATA;
PRO AUTHORITATIBUS AD FIDEM VULGATÆ VERSIONIS ACCURATIORUMQUE PATROLOGIÆ TEXTUUM,
NUNC PRIMUM REVOCATA;
NOTIS HISTORICIS, CRITICIS, PHILOSOPHICIS, THEOLOGICIS, CUNCTAS ILLUSTRANTIBUS CONTROVERSIAS
OCCASIONE DOGMATUM SANCTI AUTHORIS EXORTAS, SOLLICITE ORNATA,

STUDIO AC LABORE

STANISLAI EDUARDI FRETTÉ

Sacerdotis Scholæque Thomisticæ Alumni.

VOLUMEN VIGESIMUM-NONUM

OPUSCULA THEOLOGICA

PARISIIS

APUD LUDOVICUM VIVÈS, BIBLIOPOLAM EDITOREM

13, VIA VULGO DICTA DELAMBRE, 13

M DCCC LXXVI

PRÆFATIUNCULA.

Omnia S. Thomæ Opuscula in hoc volumine edita omnino authentica sunt, et tanti doctoris præcipua.

Nil aliud de ipsis dicendum nobis videtur. Excipimus tamen *Commentarium de divinis nominibus*. Mendis jampridem scutebat innumeris quos sedulo correximus, textum mutilum sæpius restituendo, ita ut hujus opusculi editio nostra vere sit quasi editio princeps. Nullibi, nostro quidem judicio, Scholæ Angelus sublimiori ductu expandit alas, nec alium librum post sacram Bibliam diviniorem invenimus.

Sciat insuper lector eruditus hunc Dionysium Areopagitam temporibus apostolicis adscribendum esse, rexisseque primo Atheniensium, demum Parisiensium Ecclesiam. Id evincunt contra S. Gregorium Turonensem et Sulpitium Severum male intellectos, et præterea contra Launoium ac Sirmundum erronee sentientes, testimonia libelli Vitæ B. Genovefæ apud Surium, Actorum Bollandianorum S. Dionysii, S. Fortunati, Gestorum domni Dagoberti, diplomatis cujusdam Theodorici Calensis, diplomatis alterius Pipini Brevis, concilii parisiensis ann. 825, Martyrologiorum sive Latinorum, sive Græcorum, quatuordecim Passionum S. Dionysii quæ manuscriptæ in Bibliotheca regali parisiensi asservantur, Hilduini, aliaque multa. Vindicias apostolicitatis et areopagitismi S. Dionysii parisiensis episcopi, parisiensis et ipse postea episcopus, martyr et ipse, D. Darboy prompsit in medium : has attente legat cui prædicta non sufficiunt.

SANCTI
THOMÆ AQUINATIS
OPUSCULA THEOLOGICA
QUORUM SPECIALEM MENTIONEM FACIT DE TOCCO.

OPUSCULUM I.
CONTRA IMPUGNANTES DEI CULTUM & RELIGIONEM*.
(EDIT. ROM. XIX.)

PROŒMIUM.

Ecce inimici tui sonuerunt, et qui oderunt te extulerunt caput. Super populum tuum malignaverunt consilium; et cogitaverunt adversus sanctos tuos. Dixerunt : Venite, disperdamus eos de gente, et non memoretur nomen Israel ultra. (Ps. LXXXII, 3.)

Omnipotens Deus amator hominum suo amore nobis utitur ad ejus bonitatem et nostram utilitatem, ut Augustinus docet in I lib. *De doctrina christiana*. Ad suam quidem bonitatem, ut homines Deo dent gloriam. *Omnem. Isa., XLIII, 7 : *Omnis* * *qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum*. Sed ad nostram utilitatem, ut ipse omnibus det salutem. I Tim., II, 4 : *Qui omnes homines vult salvos fieri*. Et hanc concordiam inter homines et Deum nascente Domino annuntiavit angelus, Luc., II, 14 : *Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis*. Quamvis autem ipse, cum sit omnipotens, per semetipsum posset gloriam suam ab hominibus, et salutem hominum procurare; disposuit tamen, ut ordo servaretur in rebus, ministros eligere, quorum ministerio perficeretur utrumque; unde [1] recte tales *Dei adjutores* dicuntur I Cor., III. Sed diabolus invidus divinæ gloriæ et humanæ salutis, per ministros suos, quos ad persecutionem prædictorum ministrorum Dei incitat, utrumque nititur impedire; unde tales ministri diaboli et inimici Dei in hoc ostenduntur, cujus gloriam impediunt; et totius humani generis, cujus saluti adversantur, et specialiter

* Tituli capitulorum hujus libelli non sunt D. Thomæ.

[1] Parm. : « et recte. »

ministrorum Dei, quos persequuntur. I Thessal., II, 15 : *Nos persecuti sunt, et Deo non placent, et omnibus hominibus adversantur.*

Et propter hoc Psalmista in verbis propositis tria facit. Primo ostendit eorum inimicitiam ad Deum, ibi : *Ecce inimici tui sonuerunt;* id est, qui prius occulte contra te loquebantur, nunc in publico loqui non formidant. Ut enim dicit *Glossa* « novissima tempora antichristi designat, quando hi qui[1] modo premuntur metu, in liberam vocem erumpent : quæ vox, quia irrationalis erit, magis sonitus[2] quam vox dicitur. Nec solum voce inimicitias suas exercent, sed etiam factis, unde sequitur : *Et qui oderunt te, extulerunt caput*, scilicet antichristum, secundum *Glossam,* et membra ejus, quæ sub illo capite sunt[3]; ut ab uno capite gubernati efficacius sanctos Dei persequantur. Secundo ostendit quomodo toti humano generi adversantur, subjungens : *Super populum tuum malignaverunt consilium,* vel *astute cogitaverunt,* secundum aliam litteram, ad eos decipiendum secundum *Glossam* super illud Isa., III, 12 : *Popule meus, qui beatum te dicunt, ipsi te decipiunt; Glossa :* « blandis verbis. » Tertio, ostendit quomodo ministros Dei persequuntur cum subdit : *Cogitaverunt adversus sanctos tuos; Glossa :* « non solum contra mediocres, sed etiam contra cœlestes viros. » Unde Gregorius in XIII lib. *Moralium,* exponens illud Job, XVI : *Aperuerunt super me ora sua, et exprobrantes,* etc., sic dicit : « Illos præcipue reprobi in sancta Ecclesia persequuntur quos multis conspiciunt esse profuturos; » et infra : « Reprobi grande se aliquid fecisse æstimant, cum[4] vitam prædicatorum necant. » Duo autem contra sanctos cogitant. Primo ut ipsos omnino[5] annihilent. Esther, XIII, 15 : *Volunt nos inimici nostri perdere, et hereditatem tuam delere.* Secundo, ut si hoc non possint, saltem eorum famam destruant apud homines, ut in eis fructificare non possint. Jac., II, 6 : *Nonne divites per potentiam opprimunt vos?... Nonne ipsi blasphemant bonum nomen quod invocatum est super vos ?* Et ideo quantum ad primum horum Psalmista subjungit : *Dixerunt : Venite; Glossa :* « quærentes sibi socios; » *disperdamus eos de gente,* vel *de gentibus; Glossa :* « scilicet, ne sint inter gentes; id est, tollamus eos de mundo[6] : ecce persecutio antichristi. » Quantum ad secundum subdit : *Et non memoretur nomen Israel ultra,* ut scilicet nomen eorum in fama non habeatur, eorum scilicet qui se dicunt vere esse Israel, ut *Glossa* dicit. Horum primum, scilicet sanctorum expulsionem de mundo, tyranni antiquitus per violentiam procurare[7] conati sunt; unde Apostolus ad Rom., VIII, 36, suo tempore illud Psalmi compleri dicit : *Propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oves occisionis.* Sed nunc hoc idem[8] perversi homines astutis consiliis attentant quantum ad religiosos specialiter, qui verbo et exemplo aptius[9] fructificare possunt, perfectionem profitentes; volentes quædam astruere per quæ eorum status vel totaliter destruitur, vel redditur nimium onerosus et vituperabilis; subtrahendo eis spiritualia solatia, et corporalia onera imponentes. Primo enim eis pro posse studium et doctrinam auferre conantur, ut sic adversariis veritatis resistere non possint, nec in Scriptura consolationes spiritus invenire, quibus sustententur[10]. Et hæc est astutia Philistinorum, I Regum, XIII, 19 : *Caverant Philistiim ne forte facerent Hebræi gladium aut lanceam;* quod *Glossa* exponit de prohibitione studii litterarum. Et hoc primus Julianus Apostata inchoavit, ut *Ecclesiastica* testatur *historia.* Secundo ab aliorum[11] consortio studentium eos pro posse excludendo, ut per hoc sanctorum vita veniat in contemptum. Apocal., XIII, 17 : *Ne quis possit emere aut vendere, nisi qui habet characterem aut nomen bestiæ,* eorum scilicet malitiæ consentiendo. Tertio eorum prædicationem et confessionum audientiam, quibus in populo fructificant, impedire nituntur, I Thessalonic., II, 16 : *Prohibentes nos gentibus loqui, ut salvæ fiant.* Quarto ad laborem manuum eos compellunt, ut sic gravati, et sui status tædium habeant, et in prædictis impediantur, secundum consi-

[1] Cod. reg. : « hæc quæ. » — [2] Parm. : « est, magis sonus. » — [3] Cod. reg. 14548 : « sub illo capite capita sunt. » — [4] Cod. reg. : « cum necessaria prædicatorum necant, » vel « vetant. » — [5] Parm. omittit : « omnino. » — [6] Cod. reg. : « de medio. » — [7] Cod. reg. : « implere. » — [8] Parm. : « Sed nunc iidem perversi. — [9] Parm. omittit : « aptius. — [10] Parm. omittit : « quibus sustententur. » — [11] Parm. : « a consortio. »

lium Pharaonis dicentis, Exod., I, 9 : *Ecce populus filiorum Israel multus, et fortior nobis est. Venite sapienter opprimamus eum;* et infra : *Præposuit itaque eis magistros operum; Glossa :* « Pharao significat Zabulon, qui luti et lateris imponit gravissimum jugum, servitutem scilicet lutulenti et terreni operis. « Quinto vituperant eorum perfectionem et blasphemant, scilicet paupertatem mendicantium. II Petr., II, 2 : *Multi sequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blasphemabitur,* id est bona opera, secundum *Glossam.* Sexto eis victum et eleemosynas, unde vivebant subtrahunt ut possunt. In tertia canonica Joan., X. *Et quasi ista non sufficiant ei; Glossa :* « quod hospitalitatem dissuadet, *neque ipse fratres suscipit; Glossa :* « indigentes, » *et eos qui suscipiunt, prohibet; Glossa :* « ne impendant curam humanitatis. » Septimo famam sanctorum prædicti ministri diaboli nituntur corrumpere, intantum ut non solum per se apud præsentes sanctos Dei infament verbo, sed etiam litteras per universum orbem dirigant. Jer., XXIII, 15 : *A prophetis Jerusalem egressa est pollutio super omnem terram; Glossa* Hieronymi : « Hoc utimur testimonio adversus eos qui epistolas plena mendacio et fraudulentia et perjurio in orbem dirigunt, et aures audientium polluunt. Non enim sufficit eis iniquitatem propriam devorare, vel proximos lædere; sed quod semel oderunt, per totum orbem conantur infamare, et ubique blasphemias seminare. »

Prædictorum igitur malignantium nequitiam comprimere intendentes, hoc ordine procedamus.

Primo ostendemus quid sit religio, et in quo perfectio religionis consistat; quia eorum tota intentio contra religiosos esse videtur.

Secundo ostendemus ea quibus religiosos opprimere nituntur, frivola et nulla esse.

Tertio monstrabimus quod ea quæ ad religiosorum infamiam proferunt, nequiter proponunt.

PARS PRIMA.

CAPUT UNICUM.

Quid sit religio, et in quo consistat religionis perfectio.

Ut autem religionis naturam cognoscere valeamus, hujus nominis originem inquiramus. Nomen igitur religionis, ut Augustinus, in libro *De vera religione,* innuere videtur, a religando sumptum est. Illud autem proprie ligari dicitur quod ita uni adstringitur quod ei ad alia divertendi libertas tollatur. Sed religatio iteratam ligationem importans, ostendit ad illud aliquem ligari cui primo conjunctus fuerat, et ab eo distare incepit. Et quia omnis creatura prius in Deo extitit quam in se ipsa, et a Deo processit, quodammodo ab eo distare incipiens secundum essentiam per creationem; ideo rationalis creatura ad ipsum Deum debet religari, cui primo cunjuncta fuerat etiam antequam esset, ut sic *ad locum unde exeunt flumina* revertantur, Eccl., I. Et ideo Augustinus dicit in lib. *De vera religione :* « Religet nos religio uni omnipotenti Deo ; » et habetur in *Glossa,* Rom., XI, 36, super illud : *Ex ipso et per ipsum,* etc. Prima autem ligatio qua homo Deo ligatur, est per fidem, ut dicitur Hebr., XI, 6 : *Accedentem ad Deum oportet credere quia est.* Hujus fidei protestatio, latria est, quæ cultum Deo exhibet quasi recognoscens Deum esse principium : unde religio primo et principaliter latriam significat, quæ Deo cultum exhibet in veræ fidei protestationem. Et hoc est quod Augustinus dicit, X *De civitate Dei,* quod « religio non quemlibet, sed Dei cultum significare videtur ; » et hoc modo Tullius religionem definit in *Veteri rhetorica,* dicens : « Religio est quæ superiori quidam naturæ, quam divinam vocant, curam cæremoniamque affert. » Et sic primo et principaliter ad veram religionem pertinere noscuntur quæcumque ad fidem integram pertinent, et debitam latriæ servitutem. Sed secundo ad religionem pertinere noscuntur illa omnia in quibus possumus servitium Deo exhibere : quia, ut Augustinus dicit in *Enchir.,* « Deus colitur non

solum fide, sed spe et caritate; » ut sic omnia caritatis opera religionis esse dicantur. Unde Jacob., I, 27 : *Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem hæc est, visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum,* etc.

Ex his ergo patet quod duplex est religionis acceptio. Una secundum sui nominis primam institutionem, secundum quod aliquis Deo se ligat per fidem ad debitum cultum; et sic quilibet christianæ religionis fit particeps in baptismo, abrenuntians Satanæ et omnibus pompis ejus. Secundo prout aliquis ad aliqua caritatis opera se obligat, quibus specialiter Deo servitur, abrenuntians sæcularibus; et hoc modo religionis nomine ad præsens utimur. Caritas autem Deo debitum obsequium reddit secundum actus vitæ activæ et contemplativæ. In actibus quidem activæ vitæ diversimode secundum diversa officia caritatis, quæ proximis impeduntur : et ideo sunt aliquæ religiones instituæ ad vacandum Deo per contemplationem, sicut religio monastica et eremitica; aliquæ autem ad serviendum Deo in membris suis per actionem, sicut illorum qui ad hoc Deo se dedicant, ut infirmos suscipiant, captivos redimant, et alia misericordiæ opera exequantur. Nec est aliquod opus misericordiæ ad cujus executionem religio institui non possit, etsi non sit hactenus instituta. Sicut autem in baptismo homo per fidei religionem Deo ligatur, peccato moritur; ita per votum religionis non solum peccato, sed sæculo moritur, ut soli Deo vivat in illo opere in quo se Deo ministraturum devovit[1] : quia sicut per peccatum vita tollitur, ita per occupationes sæculi Christi ministerium impeditur; II ad Tim., II, 4 : *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus.* Et ideo per religionis votum abrenuntiatur illis quibus humanus animus maxime occupari consuevit, et a divinis obsequiis impediri. Quorum primum et principale est cunjugium. I ad Cor., VII, 32 : *Volo autem vos sine sollicitudine esse. Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est.* Secundum est possessio divitiarum terrenarum : Matth., XIII, 22 : *Sollicitudo hujus sæculi et fallacia divitiarum suffocat verbum, et sine fructu efficitur;* unde dicit *Glossa,* Luc., VIII, super illud : *Quod autem in spinis cecidit,* etc. : « Divitiæ etsi delectare videantur, suis tamen possessoribus sunt spinæ, cum aculeis curarum mentes eorum confodiunt, quæ avide quæruntur et sollicite servantur. » Tertium est propria voluntas : quia qui suæ voluntatis est arbiter, sollicitudinem habet de suæ vitæ gubernatione : et ideo nobis consulitur ut nostri status dispositionem divinæ Providentiæ committamus; I Petr., V, 7 : *Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eo, quoniam ipsi cura est de vobis.* Prov., III, 5 : *Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, et ne innitaris prudentiæ tuæ.* Et inde est quod perfecta religio triplici voto consecratur : scilicet voto castitatis, per quod abrenuntiatur conjugio; voto paupertatis, per quod abrenuntiatur divitiis; voto obedientiæ, per quod abrenuntiatur propriæ voluntati. Per hæc autem tria vota homo Deo sacrificium offert de omnibus bonis : per votum quidem castitatis, in sacrificium Deo offerens corpus proprium, de quo Rom., XII, 1, dicit Apost. : *Exhibeatis corpora vestra hostium viventem;* per votum autem paupertatis, oblationem Deo faciens de exterioribus bonis, de quo Rom., XV, 31 : *Obsequii mei oblatio accepta fiat in Jerosolymis sanctis;* per votum autem obedientiæ, sacrificium spiritus Deo offerens, de quo in Psal. L, 19 : *Sacrificium Deo, spiritus contribulatus,* etc. Nec solum sacrificium per hæc tria Deo offertur, sed holocaustum, quod erat in lege acceptissimum. Unde Gregorius in VIII *Homil. secundæ partis super Ezech.* : « Cum quis suum aliquid Deo vovet et aliquid non vovet, sacrificium est; cum vero omne quod habet, omne quod vivit, omne quod sapit, omnipotenti Deo voverit, holocaustum est. » Et sic religio secundo modo accepta, in hoc quod sacrificium Deo offert, primum modum religionis imitatur. Sunt autem quidam modi vivendi, in quibus aliqua horum prætermittuntur; sed in eis perfecta religionis ratio non invenitur. Alia autem omnia quæ in religionibus reperiuntur, sunt adminicula quædam ad cavendum ea quibus per votum religionis abrenuntiatur, vel ad observandum id in

[1] Parm. : « devovit fidei. »

quo homo per religionis votum Deo se serviturum promisit.

Ex prædictis igitur patere potest, secundum quid una religio possit perfectior altera judicari. Ultima enim rei perfectio in finis consecutione consistit : unde debet principaliter ex duobus religionis perfectio judicari. Primo, ex hoc ad quod religio ordinatur : ut dicatur illa religio esse eminentior quæ digniori actui dedicatur : ut sic secundum comparationem activæ et contemplativæ vitæ in utilitate et dignitate accipiatur comparatio religionum quæ activæ, et quæ contemplativæ deputantur. Secundo ex comparatione religionis ad executionem illius ad quod est instituta. Non enim sufficit religionem aliquam ad aliquid institui, nisi sit taliter ordinata observationibus et modis vivendi, quod ad suum finem sine impedimento pertingat : sicut si duæ religiones sunt institutæ ad contemplandum, illa per quam homini liberior contemplatio redditur, debet perfectior judicari. Sed quia, ut dicit Augustinus, « nemo potest novam vitam inchoare, nisi veteris eum vitæ pœniteat, » quælibet religio, per quam homo novam vitam inchoat, quidam pœnitentiæ status est, ut homo a veteri vita purgetur : et hoc tertio modo possunt comparari religiones, ut illa dicatur perfectior quæ majores austeritates habet, sicut in jejunio vel paupertate, vel aliis hujusmodi ; quia opera satisfactoria debent essent pœnalia. Sed primæ comparationes sunt magis religioni essentiales : et ideo secundum eas est magis perfectio religionis judicanda ; et præcipue cum perfectio vitæ magis consistat in interiori justitia quam in exteriori abstinentia.

Sic ergo patet quid sit religio, et in quo perfectio religionis consistat.

PARS SECUNDA.

His igitur visis, procedendum est ad ea excludenda quibus adversarii religionis religionem opprimere conantur, hoc modo procedentes.

Primo enim inquiremus, utrum alicui religioso docere liceat.

Secundo, utrum religiosus possit esse de collegio sæcularium[1] magistrorum licite.

Tertio, utrum religioso liceat prædicare et confessiones audire, si curam non habeat animarum.

Quarto, utrum religiosus teneatur propriis manibus laborare.

Quinto, utrum liceat religioso omnia sua relinquere, ita quod nihil sibi possidendum remaneat nec in proprio, nec in communi.

Sexto, utrum possit vivere de eleemosynis et de mendicatis præcipuæ.

CAPUT PRIMUM.

An religioso liceat docere.

Doctrinam autem religiosorum, ne scilicet docere possint, multipliciter excludere nituntur.

Primo auctoritate Domini dicentis, Matth., XXIII, 8 : *Vos autem nolite vocari Rabbi :* quod consilium quidam dicunt a perfectis observandum; unde cum omnes religiosi perfectionem profiteantur, a magisterio abstinere debent.

Secundo auctoritate Hieronymi in *Epistola ad Riparium et Desiderium contra Vigilantium,* et habetur XVI, q. I : « Monachus non doctoris habet, sed plangentis officium; » et VII, q. I, cap. *Hoc nequaquam,* dicitur : « Monachorum vita subjectionis habet verbum et disciplinatus, non docendi, vel præsidendi, vel pascendi alios. » Et ita, cum canonici regulares et alii religiosi monachorum jure censeantur, ut dicitur *Extra.* de postulando : *Ex parte,* et de statu monachorum : *Quod Dei timor,* relinquitur quod nulli religioso docere liceat.

Ad idem addunt quod docere est contra religionis votum. Per votum enim religionis mundo abrenuntiatur : *Omne autem quod est in mundo, est concupiscentia car-*

[1] Parm. : « sæculari. »

nis, concupiscentia oculorum, et superbia vitæ; per quæ tria intelligunt divitias, delicias et honores. Magisterium autem honorem esse dicunt, quod probant per *Glossam,* quæ dicit Matth., IV, super illud : *Statuit illum supra pinnaculum :* « In Palæstina plana desuper erant tecta, et ibi erat sedes doctorum, unde populo loquerentur, ubi multos decipit diabolus vana gloria, honore magisterii inflatos. » Unde concludunt quod docere est contra religionis votum.

Item. Religiosi tenentur ad perfectam humilitatem, sicut ad perfectam paupertatem. Sed ita tenentur ad perfectam paupertatem, quod non licet eos aliquid proprium possidere. Ergo debent ita humilitatem servare quod nullo honore potiantur. Magisterium autem est honor, ut probatum est. Ergo magisterium est illis illicitum.

Item. Dionysius, v cap. *Eccl. hierar.,* distinguit utramque hierarchiam in tria, scilicet in sacras actiones, et in communicantes eas, et in eos qui eas tantum recipiunt. Actiones autem sacras dividit in tria in eodem cap., scilicet : in purgantes, quod est diaconorum ; in illuminantes, quod est sacerdotum ; in perficientes, quod est episcoporum. Recipientes etiam divinas actiones dividit in tria in v cap., scilicet : in immundos, qui purgantur per diaconos; in sacrum populum, qui illuminatur per sacerdotes ; in monachos, qui sunt altioris gradus , qui perficiuntur per episcopos. Ergo patet quod monachorum non est sacra aliis communicare, sed ab aliis recipere. Sed quicumque docet, sacra aliis communicat. Ergo monachus non debet docere.

Item. Magis est remotum a vita monastica scholasticum officium quam ecclesiasticum. Sed, ut dicitur XVI, quæst. I, « nemo potest et ecclesiasticis officiis deservire, et in monastica regula ordinate persistere. » Ergo multo minus potest monachus scholasticis officiis vacare docendo vel audiendo.

Addunt etiam quod est contra doctrinam apostolicam, II Cor., x, 13 : *Nos autem non in immensum gloriabimur, sed secundum mensuram regulæ qua mensus est nobis Deus; Glossa :* « Tanta potestate utimur, quanta concessa est ab auctore, nec mensuram vel modum egredimur. » Unde dicunt, quod quicumque religiosus ultra illum modum egreditur qui sibi ab auctore suæ regulæ est statutus, seipsum superextendit contra apostolicam doctrinam veniens. Unde cum [1] nulla religio in sui principio habuerit magistros, nulli religioso licet ad magisterium promoveri.

CAPUT II.

Quod non licet religiosis habere plures scholas in eodem collegio.

Ulterius autem, et si non ex toto doctrinam religiosorum impedire possunt eam saltem attenuare nituntur, dicentes quod in uno religiosorum collegio doctores [2] plures esse non debent : inducentes illud quod dicitur Jac., III, 1 : *Nolite plures magistri fieri fratres mei; Glossa :* « Plures in Ecclesia ne velitis esse magistri. » Sed unum religiosorum collegium est una Ecclesia. Ergo in uno religiosorum collegio non debent esse plures magistri.

Item. Hieronymus *Ad Rusticum,* et habetur etiam VII, quæst. I : « In apibus princeps est unus ; grues ordine litterato unam sequuntur ; » et infra : « Unus gubernator in navi, in domo unus dominus. » Ergo et in uno collegio religiosorum non debet esse nisi unus magister.

Item. Cum sint multa religiosorum collegia, si unum collegium haberet plures quam unum doctorem, sequeretur tanta multiplicatio religiosorum doctorum, quod sæculares magistri excluderentur propter auditorum paucitatem ; præcipue cum oporteat in uno studio esse determinatum numerum magistrorum, ne ex doctorum multitudine doctrina sacra veniat in contemptum.

CAPUT III.

Quod prædicta positio est erronea, et unde habuit ortum error istorum.

Hujusmodi autem errorum assertores, priorum errantium semitas imitantur. Est enim errantium consuetudo, ut quia in medio veritatis non possunt consistere, unum errorem declinantes, in contrarium dilabantur. Sic evitans divisionem essen-

[1] Parm. : « Unde nulla ... habuit... Ergo nulli. » — [2] Cod. 3109 : « duo doctores. »

tiæ, quam Arius introduxit, in confusionem personarum Sabellius declinavit, sicut dicit Augustinus. Sic etiam Eutyches, declinans divisionem personarum in Christo quam Nestorius asserebat, confusionem naturarum in Christo posuit, sicut dicit Boetius. Idem etiam patet de Pelagio et Manichæo, et de multis aliis hæreticis : propter quod dicitur I Timoth., III, 8 : *Homines corrupti mente, reprobi circa fidem ; Glossa :* « Et nunquam in fide, quia in circuitu impii ambulant, in medio non sistentes. »

Fuit ergo quondam quorumdam religiosorum præsumptuosorum error, qui ex hoc ipso quod monachi erant de sua vita præsumentes, auctoritate propria sibi docendi officium usurpabant; et in hoc pax ecclesiastica turbabatur, ut habetur XVI, q. I : « Quidam monachi nihil habentes sibi injunctum a proprio episcopo, veniunt ad civitatem Constantinopolitanam, et in ea perturbationes tranquillitati ecclesiasticæ inferunt ; » quod etiam plenius in *Ecclesiastica* narratur *historia ;* quorum præsumptiones sancti Patres conati sunt reprimere rationibus et decretis. Eorum autem dictis quidam perversi nostris temporibus abutuntur, *ea indocti atque instabiles depravantes, sicut et cæteras scripturas ad suam ipsorum perditionem,* ut dicitur II Petr., ult., 16; intantum quod in contrarium errorem labuntur, asserentes quod non licet religioso doctoris officium exercere, vel suscipere, et quod[1] non debet ei injungi.

CAPUT IV.

Quod licet religiosis docere.

Quod quidem falsum esse primo ostendamus, postmodum ad eorum probationes respondentes.

Primo ergo inducatur Hieronymi auctoritas *Ad Rusticum,* quæ habetur XVI, q. I : « Sic vive in monasterio, ut clericus esse merearis : multo tempore disce quæ postmodum doceas. » Item ad eumdem in cap. seq. : « Si clericatus te titillat desiderium, discas quod possis docere. » Ex quibus patet quod monachi possunt[2] suscipere docendi officium. Hoc idem ostenditur exemplis sanctorum, qui in religione viventes docuerunt : sicut patet de Gregorio Nazianzeno, qui cum monachus esset, Constantinopolim est adductus, ut sacram Scripturam ibi doceret, ut *Ecclesiastica* narat *historia.* Hoc etiam patet de Damasceno, qui cum monachus esset, scholares docuit non solum in sacra Scriptura, sed etiam in liberalibus artibus, ut patet in lib. *De miraculis beatæ Virginis.* Hieronymus etiam in *Prologo Bibliæ,* licet monachus esset, doctrinam sacræ Scripturæ promittit Paulino monacho, scilicet quod eum docebit; quem etiam ad studium sacræ Scripturæ hortatur. De Augustino etiam legitur, quod « postquam monasterium instituit, in quo cœpit vivere secundum regulam sub sanctis apostolis institutam, scribebat libros, et docebat indoctos. » Hoc etiam patet de aliis Ecclesiæ doctoribus, scilicet Gregorio, Basilio, Chrysostomo, et aliis multis, qui religiosi fuerunt, et præcipui Ecclesiæ doctores.

Hoc etiam rationibus ostendere facile est. Doctrina enim sacræ Scripturæ operibus comprobatur. Actuum, I, 1 : *Cœpit Jesus facere et docere, Glossa :* « Quod cœpit facere et docere, bonum doctorem instruit, qui quod docet facit. » Doctrina autem evangelica non solum præcepta, sed et consilia continet. Convenientissime ergo doctrinam evangelicam docet qui non solum præcepta, sed etiam consilia servat, cujusmodi sunt religiosi.

Item. Qui moritur alicui vitæ, ab illis operibus decidit quæ illi vitæ congruunt; et qui vivere incipit aliqua vita, illa opera tunc sibi fiunt maxime convenientia quæ illi vitæ competunt; unde Dionysius, II cap. *Eccl. hierarch.,* ostendit quod ante baptismum, per quem homo divinam vitam accipit, non potest exercere divinas operationes : quia, sicut ipse dicit, oportet primum existere, et deinde operari. Sed religiosus per votum religionis sæculo moritur Deo vivens. Ergo per hoc quod religiosus est, interdicuntur sibi operationes sæculares, sicut mercationes, et alia negotia sæcularia; non autem actiones divinæ, quæ scilicet hominem in Deo viventem requirunt. Talis autem est divina confessio, quæ fit per doctrinam. Ps. CXIII, 17 : *Non mortui laudabunt te, Domine ...; sed nos qui vivimus, benedicimus Domino.* Et ita religiosi

[1] Parm. omittit : « quod. » — [2] Parm. : « accipi potest quod ... possint. »

per votum religionis a doctrinæ officio non excluduntur.

Præterea. Illi maxime sunt idonei ad docendum qui maxime divina per contemplationem capere possunt; unde Gregorius in VI *Moral.* : « Quieti contemplantes sorbeant quod occupati erga proximos loquentes refundant. » Sed ad vacandum contemplationi præcipue religiosi sunt deputati. Ergo per hoc quod sunt religiosi, redduntur magis ad docendum idonei quam impediantur.

Item. Ridiculum est dicere, quod ex hoc aliquis a doctrina repellatur per quod magis quietus ad vacandum studio et doctrinæ redditur; sicut ridiculum esset quod a currendo impediretur qui impedientia cursum reliquit. Sed religiosi per triplex votum reliquerunt illa quibus animus maxime inquietatur ut ex prædictis patet; ergo eis maxime docere et studere competit. Eccli., XXVIII, 25: *Sapientiam* (*Glossa,* divinam), *scribe in tabulis cordis,* id est disce in tempore vacuitatis; *et qui minoratur actu, percipiet sapientiam.*

Item. Pauperibus Christi maxime competit notitiam Scripturarum habere, ut patet per Hieronymum in prol. *Hebraicarum quæstionum super Genes.* : « Ut nos humiles et pauperes nec habemus divitias, nec oblatas dignamur accipere; et illi noverint non posse notitiam Scripturarum, id est Christi cum mundi habere divitiis. » Eis autem competit docere qui notitiam habent Scripturarum. Ergo religiosis qui paupertatem profitentur, maxime competit docere.

Item. Sicut supra probatum est, ad quodlibet opus misericordiæ exequendum potest aliqua religio institui. Sed docere est actus misericordiæ, unde inter eleemosynas spirituales computatur. Ergo potest aliqua religio institui specialiter ad docendum.

Præterea. Magis remota videtur a religionis proposito corporalis militia, quæ corporalibus armis exercetur, quam militia spiritualis, quæ utitur armis spiritualibus, scilicet sacris documentis ad errorum impugnationem, de quibus dicitur II ad Corinth., X, 4 : *Arma militiæ nostræ non sunt carnalia, sed potentia Deo.* Sed religiones aliquæ provide institutæ sunt ad exequendam militiam corporalem in tutelam Ecclesiæ ab hostibus corporalibus; quamvis non desint Ecclesiæ principes sæculares, qui ex officio Ecclesiam defendere debent. Ergo et salubriter institutæ sunt aliquæ religiones ad docendum, ut sic per eorum doctrinam Ecclesia ab hostibus defendatur, quamvis etiam sint alii ad quos pertinet hoc modo Ecclesiam defendere [1].

Item. Qui idoneus est ad hoc ut possit assumi ad id quod majus est, et in quo aliud includitur, idoneus debet reputari ad id quod minus est, et quod in majori includitur. Sed religiosus, etiamsi religio ejus non sit ad docendum instituta, potest assumi ad prælationis officium, ut patet *De monachis* per multa capitula, XVI, quæst. I. Cum ergo prælationis officium sit majus quam officium doctoris quod magistri legentes in scholis exercent, et tamen prælationis officium simul habeat etiam doctrinam adjunctam; non debet inconveniens reputari, si monachus auctoritate ejus ad quem spectat, ad prædictum doctrinæ officium assumatur.

Item. Minora bona pro majoribus intermitti possunt, ut dicit *Glossa* super illud Luc., IX, 60 : *Tu autem vade, et annuntia regnum Dei.* Sed bonum commune præfertur bono privato. Cum ergo monachus in claustro ordinem suum servans, privato bono insistat, scilicet tantum suæ saluti; doctrinæ autem officium, quo plurimi erudiuntur, in commune bonum totius Ecclesiæ redundet; non est inconveniens, si monachus extra claustrum vivat ad doctrinæ officium assumptus de licentia ejus ad quem spectat.

Nec valet quod dicunt, quod hoc posset fieri quando necessitas immineret, quæ nunc non apparet, cum magistrorum sæcularium jam copia habeatur, quia utilitas communis non solum debet procurari ut sit quocumque modo, sed ut sit optimo modo quo fieri potest. Quanto autem doctores magis multiplicantur, tanto utilitas communis, quæ ex doctrina provenit, magis crescit, quia uni manifestatur quod alteri nondum notum est, propter quod dicitur Sapient., VI, 26 : *Multitudo autem sapientium sanitas est orbis terrarum;* quo zelo Moyses ductus dixit Num., XI, 29 : *Quis tribuat ut omnis populus prophetizet?* Glossa : « Fidelis prædicator optat, si fieri valeat, ut veritatem quam solus non sufficit, ora cunctorum sonent, » et in-

[1] Parm. : « defensare. »

fra : « Prophetare omnes voluit qui bonum quod habuit, non invidit. »

Item. Ejusdem est verbo præsentes, scripto absentes docere, ut habetur II Corinth., x, 11 : *Quales sumus verbo per epistolas absentes, tales præsentes in facto.* Sed nullus dubitat quin religiosi possint docere absentes scripto, cum omnia armaria plena inveniantur operibus, sive libris, quos religiosi fecerunt ad Ecclesiæ instructionem. Ergo et præsentes possunt verbo docere.

CAPUT V.

Responsio ad inducta superius contra veritatem in primo articulo.

Ea autem quæ in contrarium opponuntur, facile est solvere.

Quod enim primo dicunt, esse Domini consilium de vitando magisterio, patet multipliciter esse falsum. Primo quia supererogationes, de quibus dantur consilia, habent præmium eminentius, ut patet ex hoc quod dicitur Lucæ, x, 35 : *Et quodcumque supererogaveris, ego cum rediero reddam tibi*, quod *Glossa* de supererogatione consiliorum exponit. Unde abstinere ab illis actibus quibus excellens debetur præmium, sub consilio cadere non potest. Doctoribus autem debetur præmium excellens, sicut et virginibus, scilicet aureola, ut patet Danielis, XII, 3 : *Qui ad justitiam erudiunt multos* (*Glossa,* verbo et exemplo), *quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Sicut ergo inconveniens esset dicere quod declinare virginitatem et martyrium sub consilio caderet, ita inconveniens est dicere quod abstinere ab actu docendi, sub consilio cadat.

Item consilium non potest esse de eo quod contrariatur consilio vel præcepto. Sed docere cadit sub præcepto vel sub consilio, ut patet Matthæi, ult., 19 : *Euntes, docete et omnes gentes,* etc. Galat., VI, 1 : *Vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis.* Non ergo de non docendo potest esse consilium.

Item consilia quæ Dominus proposuit, immediate ab apostolis observari voluit, ut eorum exemplo alii ad observanda consilia provocarentur; unde Paulus, I Cor., VII, 7, consilium de virginitate proponens, dixit : *Volo omnes homines esse sicut meipsum.* Sed observatio hujus quod dicunt consilium, scilicet abstinere a docendo, ad apostolos non pertinebat, cum ipsi ad docendum in universum orbem mitterentur. Non ergo abstinere a docendo sub consilio cadit. Nec potest dici quod sub consilio cadat abstinere ab his quæ ad solemnitatem docendi pertinent, quia ea quæ ad solemnitatem docendi pertinent, non fiunt causa relationis; alias enim essent ab omnibus vitanda, quia quilibet tenetur elationem vitare; sed sunt ordinata ad auctoritatem officii ostendendam; et ideo, sicut perfectioni nihil deperit, si sacerdos supra diaconum sedeat, et sericis ornetur vestibus, ita non obstat perfectioni, si quis magistralibus insigniis utatur, et hoc est quod dicit quædam *Glossa* super illud Matth., XXIII, 6 : *Amant primos recubitus.* « Magistros (inquit) primos sedere non vetat; sed eos arguit qui hæc habita vel non habita, appetunt. » Adhuc autem est magis ridiculum dicere, quod etsi abstinere a docendo sub consilio non cadat, abstinere tamen a magisterii nomine sub consilio cadit. Non enim potest esse præceptum vel consilium de eo quod non est in nobis, sed in alio. In nobis quidem est docere vel non docere, de quo non esse consilium probatum est. Sed doctores atque magistros vocari non est in nobis, sed in eis qui sic nos nominant. Non ergo potest sub consilio cadere, ut non vocemur magistri.

Item, cum nomina sint imposita ad significandum res, ridiculum est dicere quod nomen sit prohibitum, cum res non sit interdicta.

Item, consiliorum observatio maxime ad apostolos pertinuit, quibus mediantibus ad alios pervenit. Magistri ergo nomen nullo consilio est interdictum, cum ipsi apostoli se ipsos magistros et doctores nominaverint. I Timoth., II, 7 : *Veritatem dico, non mentior, doctor gentium in fide et veritate.* II Tim., I, 11 : *In quo positus sum ego prædicator et apostolus et magister gentium.* Restat ergo dicendum quod id quod Dominus dixit : *Nolite vocari Rabbi,* non sit consilium, sed præceptum, ad quod omnes tenentur; nec prohibentur actus docendi et magisterii nomen, sed ambitio magisterii; unde, cum subjungit : *Nec magistri; Glossa :* « nec appetatis vocari. » Nec quemlibet appetitum interdicit, sed inordinatum; ut ex *Glossa* prius inducta apparet, et ex hoc etiam quod de inordinato appetitu phari-

sæorum præmiserat, dicens : *Amant primos recubitus,* etc. Potest tamen aliter intelligi, secundum *Glossam,* ut etiam ex circumstantia *Litteræ* patet. Simul enim Dominus prohibet ibidem patris nomen ac magistri, quia unus est pater noster qui est in cœlis, et quia magister noster unus est Christus. Deus enim, ut *Glossa* dicit ibidem, et pater et magister natura dicitur, homo autem dicitur indulgentia pater, et magister ministerio. Prohibet ergo Dominus ne auctoritas vitæ naturalis seu spiritualis, aut etiam sapientiæ, alicui homini attribuatur ; unde dicit *Glossa :* « Vos autem nolite vocari magistri, ne quæ Deo debentur, vobis præsumatis ; neque alios Rabbi vocetis, ne divinum honorem hominibus deferatis. » Unde in alia *Glossa* dicitur quod pater vocandus est aliquis, ut honor ætati deferatur, non ut auctor vitæ habeatur. Magister ex consortio veri magistri tanquam ejus nuntius, et pro reverentia ejus a quo mittitur, honoretur. Sic ergo patet quod Dominus non prohibuit simpliciter nec præcepto, nec consilio, nomen patris aut magistri, alias quomodo sancti patres sustinuissent ut illi qui præsunt monasteriis, abbates, id est patres, vocarentur? Quomodo etiam Christi Vicarius, qui debet esse totius[1] perfectionis exemplum, Papa, id est pater diceretur? Augustinus etiam et Hieronymus episcopos quibus scribunt, Papas, id est patres, frequenter nominant. Stultissimum est ergo dicere quod hoc quod dicitur : *Nolite vocari Rabbi,* sit consilium. Dato etiam quod sit consilium, non sequitur quod omnes perfecti ad istud consilium teneantur. Non enim qui statum perfectionis profitentur, ad omnia tenentur consilia, sed ad ea tantum ad quæ ex voto se obligant, alias apostoli, qui in statu perfectionis erant, tenebantur ad hanc supererogationem quam Paulus faciebat, ut non acciperent stipendia ab Ecclesiis quibus prædicabant ; et ita[2] peccabant, cum hoc non observarent, ut patet I Cor., IX. Sequeretur etiam ex hoc religionum confusio, si omnes ad omnes supererogationes et omnia consilia tenerentur ; quicquid enim una supererogaret, omnes supererogare tenerentur, et sic inter eas nulla distinctio remaneret ; quod est inconveniens. Non ergo ad omnia consilia perfecti tenentur, sed solum ad ea ad quæ se obligant.

Quod etiam secundo objiciunt, quod monachus non docentis, sed plangentis habet officium, pro eis non facit[3]. Ibi enim Hieronymus ostendit quod monacho, ex hoc quod est monachus, competat pœnitentiam agere, non docere, sicut illi sibi usurpabant, de quibus diximus quod ex hoc ipso quod monachi erant, docere volebant. Vel intendit ostendere quod monachus, ex hoc quod est monachus, non obligatur ad docendum. Sic enim Hieronymus inducit hoc in *Epistola contra Vigilantium.* Non autem sequitur, si monachus non habeat officium docendi, quod accipere non possit; sicut non sequitur, si subdiaconus non habeat officium legendi Evangelium, quod ad hoc officium assumi non possit, et hoc est quod Gratianus dicit XVI, quæst. I, *Superiori.* Voluit ergo Hieronymus distinguere inter personam monachi et personam clerici, ostendens quid cuique ex proprio officio conveniat. Aliud enim convenit cuique ex eo quod monachus est, aliud ex eo quod clericus est. Ex eo quod monachus est, sua et aliorum peccata deflendi habet officium ; ex eo quod clericus est, docendi et pascendi populum. Ex quo etiam patet intellectus alterius capituli supradicti, in quo Gratianus loquitur in illa quæstione de doctrina prædicationis, quæ ad prælatos pertinet ; non autem de doctrina scholastica, cui prælati non multum intendunt. Unde hæc objectio procedit in æquivoco.

Item, dato quod monacho docere non liceat, non sequitur quod canonicis regularibus non liceat docere, cum canonici regulares inter clericos computentur : de quibus Augustinus in *Sermone de communi vita clericorum* (et habetur XII, quæst. I, *Nemo*) : « Qui habuerit proprium, vel habere voluerit, et de proprio vivere, parum est ut dicam : Non mecum manebit, sed nec clericus erit. » Ex quo patet quod illi qui sub beato Augustino sine proprio vivebant, inter clericos computabantur. Quamvis autem Augustinus postea revocaverit hoc generale interdictum quod fecerat, ut nullus clericus esset nisi sine proprio viveret ; non tamen revocavit quin illi qui sine proprio sub eo vivebant, clerici essent,

[1] Parm. omittit : « totius. » — [2] Parm. omittit : « ita. » — [3] Parm. omittit : « pro eis. »

ut patet per cap. *Certe ego sum,* quæst. eadem. Quod autem objiciunt quod canonici regulares et monachi ad paria censentur, intelligendum est in illis quæ sunt communia omni religioni; sicut vivere sine proprio, abstinere a negotiationibus, et ab officio advocandi in causis, et hujusmodi; alias possent similiter concludere quod canonici regulares tenerentur abstinere a lineis indumentis, quia monachi ad hoc tenentur. Multo etiam fortius licet illis religiosis docere quorum religio est ad hoc statuta, etiam si monachis non liceret; sicut Templariis licet armis uti, quod non licet monachis.

Quod autem tertio objiciunt, quod assumere magisterii officium est contra votum religionis, patet multipliciter esse falsum. Religiosi enim per votum religionis non hoc modo abrenuntiant mundo, ut rebus mundi uti non possint, sed mundanæ vitæ, ut scilicet mundi actionibus non occupentur; unde et sunt in mundo, inquantum rebus mundi utuntur, et non sunt de mundo, inquantum a mundanis actionibus sunt liberi. Unde non est contra votum eorum, si utantur divitiis, vel etiam quandoque deliciis; alias quicumque deliciose comederent, mortaliter peccarent, quod non est dicendum. Unde non est contra votum eorum, si quandoque honoribus utantur. Item mundo, secundum quod ibi accipitur, non solum religiosi, sed etiam omnes homines abrenuntiare tenentur; quod patet ex hoc quod supra præmittit Joannes (Epist. I, cap. II, 15) : *Si quis diligit mundum, non est caritas Patris in eo; quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ; Glossa :* « Omnes dilectores mundi nihil habent nisi hæc tria, quibus omnia vitiorum genera comprehenduntur. » Unde patet quod ad mundum dicuntur ibi pertinere non divitiæ et deliciæ simpliciter, sed inordinatus appetitus eorum; et sic non solum religiosis, sed etiam omnibus interdicitur non quidem honor, sed ambitio honoris. *Glossa* ibi : « *Superbia vitæ,* id est omnis ambitio sæculi. » Item dato quod honor simpliciter ad mundum pertinere intelligatur, non tamen hoc potest dici de quolibet honore, sed de honore qui consistit in rebus mundanis; non enim potest dici quod honor sacerdotii pertineat ad mundum, et similiter nec honor magisterii, cum doctrina, quam consequitur talis honor, sit de spiritualibus bonis. Sicut ergo religiosi non abrenuntiant per votum sacerdotio, ita nec magisterio. Item hoc falsum est quod magisterium sit honor, est enim officium cui debetur honor. Dato etiam quod religiosi cuilibet honori abrenuntiassent, non tamen abrenuntiaverunt eis quibus debetur honor; alias renuntiassent operibus virtutum. Honor enim, secundum Philosophum in I *Ethicor.,* est præmium virtutis. Nec propter hoc aliquis debet abstinere a magisterio, quia diabolus aliquos inflatos honore magisterii decipit; sicut nec a bonis operibus, quia Augustinus dicit : « Superbia etiam bonis operibus insidiatur ut pereant. »

Ad illud autem quod quarto objiciunt, quod religiosi profitentur perfectam humilitatem, dicendum quod est falsum, non enim vovent humilitatem, sed obedientiam. Humilitas enim sub voto non cadit, sicut nec aliæ virtutes; cum actus virtutum sint necessitatis, quia sunt in præcepto, votum autem est de eo quod est voluntatis[1]. Similiter etiam nec perfectio humilitatis sub voto cadere potest, sicut nec perfectio caritatis; cum perfectio virtutis non sit ex nostro arbitrio, sed ex Dei munere. Dato autem quod ad perfectam humilitatem tenerentur, non sequitur quod non possent aliquibus honoribus potiri, sicut non possunt possidere divitias propter hoc quod profitentur summam paupertatem, quia possidere divitias paupertati opponitur; non autem potiri honoribus opponitur humilitati, sed in honoribus se inordinate extollere; unde, ut Bernardus dicit in lib. *De consideratione,* « nulla splendidior gemma humilitate, » scilicet in omni ornatu Summi Pontificis : « quo enim celsior cæteris, eo humilitate apparet illustrior et se ipso; » et Eccl., III, 20, dicitur : *Quanto magnus es, humilia te in omnibus.* Quis enim audeat dicere quod Gregorio aliquid de perfectione humilitatis deperierit, quia ad summum apicem ecclesiastici honoris promotus est? Patet etiam ex dictis quod magisterium non est honor : et sic ratio illa penitus nihil valet.

[1] Parm. : « voluntarium. »

Ad id quod quinto objiciunt, dicendum quod Dionysius distinguit monachos contra diaconos, presbyteros et episcopos. Patet etiam quod loquitur de monachis qui clerici non erant tempore Ecclesiæ primitivæ, ut patet XVI, q. I, *Superiori*. Monachos usque ad tempus Eusebii, Zosimi et Siricii clericos non fuisse, *Ecclesiastica* testatur *historia*. Et sic non potest concludi per dictum Dionysii aliquid de monachis qui sunt episcopi, vel presbyteri, vel diaconi. Procedit etiam eorum ratio ex malo intellectu Dionysii. Vocat enim actiones sacras ecclesiastica sacramenta, baptismum dicens esse purgationem et illuminationem, sed confirmationem et Eucharistiam perfectionem, ut patet in IV cap. *Ecclesiast. hierarchiæ* : et hæc dispensare non licet nisi prædictis ordinibus; sed docere in scholis non est de istis sacris actionibus de quibus Dionysius loquitur; alias nullus posset docere in scholis, nisi esset diaconus vel sacerdos. Item monachi clerici possunt conficere corpus Christi, quod non nisi sacerdotibus licet. Ergo multo fortius docendi uti possunt officio, ad quod sacer ordo non requiritur.

Ad illud[1] quod sexto objicitur, quod nullus potest ecclesiasticis officiis deservire, et in monastica regula ordinate persistere, et ita multo minus scholastico[2], intelligendum est non de his quæ ad substantiam religionis pertinent, ut etiam per apparatum ibi patet, quia hæc bene servare possunt ecclesiasticis vacantes officiis; sed intelligitur quantum ad alias observantias, sicut silentium, et vigilias, et hujusmodi : quod etiam patet ex hoc quod sequitur in prædicto capitulo : « Ut ipse districtionem monasterii teneat qui quotidie in ministerio ecclesiastico cogitur deservire. » A quibus observantiis regularibus non est inconveniens si aliqui abstineant, ut utilitati communi vacent docendo; sicut patet in illis qui ad prælationis officium assumuntur, cum etiam in claustris manentes in talibus quandoque dispensationem accipiant propter aliquam causam. Et præterea aliqui religiosi sunt qui in claustris suis manentes, districtionem sui ordinis servantes, scholastico insistunt officio, quod ex institutione sui ordinis habent.

Ad illud quod septimo objiciunt, dicendum quod ille se superextendit supra mensuram suam, ut patet per *Glossam* ibidem, qui se extendit ultra quam ei concedatur. Illud autem intelligitur concessum quod nulla lege prohibitum invenitur. Unde si religiosus aliquid faciat quod non sit sibi per regulam suam prohibitum, non superextendit se supra mensuram, quamvis de illo faciendo in regula nulla mentio fiat : alias non liceret religiosis aliquibus, qui habent regulas latiores, assumere sibi perfectioris vitæ consuetudines et statuta; quod est contra Apostolum ad Philipp., III, qui *ea quæ retro sunt obliviscens, ad ea quæ sunt priora,* se extendebat. Et præterea aliqui religiosi sunt qui doctrinam ex institutione sui ordinis habent, et patet quod contra eos dicta objectio non procedit.

CAPUT VI.

Responsio ad inducta superius contra veritatem in secundo articulo.

Quod autem adjungunt, quod in uno religiosorum collegio duo doctores esse non debeant, manifeste patere potest iniquum esse. Cum enim religiosi non sint minus habiles[3] quam sæculares, ut supra probatum est, non debet in docendo religiosi pejor esse conditio quam sæcularis. Esset autem secundum positionem prædictam : quia non major via pateret toti uni multitudini religiosorum veniendi ad magisterium quam uni sæculari, qui singulariter per se studet, qui magister fieri potest, si in studio proficiat. Item secundum hanc positionem profectus studii in religiosis impeditur. Sicut enim pugnanti esset impedimentum ad pugnam, si præmium pugnæ ei subtraheretur; quia, ut Philosophus, in III *Ethic.,* dicit, « fortissimi pugnatores esse videntur apud quos sunt timidi inhonorati, fortes honorati; » ita studenti esset impedimentum ad studium, si ei magisterium subtrahatur, quod est studentium præmium. Item hoc reputaretur in pœnam infligi alicui, si ei postquam in studio profecit, magisterium denegaretur. Si ergo religiósus in magisterio consequendo plusquam alii impediatur ex hoc ipso quod religiosus est, punietur, et hoc est punire homines pro bono : quod iniquum est.

[1] Parm. : « aliud. » — [2] Parm. : « scholastice. » — [3] Parm. : « humiles. »

Ad primum ergo quod inducunt, dicendum quod illa auctoritas non magis ad religiosos pertinet quam ad sæculares. Fratres enim in Novo Testamento omnes christiani appellantur, ut per se patet : quorumlibet etiam christianorum collegium Ecclesia dicitur. Non tamen numerus magistrorum interdicitur per auctoritatem prædictam religiosis seu sæcularibus : quia, ut Augustinus dicit, multi magistri dicuntur, quia contraria docent; et multi docentes unus magister sunt; et sic contrarietas illa[1], non pluralitas doctorum prohibetur. Vel magis secundum litteram prohibetur ut non quilibet indifferenter ad magisterium assumatur, sed discreti, et in Scripturis edocti, ut dicit *Glossa,* et hoc paucorum est; et alia *Glossa* dicit quod « non eruditos in verbo fidei ab officio verbi removet, ne impediant[2] veros prædicatores. » Vel loquitur de magisterio quod competit prælatis Ecclesiarum : prohibetur enim ne unus pluribus Ecclesiis, aut plures uni Ecclesiæ præsint; unde *Glossa :* « In pluribus Ecclesiis, aut plures in una Ecclesia ne velitis esse magistri, » id est prælati, qui soli sunt Ecclesiarum magistri : non enim qui de aliquo collegio docet, Ecclesiæ magister est, quamvis collegium de quo est, Ecclesia dicatur.

Ad secundum dicendum quod plures magistri qui sunt de uno collegio, non præsunt illi collegio sicut rector in navi, vel principes in apibus, sed sicut unusquisque præest in sua schola. Unde per auctoritatem prædictam non potest probari quod intendunt, sed solum quod in una schola non possunt esse plures magistri.

Ad tertium dicendum quod per hoc quod in uno religiosorum collegio multiplicantur plures magistri, non excluduntur sæculares a doctrina, quamvis sint multa religiosorum collegia, quia non semper de quolibet religiosorum collegio inveniuntur plures ad docendum idonei; sicut nec aliquis a docendo impeditur propter hoc quod de qualibet diœcesi possunt esse tot magistri, quot ad hoc inveniuntur digni ratione eadem. Et si etiam multi invenirentur idonei, de utrisque essent magis idonei præeligendi, sive religiosi sive sæculares, sine personarum acceptione. Nec tamen ex multitudine doctorum sacra Scriptura venit in contemptum, dummodo sint sufficientes; sed magis ex insufficientia, etiamsi sint pauci. Unde non est conveniens determinatum numerum magistrorum esse, ne hac occasione idonei a magisterio repellantur.

CAPUT VII.

An religiosus licite possit esse de collegio sæcularium magistrorum.

Adhuc autem sua malitia eos instigante, conantur ostendere quod religiosi sæcularibus in his quæ ad studium pertinent, communicare non debent; ut si non ex toto doctrinæ amittant officium, tamen in executione officii aliquo modo impediantur.

Ad hoc autem ostendendum, inducunt primo illud quod habetur XVI, quæst. VII, cap. *In nova actione*, ubi dicitur : « In uno eodemque officio non debet esse dispar professio : quod etiam in lege divina prohibetur, dicente Moyse : Non arabis simul in bove et asino; id est, homines diversæ professionis in uno officio simul non sociabis; » et infra : « Nam cohærere et conjungi non possunt quibus et studia et vota sunt diversa. » Cum ergo religiosis et sæcularibus sit professio dispar, in uno docendi officio sociari non possunt.

Item. Cum quilibet morem genere debeat illis quibus convivit, secundum Augustinum, inconveniens videtur ut unus et idem sit de religioso et sæculari collegio simul et semel : non enim potest simul utrorumque actus imitari. Sic ergo religiosus qui est de collegio suæ religionis, non potest esse de collegio sæcularium doctorum.

Item. Secundum juris ordinationem statutum est ut unus et idem non sit in diversis collegiis sæcularibus, nisi forte per dispensationem. Multo igitur minus religiosus, qui est de collegio suæ religionis, poterit esse de collegio sæcularium magistrorum.

Item. Quicumque sunt de aliquo collegio, observare tenentur ea quæ ad illud collegium spectant. Religiosi autem observare non possunt ea quæ competunt collegio doctorum et scholarium sæcularium : non enim possunt se obligare ad quæ alii se obligant, nec jurare quæ alii jurant, vel alia hujusmodi servare quæ alii servant;

[1] Parm. omittit : « illa. » — [2] Parm. : « ut non impediat. »

cum non sint sui juris, sed sub potestate alterius constituti : et ita videtur quod non possint esse de collegio eorum.

Adhuc autem amplius in sua procedunt malitia : ut quos a societate vident se non posse efficaci ratione dividere, saltem infamando sejungant. Dicunt enim, per religiosos offendicula et scandala excitari; et ideo se debere eorum vitare consortium, secundum præceptum Apostoli ad Roman., ult., 17 : *Rogo autem vos, fratres, ut observetis eos qui dissensiones et offendicula præter doctrinam quam vos didicistis, faciunt, et declinate ab illis.*

Dicunt etiam quod religiosi otiosi vivunt; unde vitari debent, secundum præceptum Apostoli, II ad Thessal., III, 6 : *Denuntiamus autem vobis, fratres, in nomine Domini nostri Jesu Christi* (*Glossa :* per Jesum præcipimus), *ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate* (*Glossa :* id est non communicetis eis qui ambulant inordinate), *et non secundum traditionem quam acceperunt a nobis;* et subjungit de labore manuum dicens : *Ipsi enim scitis quemadmodum oporteat imitari nos,* etc. Et infra expressius : *Si quis non obedierit verbo nostro per epistolam,* scilicet de operando manibus, *hunc notate, et ne commisceamini cum illo, ut confundatur.*

Imponunt etiam religiosis, quod ipsi sunt auctores periculorum in novissimis diebus futurorum; unde sunt vitandi, secundum præceptum Apostoli, II Timoth., III : *Hoc autem scito, quod in novissimis diebus instabunt tempora periculosa; et erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati;* et infra : *Habentes quidem speciem pietatis,* id est religionis (secundum *Glossam*), *virtutem autem ejus abnegantes : et hos devita.* Sed, sicut in eodem capitulo dicitur : *Mali homines, et seductores proficient in pejus, errantes, et in errorem mittentes.*

Unde non contenti religiosorum infamia, etiam apostolicam auctoritatem[1] evacuare conantur, dicentes quod nec etiam apostolica auctoritate cogi possunt ut ad suam societatem religiosos admittant : quia secundum juris civilis ordinem nullus ad societatem compelli debet, cum societas voluntate firmetur; unde nec ipsi compelli possunt aliqua auctoritate ut religiosos in suam societatem admittant.

Item[2]. Apostolica auctoritas non se extendit nisi ad ea quæ ad cathedram pertinent : unde Apostolus dicebat, II Cor., X, 13 : *Nos autem non in immensum gloriabimur, sed secundum mensuram regulæ, qua mensus est nobis Deus.* Ad cathedram autem, ut dicunt, non pertinet studientium societas, sed collatio beneficiorum, administratio sacramentorum, et alia hujusmodi; unde auctoritate apostolica cogi non possunt ut religiosos ad suam societatem admittant.

Item. Potestas ministris Ecclesiæ collata est non in destructionem, sed in ædificationem, ut dicitur II Cor., ult. Unde, cum in destructionem ordinetur societas religiosorum et sæcularium, ut ex præmissis ostendere conantur, compelli non possunt apostolica auctoritate ut religiosos ad suam societatem admittant.

CAPUT VIII.

Quod prædicta sententia est reprobanda, quia damnosa est, et falsa ac frivola.

Hæc autem eorum sententia invenitur esse damnosa, falsa et frivola. Damnosa quidem est, quia derogat ecclesiasticæ unitati, quæ consistit, secundum Apostolum ad Rom., XII, 5, in hoc quod *multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra. Glossa :* « Sumus alter alterius membra, dum sumus aliis servientes, aliis indigentes. » Ideo dicitur « singuli, » secundum *Glossam* quia nullus excluditur, major vel minor. Unde patet quod ecclesiasticæ unitati derogat quicumque impedit quod unusquisque alterius membrum non sit, ei serviendo secundum officium sibi competens. Cum ergo religiosis competat docendi officium : de quo post pauca Apostolus mentionem facit dicens : *Sive qui docet, in doctrina; Glossa :* « qui habet gratiam docendi, sit membrum alterius in exhibitione doctrinæ : » manifestum est quod ecclesiasticæ unitati derogat quicumque religioso impedit ne quemquam docere possit, vel a quocumque addiscere. Derogant etiam prædicta cari-

[1] Al. : « apostoli eam auctoritatem. » — [2] Hoc argumentum in cod. reg. 3109 desiderabatur, sed aliquis illud in inferiori margine scripsit.

tati. Quia secundum Philosophum in VIII et X *Ethic.*, in communicatione amicitia fundatur et salvatur : cui congruit sententia Salomonis, Proverb., XVIII, 24 : *Vir amicabilis ad societatem magis amicus erit quam frater.* Unde qui prohibet sæculares in studio religiosis communicare, vel e converso, impedit caritatem; et ex hoc etiam dissensionis et rixæ disseminat incentivum. Derogat etiam hæc sententia profectui studentium. In omnibus enim negotiis quæ a pluribus exerceri possunt, plurimum[1] societas multorum prodest; unde Proverb., XVIII, 19 : *Frater qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma;* et Eccle., IV, 9 : *Melius est duos esse simul quam unum : habent enim emolumentum societatis suæ.* Sed præcipue in acquisitione scientiæ plurimum[2] societas multorum studentium prodest; quia interdum alter ignorat quod alius invenit, aut quod ei revelatur. Unde et Philosophus, I lib. *Cœli et mundi,* dicit quod antiqui philosophi in conventionibus diversis veritatem de cœlestibus investigaverunt. Quicumque ergo aliquod genus hominum a societate studentium segregat, manifeste commune studium impedit. Et hoc præcipue verum est de religiosis, qui quanto sunt a curis sæcularibus absoluti, tanto ad studium inveniuntur magis idonei, secundum illud Eccli., XXXVIII, 25 : *Qui minoratur actu, sapientiam percipiet.* Derogat autem prædicta sententia fidei communitati : quæ quia una debet esse, catholica nominatur. Facile enim contingit ut qui secum in doctrina non communicant simul conveniendo, diversa et interdum contraria doceant : unde Apostolus de semetipso dicit ad Gal., II, 1 : *Deinde post annos quatuordecim iterum ascendi Jerosolymam cum Barnaba, assumpto et Tito; ascendi autem secundum revelationem, et contuli cum illis Evangelium quod prædico in gentibus; seorsum autem cum his qui videbantur aliquid esse : ne forte in vacuum currerem aut cucurrissem.* Unde et in *Decretis,* distinct. XV, cap. *Canones,* dicitur quod a temporibus Constantini concilia incœperunt. In præcedentibus namque annis persecutione fervente docendarum plebium minime dabatur facultas : inde christianitas in diversas hæreses scissa est, quia non erat episcopis licentia conveniendi in unum. Patet ergo quod periculum fidei divisionis[3] inducit qui doctores fidei in unam societatem congregari non permittit. Et sic patet multipliciter prædictam sententiam esse damnosam.

Est etiam eadem sententia falsa : quod multipliciter patet, quia est contraria doctrinæ apostolicæ, quæ falsa esse non potest. Dicitur enim I Petr., IV, 10 : *Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei; Glossa :* « Gratiam dicit, id est quodlibet donum Spiritus sancti ad subserviendum aliis, tam in sæcularibus quam in spiritualibus. » Et exemplificat de dono scientiæ, dicens : *Si quis loquitur, quasi sermones Dei; Glossa :* « Si quis habet scientiam loquendi, non sibi, sed Deo imputet. Timeat autem ne præter voluntatem Dei, vel auctoritatem sanctarum Scripturarum, vel præter utilitatem fratrum doceat, nec etiam quod docendum est, taceat. » Qui igitur dicit quod religiosi et sæculares in alterutrum donum scientiæ non communicent, manifeste auctoritati apostolicæ contradicit. Item ex ore Sapientis dicitur Eccli., XXXIII, 18 : *Respicite quod non mihi soli laboravi, sed omnibus exquirentibus disciplinam;* quod ad ecclesiasticum doctorem pertinet, ut *Glossa* ibidem dicit : qui non solum sibi, sed aliis scribendo et docendo proficit. Qui omnes dicit, nullum excipit. Ergo tam religiosi quam sæculares doctores omnibus communiter et sæcularibus et religiosis proficere debent docendo. Item diversa officia sunt in Ecclesia, sicut diversa membra in corpore, ut patet in I ad Corinth., XII, in textu et in *Glossa.* Sicut autem oculi sunt in corpore, ita doctores sunt in Ecclesia. Matth., V et XVIII, 9, per hoc quod dicitur : *Si oculus tuus scandalizat te,* doctores et consiliarii intelliguntur, ut per *Glossam* patet. In corpore autem humano est ita quod oculus omnibus membris providet indifferenter; et similiter quodlibet aliud membrum alteri subservit in suo officio. I Cor., XII, 21 : *Non potest autem dicere oculus manui : Opera tua non indigeo; aut iterum caput pedibus : Non*

[1] Parm. : « plurium societas multum. » — [2] Parm. : « plerumque. » — [3] Parm. : « quod in periculum fidei divisionem. »

estis mihi necessarii. Ergo et quicumque sumuntur ad officium doctrinæ, debent omnibus cujuscumque conditionis fuerint, docendo proficere : et religiosi sæcularibus, et sæculares religiosis. Item quibuscumque competit aliquis actus, competit admitti ad societatem illorum qui ordinantur ad actum illum; cum societas nihil aliud esse videatur quam adunatio hominum ad unum aliquid communiter agendum; unde et omnes quibus pugnare licet, possunt communicare in eodem exercitu, qui est societas ordinata ad pugnandum : non enim videmus quod milites religiosi repellant milites sæculares a suo exercitu, nec e converso. Sed societas studii est ordinata ad actum docendi et discendi. Cum ergo non solum sæcularibus, sed etiam religiosis liceat docere et discere, ut ex prædictis patet, non est dubium quod religiosi et sæculares in una societate studii esse possunt.

Est etiam prædicta sententia frivola : quia rationes quibus innititur, nullius momenti sunt, et ostendunt ignorantiam eorum qui eas inducunt, vel veram vel fictam. Est enim societas, ut dictum est, adunatio hominum ad aliquid unum perficiendum : et ideo secundum diversa ad quæ perficienda societas ordinatur, oportet societates distingui, et de eis judicari : cum judicium uniuscujusque rei præcipue sumatur ex fine. Et inde est quod Philosophus in VIII *Ethic.,* diversas communicationes distinguit, quæ nihil aliud sunt quam societates quædam, secundum diversa officia in quibus homines sibi invicem communicant; et secundum has communicationes amicitias distinguit, sicut eorum qui simul nutriuntur, vel qui simul negotiantur, aut aliquod aliud negotium exercent. Exinde etiam venit distinctio societatis, quæ distinguitur in publicam et privatam. Publica autem societas dicitur secundum quam homines sibi invicem communicant in una republica constituenda; sicut omnes homines vel unius civitatis vel unius regni in una republica sociantur. Privata autem societas est quæ ad aliquod negotium privatum exercendum conjungitur : sicut quod duo vel tres societatem ineunt ut simul negotientur. Utraque autem dictarum societatum distinguitur in perpetuam et temporalem. Illud enim ad quod aliqua multitudo, vel etiam duo vel tres obligantur, quandoque est perpetuum; sicut illi qui efficiuntur alicujus civitatis cives, perpetuam societatem ineunt, quia mansio civitatis eligitur ad totum tempus vitæ hominis et hæc est societas politica. Similiter etiam societas privata quæ est inter virum et uxorem, et dominum et servum, perpetuo manet propter perpetuitatem vinculi quo colligantur, et hæc societas vocatur œconomica. Quando vero negotium ad quod multitudo congregatur, temporaliter exercendum eligitur, non est societas perpetua, sed temporalis; sicut quod multi negotiatores ad nundinas conveniunt, non ut ibidem perpetuo morentur, sed donec negotia expleant : et hæc est societas publica et temporalis. Similiter duo socii qui idem hospitium conducunt, non ineunt perpetuam societatem, sed temporalem : et hæc est societas privata et temporalis. De his ergo societatibus diversimode judicandum est. Unde qui indistincte nomine societatis utitur, vel collegii, ignorantiam suam ostendit.

CAPUT IX.

Responsio ad inducta superius in primo capitulo hujus secundæ partis contra veritatem.

Secundum hæc ergo patet de facili responsio ad rationes eorum.

Ad illud enim quod primo dicitur quod « in uno et eodem officio non debet esse dispar professio ; » et infra : « Homines diversæ professionis simul non sociabis, » respondetur quod intelligendum est quantum ad illud in quo diversificantur : sicut quod laici et clerici socientur in his quæ pertinent tantum ad officium clerici; unde ante prædicta verba præmittitur : « indecorum est laicum vicarium episcopi esse et viros ecclesiasticos judicare. » Similiter etiam religiosus non potest sociari sæculari in illo in quo sæcularis a religioso diversificatur; ut in negotiis sæculi exercendis, quæ sunt religioso prohibita. II Tim., II, 4 : *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus.* Officium autem docendi et discendi est commune religioso et sæculari, ut ex supradictis patet : unde nihil prohibet religiosos sæcularibus in uno officio docendi et discendi sociari; sicut diversæ etiam conditionis homines unum

corpus Ecclesiæ constituunt secundum quod in unitate fidei conveniunt. Gal., III, 28 : *Non est Judæus neque Græcus; non est servus neque liber; non est masculus neque femina : omnes enim vos unum estis in Christo Jesu.*

Ad id quod secundo objiciunt, dicendum quod sicut quædam sunt communia religiosis et sæcularibus, quædam autem sunt in quibus differunt; ita est quoddam collegium quod est tantum sæcularium, secundum quod adunantur quidam homines ad ea perficienda quæ ad sæculares tantum spectant; aliquod autem collegium est religiosorum tantum, in quo scilicet aliquid agitur ad religiosam vitam ducendam; aliquod autem est quod est religiosis et sæcularibus commune, quia in illo adunantur homines ad hoc in quo religiosi a sæcularibus non distinguuntur, sicut religiosi et sæculares communiter sunt de collegio unius Ecclesiæ Christi, inquantum in una fide conveniunt, quæ unitatem Ecclesiæ perficit. Similiter, quia docere et discere communiter religiosis et sæcularibus competit, collegium studii non debet censeri quasi collegium religiosorum, vel quasi collegium sæcularium, sed quasi collegium in se comprehendens utrosque.

Ad id quod tertio objiciunt, scilicet quod nullus potest esse de duobus collegiis, dicendum quod illa ratio tripliciter deficit. Primo, quia pars non ponit in numerum contra totum, collegium autem privatum pars est publici collegii, sicut domus est pars civitatis : unde per hoc quod aliquis est de collegio alicujus familiæ, ex hoc ipso est de collegio civitatis, quæ ex diversis familiis constituitur; nec tamen est ex duobus collegiis. Cum ergo collegium studii sit publicum collegium, per hoc quod aliquis est de collegio privato aliquorum studentium, sicut qui conveniunt ad convivendum in una domo religiosa vel sæculari, hoc ipso est de collegio communi studii, nec propter hoc est de duobus collegiis. Secundo prædicta ratio deficit ex hoc quod nihil prohibet aliquem esse de uno collegio perpetuo publico vel privato, et simul esse de aliquo collegio publico vel privato temporali : sicut ille qui est de collegio alicujus civitatis, quandoque est ad tempus de collegio commilitantium in uno exercitu; et qui est de collegio alicujus familiæ, potest ad tempus aliquibus sociari in aliquo hospitio. Collegium autem studii non est collegium perpetuum, sed temporale; non enim ad hoc homines ad studium conveniunt ut perpetuo ibi morentur, sed vadunt et veniunt pro suo libito. Unde nihil prohibet eum qui est de religioso collegio perpetuo, simul esse de collegio scholastico. Tertio prædicta ratio fallit, quia illud quod est speciale, ad omnia extendit. Hoc autem quod unus non possit esse de duobus collegiis, intelligitur de collegiis ecclesiasticis, quia unus non potest esse canonicus in duabus ecclesiis absque dispensatione vel causa legitima; unde dicitur XXI, *Quæst.* I : « Clericus ab instanti tempore non connumeretur in duabus Ecclesiis. » In aliis autem collegiis locum non habet, unde unus et idem homo potest esse civis in duabus civitatibus. Unde, cum collegium scholasticum non sit collegium ecclesiasticum, nihil prohibet eum qui est de collegio aliquo religioso vel sæculari, esse simul de collegio scholastico.

Ad id quod quarto objiciunt, dicendum quod religiosi non possunt esse de collegio sæcularium, nisi quatenus licet eis docere et discere; quod non possunt absque moderamine et licentia suorum superiorum : ex quorum etiam licentia et juramenta et colligationes licitas et expedientes facere possunt, ut sic in collegio scholastico connumerentur.

Sciendum tamen quod, cum perfectio totius consistat in partium adunatione, illud toti non expedit in quo partes convenire non possunt, quia hoc perfectioni totius repugnat; unde et ordinationes quæ in republica statuuntur, tales debent esse quæ omnibus qui ad rempublicam pertinent, coaptentur; magis vero essent removendæ ordinationes a republica quæ adunationem civium impedirent, quam aliqua scissura reipublicæ toleranda; quia statuta sunt propter unitatem reipublicæ conservandam, et non e converso. Similiter etiam in collegio scholastico non debent esse aliqua statuta quæ non possint congruere omnibus qui ad studium licite conveniunt.

Verba autem Apostoli, quæ ad suam sententiam asserendam assumunt, pro eis non faciunt. Primo, quia religiosi non sunt similes illis de quibus loquitur Apostolus : quod patet per singula. Quod enim dicitur

ad Rom., ult. xvii : *Rogo autem, vos fratres,* etc., intelligitur de hæreticis, qui homines in fide dissentire faciebant : quod patet per hoc quod dicit, *præter doctrinam quam didicisti; Glossa :* « A veris apostolis, » quia illi a quibus declinare jubet, de lege agebant, quia cogebant gentes judaizare. Similiter illud quod habetur II Thess., iii, 6 : *Annuntiamus autem,* etc., ad religiosos non pertinet, sed ad eos qui turpia negotia exercent, otium sectantes : quod per hoc patet quod dicit Apostolus : *Audivimus enim inter vos quosdam ambulare inquiete, nihil operantes, sed curiose agentes; Glossa :* « Qui fœda cura sibi necessaria provident. » Fœda autem cura ibi dicitur omne illicitum negotium. Similiter quod dicitur II Timoth., iii : *Hoc autem scito, quia in novissimis diebus,* etc., non pertinet ad religiosos, sed ad hæreticos, ut patet per id quod dicit : *Blasphemi; Glossa :* « in Deum per hæreses ; » et per hoc quod subdit : *Quemadmodum autem Joannes* et Mambres restiterunt Moysi, ita et hi; Glossa :* « scilicet hæretici, » *resistunt veritati, homines reprobi, corrupti mente circa fidem.* Nec obstat quod dicit, *habentes quidem speciem pietatis,* id est religionis. Religio enim accipitur ibi pro latria, quæ fidem protestatur. In hac enim significatione religio est idem quod pietas, ut patet per Augustinum in X *De civitate Dei.* Dato autem quod religiosi vel omnes vel aliqui tales essent, non tamen eorum esset a sua communione eos excludere : quod patet per *Glossam* quæ habetur I Cor., v, super illud : *Is qui frater nominatur,* etc., *cum hujusmodi* nec cibum sumere; Glossa :* « Dicendo *nominatur,* ostendit non temere et quolibet modo, sed per judicium, auferendos malos esse ab Ecclesiæ communione, et si per judicium auferri non possunt, tolerentur potius. » Non enim communione quemquam prohibere possumus nisi aut sponte confessum, aut in aliquo judicio ecclesiastico vel sæculari nominatum atque convictum. Hoc ergo dicendo, noluit hominem ab homine judicari ex arbitrio suspicionis, vel etiam extraordinario usurpato judicio ; sed potius ex lege Dei secundum ordinem Ecclesiæ, sive ultro confessum, sive accusatum atque convictum. Patet ergo quod, quamvis religiosi essent tales quales dicunt, non tamen possent eos a sua societate repellere, nisi prius essent in judicio Ecclesiæ[1] condemnati.

* Jannes.

* Ejusmodi.

In his autem quæ sequuntur, in quibus apostolicæ potestati derogant, non solum falsitatis, sed etiam hæresis crimen incurrunt : quia, ut dicitur in *Decretis,* dist. xxii, cap. *Omnes :* « Qui romanæ Ecclesiæ privilegium ab ipso summo omnium Ecclesiarum capite traditum auferre conatur, hic proculdubio in hæresim labitur ; » et infra : « Fidem quippe violat qui adversus illam agit quæ est fidei mater. » Hoc autem privilegium Christus romanæ Ecclesiæ contulit, ut omnes ei sicut Christo obediant ; unde dicit Cyrillus Alexandrinus episcopus, in lib. II *Thesaurorum :* « Ut membra maneamus in capite nostro apostolico throno Romanorum Pontifice, a quo nostrum est quærere quid credere et quid tenere debeamus, ipsum venerantes, ipsum rogantes pro omnibus : quoniam ipsius solum est reprehendere, corrigere, et loco illius ligare qui ipsum ædificavit ; et nulli alii quod suum est plenum, sed ipsi soli dedit : cui omnes jure divino caput inclinant, et primates mundi tanquam ipsi Domino Jesu Christo obediunt. » Unde patet quod quicumque dicit non esse obediendum his quæ per Papam statuuntur, in hæresim labitur.

Quod etiam objiciunt, quod nullus potest cogi ad societatem invitus, ut lex dicit, patet quod intelligitur de privata societate, quæ consensu duorum vel trium constituitur. Sed ad societatem publicam, quæ non potest constitui nisi ex superioris auctoritate, aliquis compelli potest ; sicut princeps qui præest reipublicæ, potest compellere cives ut in sua societate aliquem recipiant ; sicut etiam collegium alicujus Ecclesiæ cogitur ut aliquem recipiat in canonicum vel in fratrem. Unde, cum collegium studii generalis sit aliqua societas, ad eam aliquis induci potest auctoritate superioris cogente.

Ad illud quod postea objiciunt, quod hoc est de illis quæ non pertinent ad cathedram, dicendum quod hoc est falsum. Ad eum enim qui regit rempublicam, pertinet ordinare de nutritionibus et adinventionibus juvenum in quibus exerceri debeant, ut dicitur X *Ethic.* Unde, et politica, ut in I *Ethic.* dicitur, ordinat quas disciplinas

[1] Parm. omittit : « Ecclesiæ. »

debitum est esse in civitatibus, et quales unumquemque oportet discere et usquequo. Et sic patet quod ordinare de studio pertinet ad eum qui præest reipublicæ, et præcipue ad auctoritatem apostolicæ Sedis, qua universalis Ecclesia gubernatur, cui per generale studium providetur.

Quod autem objicitur ultimo, procedit ex falsis. Non enim est ad destructionem studii, sed ad ejus profectum, si religiosi sæcularibus in studio sociantur, ut ex prædictis patet. Unde nulli dubium esse debet sæculares compelli posse auctoritate apostolica ut ad societatem studii religiosos admittant.

CAPUT IX.

An religioso liceat prædicare, si curam non habeat animarum.

Non solum autem impedire conantur ne religiosi fructum in Ecclesia faciant per doctrinam, veritatem sacræ Scripturæ aliis exponendo; sed, quod perniciosius est, eos a prædicationibus et confessionibus audiendis amovere conantur, ut nec fructum in populo faciant in exhortatione virtutum et extirpatione vitiorum : in quo etiam persecutores Ecclesiæ sanctæ se esse ostendunt; unde dicit Gregorius, lib. XX *Moralium,* super illud, *quasi capucio tunicæ,* etc. : « Hoc conari persecutores Ecclesiæ specialiter solent, ut ab ea ante omnia verbum prædicationis tollatur. »

Inducunt autem primo id quod habetur XVI, *Quæst.* I : « Alia est causa monachi, alia clerici. Clerici oves pascunt; ego, » scilicet monachus, « pascor; » et VII, quæst. I, cap. *Hoc nequaquam,* dicitur : « Monachorum vita subjectionis habet verbum, non docendi, vel præsidendi, vel pascendi alios. » Prædicare autem est pascere verbo Dei; Joan., ult., 17 : *Pasce oves meas; Glossa :* « Pascere oves est credentes, ne deficiant confortare. » Ergo monachi, et alii religiosi, qui omnes monachorum jure censentur, prædicare non possunt. Hoc expressius haberi videtur XVI, quæst. I, cap. *Adjicimus,* ubi dicitur : « Statuimus ut præter Domini sacerdotes nulli liceat prædicare, sive laicus, sive monachus ille sit, cujuscumque scientiæ nomine glorietur. » Item cap. *Juxta :* « Monachos a populorum prædicatione omnino cessare censuimus. »

Inducunt autem auctoritatem Bernardi *Super Cant.,* qui dicit quod « prædicare monacho non convenit, novitio non expedit, non misso non licet. »

Item. Illi qui pascunt populum verbo Dei, debent etiam pascere necessaria subministrando, ut patet super illud Joan., ult. : *Pasce oves meas,* ubi dicit *Glossa :* « Pascere oves est credentes confortare, ne deficiant; terrena subsidia, si necesse est, subditis providere. » Sed religiosi non possunt necessaria providere, cum paupertatem profiteantur. Ergo non possunt pascere verbum Dei prædicando.

Item. Ezech., XXXIV, 2, dicitur : *Nonne greges a pastoribus pascuntur?* Per pastores autem, ut dicit *Glossa* ibidem, significantur episcopi, presbyteri, diaconi, quibus grex committitur. Ergo religiosi qui non sunt episcopi vel presbyteri vel diaconi, habentes gregem commissum, prædicare non possunt.

Item. Rom., X, 15, dicitur : *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* Sed non legimus missos a Domino nisi duodecim apostolos, Luc., IX, et septuaginta duos discipulos, Luc., X : ubi dicit *Glossa,* quod sicut in apostolis forma est episcoporum, sic in septuaginta duobus forma presbyterorum secundi ordinis, qui scilicet sunt presbyteri parochiales. Adjungit autem Apostolus, I ad Cor., XII, *Opitulationes,* id est eos qui majoribus ferunt opem, ut Titus apostolo, vel archidiaconi episcopis, ut *Glossa* ibidem dicit. Ergo religiosi, qui nec episcopi sunt nec presbyteri parochiales, nec archidiaconi, prædicare non debent.

Item. In *Decretis* dicitur, dist. LXVIII : « Corepiscopi tam ab hac sacra Sede quam ab episcopis totius orbis prohibiti sunt : nimis enim improba eorum institutio est, et prava; » et infra : « Nam non amplius quam duos ordines inter discipulos Domini esse cognovimus; id est duodecim apostolorum, et septuaginta duorum discipulorum. Unde iste tertius processerit, ignoramus, et quod ratione caret, extirpare necesse est. » Et ita ordo religiosorum qui prædicant et non sunt episcopi, qui sunt successores apostolorum, vel presbyteri parochiales, qui sunt successores septuaginta duorum discipulorum, debet extirpari.

Item. Dionysius in VI cap. *Eccles. hierarchiæ* dicit quod « monasticus ordo non

debet esse aliis prælatus, » vel secundum aliam translationem, « non est aliorum adductivus. » Sed inducuntur homines in Deum per doctrinam et prædicationem. Ergo monachi vel alii religiosi non debent prædicare vel docere.

Item. Ecclesiastica hierarchia constituta est ad exemplar cœlestis, secundum illud Exod., xxv, 40 : *Inspice et fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est.* Sed in cœlesti hierarchia angelus inferioris ordinis nunquam exercet officium superioris ordinis. Cum ergo monasticus ordo inter ordines inferiores computetur, ut dictum vi cap. *Eccles. hierarch.*, non debent monachi et alii religiosi exercere prædicationis officium, quod est superioris, episcoporum et prælatorum aliorum.

Item. Si religiosus prædicat; aut prædicat cum potestate, aut sine potestate. Si sine potestate, ergo est pseudo-apostolus. Si cum potestate, ergo potest procurationes exigere. Dominus enim mittens apostolos ad prædicandum, præcepit eis ne quid tollerent in via nisi virgam tantum, ut dicitur Marci, vi. Per virgam autem, ut *Glossa* ibidem dicit, potestatem accipiendi necessaria a subditis intelligit. Hoc autem non videtur religiosis convenire ut procurationes exigere possint. Ergo nec prædicare debent.

Item. Episcopi majorem habent auctoritatem prædicandi quam religiosi, qui non habent curam animarum. Sed episcopi extra diœcesim suam prædicare non possunt, nisi requisiti ab aliis episcopis vel presbyteris, ut dicitur IX, quæst. iii : « Nullus primas, nullus metropolitanus diœcesani Ecclesiam vel parochiam, aut aliquem de ejus parochia præsumat excommunicare vel judicare : » et hoc idem habetur per multa alia capitula ibidem. Ergo nec religiosi, qui omnino diœcesim non habent, nec parochias, prædicare possunt, nisi forte fuerint invitati.

Item. Prædicator non debet ædificare super aliud fundamentum, nec gloriari in plebibus alienis, ad instar Apostoli dicentis Rom., xv, 20 : *Sic autem prædicavi Evangelium hoc, non ubi nominatus est Christus, ne supra alienum fundamentum ædificarem.* Et II ad Cor., x, 15, dicitur : *Non in immensum gloriantes in alienis laboribus ; Glossa :* « Ubi alius fundamentum fidei posuisset, quod esset ultra mensuram gloriari ; » et infra, ibi : *Non in alia regula, Glossa* exponit de his qui sunt de alieno regimine. Ergo illi qui non habent curam animarum non debent prædicare plebibus aliis commissis, sed fundamentum fidei in infidelibus jacere.

CAPUT XI.

An liceat religiosis confessiones audire.

Ulterius autem ostendere nituntur quod confessiones audire non possunt. XVI, q. i, cap. *Placuit :* « Firmiter et insolubiliter omnes præcipimus ut aliquis monachus pœnitentias nemini tribuat ; et alio cap. *Placuit,* dicitur quod « nullus monachorum præsumat neque pœnitentiam dare, neque filium de baptismo accipere, neque infirmum visitare et unctiones facere, neque mortuum sepelire, neque de qualibuscumque negotiis sese implicare. » Item cap. *Interdicimus* dicitur : « Interdicimus abbatibus et monachis publicas pœnitentias dare, infirmos visitare et unctiones facere. » Ex quibus omnibus videtur quod monachis et religiosis, qui eodem jure censentur, non liceat confessiones audire.

Item. Rectoribus Ecclesiarum præceptum est Proverb., xxvii, 23 : *Diligenter agnosce vultum pecoris tui ; Glossa :* « Pastori Ecclesiæ dicitur : Diligenter adhibe curam eis quibus te præesse contigerit ; agnosce eorum actus et vitia quæ in eis inveneris citius castigare memento. » Sed non possunt agnoscere actus et vitia subditorum pastores Ecclesiæ nisi per confessiones. Ergo non debent aliis confiteri nisi suis rectoribus.

Præterea. *Extra.*, de pœnitentiis et remiss., dicit Innocentius in concilio generali : « Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno confiteatur proprio sacerdoti. » Sed ille qui absolutus est a peccatis prædictis, non tenetur ulterius peccata confiteri. Ergo si aliquis alius quam proprius sacerdos posset confessiones audire et absolvere aliquem, ille non teneretur semel in anno confiteri proprio sacerdoti : quod est contra *Decretalem* inductam. Cum ergo religiosi non sint proprii sacerdotes, quia non habent plebes sibi commissas, videtur quod non possunt confessiones audire et absolvere.

Item. Fideles debent a propriis sacerdotibus sacramenta percipere, ut in *Decretali* inducta præcipitur. Sed sacramenta Ecclesiæ non debet ministrare sacerdos nisi digno; non autem potest scire aliquem esse dignum, nisi ejus conscientiam noverit per confessionem. Ergo sacerdotes debent audire confessiones subditorum : et ita alii non possunt eos absolvere.

Item. In Ecclesia non solum vitanda sunt mala, sed etiam occasiones malorum, sicut Apostolus de seipso dicit II Corinth., XI, 12 : *Ut amputem occasionem eorum qui volunt occasionem, ut in quo gloriantur, inveniantur sicut et nos.* Sed si aliquis posset alteri confiteri quam proprio sacerdoti, multi possent dicere se esse confessos, et sic inconfessi ad sacramenta accedere, et non possent arctari per proprium sacerdotem, latentes sub prætextu confessionis aliis factæ. Ergo hoc nullo modo debet esse in Ecclesia, quod religiosi confessiones audiant qui non sunt proprii sacerdotes.

Item. Ad eum solum pertinet pœnitentes absolvere ad quem pertinet corrigere. Sed, sicut dicit Dionysius in *Epistola ad Demophilum monachum*, correctio non pertinet ad monachos, sed ad sacerdotes. Ergo religiosi non possunt confitentes absolvere.

Item. Cum non habeant aliquas certas provincias vel diœceses vel parochias sibi commissas, si possunt prædicare et confessiones audire, ubique hoc poterunt. Ergo ampliorem habent potestatem quam episcopi, vel primates, vel patriarchæ, qui non sunt universalis Ecclesiæ gubernatores; cum etiam Papa universalem Pontificem se vocare prohibeat : unde dicitur in *Decretis,* dist. XCIX : « Nullus patriarcharum, universalitatis vocabulo unquam utatur. » Et hoc idem habetur in sequenti capitulo.

CAPUT XII.

An liceat religiosis prædicare vel confessiones audire ex commissione Papæ aut episcoporum.

Ulterius autem nituntur ostendere quod nec ex commissione episcoporum prædicare possunt, aut confessiones audire nisi vocati a sacerdote parochiali[1]. Dicunt enim quod illud quod dat aliquis, jam non habet. Si ergo episcopi committunt curas plebium parochialibus sacerdotibus, ad eos jam non pertinet cura ipsarum ; et ita ex autoritate eorum non possunt aliqui prædicare plebibus, aut confessiones audire, nisi vocati a sacerdote parochiali.

Item. Quando episcopus committit curam plebis sacerdoti, ipse seipsum exonerat, et periculum remanet super sacerdotem cui cura committitur; secundum illud III Reg., XX, 39 : *Custodi virum istum : qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima ejus;* alias essent episcopi in magno periculo, importabile onus totius multitudinis habentes. Ergo episcopi non habent se ulterius intromittere de plebibus quas sacerdotibus commiserunt.

Item. Sicut episcopus subditur archiepiscopo, ita sacerdotes subduntur episcopis. Sed archiepiscopi non possunt se intromittere de illis qui subduntur episcopis, nisi forte propter negligentiam episcoporum; unde dicitur IX, quæst. III : « Archiepiscopus nihil de episcoporum causis absque illorum consilio agat. » Ergo nec episcopi possunt aliquid in plebibus subjectis sacerdotibus parochialibus absque illorum consensu, nisi propter eorum negligentiam vel defectum.

Item. Presbyteri parochiales sunt sponsi Ecclesiarum sibi commissarum. Si ergo aliqui alii ex commissione episcoporum in plebibus prædictis sacerdotibus commissis prædicent, aut confessiones audiant, Ecclesia habebit plures sponsos, quod est contra id quod habetur VII, quæst. I : « Sicut alterius uxor nec adulterari ab aliquo, vel judicari aut disponi nisi a proprio viro, eo vivente, permittitur; sic nec uxor episcopi, quæ ejus Ecclesia vel parochia indubitanter intelligitur, eo vivente, absque ejus consilio et voluntate alteri judicari vel disponi, aut ejus concubitu, id est ordinatione, frui non conceditur. » Hoc autem non solum de episcopis, sed de quibuslibet Ecclesiæ ministris intelligitur, ut Gratianus per sequentia capitula probat.

[1] Parm. omittit : « nisi vocati a sacerdote parochiali. »

CAPUT XIII.

Utrum religiosis liceat prædicare vel confessiones audire cum privilegio apostolicæ Sedis.

Ulterius autem nituntur ostendere quod nec privilegio apostolicæ Sedis possunt prædicare aut confessiones audire. Quia contra statuta Patrum aliquid condere vel mutare, nec romanæ Sedis auctoritas potest, ut dicitur XXV, quæst. I, cap. *Contra statuta*. Si ergo statutum[1] est antiquorum Patrum, quod « nullus prædicet vel confessiones audiat præter Domini sacerdotes, » ut dicitur XVI, q. I, cap. *Adjicimus*, non poterit hoc ex privilegio Papæ alicui concedi.

Item. XV, quæst. I, capit. *Sunt quidam*, dicitur : « Si enim quod docuerunt apostoli et prophetæ, destruere, quod absit, niteretur romanus Pontifex, non sententiam dare, sed magis errare convinceretur. » Si ergo ordinatio est Apostoli, II Cor., x, ut nullus glorietur in plebibus alienis, si Papa dat alicui hoc privilegium, errare convincitur.

Item. Scriptum est in jure, quod si princeps concedit alicui quod liceat ei ædificare in loco publico, debet intelligi sine præjudicio alterius, ut ff. *Ne quid in loco publico ædificare*, lib. I, § *Si quis a principe*. Et XXV, quæst. II, cap. *De ecclesiasticis*, dicit Gregorius : « Sicut nostra defendimus ita singulis quibusque Ecclesiis sua jura servamus; nec cuiquam gratia favente ultra quam meretur impartior, nec ulli quod sui juris est, ambitu stimulante derogabo. » Sed quod aliquis prædicet in parochia alicujus, vel audiat confessiones eo irrequisito, esset in præjudicium sacerdotis parochialis. Ergo si concedatur alicui quod possit prædicare vel confessiones audire, nihilominus hoc exequi non poterit sine consensu sacerdotis parochialis.

Item. Si princeps concessit alicui liberam testamenti factionem, nihil aliud concessisse videtur nisi ut habeat consuetam et legitimam testamenti factionem : neque enim credendum est romanum principem, qui jura tenetur, totam testamentorum observantiam multis vigiliis excogitatam atque inventam, uno verbo velle evertere, ut cap. *De inoffic. test.*, lib. *Si quando*. Similiter si Papa concedat aliquibus quod prædicent vel confessiones audiant, debet intelligi secundum communem formam, scilicet ut hoc exequatur requisitus sacerdotibus parochialibus.

Item. Monachus qui accipit sacerdotale officium, non tamen habet executionem officii, ut scilicet sacramenta ministret, nisi super aliqua plebe fuerit canonice institutus, ut dicitur XVI, quæst. I, cap. *Adjicimus*, § *Monachi autem;* et si aliquibus ex privilegio Papæ officium prædicandi committatur, hoc exequi non poterunt quamdiu plebes non fuerint eis commissæ.

Item. Nec Papa nec aliquis mortalium potest ecclesiasticam hierarchiam divinitus ordinatam mutare aut evertere; cum nulli prælatorum data sit potestas in destructionem, sed in ædificationem, ut dicitur II Corinth., x. Sed iste est ordo ecclesiasticæ hierarchiæ, quod monachi et regulares sunt in ordine perficiendorum, ut patet in VI cap. *Ecclesiasticæ hierarchiæ.* Ergo nec Papa[2] potest hoc aliter immutare, ut scilicet religiosi perficiendi habeant officium.

CAPUT XIV.

An licitum est religiosis petere licentiam a sacerdotibus curatis, vel episcopis prædicandi, vel confessiones audiendi.

Item volunt ostendere quod etiam in talibus non liceat petere licentiam a presbyteris parochialibus aut ab episcopis prædicandi aut confessiones audiendi, quia ambitionis est ingerere se ad officia ecclesiastica; unde dicitur VIII, quæst. I, cap. *Sciendum :* « Cum locus superior imperatur, is qui ad percipienda hæc obedit, obedientiæ sibi virtutem evacuat, si ad hæc ex proprio desiderio anhelat. » Sed prædicare et confessiones audire pertinet ad officium ecclesiasticum, quod est potestatis et honoris. Ergo sine nota ambitionis non possunt petere licentiam prædicandi aut confessiones audiendi; sed hoc solum facere possunt, cum fuerint requisiti.

[1] Al. : « si contra statutum, » etc. — [2] Parm. omittit : « Papa. »

CAPUT XV.

Unde prædictus error sumpsit originem.

Quia vero, ut Boetius dicit in lib. *De duabus naturis,* via fidei inter duas hæreses media est, sicut virtutes medium locum tenent : omnis enim virtus in medio rerum decore locata consistit ; si quid enim vel infra vel ultra quam opportuerit fiat, a virtute disceditur ; ideo videamus quid circa prædicta sit ultra vel infra quam quod veritas habeat : ut hoc totum reputemus errorem, mediam autem viam fidei veritatem.

Sciendum est ergo quosdam fuisse hæreticos, et adhuc esse, qui potestatem ecclesiastici ministerii in vitæ sanctitate ponebant ; ut videlicet qui sanctitate caruerit, ordinis quoque potestatem amittat, et qui sanctitate fulget, etiam ordinis potestate potiatur. Quam quidem sententiam esse erroneam, quia de ea non agitur, supponatur ad præsens. Ex hujus autem erroris radice processit quorumdam præsumptio, et præcipue monachorum, qui de sua sanctitate præsumentes, ministrorum Ecclesiæ officia proprio arbitrio usurpabant, absolvendo scilicet peccatores, et prædicando absque alicujus auctoritate episcopi, quod eis nullatenus licebat ; unde dicitur XVI, quæst. I : « Pervenit ad nos (unde valde miramur) quod quidam monachi et abbates in parochia vestra, contra sanctorum decreta, episcopalia jura et officia sibi arroganter vendicant, videlicet pœnitentiam dare, et remissionem peccatorum, reconciliationem pœnitentium, decimas et ecclesias : cum absque proprii episcopi licentia vel auctoritate Sedis apostolicæ hoc nullatus præsumere debeant. »

Sed quidam nimis incaute ab hoc errore recedentes, in errorem contrarium sunt prolapsi, asserentes monachos et religiosos ad prædicta non idoneos esse, etiamsi de auctoritate episcoporum hoc agant ; unde dicitur XVI, quæst. I : « Sunt nonnulli nullo dogmate fulti, audacissimo quidem zelo magis amaritudinis quam dilectionis inflammati, asserentes monachos, qui mundo mortui sunt et Deo vivunt, sacerdotalis officii potentia indignos ; neque pœnitentiam neque christianitatem largiri neque absolvere posse per sacerdotalis officii sibi divinitus injunctam potestatem. Sed omnino labuntur. »

Quidam autem novellum sibi statuentes errorem, in tantam prorumpunt audaciam, ut asserant non solum propter religiosorum conditionem, sed etiam propter episcoporum impotentiam, non posse per episcopos religiosis prædicta committi absque parochialis sacerdotis voluntate. Et quod etiam perniciosius est, non posse eis hoc ipsum asserunt per apostolicæ Sedis privilegium indulgeri. Et sic per viam contrariam ad eumdem finem hujusmodi error elabitur cum prædicto, ut scilicet subtrahant aliquid ecclesiasticæ potestati, sicut et illi qui in vitæ merito potestatem Ecclesiæ consistere arbitrantur.

CAPUT XVI.

Ordo dicendorum ad destructionem dicti erroris.

Ad hujus ergo erroris destructionem hoc ordine procedendum est.

Primo ostendemus quod episcopi et superiores prælati possunt prædicare et absolvere eos qui sacerdotibus subduntur, sine licentia ipsorum sacerdotum.

Secundo, quod hoc idem possunt aliis committere.

Tertio, quod hoc aliis committi quam parochialibus sacerdotibus expedit saluti animarum.

Quarto, quod etiam religiosi ad officia hujusmodi exercenda ex commissione prælatorum sunt idonei.

Quinto, quod religio aliqua salubriter institui potest ad hæc exequenda de licentia prælatorum.

Sexto, respondebimus rationibus quæ ad partem contrariam inducuntur.

CAPUT XVII.

Quod episcopi possunt absolvere subditos parochianos sine licentia curatorum.

Quod autem episcopus in parochia sacerdoti commissa plenam habeat potestatem, probatur per id quod dicitur X, quæst. I, cap. *Sic quidam,* ubi dicitur quod « omnia quæ sunt Ecclesiæ secundum constitutionem antiquam, ad episcopi ordinationem et potestatem pertinent, » et hoc idem

habetur in sequenti capitulo. Sed res temporales Ecclesiæ ordinantur ad spiritualia. Ergo multo fortius spiritualia singularum parochiarum episcopo sunt commissa.

Item *Quæst.* ead. : « Regenda est unaquæque parochia sub provisione ac tuitione episcopi per sacerdotem, vel cæteros clericos, quos ipse cum Dei timore providerit. »

Item. In sequenti capitulo dicitur quod « Ecclesia debet gubernari et dispensari cum judicio et potestate episcopi, cui totius plebis animæ videntur esse commissæ. »

Item. Sacerdos cui parochia committitur, non potest aliquid in ecclesia facere quod non sit de licentia episcopi speciali, vel saltem generali; unde dicitur XVI, quæst. I : « Cunctis fidelibus, et summopere omnibus presbyteris et diaconibus et reliquis clericis, attendendum est ut nihil absque proprii episcopi licentia agant. Non utique missas sine ejus jussu quisquam presbyterorum in sua parochia agat, non baptizet, nec quidquam absque ejus permissu faciat. » Ergo patet quod in parochia presbytero commissa adhuc majorem potestatem habet episcopus quam sacerdos, qui sine permissione episcopi nihil in ea agere potest.

Item. I Corinth., I, super illud : *In omni loco ipsorum et nostro,* dicit *Glossa :* « Id est mihi primitus commisso, » et loquitur de suffraganeis, id est de parochiis subjectis Ecclesiæ Corinthiorum, ut patet per *Glossam.* Si ergo episcopi sunt successores apostolorum, ipsorum formam tenentes, ut dicitur Luc., x, in *Glossa,* patet quod parochia principalius est commissa episcopo quam sacerdoti. Non enim potest intelligi quod ipsa Apostolo fuerit commissa, et postea ab ipso in alterum translata, quia non diceret : *In omni loco ipsorum et nostro,* si ex quo ipsorum cœperat esse, sua esse destitisset.

Item. Apollo erat presbyter Corinthiorum qui eis sacra ministrabat, ut patet I Corinth., III, 6 : *Apollo rigavit; Glossa,* « baptismo, » et tamen Apostolus de Corinthiis se intromittebat, ut patet I Cor., XI, 34 : *Cætera autem cum venero disponam,* et II Cor., II, 10 : *Nam et ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi,* et I Cor., IV, 21 : *Quid vultis? In virga veniam ad vos an in caritate et spiritu mansuetudinis?* et II Cor., X, 13 : *Secundum mensuram regulæ qua mensus est nobis Deus, mensuram pertingendi usque ad vos*, et cap. ult., 10 : *Ideo absens scribo, ut non præsens durius agam secundum potestatem* (*Glossa,* « ligandi, atque solvendi ») *quam dedit mihi Dominus.* Patet ergo quod episcopi in plebibus sacerdotibus commissis plenam retinent potestatem.

Item. Cum sacerdotes succedant in locum septuaginta duorum discipulorum, episcopi vero in locum duodecim apostolorum, ut dicitur in *Glossa* Lucæ, x, absurdissimum videtur, si dicere velint quod apostoli solvere non possunt et ligare, vel alia hujusmodi facere, sine licentia septuaginta duorum discipulorum, quod tamen eos dicere oportet, si hoc de episcopis et presbyteris dixerint.

Item. Dionysius dicit in v cap. *Eccl. hierarchiæ,* quod quamvis pontificum ordo sit perfectivus, et ordo sacerdotum illuminativus, et ministrantium ordo sit purgativus, tamen hierarchicus ordo, scilicet pontificum, non tantum habet perficere, sed illuminare et purgare; et sacerdotum ordo non solum illuminare, sed et purgare. Et subjungit causam, dicens : « Ipsæ quidem minores virtutes in ea quæ in meliora sunt transmovere non possunt, eo quod injustum eis sit ad hujusmodi conari majestatem. Ipsæ autem diviniores virtutes cum propriis habent et subjectas operationes, » ut patet per expositionem Maximi ibidem. Patet ergo quod, sicut sacerdos potest quicquid diaconus potest, et adhuc amplius, ita et episcopus potest quæcumque potest sacerdos, et adhuc amplius. Si ergo sacerdos potest legere Evangelium in ecclesia non requisito diacono, ita et episcopus potest absolvere et alia Ecclesiæ sacramenta ministrare quibus voluerit, non requisito sacerdote parochiali.

Item. Qui facit aliquid per alium, et per seipsum hoc facere potest. Sed dum presbyteri absolvunt sibi subditos, hoc per eos episcopi facere dicuntur; unde Dionysius dicit in VI cap. *Eccles. hierarchiæ :* « Is qui secundum nos summus est sacerdos, per suos ministros aut sacerdotes purgans aut illuminans, ipse dicitur purgare aut illuminare, aliis in ipsum reponentibus proprias sacras actiones. » Ergo et episcopus, cum voluerit, poterit absolvere subditos[1]

[1] Al. : « sacerdotes. »

sacerdotibus, vel eis prædicare per seipsum.

Item. Prælatis Ecclesiarum a subditis Ecclesiarum obedientia debetur, inquantum eorum curam habent; unde dicitur ad Hebr., ult., 17 : *Obedite præpositis vestris, et subjacete eis. Ipsi enim pervigilant,* id est pro vobis solliciti sunt prædicando, *quasi rationem reddituri pro animabus vestris.* Sed parochianus quisque magis tenetur obedire episcopo quam presbytero parochiali, ut patet per *Glossam* ad Rom., XIII, ubi dicitur quod majori potestati est magis obediendum quam minori, sicut proconsuli quam curatori, et imperatori quam proconsuli, quod ad potestatis ordinem pertinet, qui multo magis in spiritualibus potestatibus quam in temporalibus invenitur. Ergo episcopi, qui sunt in superiori potestate constituti, magis habent curam de subditis quam etiam ipsi sacerdotes parochiales. Ad curam autem animarum pertinet quod dicitur Prov., XXVII, 23 : *Diligenter agnosce vultum pecoris tui,* quod fit maxime in confessionibus audiendis. Et ita episcopi possunt audire confessiones parochianorum etiam convenientius quam presbyteri parochiales.

Item. Sacerdotes dantur episcopis ut coadjutores, quia soli onus ferre non possunt, sicut septuaginta duo senes dati sunt in adjutorium Moysi, ut patet Num., XI. Unde episcopus in ordinatione sacerdotum, hoc exemplo et quibusdam aliis præmissis, subjungit : « Quanto fragiliores sumus, tanto magis his auxiliis indigemus. » Sed ille cui datur aliquis adjutor, non ex hoc amittit potestatem operandi cum sibi vacaverit; imo ipse est principalis operans, et adjutor est agens secundarius. Ergo episcopi possunt omnia agere quæ ad curam plebis pertinent irrequisito sacerdote, etiam magis quam ipsi sacerdotes.

Item. Episcopi in Ecclesia tenent locum Domini nostri Jesu Christi; unde Dionysius dicit in V cap. *Ecclesiasticæ hierarchiæ :* « Pontificum ordo primus quidem est divinarum ordinationum, sublimissimus autem et novissimus; etenim in ipsum perficitur et impletur omnis nostræ hierarchiæ dispositio. » Ut enim omnem hierarchiam videmus in Jesu consummatam, sic unamquamque in proprium divinum sacerdotem summum, id est episcopum; unde et I Petr., II, 25, dicitur de Christo : *Conversi estis ad pastorem et episcopum animarum vestrarum.* Hoc autem præcipue verum est de romano Pontifice, cui, ut Cyrillus dicit, « omnes jure divino caput inclinant, et ei tanquam ipsi Domino Jesu Christo obediunt; » et Chrysostomus dicit super illud Joan., ult. : *Pasce oves meas,* « id est, loco mei præpositus, et caput esto fratrum. » Ergo ridiculum est dicere et blasphemiæ vicinum, quod episcopus non possit usum clavium exercere in quemlibet suæ diœcesis, sicut et Christus posset.

Item. Ad hoc quod aliquis possit absolvere in foro pœnitentiali, sufficit quod habeat clavem et jurisdictionem in quemlibet suæ diœcesis, per quam materia sibi determinatur; sicut in aliis sacramentis, qui habet potestatem ordinis et materiam debitam, potest operari, si formam et intentionem debitam adhibeat, hoc enim semper in potestate ejus est. Sed episcopus habet clavem, cum sit sacerdos, habet etiam jurisdictionem in quemlibet suæ diœcesis; alias non posset eos citare, et coram se convenire. Ergo potest quemlibet suæ diœcesis sine alicujus sacerdotis requisitione in foro pœnitentiali absolvere.

Item. Ideo sacerdotibus necessarium videtur confessiones audire subditorum, quia eis sacramentum Eucharistiæ ministrant, quod ab his qui sunt in peccato mortali sumi non debet. Sed similiter sacramenta confirmationis et ordinis sumi non debent ab his qui sunt in peccato mortali, quia hæc sacramenta gratiam præsupponunt; hæc autem sacramenta a solis episcopis ministrantur. Ergo et pari ratione episcopis competit confessiones audire quorumlibet suæ diœcesis.

Item. Nemo potest assumere sibi id quod non est in sua potestate. Sed, sicut communis consuetudo probat, episcopi assumunt sibi casus quos volunt, de quibus ad eos pro absolutione recurratur. Ergo etiam antequam eos sibi assumerent, erant[1] in eorum potestate; ergo et de aliis casibus possunt absolvere cum voluerint.

Item. Secundum Dionysium, potestas episcopi in nostra hierarchia est universalis; potestas autem sacerdotis et ministrorum est potestas particularis, ut patet in

[1] Parm. : « hoc erat. »

I cap. et in V *Eccl. hierarchiæ*. Sed secundum quod probatum est a philosophis, virtus universalis efficacius agit in id quod subjicitur virtuti particulari, quam etiam ipsa particularis virtus. Ergo episcopus magis habet usum clavium in eos qui subduntur sacerdotibus, quam ipsi sacerdotes.

Item. Nullus potest dare quod non habet. Sed episcopi est dare sacerdotibus omnem auctoritatem quam sacerdotes habent. Nullum autem spirituale amittitur cum datur, quia spiritualia non dantur nisi per actionem dantis in recipientem; agens autem non amittit virtutem agendi ex hoc ipso quod agit. Ergo episcopus habet communem potestatem quam habet sacerdos parochialis.

CAPUT XVIII.

Quod religiosi possunt licite prædicare et confessiones audire in parochiis curatorum ex commissione episcoporum et superiorum prælatorum.

Deinde ostendendum est quod aliqui ex commissione episcoporum possunt prædicare et confessiones audire in parochiis sacerdotum. Nam *Extra.* de officio judic. ordin., cap. *Inter cætera,* dicitur quod « episcopus viros idoneos ad sanctæ prædicationis officium salubriter exequendum assumat; » et infra : « Præcipimus tam in cathedralibus, quam in conventualibus Ecclesiis viros idoneos ordinari, quos episcopi coadjutores et cooperatores habeant, non solum in prædicationis officio, verum etiam in confessionibus audiendis, et pœnitentiis injungendis, et cæteris quæ pertinent ad salutem animarum. » Ex quo patet quod clerici conventualium Ecclesiarum alicujus diœcesis, qui non sunt parochiales sacerdotes, possunt prædicare et confessiones audire auctoritate episcopi.

Iterum. *Extra.* de hæreticis, cap. *Excommunicavimus,* § *Quia vero,* dicitur : « Omnes qui prohibiti vel non nisi præter auctoritatem ab apostolica Sede, vel catholico episcopo loci susceptam, publice vel privatim prædicationis officium usurpare præsumpserint, excommunicationis vinculo innodentur. » Ex quo haberi potest quod Papa vel episcopus potest dare alicui auctoritatem prædicandi.

Item. Constat quod apostoli, quorum episcopi sunt successores, per civitates et castella presbyteros ordinabant, qui continue cum populis sibi subjectis commorabantur; et tamen alios mittebant ad prædicandum et ad alia exercenda quæ ad salutem pertinent animarum. I Cor., IV, 17 : *Misi ad vos Timotheum, qui est filius meus carissimus et fidelis in Domino, qui vos commonefaciat vias meas quæ sunt in Christo Jesu;* et II ad Cor., XII, 18 : *Rogavi Titum, et misi cum illo fratrem; Glossa,* « id est Barnabam, vel Lucam; » et ad Titum, I, 5 : *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas, et constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi.* Ergo et aliqui alii quam presbyteri parochiales possunt prædicare et confessiones audire ex commissione episcoporum.

Item. Prædicare et confessiones audire sunt jurisdictionis et ordinis simul. Sed ea quæ sunt hujusmodi possunt committi his saltem qui ordinem habent. Ergo cum episcopus possit prædicare et confessiones audire in parochia non requisito sacerdote, ut supra probatum est, hoc idem et alius poterit ex ejus commissione.

Item. Ad hoc facit consuetudo romanæ Ecclesiæ, ad quam accedentes, a pœnitentiariis Papæ ad[1] quoscumque sacerdotes litteras impetrant, ut eis confiteantur.

Item. Legati Papæ et eorum pœnitentiarii confessiones audiunt non petita licentia a parochialibus, et etiam auctoritate Papæ ubique prædicant. Et ita patet quod prædicare et confessiones audire potest aliis committi sine licentia sacerdotum parochialium.

CAPUT XIX.

Quod religiosi sunt idonei et capaces ut committatur eis quod prædicent et confessiones audiant.

Nunc restat ostendere quod religiosi sunt idonei ad hoc quod talia eis committantur. Nam XVI, quæst. I, cap. *Pervenit,* dicitur quod « monachi et abbates, absque proprii episcopi licentia hoc nullatenus præsumere debent, » ut videlicet pœnitentiam dent. Ex quo relinquitur quod ex auctoritate Papæ et episcopi monachis et

[1] Parm. omittit : « ad. »

aliis religiosis liceat confessiones audire.

Item. Quæstione eadem dicitur ex auctoritate hujus decreti : « Quod apostolico moderamine et pietatis officio a nobis est constitutum, sacerdotibus monachis, apostolorum figuram tenentibus, liceat prædicare, baptizare, communionem dare, pro peccatoribus orare, pœnitentiam imponere, atque peccata solvere. »

Item. In seq. capitulo, *Sunt tamen nonnulli,* dicit Bonifacius papa : « Credimus a sacerdotibus monachis ligandi solvendique officium, Deo operante, digne administrari, si eos digne contigerit hoc ministerio sublimari. Decertantes igitur monasticæ professionis presbyteros sacerdotalis potentiæ arcere officio, omnino præcipimus ut ab hujuscemodi ausibus reprimantur in posterum, quia quanto quisque celsior est, tanto et illis erit casus potentior. »

Item. Episcopi debent divina judicia imitari quantum possunt, I Cor., XI, 1 : *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi.* Sed divino judicio aliqui religiosi sunt reputati idonei ut eis immediate a Deo prædicationis committeretur officium, sicut de Equitio monacho B. Gregorius narrat in *Dialog.,* et etiam de beato Benedicto. Ergo et in judicio episcoporum aliqui religiosi possunt reputari idonei ut eis prædicatio committatur.

Iterum. Omnia quæ licent sæcularibus clericis, licent et religiosis, exceptis eis quæ in sua regula eis prohibentur, caus. XVI, quæst. I, *Sunt tamen nonnulli,* ubi dicitur quod « monachis licet absolvere et alia hujusmodi facere. Neque enim B. Benedictus monachorum præceptor almificus hujusmodi rei fuit interdictor. » Sed sæcularibus licet ex commissione episcoporum prædicare et confessiones audire. Ergo et religiosis, cum in nulla regula hoc sit prohibitum.

Item. Majus est prædicationis officium ex propria auctoritate assequi quam ex commissione alterius. Sed religiosi possunt ad prælationis gradus sublimari; in quo eis competit et prædicare, et alia propria auctoritate exequi quæ ad salutem pertinent animarum. Ergo multo magis debent idonei reputari ut prædicationis officium et alia hujusmodi ex commissione episcopi exequantur.

Item. Ad illud quod maxime competit perfectis, non redditur aliquis minus idoneus ex hoc quod in statu perfectionis se ponit. Sed prædicationis officium competit maxime perfectis, quem statum religiosi assumunt; unde I Esdræ, I, super illud : *Omnes reliqui,* etc., dicit *Glossa :* « Omnes electi, de potestate tenebrarum eruti, ad libertatem pertinent gloriæ filiorum Dei, et gloriam omnes societati sanctæ civitatis, id est Ecclesiæ, annuntiari lætantur. Sed tantum perfectorum est in ædificatione ejusdem Ecclesiæ etiam aliis prædicando laborare. » Et quod intelligat de perfectione religionis, patet ex hoc quod sequitur : « Eruditores multorum, cum magis ad cœlestia diligenda auditores instituunt, minus pro terrenis curam gerunt; imo acquisita pro spe æternorum relinquunt. » Hoc etiam patet per *Interlinearem,* quæ dicit : « *Omnes reliqui,* id est divites, qui prædicare non possunt. » Ergo religiosi non redduntur minus idonei ad exequendum prædicationis officium quam alii; et ita, cum alii possint ex commissione episcoporum prædicare et confessiones audire, ut probatum est, et religiosi possunt hoc idem.

Item. I Esdræ, VIII, 31, super illud : *Promovimus ergo a flumine Avara,* etc., dicit *Glossa :* « Fratrum quoque cohortem religiosam nobis in auxilium vocamus; qua adjuti, animas fidelium ad societatem electorum et arcem vitæ perfectioris, quasi vasa sancta ad templum Domini efficacius transferamus. » Ex quo patet idem quod prius.

Item. Et hoc apparet ex communi consuetudine orientalis Ecclesiæ, secundum quam fere omnes monachis confitentur.

Item. Majoris potestatis est legationis officium exercere, episcopos confirmare, et de eis Ecclesiis provideri, quam prædicare, vel confessiones audire. Sed primum invenitur religiosis esse commissum. Ergo et secundum eis committi potest[1].

Item. Magis est remotum a religiosorum vita causas audire, quam confessiones, vel prædicare. Sed primum eis committi potest. Ergo multo fortius alia.

[1] Cod. 3109 : « debet. »

CAPUT XX.

Quod expedit saluti animarum, ut committatur aliis quam sacerdotibus curatis audientia confessionum suorum parochianorum.

Nunc restat ostendere quod saluti animarum expediat etiam aliis quam sacerdotibus parochialibus prædicationem committi, et alia quæ ad salutem pertinent animarum.

Primo per hoc quod dicit Dominus Matth., IX, 37 : *Messis quidem multa; Glossa :* « turba populorum suscipiendo verbo et ferendo fructui apta ; » *Operarii autem pauci; Glossa :* « prædicatores ad congregandum electorum Ecclesiam. » *Rogate ergo dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.* Ex quo patet quod salubre est Ecclesiæ per multos Dei prædicari fidelibus, et maxime turba fidelium crescente.

Item. Potest haberi per illud quod dicitur Sapient., VI, 26 : *Multitudo sapientium* (*Interlinearis :* cœtus prædicatorum), *sanitas est orbis terrarum.*

Item. II ad Tim., II, 2 : *Quæ audisti a me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, Glossa :* « id est sanæ fidei ; » *qui idonei erunt, Glossa :* « vita, et scientia, et facundia ; » *et alios docere ; Glossa,* « illis enim debet committi prædicatio divina qui apti sunt illi officio. »

Iterum. I Esdræ, III, super illud : *Et omnes qui venerunt de captivitate in Jerusalem, Glossa* sic dicit : « Non solum episcopi et presbyteri plebem fidelium, id est Dei domum, debent ædificare ; sed etiam populus de captivitate Judæorum ad visionem veræ pacis vocatus, ministerium verbi ab his qui dicere noverunt, debet exigere.

Item. Gregorius in XIX *Moral.,* super illud Job, XXIX : *Quando lavabam pedes meos butyro,* sic dicit : « Quid ad hæc nos episcopi dicimus, qui commissis nobis verba vitæ impendere non curamus, quando conjugatum virum prohibere non valuit ab officio prædicationis vel sæcularis habitus, vel magnæ occupatio facultatis ? » Ex quo patet quod alii etiam quam prælati vel rectores ecclesiarum laudabiliter possunt prædicationis officium exercere.

Hoc idem potest ostendi per multa exempla Veteris Testamenti. David enim laudatur de hoc quod cultum Dei ampliavit, viginti quatuor sacerdotes constituendo, ut magis posset populis expedire, ut patet I Paralip., XXIII et XXIV. Similiter legitur de Ezech., XI, Paralip., XXX, 6 : *Perrexerunt cursores cum epistolis ex regis imperio et principum ejus in universum Israel et Judam, juxta id quod rex jusserat, prædicantes : Filii Israel revertimini ad Dominum Deum,* etc. Assuerus etiam nuntios celeres misit per provincias, qui nuntiarent liberationem populi Dei, ut legitur Esther, VIII. Ergo multo magis saluberrime hoc fieri potest, ut aliis quam sacerdotibus parochialibus prædicationis officium committatur, et alia quæ pertinent ad salutem animarum.

Item. Gregorius in V *Homil. primæ partis super Ezech.,* dicit : « Hi qui animarum custodes sunt, et pascendi gregis onera susceperunt, mutare loca minime permittuntur. Hi autem qui amore Domini in prædicatione discurrunt, rotæ ejus ignis ardens sunt : quia cum ex ejus desiderio per varia loca discurrunt, unde ipsi ardent, et alios incendunt. » Ex quo patet quod conveniens est ut præter rectores ecclesiarum qui resident in suis ecclesiis, aliis prædicationis officium committantur, qui per diversa loca discurrant.

Item. Quod hoc utile sit et salubre, satis manifestat occupatio rectorum Ecclesiæ, quos in aliis rebus piis et ecclesiasticis oportet frequenter occupari ; cum tamen oporteat prædicatorem verbi Dei ab omni alia occupatione liberum esse : unde apostoli dixerunt Act., VI, 2 : *Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis.* Unde patet quod satis necessarium est eos ab aliis juvari.

Hanc etiam necessitatem maxime ostendit imperitia multorum sacerdotum, qui in aliquibus partibus adeo ignorantes inveniuntur, ut nec etiam loqui latinum sciant. Paucissimi etiam inveniuntur qui sacram Scripturam didicerint; et tamen oportet prædicatorem verbi Dei in sacra Scriptura instructum esse. Unde satis apertum est multum saluti fidelium detrahi, si solum sacerdotibus parochialibus verbum Dei relinquatur.

In confessionibus autem audiendis non minor necessitas apparet propter ignorantiam multorum sacerdotum, quæ periculosissima est in confessionibus audiendis.

Unde Augustinus in lib. *De pœnitentia* : « Qui vult confiteri peccata sua, ut inveniat gratiam, quærat sacerdotem scientem ligare et solvere; ne cum negligens circa se extiterit, negligatur ab illo qui eum misericorditer movet et petit; ne ambo in foveam cadant, quam stultus evitare noluit. »

Iterum eamdem necessitatem ostendit multitudo plebis, quæ interdum uni sacerdoti gubernanda committitur : qui si toto tempore vitæ suæ nihil aliud ageret, vix omnium confessiones diligenter audire posset.

Iterum hanc necessitatem ostendit difficultas confitendi. Quidam enim, ut experimento inventum est, a confessione desisterent, nisi possent aliis quam suis sacerdotibus confiteri, quandoque propter verecundiam, quia erubescunt confiteri illis peccata cum quibus quotidie conversantur, quandoque vero quia suspicantur sacerdotes sibi esse inimicos, et propter multa alia. Unde pie prælati eorum infirmitati condescendunt, ne omnino in desperationem labantur, de aliis confessoribus eis providendo.

CAPUT XXI.

Quod aliqua religio potest institui de licentia prælatorum ad prædicandum et confessiones audiendas.

His visis, ostendendum est aliquam religionem ad hoc specialiter salubriter posse institui ad cooperandum prælatis Ecclesiarum in prædicatione et confessionibus audiendis ex commissione prælatorum.

Primo per hoc quod omnis religio ad exemplar vitæ apostolicæ formata est; unde dicitur Act., IV, super illud : *Et erant illi omnia communia,* Glossa : « *Communia,* græce *cœna,* unde cœnobitæ, id est communiter viventes, cœnobia, id est habitacula eorum. » Hæc autem fuit vita apostolica, ut relictis omnibus, per mundum discurrerent evangelizando et prædicando, ut patet Matth., X, et in regula quadam quæ eis inscribitur. Ergo ad prædicta potest aliqua religio convenientissime institui.

Item. Jacob., I, 27 : *Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem hæc est, visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum.* Sed illa visitatio maxime est necessaria quæ fit per eos qui saluti animarum intendunt. Ergo convenientissime potest religio institui ad visitandum homines qui consolatione indigent, ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeant.

Item. Act., VI, super illud : *Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis,* dicit *Interlinearis* : « Meliora sunt fercula mentis quam dapes corporis. » Sed aliquæ religiones pie et salubriter institutæ sunt ad subveniendum pauperibus in corporalibus dapibus et aliis necessitatibus corporis. Ergo multo convenientius potest aliqua religio institui ad subveniendum necessitatibus animarum.

Item[1]. Augustinus : « Melius est pascere animas in æternum cum Domino victuras quam corpora moritura; » nimirum cum salus corporum ex salute dependeat animarum, non e converso.

Item. Spiritualis militia magis competit religioso quam sæculari. Sed ad militiam sæcularem exercendam aliquæ religiones utiliter institutæ sunt. Ergo multo convenientius institui possunt ad militiam spiritualem, quæ competit prædicatoribus verbi : de qua dicitur II Tim., II, 3 : *Labora sicut bonus miles Christi; Glossa :* « in prædicando Evangelium contra hostes fidei. »

Item. Eis qui procurant salutem animarum, necessarium est ut vita et scientia clareant : ex quibus non de facili possent tot inveniri qui singulis parochiis per universum mundum præficerentur, cum etiam propter litteratorum inopiam nec adhuc per sæculares potuerit observari statutum Lateranensis concilii ut in singulis ecclesiis metropolitanis essent aliqui qui theologiam docerent; quod tamen per religiosos Dei gratia cernimus multo latius impletum quam etiam fuerit statutum; adeo ut impletum videatur illud Isa., XI, 9 : *Repleta est terra scientia Domini.* Ergo saluberrime religio aliqua instituitur in qua sint homines litterati et studio vacantes ad juvandum sacerdotes qui ad hoc minus sufficiunt.

Item. Hoc evidentissime ostenditur ex effectu sequente. Videmus enim talibus religionibus institutis in pluribus partibus

[1] Argumentum istud in cod. reg. 3109 desideratur.

hæreticam pravitatem eorum ministerio extirpatam, infideles etiam nonnullos ad fidem conversos, multos per universum mundum in lege Dei instructos, quam plurimos ad statum pœnitentiæ conversos; ita quod si quis inutilem talem religionem mentiatur, manifeste convinci possit quasi gratiæ invidus, quæ in eis operatur, in Spiritum sanctum peccare.

Item. XXV, quæst. I, dicitur : « Nulli fas sit sine status sui periculo vel divinas constitutiones, vel apostolicæ Sedis decreta temerare. » Cum ergo per apostolicam Sedem religiones aliquæ sint institutæ ad prædicta, quod etiam ex ipso nomine ostenditur (« nemo enim, » ut dicit Augustinus in lib. *De christiana vita,* « nomen sine causa sortitur »); manifeste se damnabilem reddit quicumque talem religionem damnare conatur.

CAPUT XXII.

Responsiones ad inducta contra veritatem supra in primo articulorum.

Nunc ultimo restat adversariorum objectionibus respondere.

Quod ergo primo objicitur, quod pascere ad monachos non pertinet, sed pasci, intelligendum est ex hoc quod sunt monachi, contra illos qui ex sola virtute sanctitatis potestatem ecclesiastici ordinis aliqui competere dicebant : sicut etiam potest dici quod sæculari clerico non competit pascere, si non habeat curam animarum, vel nisi sit sibi ab habentibus curam animarum commissum. Unde propter hoc non concluditur quin religiosis competat pascere populum verbo Dei, si vel ad prælationem assumantur, vel a prælatis eis committatur. Non enim minus sunt idonei religiosi ad prædicationis officium exequendum quam sæculares; nisi forte quatenus sunt sub obedientia constituti, ut sic indigeant duplici licentia ad prædicandum : scilicet licentia eorum quibus plebis cura committitur, et licentia prælatorum ordinis sui, sine qua eis nihil agere licet.

Similiter est intelligendum quod postea objicitur : « Præter Domini sacerdotes nullus audeat prædicare; » verum est quasi propria auctoritate, scilicet ordinaria.

Similiter quod sequitur : « Monachos a populorum prædicatione omnino cessare censemus, » intelligendum est ut non propria auctoritate, ex hoc ipso quod monachi sunt, officium sibi prædicationis assumant.

Similiter quod sequitur, quod « monacho non convenit prædicare, » intelligendum est quasi ex hoc ipso quod monachus sit, officium habeat prædicandi.

Ad aliud quod postea objicitur, quod « illi qui pascunt populum verbo Dei, debent pascere temporali subsidio, » respondetur quod intelligendum est, si vires suppetant, secundum illud I Joan., III, 17 : *Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo; quomodo caritas Dei manet in eo?* Aliter apostoli prædicare non potuissent, qui dixerunt Act., III, 6 : *Argentum et aurum non est mihi.* Nihilominus tamen et illi qui secundum se pauperes sunt, possunt et aliis temporali subsidio providere, cum divites ad eleemosynarum largitatem hortantur, sicut et Paulo ad prædicationis officium assumpto in gentes commissum est ut pauperum memor esset, ut dicitur Galat., II.

Ad illud quod postea objicitur quod « greges pascuntur a pastoribus, » dicendum est quod pastores gregem Domini pascere possunt non solum per se, sed per alios, quibus ipsi committunt : quia ille intelligitur aliquid facere cujus auctoritate fit.

Ad id quod postea objicitur, quod non debent prædicare nisi missi : missi autem a Domino leguntur tantum duodecim apostoli, et septuaginta duo discipuli : dicendum quod etiam illi qui sunt missi a Domino possunt alios mittere, sicut Paulus, qui misit Timotheum ad prædicandum; I ad Corinth., IV, 17 : *Ideo misi ad vos Timotheum ..., qui vos commonefaciet vias meas.* Et ita ex commissione episcoporum et presbyterorum possunt etiam alii multi ad prædicta mitti[1]; et tamen illi missi a Domino intelliguntur qui per potestatem a Domino traditam nituntur; et omnes illi sic missi a prælatis Ecclesiarum, scilicet episcopis vel presbyteris, inter opitulatores computantur : quia ipsi majoribus opem ferunt, quamvis non sint

[1] Cod. 3109 : « mitti ad prædicandum. »

archidiaconi. Quod enim in *Glossa* dicitur : *Ut Titus Paulo, vel archidiaconi episcopis,* per modum exempli ponitur. Unde non sequitur quod qui non sunt archidiaconi, non possint majoribus opitulari. Et tamen, cum aliquis ex commissione episcopi prædicat vel confessiones audit, episcopus hoc facere intelligitur, ut patet ex auctoritate Dionysii supra inducta. Nihilominus tamen, etsi duo ordines tantum essent instituti a Domino qui possent prædicare propria auctoritate, posset tamen Ecclesia tertium ordinem statuere prædicatorum, qui propria auctoritate prædicarent, et præcipue Papa, qui habet plenitudinem potestatis in Ecclesia; sicut etiam in primitiva Ecclesia fuerunt soli duo ordines sacri, scilicet presbyteri et diaconi; et tamen postea Ecclesia minores sibi ordines instituit, ut Magister in *Sententiis* dicit.

Ad id quod postea objicitur, dicendum quod decretum illud loquitur de quibusdam qui corepiscopi[1] vocabantur, qui non in civitatibus, sed in vicis seu villis ordinabantur, qui aliqua poterant plusquam alii sacerdotes, scilicet minores ordines dare; et hi aliquo tempore in Ecclesia fuerunt instituti, habentes ordinariam potestatem : sed postea, ut in eadem *dist.,* dicitur, propter insolentiam suam, qua episcoporum officia sibi usurpabant, ab Ecclesia prohibiti sunt. Et ideo patet quod non est similis ratio de religiosis illis qui ex commissione prælatorum confessiones audiunt potestatem ordinariam non habentes. Horum enim ordo in numerum non ponit contra ordines a Domino institutos; cum ille secundum jura facere intelligatur cujus auctoritate fit : quod etiam patet per auctoritatem Dionysii supra inductam.

Ad aliud dicendum quod ex illa auctoritate Dionysii amplius haberi non potest. nisi quia monachi ex potestate ordinaria sui ordinis non habent quod sint prælati, vel aliorum[2] adductivi; non autem excluditur quin monachus possit accipere potestatem ordinariam vel commissam ad alios adducendum : præcipue cum in *Littera* dicatur, quod monasticus ordo non est aliis prælatus vel aliorum adductivus; non autem quod esse non possit vel non debeat.

Ad aliud dicendum quod ecclesiastica hierarchia imitatur cœlestem quantum potest, sed non in omnibus. In cœlesti enim hierarchia distinctio donorum gratuitorum, secundum quam ordines distinguuntur, sequitur distinctionem naturæ, non autem in hominibus; et ideo, cum angelorum natura sit immutabilis, angelus inferioris ordinis ad superiorem ordinem transferri non potest : quod tamen in ecclesiastica fieri potest; sed tamen in cœlesti angelus inferioris ordinis in suo ordine manens exequitur actum superioris ordinis, superioris virtute. Sicut enim dicit Dionysius, XIII *Cœlest. hierarchiæ,* angelus qui purgavit labia Isaiæ, dictus est Seraphin, quia Seraphin officium exercuit; et Gregorius dicit in *Hom. de centum ovibus*, quod « hi spiritus qui mittuntur, horum vocabulum percipiunt quorum officia gerunt. » Unde non est inconveniens, si in ecclesiastica hierarchia aliquis inferioris ordinis exerceat aliquod officium superioris ordinis ejus commissione.

Ad aliud quod postea objicitur quod « aut prædicant cum potestate, aut sine potestate, » dicendum quod prædicant cum potestate prædicandi non ordinaria, sed eis ab aliis commissa. Nec tamen sequitur quod possint procurationes exigere, quia hoc non est eis datum; possent tamen, si eis daretur ab aliis, in quibus residet prædicta potestas : et sic etiam non sequitur quod propter hoc esse debeant plures procurationes.

Ad aliud quod objicitur postea, quod religiosi secundum hoc haberent majorem potestatem quam episcopi vel patriarchæ, dicendum quod non est verum : quia patriarchæ vel episcopi possunt alicubi prædicare ordinaria potestate; religiosi autem non habentes curam animarum nusquam; possunt tamen ubilibet prædicare auctoritate eorum qui possunt, sicut et episcopus potest episcopalia exercere in aliena diœcesi auctoritate illius episcopi in cujus diœcesi commoratur.

Ad id quod postea objicitur, quod prædicator non debet ædificare super fundamentum alienum, dicendum quod falsum est et contra Apostolum, I Corinth., III, 10 : *Ut sapiens architectus fundamentum posui; Glossa :* « prædicationem; » *alius autem superædificat. Unusquisque*

[1] Parm. : « coepiscopi. » — [2] Al. : « aliquorum. »

autem videat quomodo superædificet : quod secundum Ambrosium in *Glossa* exponitur de superædificatione doctrinæ. Quod autem Apostolus dicit Rom., xv, 20 : *Sic autem prædicavi Evangelium non ubi nominatus est Christus, ne supra alienum fundamentum ædificarem :* non est intelligendum quasi non liceret; sed quia hoc tunc temporis magis necessarium quam aliud reputabat. Unde dicit *Glossa* ibidem : « *Ne ædificarem supra alienum fundamentum,* id est ne prædicarem jam per alios conversis, non quod hoc non facerem, si contigisset, sed malebam jacere fundamentum fidei ubi non erat. » Alias non licuisset Joanni Evangelistæ prædicare Ephesi, ubi Paulus fidem plantaverat; aut Paulo prædicare Romæ, ubi Petrus eum prævenerat. Quid autem dicent, si religiosi, contra quos loquuntur, hoc modo distributi sint, ut quidam eorum infidelibus annuntient verbum Dei, quidam autem inter fideles sint in subsidium prælatorum? Nec tamen facit ad propositum : quia non est idem prædicare plebi alienæ, et ædificare super alienum fundamentum, ut in prædicta auctoritate accipitur; cum etiam sacerdos parochialis in sua parochia prædicans, super alienum ædificet fundamentum, quia prædicat conversis per alios ad fidem.

Similiter quod dicitur II ad Cor., x, 15 : *Non gloriantes in immensum in alienis laboribus,* scilicet ubi alius fundamentum fidei posuisset, quod esset ultra mensuram gloriari; non est intellectus *Glossæ,* quod si Apostolus laborasset ubi alius fundamentum fidei posuerat, quod hoc esset in immensum gloriari; sed quod si ipse gloriatus esset quasi fundamentum jaciens, fundamento prius ab alio posito, ultra mensuram laboris sui gloriatus esset.

Similiter etiam quod sequitur postea : *Non habentes spem gloriari in aliena regula,* id est in his quæ sunt in alieno regimine, *Glossa* illa male inducitur. Non enim sic habetur in *Glossa,* sed sic : « *Regulam nostram,* id est regimen nostrum, id est secundum quod a Deo nobis est injunctum, *evangelizare* dico *in abundantia,* scilicet non in paucis locis, immo etiam *in illa,* supple loca, *quæ ultra vos sunt. Nec tamen sumus habentes spem,* id est non speramus gloriari in aliqua aliena regula; nec illi qui ultra vos sunt, de alieno regimine sunt. » Si tamen ita esset in *Glossa* ut dicunt, non intelligitur quin Apostolus potuisset prædicare illis qui erant de regimine alterius apostoli; ipse enim prædicavit Antiochenis et Romanis, qui erant de regimine Petri; sed quia non gloriabatur de eis quasi subjectis suo regimini : hoc enim esset in aliena regula gloriari. Et præterea illi qui ex commissione prælatorum prædicant, non prædicant in plebibus alienis, sed in plebibus prælatorum qui eos mittunt; quin etiam ipsis operantibus cooperari dicuntur.

CAPUT XXIII.

Responsiones ad inducta contra veritatem superius in secundo articulo.

Ad ea quibus postmodum ostendere nituntur quod religiosi confessiones audire non debent, de facili patet responsio. Per illa enim decreta quæ inducunt, nihil aliud ostendunt nisi quod religiosi non possunt propria auctoritate confessiones audire; non autem excluditur quin possint audire ex auctoritate Papæ vel episcopi, ut manifeste habetur XVI, q. I, *Pervenit;* nec etiam quod religiosi sint minus idonei ad hujusmodi quam sæculares, ut patet XVI, q. I, *Sunt tamen nonnulli.*

Ad aliud quod postea objicitur, quod presbyteri parochiales, cum sint rectores animarum, debent diligenter agnoscere vultum pecoris sibi commissi, quod non possunt facere, nisi eorum confessiones audiant, dicendum quod de bonitate vel malitia alicujus constare potest alicui non solum per propriam confessionem, sed etiam per sententiam superioris de eo latam. Unde si episcopus subditum sacerdotis absolvat vel per se vel per alium cui ipse commisit, sacerdos parochialis ita debet se reputare cognoscere eum ac si sibi confessus esset; cum jam sit per superioris sententiam approbatus, de qua ei judicare non licet. Et præterea sacerdos vultum ejus satis potest agnoscere, si secundum *Decretalem* semel in anno confiteatur ei.

Ad illud quod postea objicitur, quod quilibet tenetur in anno semel confiteri proprio sacerdoti [1], dicendum quod sacerdos

[1] Parm. omittit : « proprio sacerdoti. »

proprius non solum est parochialis, sed etiam episcopus vel Papa, ad quos etiam magis pertinet cura ejus quam ad sacerdotem, ut multipliciter ostensum est. Proprium enim hic non accipitur secundum quod dividitur contra commune, sed secundum quod dividitur contra alienum. Unde qui confessus est episcopo suo vel alicui habenti vicem ejus, confessus est proprio sacerdoti. Et præterea per hoc non excluditur, si semel in anno confitetur sacerdoti proprio, scilicet parochiali dato, quin possit aliis vicibus aliis etiam confiteri qui potestatem habeant absolvendi.

Ad aliud quod postea objicitur, quod non potest scire eum dignum esse ut admittatur ad sacramentum Eucharistiæ nisi audita ejus confessione, dicendum quod falsum est. Potest enim scire per sententiam superioris, qui eum in foro pœnitentiali absolvit; cujus sententiæ stare debet non minus quam suæ.

Ad id quod postea objicitur, quod si aliquis potest confiteri alteri quam proprio sacerdoti, datur per hoc occasio multis latendi, dicendum quod falsum est. Cum enim in foro pœnitentiali cuilibet sit credendum et pro se et contra se, sacerdos debet credere eum confessum esse, si se confessum fateatur, quia et si sibi confiteretur, posset eum decipere, ut levioribus confessis majora taceat. Et præterea, dato quod ex hoc daretur aliqua occasio mali, tamen multum præponderat quod per hoc vitantur multa alia majora mala, sicut prius ostensum est, quod per hoc multis periculis obviatur [1].

Ad aliud quod postea objicitur, quod ad monachum non pertinet corrigere, et sic nec absolvere, dicendum quod verum est propria auctoritate, sed ex commissione auctoritatem habentis utrumque potest sibi competere, si sacerdotali ordine fungatur. Demophilus tamen, cui Dionysius scribebat, non erat sacerdos, nec etiam diaconus, ut ex his quæ in eadem epistola dicuntur, apparet.

Ad illud quod postea objicitur, quod si possent confessiones audire, eadem ratione ubique possent, et sic essent universales ecclesiæ gubernatores, dicendum quod nusquam possunt audire propria auctoritate, possunt tamen audire ubicumque eis commissum fuerit; et si committeretur eis quod ubique audirent ab eo qui toti Ecclesiæ præest, possent ubique audire. Nec tamen essent universales Ecclesiæ gubernatores, quia non absolverent auctoritate ordinaria, sed commissa. Quod autem Papa universalem Pontificem se prohibet nominari, non ideo est quia ipse non habeat auctoritatem immediatam et plenam in qualibet Ecclesia, sed quia non præficitur cuilibet particulari Ecclesiæ ut proprius et specialis illius Ecclesiæ rector, quia sic cessarent omnium aliorum pontificum potestates, et hoc capitulum inductum inducit pro ratione.

CAPUT XXIV.

Responsiones ad inducta contra veritatem superius in tertio articulo.

Ad ea autem quibus postmodum nituntur ostendere, quod nec etiam auctoritate episcoporum possunt religiosi prædicare vel confessiones audire, de facili patet responsio.

Quod enim primo objiciunt, quod dat aliquis, jam non habet, patet esse falsum in spiritualibus, quæ communicantur non per translationem alicujus dominii, sicut accidit in rebus corporalibus, sed magis per modum emanationis cujusdam effectus a sua causa; sicut qui communicat alii scientiam, non propter hoc scientiam amittit. Sed est etiam in communicatione potestatis [2]; qui enim dat alicui potestatem, non amittit eam, sicut episcopus qui dat sacerdoti potestatem quod conficiat corpus Domini, dando non amittit eam. Unde de communicatione rerum spiritualium dicit Augustinus in I *De doctrina christiana :* « Omnis res quæ dando non deficit, dum habetur et non datur, nondum habetur quomodo habenda est. » Et similiter, quando dat episcopus potestatem sacerdoti absolvendi aliquos homines, non amittit illam potestatem; nisi forte æstimetur potestas quam habet sacerdos in parochia sua, quasi potestas quam habet miles in villa sua, quod est ridiculum, cum non sint domini, sed ministri, secundum illud I ad Cor., IV, 1 : *Sic nos existimet homo ut ministros Christi,* etc. Luc., XXII,

[1] Parm. : « objiciatur. » — [2] Parm. : « in communicante potestas. »

25 : *Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic; sed qui major est in vobis, fiat sicut minor; et qui præcessor est, sicut ministrator.*

Ad illud quod objicitur postea, quod episcopus quando committit curam parochiæ, ipse se exonerat, dicendum quod falsum est; quia adhuc pertinet ad eum habere curam totius plebis sibi commissæ, ut habetur X, quæst. I, cap. *Quæcumque.* Unde et Apostolus de se dicebat II ad Cor., XI, 28 : *Præter illa quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum.* Non tamen fit onus ei importabile, quia habet alios inferioris ordinis adjutores. Dato autem quod sit immunis a periculo per hoc quod sacerdoti curam committit, non tamen sequitur quod per hoc sit immunis a potestate quam in parochia habet. Ministri enim Christi non solum possunt operari ad salutem plebis ad vitandum periculum sibi imminens, sed etiam ad augendum meritum, et magis fructificandum in populo Dei, sicut etiam Paulus multa supererogabat propter salutem electorum, quæ sine periculo suæ salutis dimittere poterat.

Ad aliud quod objicitur, scilicet quod sacerdos est sub episcopo, sicut episcopus sub archiepiscopo, dicendum quod non est omnino simile. Constat enim quod archiepiscopus non habeat immediatam jurisdictionem in illos qui sunt diœcesi episcopi, nisi causa ad eum deferretur; sed episcopus habet immediatam jurisdictionem in parochianos sacerdotis, cum possit quemlibet coram se citare et excommunicare; quod archiepiscopus non potest in subditis episcoporum, ut dictum est. Cujus ratio est, quia potestas sacerdotis naturaliter et ex jure divino subditur potestati episcopi, cum sit imperfecta respectu illius, ut Dionysius probat; sed episcopus subditur archiepiscopo solum ex ordinatione Ecclesiæ. Et ideo in quibus Ecclesia statuit episcopum archiepiscopo subjectum, in illis tantum subjectus est ei; sacerdos autem qui ex jure divino episcopo subditur, in omnibus est ei subjectus; sicut etiam Papa habet immediatam jurisdictionem in omnes christianos; quia romana Ecclesia, nullis synodicis constitutis cæteris Ecclesiis prælata est, sed evangelica voce Domini et Salvatoris nostri primatum obtinuit, ut habetur in *Decretis,* dist. XXI, cap. *Quamvis.*

Ad id quod postea objicitur, quod presbyteri parochiarum sunt sponsi Ecclesiarium sibi commissarum, dicendum quod sponsus Ecclesiæ, proprie loquendo, Christus est; de quo dicitur Joan., III, 29 : *Qui habet sponsam, sponsus est.* Ipse enim de Ecclesia suo nomine filios generat, Alii autem qui sponsi dicuntur, sunt ministri sponsi, exterius cooperantes ad generationem spiritualium filiorum; quos tamen non sibi, sed Christo generant. Qui quidem ministri intantum sponsi dicuntur, inquantum vicem veri sponsi obtinent. Et ideo Papa, qui obtinet vicem in tota Ecclesia, universalis Ecclesiæ sponsus dicitur, episcopus autem suæ diœcesis, presbyter autem suæ parochiæ. Unde et diœcesis sponsus Papa est, et episcopus parochiæ. Nec tamen propter hoc sequitur quod sint plures sponsi unius Ecclesiæ, quia sacerdotes suo ministerio cooperantur episcopo tanquam principali, et similiter episcopi Papæ, et Papa ipsi [1] Christo. Unde Christus, Papa, episcopus et sacerdos non computantur nisi unus sponsus Ecclesiæ. Unde patet quod ex hoc quod Papa vel episcopus audit confessionem parochianorum, vel aliis audiendas committit, non sequitur quod sint plures unius Ecclesiæ sponsi; sequeretur autem, si duo præficerentur eidem Ecclesiæ eodem gradu, sicut duo episcopi in una diœcesi, et duo presbyteri curati in una parochia, quod canones prohibent.

CAPUT XXV.

Responsiones ad inducta contra veritatem superius in quarto articulo.

Ad ea vero quibus probare nituntur, quod nec ex privilegio Papæ religiosi prædicare, nec confessiones audire, possunt, nunc respondendum est.

Quod ergo primo objicitur, quod romanæ Sedis auctoritas non potest aliquid condere vel mutare contra statuta sanctorum Patrum, dicendum quod verum est in illis quæ statuta sanctorum determinaverunt esse de jure divino, sicut articuli fidei, qui determinati sunt per con-

[1] Parm. : « et ipse Papa Christo. »

cilia; sed illa quæ sancti Patres determinaverunt esse de jure positivo, sunt relicta sub dispositione Papæ, ut possit ea mutare vel dispensare secundum opportunitates temporum vel negotiorum. Sancti enim Patres in conciliis congregati nihil statuere potuissent[1] nisi auctoritate romani Pontificis interveniente, sine qua etiam nec concilium congregari potest. Nec tamen Papa quando aliquid aliter facit quam a sanctis Patribus statutum sit, contra eorum statuta facit, quia servatur intentio statuentium, etiamsi non serventur verba statutorum, quæ non possunt in omnibus casibus et in omnibus temporibus observari, servata intentione statuentium, quæ est utilitas Ecclesiæ, sicut et in omni jure positivo accidit. Derogatur enim prioribus statutis per statuta sequentia. Nec tamen hoc quod aliqui religiosi qui non sunt episcopi vel presbyteri parochiales, prædicant et confessiones audiunt, est contra decreta Patrum, nisi ex sua auctoritate hoc facerent, sine auctoritate Papæ aut episcoporum[2], ut ex prædictis patet.

Et per hoc patet solutio ad id quod postea objicitur : quia Papa ex hoc quod dat alicui licentiam vel privilegium audiendi confessiones vel prædicandi, non facit per hoc contra apostolum, quia tales religiosi non prædicant plebibus alienis, ut supra dictum est. Nec tamen hoc est verum quod Papa non possit aliquid facere contra apostolum; dispensat enim cum bigamo, et in pœna quam canones apostolorum statuerunt presbytero fornicanti. Ex decreto autem inducto non potest amplius haberi nisi quod Papa non potest destruere canonicam Scripturam apostolorum et prophetarnm, quæ est ecclesiasticæ fidei fundamentum.

Ad id quod postea objicitur, quod privilegia principum sunt intelligenda sine præjudicio alterius, dicendum quod præjudicium dicitur fieri alicui quando subtrahitur ei aliquid quod in favorem ejus introductum est, vel quod ad utilitatem ejus ordinatur. Sed subjectio alicujus subditi ad rectorem Ecclesiæ non est ordinata principaliter ad utilitatem præsidentium, sed ad utilitatem subjectorum; unde Ezech., XXIV, 2, dicitur : *Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos. Nonne greges pascuntur a pastoribus?* Et ideo nullum præjudicium fit rectori Ecclesiæ, quando subditus ejus a sua potestate eximitur sine præjudicio ejus, sicut Papa eximit abbatem a potestate episcopi sine ejus prejudicio, et similiter episcopum a potestate archiepiscopi. Si autem ipsemet operetur in subditis quæ pertinent ad salutem, vel aliis hoc ipsum committat, non solum non facit ei præjudicium, sed præstat ei magnum beneficium, quod maxime acceptatur a cunctis rectoribus, qui non *quærunt quæ sua sunt, sed Jesu Christi.* Unde super illud Num., XII : *Quid æmularis pro me?* dicit *Glossa* Gregorii : « Pia mens pastoris, quia non propriam gloriam, sed auctoris quærit, ab omnibus vult juvari in eo quod facit. Fidelis enim prædicator optat, si fieri valeat, ut veritatem quam solus loqui non sufficit, ora cunctorum sonent. »

Ad id quod postea objicitur, quod princeps quando alicui committit liberam testamenti factionem, intelligitur tantum concessisse legitimam et consuetam, dicendum quod similiter Papa, quando committit alicui quod prædicet vel confessiones audiat, committit ei ut legitime hoc faciat. Unde per hanc commissionem non potest prædicare aliqua quæ non decent. Sed ex quo ab eo datur libertas prædicandi, non requiritur, ad hoc quod ejus prædicatio legitima sit, quod ab alio potestatem accipiat, quia sic inutilis esset eis potestas a Papa accepta; sicut et ille qui habet licentiam ab imperatore quod testamentum condat, non oportet quod ab alio ulterius licentiam petat, sed quod observet ea quæ pertinent ad debitum modum testandi. Similiter et prædicator cui datur licentia a Papa prædicandi, debet debito modo prædicare, ut scilicet alia prædicet pauperibus, et alia divitibus, et[3] observet hujusmodi quæ Gregorius in *Pastorali* docet.

Ad illud quod postea objicitur, quod monachus, cum ordinatur, non accipit executionem officii, nisi cum cura plebis sibi committitur, dicendum quod potestas ordinis sacerdotalis ad duo ordinatur. Primo et principaliter ad corpus Christi verum consecrandum : et hujus potestatis executionem statim cum ordinatur accipit, nisi sit defectus in ordinatione vel in ordinato. Secundario ordinatur ad corpus Christi

[1] Parm. : « possunt. » — [2] Parm. : « episcopi. » — [3] Parm. : « quod. »

mysticum per claves Ecclesiæ, quæ sibi committuntur : et hujus potestatis executionem non recipit, nisi cura ei committatur, vel nisi auctoritate alterius habentis curam hoc agat. Nec tamen potestas sacerdotalis frustra datur ei, quia habet executionem in hoc ad quod sacerdotii potestas principaliter ordinatur. Sed officium prædicationis non ordinatur ad aliud quam ad prædicandum. Unde, cum privilegium principis non debeat alicui esse inutile, ut jura dicunt, oportet ex hoc ipso quod Papa committit alicui officium prædicandi, quod ille habeat executionem officii, quicumque sit; et tamen, quando Papa dat privilegium alicui religioso quod possit prædicare, non propter hoc committit ei officium, sed magis officii executionem : quia religiosi tales non prædicant quasi utentes sua potestate, sed aliena sibi commissa, sicut dictum est.

Ad aliud dicendum quod, sicut supra dictum est in I *Quæst. de doctrina,* Dionysius ibi loquitur de monachis laicis, qui non sunt episcopi, presbyteri, vel diaconi. Si tamen de omnibus intelligeretur, non destruit ecclesiasticam hierarchiam Papa, mittens monachos ad prædicandum : quia, sicut supra dictum est, in ecclesiastica hierarchia ille qui est inferioris ordinis, potest superioris officium exercere, etiam in suo ordine manens, sicut etiam et in cœlesti; et ulterius potest ad superiorem ordinem promoveri, quod non est in cœlesti. Unde et Innocentius III, ante concilium generale quosdam Cisterciensis ordinis misit ad prædicandum in partibus Tholosanis.

CAPUT XXVI.

Responsiones ad inducta contra veritatem superius in quinto articulo.

Ad aliud quod ultimo objicitur, quod religiosi non possunt petere licentiam prædicandi, quia hoc est ambitionis, dicendum quod falsum est : quia prædicationis officium et laudabiter appeti potest ex caritate, exemplo Isaiæ, qui se ad hoc sponte obtulit, Isa., VI, 8 : *Ecce ego, mitte me;* et laudabiliter potest vitari ex humilitate, exemplo Jeremiæ, qui dixit : *A, a, a, Domine Deus, nescio loqui, quia puer ego sum,* Jerem., I, 6, ut patet per *Glossam* Gregorii ibidem. Et similis sententia habetur VIII, quæst. I, cap. *In Scripturis.* Sciendum etiam quod ecclesiastica officia duo habent adjuncta : scilicet opus, et dignitatem vel honorem; et ratione honoris laudabiliter recusantur, sed ratione operationis laudabiliter possunt quæri. I Tim., III, 1 : *Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* Unde Augustinus dicit in XIX *De civit. Dei : Exponere voluit quid sit episcopatus,* secundum scilicet quod desiderari potest, *quia nomen est operis, non honoris,* ut habetur VIII, quæst. I, *Qui episcopatum.* Et hoc idem habetur in *Glossa* super eodem verbo. Et ideo si opus separatur a dignitate, laudabiliter et sine ambitionis periculo potest desiderari; et ideo non est ambitionis, si religiosus petat a sacerdote vel episcopo licentiam prædicandi, sed est signum dilectionis Dei et proximi.

CAPUT XXVII.

An religiosus teneatur manibus laborare.

Quia vero per sufficientes rationes religiosos a fructu animarum arcere non possunt, eos indirecte impedire nituntur, imponentes eis necessitatem manibus operandi; ut vel sic saltem retrahantur a studio, quoad prædicta redduntur idonei : in quo hostes civitatis sanctæ præfati malignantes ostenduntur. Unde super illud Nehem., VI, 2 : *Veni, et percutiamus fœdus,* etc., dicit *Glossa :* « Hostes civitatis sanctæ suadebant Nehemiæ in campestria descendere, et fœdus pacis secum inire; sic et hæretici et falsi catholici cum veris catholicis pacis consortium habere volunt, non ut ipsi ad arcem catholicæ fidei et operationis ascendant, sed ut potius eos quos in culmine virtutum commorantes aspiciunt, ad infima opera vel prava dogmata[1] descendere cogant. »

[1] Al. : « vel pauperum dogmatum; » Parm. : « pauperiem dogmatum. »

CAPUT XXVIII.

Multæ auctoritates per quas suam perversam doctrinam religiosorum adversarii probare nituntur.

Quod autem religiosi manibus operari teneantur, multipliciter nituntur ostendere.

Primo per hoc quod dicitur I Thessal., IV, 11 : *Operamini manibus vestris, sicut præcipimus vobis.* Sed ad præcepta servanda tenentur maxime religiosi. Ergo debent manibus laborare.

Item. II Thessal., III, 10 : *Si quis non vult operari, nec manducet. Glossa :* « Dicunt quidam de operibus spiritualibus hoc præcepisse Apostolum, non de opere corporali, in quo agricolæ vel opifices laborant ; » et infra : « Sed superfluo conantur sibi et cæteris caliginem inducere, ut quod utiliter caritas monet, non solum facere nolint, sed nec intelligere ; » et infra : « Vult Apostolus servos Dei corporaliter operari unde vivant, licet ad servitutem Dei religiosi specialiter deputentur. » Ergo debent operari secundum Apostoli præceptum.

Item. Inducunt hoc quod habetur ad Ephes., IV, 28 : *Laboret operando manibus suis, quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti; Glossa :* « Non tantum unde vivat. » Ergo religiosi, qui non habent aliunde unde tribuant necessitatem patienti, debent manibus operari.

Item. Luc., XII, super illud : *Vendite quæ possidetis, Glossa :* « Non tantum cibos vestros communicate pauperibus, sed etiam vendite possessiones vestras : ut omnibus vestris semel pro Domino spretis, postea labore manuum operemini, unde vivatis, vel eleemosynam faciatis. » Ergo religiosi, qui omnia sua relinquunt, debent de labore manuum suarum vivere et eleemosynas facere.

Item. Religiosi maxime tenentur apostolorum vitam imitari, quia statum perfectionis profitentur. Sed apostoli propriis manibus laborabant. I ad Corinth., IV, 12 : *Laboramus operantes manibus nostris;* et Act., XX, 34 : *Ad ea quæ mihi opus erant... ministraverunt manus istæ;* et in hoc se imitabiles ostendebant aliis. II Thess., III, 8 : *Neque gratis panem manducavimus ab aliquo, sed in labore et fatigatione nocte et die operantes, ut nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos.* Ergo religiosi debent apostolos in labore manuum imitari.

Item. Religiosi magis tenentur ad opera humilia quam sæculares clerici. Sed sæculares clerici tenentur manibus laborare : unde dicitur in *Decretis,* dist. XCI : « Clericus victum et vestitum sibi artificio vel agricultura absque sui officii duntaxat detrimento præparet. » Item in sequenti cap. : « Quilibet clericus verbo Dei eruditus artificio victum quærat. » Item : « Omnes clerici qui ad operandum validi sunt, artificialia et litteras discant. » Ergo multo fortius religiosi tenentur manibus laborare.

Item Actuum, XX, 34 : *Ad ea quæ mihi opus erant, et his qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ. Glossa* interlinearis : « Exemplum operandi etiam episcopis est signum quo discernuntur a lupis. » Ergo multo magis illi qui episcoporum officium exercent prædicando, debent manibus laborare.

Item. Hieronymus dicit *Ad Rusticum monachum :* « Egyptiorum monasteria hunc morem tenent, ut nullum absque opere et labore suscipiant, non tam propter victus necessaria, quam propter animæ salutem, ne vagetur perniciosis cogitationibus. » Ergo requiritur ad salutem animarum in religiosis quod manibus operentur.

Item. Religiosi semper debent ad profectum spiritualem conari, secundum illud I ad Cor., XII, 31 : *Æmulamini charismata meliora.* Sed, sicut dicit Augustinus in lib. *De opere monachorum :* « Religiosi qui non operantur manibus, illos qui operantur, sibi anteponendos esse non dubitent ; » et Act., XX, super illud : *Beatius est magis dare quam accipere,* dicit *Glossa :* « Illos maxime glorificat, qui cunctis quæ possident in semet renuntiantes, nihilominus operantur ut habeant unde tribuant necessitatem patienti. » Igitur omnes religiosi ad hoc debent tendere ut manibus operentur.

Item. Augustinus, in eodem libro, religiosos non operantes contumaces nominat, subdens præmissis verbis : « Cæterum quis ferat homines contumaces saluberrimis Apostoli monitis resistentes, non sicut infirmiores tolerari, sed sicut sanctiores etiam prædicari ? » Sed contumacia est

peccatum mortale; alias pro contumacia nullus excommunicaretur. Ergo sine periculo peccati mortalis religiosi non possunt dimittere quin manibus operentur.

Item. Si religiosi excusantur a labore manuum, maxime videntur excusari propter hoc quod vacant psalmis, orationibus, prædicationibus et lectionibus. Sed propter ista non excusantur. Ergo omnino laborare tenentur. Media probatur per hoc quod dicit Augustinus in libro *De opere monachorum :* « Quid agant qui operari corporaliter nolunt, cui rei vacent, scire desidero. Orationibus, inquiunt, et psalmis et lectioni et verbo Dei. » Et singula istorum removens, dicit primo de oratione : « Citius exauditur una obedientis oratio quam decem millia contemptoris : » innuens illos esse contemptores et indignos exaudiri qui manibus non operantur. Secundo quantum ad vacantes divinis canticis subjungit : « Cantica cantare divina etiam manibus operantes facile possunt; » et infra : « Quid ergo impedit servum Dei manibus operantem in lege Domini meditari, et psallere nomini Domini altissimi? » Tertio subjungit de lectione : « Qui autem dicunt se vacare lectioni, nonne illic inveniunt quod præcepit Apostolus? Quæ est ergo ista perversitas, lectioni nolle obtemperare, dum vult ei vacare; et ut quod bonum est, diutius legatur, ideo facere nolle bonum quod legitur? Quis enim nesciat tanto citius quemque proficere cum bona legit, quanto citius facit quod legit? » Quarto subjungit de prædicatione : « Si autem alicui sermo erogandus est, et ita occupet ut manibus operari non vacet, numquid hoc omnes in monasterio possunt? Quando ergo non omnes possunt, cur sub hoc obtentu omnes vacare volunt? Quanquam si omnes possent, vicissitudine facere deberent, non solum ne cæteri a necessariis operibus occuparentur, sed etiam quia sufficit ut audientibus pluribus unus loquatur. »

CAPUT XXIX.

Ostendit dictam positionem esse erroneam, et unde ortum habuit error iste.

Sciendum vero quod in ista etiam quæstione viam veritatis relinquentes, dum ab uno errore recedunt, in contrarium dilabuntur. Fuit enim quorumdam monachorum error antiquitus qui dicebant religiosos manibus operari sine suæ perfectionis detrimento non posse : quia qui manibus laborat, non totam sollicitudinem in Deum jactat, et ita non implet illud evangelicum : *Nolite solliciti esse animæ vestræ qui manducetis, et corpori vestro quid induamini.* Matth., VI, 25. Unde et cogebantur negare Apostolum manibus operasse, et dicere, hoc quod Apostolus dicit II Thessal., III, 10 : *Si quis non vult operari, nec manducet,* de opere spirituali intelligendum fore, non de opere corporali, ne præceptum Apostoli præcepto Evangelii contrarium inveniatur. Horum ergo errorem utpote sacræ Scripturæ manifeste contrarium Augustinus reprobat in lib. *De opere monach.*, quia contra tales hunc librum scripsit, ut patet in lib. *Retractationum.* Ex quo quidam perversi sensus homines contrarii erroris occasionem assumunt, ut dicant religiosos esse in statu damnationis qui manibus non laborant, in hoc Pharaoni amicos et unanimes se ostendentes, ut patet per *Glossam,* Exod., V, 4, super illud : *Quare Moyses et Aaron sollicitatis populum ab operibus suis? Glossa :* « Audies quoque si Moyses et Aaron, id est propheticus et sacerdotalis sermo, animam sollicitet ad servitium Dei exire de sæculo, renuntiare omnibus quæ possidet, attendere legi et verbo Dei; continuo audies unanimes et amicos Pharaonis dicentes : Videte quomodo seducuntur homines et pervertuntur adolescentes, ne laborent, ne militent, ne agant aliquid quod prosit. Relictis rebus necessariis ineptias sectantur et otium. Quid enim est servire Deo? Laborare nolunt et otii occasiones quærunt. Hæc erant tunc verba Pharaonis; hæc et nunc amici ejus loquuntur. »

CAPUT XXX.

Quod non omnes religiosi tenentur manibus laborare.

Ut ergo ab istorum infestatione servos Dei defendamus, ostendamus omnes religiosos, nisi forte in casu, ad manibus laborandum non tantum non teneri, sed etiam manibus non laborantes in statu salutis esse.

Primo per *Glossam* quæ habetur Matth.,

vi, 26 : *Respicite volatilia cœli; Glossa :* « Sancti merito avibus comparantur, quia cœlum petunt, et quidam ita remoti sunt a mundo, ut jam in terris nil agant, nil laborent, sed sola contemplatione jam in cœlo degunt; de quibus dicitur : *Qui sunt hi qui ut nubes volant?*

Item. Gregorius *Super Ezech. in secunda homilia secundæ partis :* « Contemplativa vita est caritatem Dei et proximi tota mente retinere, et ab exteriori actione quiescere; soli desiderio Conditoris inhærere, ut nil jam agere libeat, sed calcatis curis omnibus ad videndam faciem sui Conditoris animus inardescat. » Ergo perfecti contemplativi ab omni actione exteriori se retrahunt.

Item. Luc., x, super illud : *Domine non est tibi curæ quod soror mea reliquit me solam ministrare?* dicit *Glossa :* « Ex illorum persona loquitur qui adhuc divinæ contemplationis ignari, solum quod didicere fraternæ dilectionis opus Deo placitum dicunt; ideoque cunctos qui Christo devoti esse velint, huic mancipandos autumant. » Sed illi qui dicunt religiosos manibus debere laborare, hoc propter fraternæ dilectionis opus dicunt, ut scilicet habeant unde eleemosynas tribuant, secundum illud Ephes., iv, 28 : *Laboret manibus suis, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti.* Ergo illi qui volunt quod omnes religiosi manibus laborent, voce Marthæ utuntur, quæ de quiete Mariæ murmuravit : unde a Domino Mariæ otium est excusatum.

Item. Hoc exemplo probari potest. Beatus enim Benedictus, ut Gregorius in II *Dialogorum* narrat, tribus annis in specu mansit manibus non laborans, ut ex hoc victum quæreret, quia longe a conversatione hominum positus erat, soli Romano monacho cognitus, qui ei victum ministrabat. Quis tamen audeat dicere eum tunc in statu salutis non fuisse, cum Dominus eum servum suum nominaverit cuidam sacerdoti dicens : « Servus meus illo in loco fame moritur? » Multa etiam alia exempla sanctorum patent in *Dialogo,* et in vitis Patrum, qui sine labore manuum istam vitam transigebant.

Item. Laborare manibus aut est præceptum, aut consilium. Si consilium est, nullus tenetur ad laborandum manibus, nisi qui ad hoc voto se astrinxit. Ergo religiosi qui ex regula sua non habent quod debeant manibus laborare, ad laborem manuum non tenentur. Si autem est in præcepto, cum ad præcepta divina et apostolica æqualiter teneantur religiosi et sæculares, non magis ad laborem manuum tenentur religiosi quam sæculares. Ergo si licebat alicui sine labore manuum vivere quando in sæculo erat, idem licebit quando in religione aliqua erit.

Item. Tempore illo quo dixit Apostolus, II Thess., iii, 10 : *Qui non vult laborare, non manducet,* non erant religiosi a sæcularibus distincti; unde istud præceptum communiter omnibus christianis propositum est, quod etiam patet ex hoc quod dicitur II Thessal., iii, 6 : *Subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate.* Omnes enim christiani tunc fratres appellabantur, ut patet I ad Corinth., vii, 12 : *Si quis frater habet uxorem infidelem,* etc.; *Glossa :* « id est, si quis fidelis. » Si ergo religiosi tenentur laborare manibus propter illa Apostoli verba, pari ratione tenentur omnes sæculares; et sic redit idem quod prius.

Item. Augustinus dicit in libro *De opere monachorum :* « Illi qui saltem habebant aliquid in sæculo, quo facile sine opificio sustentarent hanc vitam, quod conversi ad Deum indigentibus dispertiti sunt, et credenda est eorum infirmitas, et ferenda : solent enim tales operum corporalium laborem sustinere non posse. « Ergo illi qui in sæculo de labore manuum non vixerunt, nec in religione ad laborem manuum sunt cogendi.

Item. In eodem libro Augustinus loquens de aliquo divite qui bona sua alicui monasterio tribuit, dicit quod « bene facit manibus laborando, ut aliis exemplum det; quod quidem si nolit, » scilicet laborare manibus, « quis eum audeat cogere? Nec differt, » ut ibi ipse subjungit, « sive monasterio dederit, sive ubicumque diviserit; cum omnium christianorum sit una res publica. » Ergo idem quod prius.

Item. Id quod non præcipitur nisi sub conditione et in casu, non obligat nisi conditione illa existente, et in casu illo. Sed labor manuum nunquam invenitur ab Apostolo imperatus nisi in casu, quando scilicet per hoc vitantur aliqua peccata, volens prius homines manibus laborare quam in illa peccata incidere. Ergo qui possunt manibus non laborando talia vitare, non te-

nentur manibus laborare. Media patet per hoc quod Apostolus non nisi in tribus locis invenitur laborem manuum imposuisse: I ad Ephes., IV, 28 : *Qui furabatur, jam non furetur, magis autem laboret operando manibus suis;* in quo apparet quod laborem manuum imponit ad furtum vitandum, eis scilicet qui a manuum labore abstinentes victum in furto quærebant. Secundo hoc ipsum præcepit I Thessal., IV, 11, ubi dicit : *Operemini manibus vestris, sicut præcepimus vobis, et ut honeste ambuletis ad eos qui foris sunt, et nullius aliquid desideretis;* in quo laborem manuum indixit ad vitandam concupiscentiam alienarum rerum, quod est furtum mentale. Tertio de hoc loquitur II Thessal., III, 10, ubi sic dicit : *Cum essemus apud vos, hoc denuntiabamus vobis, quoniam si quis non vult operari, nec manducet. Audivimus enim inter vos quosdam ambulare inquiete nihil operantes, sed curiose agentes; Glossa :* « Qui fœda cura necessaria sibi provident. » « His autem qui ejusmodi sunt, denuntiamus et obsecramus in Domino Jesu Christo, ut cum silentio operantes, suum panem manducent; » in quo patet quod laborem manuum imponit illis qui laborem manuum fugientes, ex turpibus negotiis victum sibi acquirebant. Sic ergo patet quod religiosi et sæculares qui et sine furto et sine concupiscentia alienarum rerum, aut sine turpi cura victum habere possunt undecumque, ex præcepto Apostoli laborare manibus[1] non tenentur.

Similiter nec ex præcepto Augustini in lib. *De opere monachorum,* cum non inducat nisi ad observandum præcepta apostolica, sicut patet inspicienti diligenter verba ejus. Ergo non tenentur religiosi manibus laborare nisi in casu.

Item. Illi qui habent alias unde vivant quam de labore manuum, non tenentur manibus operari; alioquin omnes divites et omnes clerici et laici qui non laborant, essent in statu damnationis : quod est absurdum. Sed aliqui religiosi sunt qui habent unde alias vivant quam de labore manuum, quia habent possessiones quæ ad eorum vitam sustentandam a fidelibus collatæ sunt, vel habent ministerium prædicationis sibi commissum, de quo vivere possunt. I ad Corinth., IX, 14 : *Dominus ordinavit his qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere. Glossa :* « Sic Dominus rationabiliter disponit de prædicatoribus, ut expeditiores sint ad prædicandum verbum Dei. » Unde non potest dici quod hoc intelligendum sit solum de prælatis, quibus ex auctoritate ordinaria prædicare incumbit : quia tam ipsos quam alios quoscumque qui ex eorum commissione prædicant, oportet expeditos esse ad prædicandum verbum Dei, inter quos possunt esse religiosi, sicut supra probatum est. Similiter aliqui religiosi sunt qui Ecclesiæ deserviunt in divino officio, et de hoc etiam licite vivere possunt : unde dicitur I Cor., IX, 13 : *Qui altari deserviunt, cum altari participant.* Et de his duobus dicit Augustinus in lib. *De opere monachorum*, de religiosis loquens : « Si evangelistæ sunt, fateor, habent scilicet potestatem de sumptibus fidelium vivendi. Si ministri altaris, bene sibi istam non arrogant, sed plane vindicant potestatem. » Similiter sunt aliqui religiosi qui sacræ Scripturæ vacant, et de hoc etiam licite vivere possunt ; unde dicit Hieronymus in *Epistola contra Vigilantium :* « Hæc in Judæa usque hodie perseverat consuetudo non solum apud nos, sed etiam apud Hebræos, ut qui in lege Domini meditantur die ac nocte, et partem non habent in terra nisi solum Deum, synagogarum et totius orbis foveantur ministeriis. » Ergo patet quod non omnes religiosi tenentur manibus laborare.

Item. Utilitas spiritualis præfertur utilitati temporali. Sed qui serviunt utilitati communi ad pacem temporalem conservandam, licite accipiunt unde vivunt; unde dicitur Rom., XIII, 6 : *Ideo et tributa præstatis : ministri enim Dei sunt in hoc ipsum servientes ; Glossa :* « dum pugnant pro patria. » Ergo multo fortius qui in spiritualibus communi utilitati deserviunt vel prædicando, vel sacræ Scripturæ insistendo, vel Ecclesiæ deserviendo, in qua fiunt orationes pro salute totius Ecclesiæ, possunt licite accipere a fidelibus unde sustententur. Non ergo tenentur manibus laborare.

Item. Sicut dicit Augustinus in lib. *De opere monachorum,* Apostolus ibi manibus operabatur ubi Judæis solo die sabbati prædicare consueverat, habens reliquum tempus liberum ad manibus laborandum, si-

[1] Parm. omittit : « manibus. »

cut faciebat cum esset Corinthi. Sed quando erat Athenis, ubi poterat quotidie prædicare, manibus non operabatur, sed vivebat de his quæ detulerant sibi fratres de Macedonia venientes. Ex quo patet quod officium prædicationis non est propter laborem manuum dimittendum. Ergo illi qui possunt prædicationi quotidie insistere, et aliis quæ ad salutem animarum spectant, sive auctoritate ordinaria hoc agant, sive ex commissione alterius, debent omnino a labore manuum abstinere.

Item. Opera misericordiæ præferuntur corporalibus exercitiis; I Timoth., IV, 8 : *Corporalis quidem exercitatio ad modicum utilis est; pietas autem ad omnia valet.* Sed opera pietatis sunt intermittenda, ut vacetur prædicationi. Actuum, VI, 2 : *Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis.* Lucæ, IX, 60 : *Sine ut mortui sepeliant mortuos suos; tu autem vade, et annuntia regnum Dei; Glossa :* « Dominus docet bona minora pro utilitate majorum esse prætermittenda. Majus est enim animas mortuorum prædicando suscitare quam corpus mortui terra abscondere. » Ergo et qui licite prædicare possunt qualitercumque, debent laborem manuum propter prædicationem intermittere.

Item. Non est possibile studio sacræ Scripturæ continuo insistere, et de labore manuum victum quærere, sicut Gregorius in *Pastorali* dicit, exponens illud quod dicitur Exod., XXV : *Vectes semper erunt in circulis.* « Nimirum necesse est (inquit) ut qui ad officium prædicationis excubant, a sacræ lectionis studio non recedant : ut scilicet semper sint parati ad prædicandum, » etsi non semper prædicent, ut patet per ea quæ ibi subduntur. Ergo illi qui ad prædicandum deputati sunt sive ex propria auctoritate, sicut prælati, sive ex prælatorum commissione, debent a labore manuum cessare, ut studio vacent.

Item quod religiosi possint labore manuum dimisso studio sacræ Scripturæ absque reprehensione vacare, patet per id quod dicit Hieronymus in *Prologo super Job :* « Si aut fiscellam junco texerem, aut palmarum folia complicarem, ut in sudore vultus mei comederem panem, et ventris opus sollicita mente pertractarem, nullus morderet, nemo reprehenderet. Nunc autem quia juxta sententiam Salvatoris volo operari cibum qui non perit, et antiquam divinorum voluminum viam sentibus virgultisque purgare, error mihi geminus injungitur; » et infra : « Quapropter, o fratres dilectissimi, pro fabello, calathis, sportellisque, munusculis monachorum, spiritualia hæc et mansura dona suscipite. » Ergo patet quod B. Hieronymus, qui erat monachus, loco laboris manualis studium sacræ Scripturæ assumpserat; de quo tamen ab invidis reprehendebatur. Ergo et aliis religiosis hoc ipsum licet, quantumcumque murmurent detractores.

Item. Augustinus in lib. *De opere mon.:* « Qui relicta vel distributa sive ampla sive qualicumque opulentia, inter pauperes Christi pia et salubri humilitate numerari voluerint; si corpore ita valent, et ab ecclesiasticis occupationibus vacant, si et ipsi manibus operentur, ut pigris auferant excusationem, multo misericordius agunt quam cum omnia sua indigentibus diviserunt. » Ex quo patet quod tam illos qui corpore non valent, quam illos qui ecclesiasticis operibus implicantur, non vult manibus laborare. Sed inter ecclesiasticas occupationes prædicatio est utilior et dignior. I Tim., V, 17 : *Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo et doctrina.* Ergo illi qui in prædicatione occupantur, non debent manibus laborare.

CAPUT XXXI.

Responsiones ad inducta circa istum errorem contra veritatem.

His ergo visis, restat objectis in contrarium respondere.

Ad illud ergo quod primo objicitur, quod laborare manibus est ab Apostolo præceptum, dicendum quod illud præceptum ab Apostolo propositum non est juris positivi, sed legis naturalis, quod patet per hoc quod dicitur II Thessal., III, 6 : *Ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate. Glossa :* « Aliter quam ordo naturæ exigit. » Loquitur autem de illis qui ab opere manuali cessabant. Quod autem ad manibus operandum ipsa natura inclinet, indicat corporis dispositio : quia natura non dedit homini vestes, sicut pilos aliis animalibus; neque arma, sicut cornua duobus et ungues leonibus; nec aliquem cibum sibi natura præparavit excepto lacte,

ut Avicenna dicit. Verumtamen loco omnium dedit sibi rationem, qua hæc omnia sibi posset providere, et manus quibus provisionem rationis exequi posset, ut dicit Philosophus in XIV *De animalibus*. Et quia præcepta legis naturæ communiter omnes respiciunt, hoc præceptum naturalis juris de labore manuum ad omnes hominum differentias se extendit, nec magis ad religiosos quam alios. Nec tamen dicendum quod ad manibus operandum quilibet homo teneatur, quod sic patet. Sunt enim quædam legis naturæ præcepta per quorum impletionem non providetur nisi implenti, sicut præceptum de manducando : unde ad hæc implenda quilibet homo singulariter tenetur. Sunt etiam quædam præcepta legis naturæ quibus homo sibi non providet, sed naturæ communi, sicut præceptum de actu generativæ virtutis, quo species humana multiplicatur et salvatur; vel etiam quibus homo non soli ipsi, sed aliis providere potest; et ad hæc observanda non quilibet obligatur, quia nec unus ad omnia sufficeret, quibus vita hominum indiget; non enim posset unus homo generationi intendere, et contemplationi et ædificationi et agriculturæ et omnibus aliis exercitiis, quibus indiget vita humana; unde in his unus ab alio juvatur, sicut in corpore membrum unum ab alio. Et propter mutuum obsequium, quod homines sibi invicem impendere debent, dicit Apostolus Roman., XII, 5 : *Singuli autem alter alterius membra*. Horum autem ministeriorum distributio, ut scilicet diversi homines diversis ministeriis occupentur, fit principaliter ex divina providentia; sed secundario ex causis naturalibus, per quas magis homo inclinatur ad unum quam ad aliud. Sic ergo patet quod in talibus nullus obligatur ex præcepto, nisi quando necessitas incumbit, et per alium sibi non providetur, sicut si necessitas incumberet homini ut domo vel aliquo hujusmodi uteretur, et nullus alius esset qui ei præpararet; ipsemet sibi habitaculum præparare teneretur, alias sibi manus injiceret. Et similiter dico quod ad manibus laborandum nullus tenetur nisi quando necessitas sibi incumbit utendi his quæ labore manuum quæruntur, et ea ab aliis aliunde habere non potest sine peccato. Illud enim dicimur posse quod licite possumus. Et hoc patet per id quod dicitur I Corinth., IV, 12 : *Laboramus operantes manibus nostris. Glossa :* « Pro nobis necessariis, quia nemo dat nobis. » Unde et Apostolus laborem manuum nunquam præcipit nisi illis qui a labore manuum abstinentes, causa victus acquirendi in peccata alia incidebant, ut supra probatum est. Et sic ex verbis Apostoli non potest probari nisi quod quilibet homo vel religiosus vel sæcularis tenetur manibus laborare potius quam se mori dimittat, vel victum aliquo modo illicito quærat. Et hoc concedimus.

Ad illud quod secundo objicitur, dicendum quod ex prima parte illius *Glossæ* non potest plus haberi nisi quod illud verbum Apostoli : *Si quis non laborat, nec manducet,* intelligitur de opere corporali contra quosdam monachos, qui dicebant illud verbum intelligendum esse de opere spirituali tantum, volentes quod servis Dei non liceret operari. Et hunc intellectum *Glossa* aufert, et Augustinus reprobat in lib. *De opere monach.*, unde *Glossa* sumitur. Habito ergo quod textus sit intelligendus : *Qui non vult operari,* scilicet corporaliter, *non manducet,* non sequitur quod quilibet qui manducare vult, teneatur manibus laborare. Si enim de omnibus hoc diceretur, esset contrarium ei quod paulo ante præmisit : *Nocte et die operantes, non quasi non habuerimus potestatem,* etc. Habebat ergo Apostolus potestatem manducandi sine labore manuum. Non igitur universaliter intelligendum est : *Si quis non vult operari, nec manducet.* Sed de quibus loquatur, patet manifeste per illud quod subditur : *Audivimus enim inter vos quosdam ambulantes inquiete, nihil operantes, sed curiose agentes ; Glossa :* « Qui fœda cura necessaria sibi provident. » *His autem qui ejusmodi sunt, denuntiamus ut cum silentio operantes suum panem manducent.* Cum enim nullo modo debeant fœda cura, id est illicito negotio, victum quærere, in idem redit eos non operari et non manducare. Quod autem subjungitur in *Glossa :* « Vult servos Dei corporaliter operari, » non simpliciter proponitur, sed cum conditione alterius mali vitandi, scilicet involuntariæ et coactæ mendicationis; quia sequitur : « Ut nec compellantur egestate necessaria petere. » Esset enim potius manibus laborandum quam ad tantam miseriam deveniendum, quod contra suum propositum et voluntatem aliquis

mendicare cogeretur. Nec tamen sequitur quod paupertatem assumentes, et ex humilitate mendicare volentes, laborare manibus teneantur.

Ad id quod tertio objicitur, dicendum quod Apostolus non præcepit laborem manuum absolute, sed cum quadam comparatione, ut scilicet quis potius manibus laborare debeat quam furari; dicit enim : *Qui furabatur, jam non furetur, magis autem laboret manibus suis,* etc. Ideo non sequitur quod religiosi, qui sine furto victum habere possunt, laborare manibus teneantur.

Ad illud quod quarto objicitur, dicendum quod illi qui omnia sua vendunt ut consilio Christi obediant, debent suis rebus venditis sequi Christum; unde Petrus dicit Matth., xix, 27 : *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te,* etc. Sequi autem potest aliquis Christum non solum opera vitæ contemplativæ operando, sed etiam opera activæ faciendo. Unde qui relictis omnibus contemplationi vacat, consilium Christi implet. Similiter qui relictis omnibus eleemosynas corporales vel spirituales facit prædicando vel docendo. *Glossa* ergo inducta ponit unum illorum quibus consilium Christi impletur, nec tamen per hoc alia excluduntur; alias *Glossa* contraria esset Evangelio : dicitur enim Luc., ix, 59, quod Dominus cuidam dixit : *Sequere me;* qui cum dilationem peteret causa sepeliendi patris, Dominus respondit : *Sine ut mortui sepeliant mortuos suos; tu autem vade, et annuntia regnum Dei.* Voluit ergo aliquos dimissis omnibus se sequi ad annuntiandum verbum Dei. Vel potest dici quod, cum textus sit consilium, totum quod in *Glossa* continetur, consilium est; et ideo ad hoc nullus tenetur, nisi ad hoc per votum obligetur.

Ad id quod quinto objicitur, dicendum quod hoc quod Apostoli manibus laboraverunt, quandoque quidem fuit necessitatis, quandoque supererogationis. Necessitatis quidem fuit quando ab aliis victum invenire non poterant, ut patet I Corinth., iv, per *Glossam* prius inductam. Quod etiam supererogationis fuerit, patet per id quod habetur I Corinth., ix. Hac tamen supererogatione de causis Apostolus utebatur. Quandoque quidem ut occasionem auferret pseudo-apostolis prædicandi, qui propter sola temporalia prædicabant, ut patet II Corinth., xi, 12 : *Quod autem facio et faciam, ut amputem occasionem eorum qui volunt occasionem, ut in quo gloriantur, inveniantur sicut et nos.* Quandoque propter avaritiam eorum quibus prædicabat, ne gravati, si Apostolo seminanti spiritualia providerent temporalia, a fide discederent, ut patet II Corinth., xii, 13 : *Quid est enim quod minus habuistis præ cæteris Ecclesiis, nisi quod ego ipse non gravavi vos?* Tertio ad dandum exemplum otiosis operandi. II Thessal., iii, 8 : *Nocte et die operantes, ne quem vestrum gravaremus;* et infra : *Ut nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos.* Nec tamen Apostolus laborabat in illis locis in quibus quotidie prædicandi facultatem habebat, sicut Athenis, ut Augustinus dicit in lib. *De opere monach.* Et ideo non est de necessitate salutis quod religiosi in hoc Apostolum imitentur, cum non teneantur ad omnes supererogationes. Unde nec alii apostoli manibus laborabant, nisi forte quando non inveniebant qui eis daret : in quo casu tenetur quilibet manibus laborare.

Ad id quod sexto objicitur, dicendum quod decreta illa loquuntur de illis clericis quibus facultates Ecclesiæ et oblationes fidelium non sufficiunt ad vivendum, qui debent victum manibus quærere.

Ad septimum dicendum quod Apostolus dat episcopis exemplum laborandi in casibus in quibus ipse laborabat, quando scilicet labore manuum ab occupationibus ecclesiasticis non impediuntur, et accipere sumptus esset in gravamen et scandalum subditorum de novo conversorum ad fidem.

Ad id quod octavo objicitur, dicendum quod labor manualis, ut per auctoritatem Hieronymi inductam patet, non solum assumitur ad victum quærendum, sed ad vanas cogitationes reprimendas, quæ nascuntur ex otio et carnis corruptione. Otium autem efficaciter removetur non solum per opera manualia, sed etiam per exercitia spiritualia, quibus etiam concupiscentia carnis frenatur; unde dicit Hieronymus in eadem epistola : « Ama scientiam Scripturarum, et carnis vitia non amabis. » Unde quantum ad corpus domandum et otium tollendum, labor manualis non est in præcepto, dummodo homo per alia spiritualia exercitia otium evitet, et corpus castiget aliis pœnitentiæ operibus; sicut jejuniis,

vigiliis et hujusmodi, inter quæ connumerat Apostolus laborem manuum, dicens II Corinth., VI, 5 : *In laboribus, in vigiliis, in jejuniis; Glossa:* « In laboribus operum, quia manibus suis operabatur. »

Ad illud quod nono objicitur, dicendum quod laborare manibus quandoque est melius quam non laborare et quandoque e converso. Quando enim aliquis per laborem manuum non retrahitur ab aliquo utiliori opere, melius est manibus laborare, ut exinde possit sibi sufficere et aliis ministrare; et præcipue quando esset in scandalum infirmorum fidelium, vel de novo conversorum ad fidem, si aliquis a labore manuum abstinens de sumptibus fidelium vivere vellet : in quo casu Apostolus manibus laborabat, ut patet per *Glossam* I ad Corinth., IX; et sic loquitur etiam *Glossa* inducta de Actibus. Quando autem per laborem manuum aliquis ab utiliori opere impeditur, tunc melius est a labore manuum abstinere, ut patet per *Glossam* Luc., IX, super illud : *Sine ut mortui sepeliant mortuos suos*, quæ supra fuit inducta ; et sicut patet per exemplum Apostoli, qui ab opere cessabat, quando prædicandi opportunitatem habebat. Facilius autem impedirentur moderni prædicatores a prædicatione per laborem manuum quam apostoli, qui ex inspiratione scientiam prædicandi habebant; cum oporteat prædicatores moderni temporis ex continuo studio ad prædicandum paratos esse, ut patet per auctoritatem Gregorii supra inductam.

Ad illud quod decimo objicitur, dicendum quod Augustinus illos ab opere desistentes contumaces dicit qui ex præcepto Apostoli laborare tenentur, quos et Apostolus, II ad Thessal., III, excommunicandos dicit : hi autem sunt qui otiose viventes ex fœda cura sibi victum acquirunt. Et quod de talibus Augustinus loquatur, patet ex his quæ supra dixerat assignans causam quare illi qui ex rusticana vita ad religionem convertuntur, laborare debeant; dicit enim : « Nec enim apparet utrum ex proposito servitutis Dei venerint, an vitam inopem et laboriosam fugientes, vacui pasci atque vestiri voluerint, et insuper honorari ab eis a quibus contemni conterique consueverant, » quos vult manibus operari. Tales enim manifeste sunt de numero otiosorum, quibus denuntiat Apostolus, ut *cum silentio operantes suum panem manducent.* Et præcipue contumaces Augustinus nominat illos qui dicebant non licere servis Dei manibus suis operari, sensum Apostoli pervertentes.

Ad illud quod undecimo objicitur, dicendum quod spiritualibus operibus quæ objectio tangit, potest quis vacare dupliciter : scilicet quasi inserviens utilitati communi, et quasi insistens utilitati privatæ, quod patet per singula. Potest enim aliquis orationibus et psalmis vacare, divinum officium in Ecclesia celebrando, quod est opus publicum ad Ecclesiæ ædificationem ordinatum; et potest etiam prædictis aliquis vacare per modum privatæ orationis, quod interdum etiam laici faciunt, et sic de aliis. Et sic loquitur Augustinus, non autem primo modo, quod patet ex hoc quod dicit quod cantica divina decantare manibus operantes possunt exemplo opificum, qui fabulis corda et linguas donant, cum tamen manibus ab opere non recedant : quod non sineretur in illis qui debent in Ecclesia horas canonicas celebrare. Similiter lectioni aliquis vacat quasi operi publico in scholis docendo, vel etiam addiscendo, ut magistri et scholares faciunt, religiosi vel sæculares, sed quasi operi privato, qui sibi ipsis ad consolationem suam Scripturas perlegunt, sicut monachi in claustris faciunt, et sic loquitur Augustinus. Unde non dicit : qui dicunt se vacare doctrinæ vel instructioni, sed dicit : « Qui dicunt se vacare lectioni. » Similiter verbo Dei aliquis insistit quasi operi publico, publice populis prædicando; sed tanquam privato operi insistit verbo Dei, qui alicui in communi locutione verba ædificatoria loquitur, sicut monachi in deserto fratribus ad se venientibus multa dicebant ad ædificationem ipsorum. Et sic loquitur Augustinus, quod patet ex hoc quod dicit : « Numquid omnes in monasterio possunt venientibus ad se fratribus divinas exponere lectiones? » Et ideo etiam non dicit : si prædicatio est eroganda, sed : « Si sermo erogandus est, » quia, ut dicit *Glossa* I Corinth., II, sermo est qui privatim fit, prædicatio autem quæ fit in communi. Illi ergo qui prædictis spiritualibus operibus quasi operibus publicis vacant, suo labore legitime victum acquirunt, a fidelibus accipiendo, utilitati communi inservientes. Qui autem prædictis operibus quasi privatis vacant, a labore manuum abstinentes, quan-

doque quidem sunt transgressores præcepti Apostolici, quando scilicet sunt de illis quibus denuntiat Apostolus, *ut cum silentio operantes suum panem manducent,* ut dictum est. De his ergo loquitur Augustinus, ut patet ex hoc quod dicit : « Cur et non præceptis apostolicis observandis aliquas partes temporum deputamus? » et etiam ex hoc quod dicit : « Citius exauditur una obedientis oratio quam decem millia contemptoris ; » et ex hoc quod dicit : « Quæ est ista perversitas, lectioni nolle obtemperare? » Ex quibus omnibus patet quod loquitur de vacantibus spiritualibus operibus, qui præceptum apostolicum transgrediuntur. Nec transgrediuntur nisi qui ad observandum obligantur ; de quibus prius dictum est : « Quandoque autem vacantes prædictis, » ut etiam privatis operibus, « Apostoli præceptum non transgrediuntur, manibus non operantes : quia non laboriosam vitam ex pigritia fugientes, vacui et otiosi volunt pasci ; sed abundantia divini amoris ab omni exteriori opere retrahuntur, ut contemplationi vacent, » ut per auctoritates supra inductas probatum est.

CAPUT XXXII.

An religiosis liceat omnia sua relinquere et sibi nihil retinere in proprio nec in communi.

Prædictis autem non contenti adversarii veritatis, religionum omnium fundamentum ab ipso Domino firmiter collocatum nituntur evertere, videlicet paupertatem, dicentes illicitum fore, omnibus dimissis, pauperem religionem ingredi, quæ possessiones aut reditus non habeat nisi forte sub proposito manibus laborandi, inducentes ad confirmationem sui erroris quod dicitur Proverb., xxx, 8 : *Mendicitatem et divitias ne dederis mihi : tribue tantum victui meo necessaria : ne forte satiatus illiciar ad negandum, aut egestate compulsus furer, et perjurem nomen Dei mei.* Sed ille qui dimissis omnibus pauperem religionem intrat, quæ possessiones non habet, victum sibi necessarium aufert, mendicitati se exponens ; præcipue si non habeat propositum labore manuum victum quærendi. Ergo committit se periculo furti et perjurii, in quo reprehensibilis videtur.

Item. Eccl., VII, 12, dicitur : *Utilior est sapientia cum divitiis; Glossa :* « quam sola. » Ergo reprehensibiliter agit qui sapientiam sine divitiis præeligit, divitias reliquens, ut sapientiæ vacet.

Item. Eccl., XXVII, 1, dicitur : *Propter inopiam multi deliquerunt; Glossa :* « propter inopiam cordis et operis. » Sed illud quod est causa periculi, est fugiendum. Ergo aliquis se inopem facere non debet, omnia sua relinquendo.

Item. II ad Cor., VIII, 12, Apostolus dat formam fidelibus eleemosynas faciendi, sic dicens : *Si voluntas prompta est, secundum id quod habet, accepta est; Glossa :* « ut necessaria retineat tantum, accepta est, *non secundum id quod habet,* id est ultra vires. » *Non enim* volo *ut aliis sit remissio, vobis autem tribulatio; Glossa :* « id est paupertas. » Sed ille qui omnia dat, non retinet necessaria sibi, sed ultra vires dans paupertatem patitur. Ergo inordinate dat, et contra formam ab Apostolo traditam.

Item. I Thessal., V, 12, super illud, *Rogamus autem vos, fratres, ut noveritis,* dicit *Glossa :* « Sicut divitiæ negligentiam pariunt salutis, ita egestas, dum salutari quærit, a justitia declinat. » Sed illi qui relictis omnibus pauperem religionem intrant, se egestati subjiciunt. Ergo ponunt se in periculo declinandi a justitia, quod videtur reprehensibile.

Item. I ad Timoth., VI, 8, super illud, *Habentes alimenta, et quibus tegamur,* dicit *Glossa :* « Etsi nil intulerimus vel ablaturi sumus, non tamen omnino abjicienda sunt hæc temporalia. » Sed ille qui dimissis omnibus religionem intrat quæ temporalibus possessionibus caret, omnino temporalia abjicit. Ergo inordinate agit.

Item. Super illud Luc., III, 11 : *Qui habet duas tunicas, det non habenti; Glossa :* « De duabus tunicis dividendis datur præceptum : quia si una dividitur, nemo vestitur. Misericordiæ enim ipsius pro possibilitate[1] humanæ conditionis servatur mensura, ut non sibi unusquisque totum eripiat, sed quod habet cum paupere partiatur. » Ergo qui omnia pauperibus dat, nihil sibi reservans, ultra mensuram et immoderate dat, et ita peccat.

[1] Al. : « passibilitate. »

Item. Super illud Lucæ, xii, 29 : *Nolite quærere quid manducetis; Glossa :* « Non præcepit ut nihil pecuniæ ad usus necessarios reservetur a sanctis; cum et ipse Dominus loculos habuisse legatur. » Sed nisi esset bonum reservare aliquid sibi, reservatio prohibita esset, nec Dominus aliquid reservasset. Ergo bonum et expediens est aliquid sibi reservare, et non omnia relinquere.

Item. Dare danda et non danda est actus prodigalitatis. Sed ille qui dat omnia, dat danda et non danda; cum nihil non dandum sibi reservet. Ergo talis peccat vitio prodigalitatis.

Item. Roman., xii 1 : *Rationabile obsequium vestrum; Glossa :* « Ne quid nimis sit. » Sed dare omnia est dare nimis, quia excedit medium, quod tenet liberalitas in dando, quæ dat aliqua, et reservat quædam. Ergo qui omnia dans religionem intrat, non præstat rationabile obsequium Deo.

Item. Exod., xx, 13, dicitur : *Non occides ; Glossa :* « substrahendo consilium vitæ cui debes dare. » Sed consilium vitæ conservandæ adhibetur per bona temporalia. Ergo qui bona temporalia subtrahit sibi, cui maxime debet consilium vitæ adhibere, venit contra illud præceptum Decalogi : *Non occides,* sibi manus injiciendo.

Item. Thren., iv, 9 : *Melius fuit occisis gladio quam interfectis fame.* Ergo se exponere fami pejus est quam se exponere gladio. Sed hoc non licet, dum homo habet quod faciat sine peccato, ut Augustinus dicit. Ergo multo minus licet se fami exponere : quod facere videntur qui sua relinquunt nihil sibi reservantes.

Item. Plus homo sibi tenetur quam alii. Sed peccaret aliquis qui alteri totum subtraheret unde vitam sustentare deberet, et quodammodo ipsum occideret; Eccli., xxxiv, 25 : *Panis egentium vita pauperis est : qui defraudat illum, homo sanguinis est.* Ergo peccat, seipsum quodammodo occidens, qui omnia relinquit ut religionem intret, in qua communes possessiones non sunt unde sustententur.

Item. Totius perfectionis exemplar vita Christi est. Sed Christus habuit unde vitam sustentaret : legitur enim Joan., xii, loculos habuisse; et Joan., iv, legitur quod discipuli ejus iverant in civitatem, ut cibos sibi emerent. Ergo non est perfectionis quod aliquis omnia det, nihil sibi reservans.

Item. Omnis religionis observatio habet ortum a conversatione discipulorum Christi; unde dicit Hieronymus in lib. *De illustribus viris,* quod tales in primitiva Ecclesia erant omnes christiani, quales modo sunt religiosi etiam perfectissimi. Et hoc idem habetur in *Collationibus Patrum,* et haberi potest ex *Glossa,* quæ habetur Act., iv, super illud : *Multitudinis credentium,* etc. Sed de his dicitur Act., vi, quod erant illis omnia communia, et nullus erat egens inter eos. Ergo illi qui dimissis propriis non habent possessiones in communi, quos oportet esse egentes, non religiosam, sed superstitiosam vitam ducunt.

Item. Dominus mittens discipulos ad prædicandum, duo eis præcepta dedisse videtur : unum scilicet ut nihil in via secum ferrent, ut patet Matth., x, Marc., ix, et Luc., vi ; aliud ut in viam gentium ne abirent, ut dicitur Matth., x. Primum autem videtur revocasse passione imminente Luc., ii, 36 : *Sed nunc qui habet sacculum, tollat similiter et peram.* Secundum præceptum revocasse videtur Matth., ult., 19 : *Euntes, docete omnes gentes ;* et Marc., ult., 15 : *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ.* Sed post revocationem secundum præceptum nullatenus est observandum, sed magis est Evangelium gentibus prædicandum. Ergo nec primum præceptum est deinceps observandum, ut aliquis scilicet totaliter subsidia vitæ a se abjiciat.

Item. XII, quæst. i, dicitur : « Expedit facultates Ecclesiæ possideri, et proprias perfectionis amore contemni; » et infra : « Satis ostenditur et propria debere propter perfectionem contemni, et sine impedimento perfectionis posse Ecclesiæ facultates, quæ sunt profecto communes, possideri. » Ergo etsi aliqui omnia sua dimittant ad religionem convolantes, talem tamen religionem debent eligere quæ habeat facultates communes.

Item. Quæst. eadem, cap. *Videntes,* dicitur quod summi sacerdotes statuerunt possessiones Ecclesiæ conferri, ut inter eos qui in communi vita degunt, nullus egens inveniatur. Si ergo aliqui communibus possessionibus spretis in egestate vivant, contra statuta sanctorum Patrum faciunt, et ita peccant.

Item. Matth., IV, super illud : *Si Filius Dei est, mitte te deorsum; Glossa :* « Nemo debet tentare Deum, quando habet ex humana ratione quid faciat ; » et infra : « Postquam deficit humana ratio, commendet se homo Deo non tentando, sed devote confidendo. » Sed ille qui habet divitias, quibus potest resistere his quæ corrumpunt corpus, scilicet calori naturali, et aliis hujusmodi, contra quæ munimur per victum et vestitum, habet ex humana ratione qui faciat. Ergo si his auxiliis sibi subtractis ab eo victum expectet, videtur quod peccet tentando Deum; sicut si aliquis videns ursum venientem, arma deponeret, quibus vitam suam poterat tueri, videretur tentare Deum.

Item. Illa quæ quotidie a Deo petimus, non sunt abjicienda. Sed corporalia necessaria ad vitam quotidie a Deo petimus dicentes : *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Ergo temporalia non sunt omnino abjicienda, ut scilicet aliquis voluntarie se subjiciat paupertati.

Item. In decr. *De consecr.*, dist. I, cap. *Nemo,* dicitur quod « Ecclesia non debet ædificari, antequam ille qui vult ædificare providerit quæ ad alimenta et custodiam et stipendia custodum sufficiant. » Ergo illi qui possessiones non habent, contra decreta sanctorum Patrum vivunt.

Item. Modus iste vivendi cum communibus possessionibus in religionibus est approbatus per antiquos Patres, Augustinum, Basilium, Benedictum et multos alios. Ergo temerarium videtur alium modum novum inducere.

Item. In Novo Testamento discipulis Christi imponitur ut necessitatibus pauperum subveniant. Sed hoc non potest fieri ab illis qui nec proprias nec communes possessiones habent. Ergo talis modus vivendi non est approbandus.

CAPUT XXXIII.

Quod dicta assertio est erronea et unde habuit ortum error iste.

Sed quia rerum cognitiones interdum ex sua pensantur origine, prædictæ positionis ortum et processum investigemus.

Sciendum ergo est hæreticum quemdam fuisse Romæ antiquis temporibus, Jovinianum nomine, qui in hunc errorem lapsus est ut diceret, omnium baptizatorum qui suum baptisma servaverunt, unam in regno cœlorum esse remunerationem, ut Hieronymus narrat in libro quem contra eum scribit; ex quo intantum processit ut diceret, virgines, viduas et maritatas, quæ semel in Christo sunt lotæ, si non discrepent cæteris operibus, ejusdem meriti esse ; et quod inter abstinentiam ciborum et perceptionem eorum cum gratiarum actione nulla esset differentia, matrimonium per hoc virginitati adæquans; in quo consilium de virginitate servanda enervabat, quod habetur a Domino, Matth., XIX, 2 : *Non omnes capiunt verbum istud*, scilicet ut a nuptiis abstineatur, sed *qui potest capere capiat;* et ab Apostolo I Corinth., VII, 25 : *De virginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium autem do.* Unde positio ejus pro hæresi damnata est, ut Augustinus narrat. Hic autem Joviniani error in Vigilantio surrexit, ut Hieronymus dicit in *Epistola contra Vigilantium*, qui veritatem fidei impugnabat, ut ibidem dicitur, pudicitiam odio habens, et in convivio sæcularium contra jejunia sanctorum declamans, ut Hieronymus in *eadem epistola* dicit. Nec solum contentus fuit Jovinianum imitari, consilium de virginitate evacuans; sed superaddere ausus est etiam, ut consilium de paupertate servanda destrueret omnino ; unde Hieronymus de eo dicit : « Quod autem asserit, eos melius facere qui utuntur rebus suis, et paulatim fructus possessionum pauperibus dividunt, quam illos qui possessionibus venumdatis simul omnia largiuntur; non a me ei, sed a Deo respondebitur : Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quæ habes, et da pauperibus. » Matth., XIX, 21. Hic autem error per successiones errantium usque ad hodierna tempora pervenit; et in hæreticis quibusdam qui cathari nominantur, permansit, et adhuc permanet, sicut patet in quodam tractatu cujusdam Desiderii hæresiarchæ Lombardi nostri temporis, quem edidit contra catholicam veritatem, in quo inter cætera condemnat statum eorum qui, relictis omnibus, egere volunt cum Christo. Nuper autem, quod est horribilius, antiquus error renovatus est ab his qui fidem defendere videbantur; qui more errantium in pejus procedentes, non sunt contenti divitias paupertati æquare, ut Jovinianus;

vel divitias paupertati præferre, ut Vigilantius; sed paupertatem totaliter condemnare, dicentes non esse licitum sua omnia pro Christo relinquere, nisi talem religionem intret quæ possessiones habeat, vel nisi talis sit qui labore manuum vivere intendat. Asserunt etiam paupertatem laudari in Scriptura non actualem qua aliquis se rebus temporalibus expoliat, sed habitualem, qua aliquis rem temporalem contemnit corde, et si re[1] possideat.

CAPUT XXXIV.

Ordo processionis ad destructionem illorum.

Ad destructionem igitur hujus erroris hoc modo procedemus.

Primo enim ostendemus ad perfectionem evangelicam pertinere non solum paupertatem habitualem, sed etiam actualem, quæ fit per abjectionem rerum temporalium.

Secundo ostendemus quod hæc perfectio manet, etiamsi possessiones in communi non habeantur.

Tertio, quod hæc perfectio etiam in his qui possessionibus carent, non semper requirit manuum laborem.

Quarto solvemus ea quæ pro se inducunt.

CAPUT XXXV.

Quod paupertas non solum habitualis, sed etiam actualis, qua scilicet omnia relinquuntur propter Christum, pertinet ad perfectionem evangelicam; unde est laudabilis et perfectissima.

Ad ostendendum autem paupertatem actualem ad evangelicam perfectionem pertinere, assumatur primo illud quod dicitur Matth., XIX, 21 : *Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quæ habes, et da pauperibus.* Sed ille qui sua vendit et pauperibus tribuit, non solum habitualem paupertatem eligit, sed etiam actualem. Ergo actualis paupertas ad evangelicam perfectionem pertinet.

Item. Perfectio evangelica consistit in imitatione Christi. Sed Christus non solum voluntate, sed etiam realiter fuit pauper; unde Matth., XVII, super illud : *Vade ad mare, Glossa :* « Dominus tantæ paupertatis fuit, ut unde tributum solveret, non haberet, » et Luc., IX, super illud : *Vulpes foveas habent,* etc., dicit *Glossa :* « Ego sum tantæ paupertatis, ut nec hospitium quidem habeam, nec meo utar tecto, » et per multas alias auctoritates de facili hoc probari potest. Ergo actualis paupertas ad perfectionem pertinet evangelicam.

Item. Perfectio evangelica in apostolis maxime claruit. Sed ipsi actualem paupertatem habuerunt, sua omnia relinquentes; unde Petrus dixit, Matth., XIX, 27 : *Ecce nos reliquimus omnia,* etc.; et ideo Hieronymus dicit ad Ebidiam : « Vis esse perfecta, et in primo stare fastigio dignitatis? Fac quod fecerunt apostoli, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et sequere Salvatorem, et nudam solamque crucem nuda sequaris et sola. » Ergo actualis paupertas ad evangelicam perfectionem pertinent.

Item Marc., X, 23, super illud : *Quam difficile qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt! Glossa :* « Aliud est pecuniam habere, aliud amare. Multi habent et non amant; et multi non habent et amant. Item alii et habent et amant, alii vero non habere nec amare se gaudent; qui tutiores sunt, et quidem cum Apostolo dicere possunt : *Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.* » Ergo actualis paupertas et habitualis simul præferenda est habituali paupertati.

Item. Idem potest haberi Matth., XIX, 23, per *Glossam* super illud : *Dives difficile intrabit in regnum Dei; Glossa :* « De omnibus tutius est nec habere nec amare divitias. »

Item Jac., II, 5 : *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo? Glossa :* « Inopes rerum temporalium. » Hoc autem non est nisi per actualem paupertatem. Ergo actualiter pauperes sunt electi a Deo.

Item. Luc., XIV, 33, dicitur : *Qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus; Glossa :* « Hoc tamen distat inter renuntiare omnibus et relinquere omnia, quia renuntiare convenit omnibus, qui ita licite utuntur omnibus mundanis quæ possident, ut tamen mente tendant ad æterna; relinquere est tantum-

[1] Cod. 3109 : « rem. »

modo perfectorum, qui omnia temporalia postponunt, et solis æternis inhiant. » Ergo relinquere quod pertinet ad actualem paupertatem, est evangelicæ perfectionis; sed renuntiare quod pertinet ad habitualem, secundum *Glossam* prædictam, est de necessitate salutis.

Item. Hieronymus, in *Epistola contra Vigilantium,* post verba inducta subjungit : « Ad eum loquitur Dominus qui vult esse perfectus, qui cum apostolis patrem, naviculam, et rete dimittit. Iste quem tu laudas, secundus et tertius gradus est, qui scilicet fructum possessionum dat pauperibus, quem et nos recipimus; dummodo sciamus prima secundis et tertiis præferenda. » Ergo patet quod præferendi sunt illi qui omnia sua dimittunt, illis qui de fructibus possessionum dividunt pauperibus.

Item. In *Epistola ad Rusticum monachum :* « Si habes substantiam, vende et da pauperibus, si non habes, grandi onere liberatus es; nudum Christum nudus sequere. Durum, grande, difficile; sed magna sunt præmia. » Et multa alia hujusmodi ex epistolis Hieronymi accipi possunt, quæ de actuali paupertate necesse est ut intelligantur, quæ causa brevitatis dimittuntur.

Item, Augustinus (Gennadius) dicit in lib. *De ecclesiasticis dogmatibus :* « Bonum est facultates cum dispensatione pauperibus erogare ; melius est pro intentione sequenti Dominum insimul donare, et absolutum a sollicitudinibus egere cum Christo. » Et sic idem quod prius.

Item. Ambrosius in lib. *De offic. :* « Nullum adminiculnm præstant divitiæ ad vitam beatam, quod evidenter Dominus in Evangelio demonstravit, dicens : Beati pauperes, quoniam vestrum est regnum Dei; » et infra : « Itaque paupertatem, famem et dolorem, quæ putantur [1] mala, non solum impedimento non esse ad vitam beatam, sed adjumento esse, evidentissime pronuntiatum est. » Sed hoc non potest intelligi de paupertate habituali qua homo divitias subjicit, quia hæc a nullo putantur impeditiva beatitudinis. Ergo oportet quod intelligatur de paupertate actuali, quæ omnia abjicit.

Item. Gregorius dicit in VIII *Homiliæ secundæ partis super Ezech. :* « Cum quis suum aliquid Deo vovet, et aliquid non vovet, sacrificium est; cum vero omne quod habet, omne quod vivit, omne quod sapit, omnipotenti Deo voverit, holocaustum est. » Sed holocaustum erat dignissimum sacrificiorum. Ergo perfectissimum opus est omnia sua propter Deum dimittere.

Item. Gregorius in *Prologo Moral. :* « Cumque adhuc me cogeret animus præsenti mundo quasi specie tenus deservire, cœperunt multa contra me ex ejusdem mundi cura succrescere, ut in eo jam non specie, sed, quod est gravius, mente retinerer, qui tandem cuncta sollicite fugiens, portum monasterii petii, et relictis quæ mundi sunt, ut frustra tunc credidi, ex hujus mundi naufragio nudus evasi. » Ex quo patet quod periculum est res mundi possidere, quia earum possessio periculose mentem retinet; et ideo laudabilius est etiam possessiones rerum temporalium a se abjicere per actualem paupertatem, ut mens a cura divitiarum liberetur.

Item. Chrysostomus dicit in lib. quod *nemo læditur nisi a se ipso :* « Quid apostolos penuria rerum corporalium læsit? Nonne in fame et siti et nuditate degebant; et pro his clari magis et magnifici habebantur, atque ingentem per hoc fiduciam quæsierunt apud Deum? » Ex quo patet quod actualis paupertas, quæ in penuria rerum consistit, ad apostolicam perfectionem pertinet.

Item. Bernardus dicit ad Senonensem archiepiscopum : « Felix qui nihil sibi retentat ex omnibus quæ habet, non foveam ut vulpes, non tanquam volucres, nidum; non loculos, quomodo Judas, non domos, sicut nec Maria locum in diversorio, imitatus profecto illum qui non babebat ubi caput suum reclinaret. » Ex quo patet quod nihil omnino possidere in mundo, ad christianam perfectionem pertinet.

Item. I, quæst. II, cap. *Si quis :* « Profecto perfectior est ille qui se rebus mundi expoliat, aut qui cum nihil habuerit, nec habere desiderat, quam ille qui ex multis quæ possidet, aliquid Ecclesiæ præstiterit. » Ex quo patet quod nihil possidere ad perfectionem christianam pertinet.

Item. Eum qui vacat contemplationi divinæ, magis oportet esse a rebus mundanis liberum, quam eos qui contemplationi philosophiæ vacabant. Sed philosophi, ut

[1] Al. : « ponantur. »

libere philosophiæ vacarent, laudabiliter mundi substantiam abjecerunt; unde Hieronymus dicit *Ad Paulinum presbyterum, de institutione monachorum :* « Socrates ille Thebanus, homo quondam ditissimus, cum ad philosophandum Athenas pergeret, magnum auri pondus abjecit; nec putavit se posse et virtutes simul et divitias possidere. » Ergo multo magis ad vacandum contemplationi divinæ, laudabile est omnia sua relinquere; unde super illud Matth., XIX : *Si vis perfectus esse*, etc., dicit *Interlinearis :* « Ecce contemplativa, quæ ad Evangelium pertinet. »

Item. Præmium excellens non debetur nisi merito excellenti. Sed præmium excellens, id est judiciaria potestas, debetur actuali paupertati, sicut patet Matth., XIX, super illud : *Vos qui reliquistis*, etc., *sedebitis*, etc., ubi dicit *Glossa :* « Qui reliquerunt omnia, et secuti sunt Dominum, hi judices erunt; qui licita habentes, recte usi sunt, judicabuntur. » Ergo in actuali paupertate meritum excellens consistit.

Item. I ad Corinth., VII, Apostolus consilium dans de virginitate servanda, rationem assignat, ut scilicet sine sollicitudine sint. Sed abjectio divitiarum maxime facit hominem sine sollicitudine esse, quia divitiæ suis possessoribus de necessitate multas sollicitudines ingerunt; unde Luc., VIII, divitiæ per spinas significantur quæ verbum sua sollicitudine suffocant in cordibus auditorum. Ergo sicut virginitas, ita actualis paupertas ad evangelicam perfectionem pertinet.

CAPUT XXXVI.

Quod non requiritur ad perfectionem prædictæ paupertatis, ut habeant possessiones in communi, sed etiam perfectius est habere.

Ulterius ostendemus quod ista perfectio qua aliquis reliquit propria, non requirit possessionem divitiarum in communi. Primordium enim perfectionis in Christo et in apostolis fuit. Sed ipsi non leguntur sua relinquentes aliquas possessiones habuisse in communi; imo potius legitur quod nec etiam domos habebant ad manendum, ut supra probatum est. Ergo perfectio paupertatis non requirit aliquas possessiones communes.

Item. Augustinus in III *De doct. christiana* dicit quod illi qui conversi fuerunt ex Judæis ad Christum in primitiva Ecclesia, quia « proximi spiritualibus fuerunt, tam capaces extiterunt Spiritus sancti, ut omnia sua venderent eorumque pretium indigentibus distribuendum ante pedes apostolorum ponerent; » et infra : « Non enim hoc ullas Ecclesias gentium fecisse scriptum est, quia non tam prope inventi erant qui simulacra manufacta deos habebant. » Ex quo patet quod Augustinus præfert perfectionem primitivæ Ecclesiæ Judæorum, primitivæ Ecclesiæ ex gentibus, in hoc quod omnia sua vendiderunt pauperibus distribuenda. Sed ipsi ita vendiderunt propria, quod nullas possessiones in communi reservaverunt sibi. Ergo majoris perfectionis est paupertas illa sine possessionibus in communi quam illa quæ in communi possessiones habet.

Item. Hieronymus *Ad Heliodorum de morte Nepotiani*, irridendo loquens dicit : « Sint ditiores monachi quam fuerant sæculares; possideant opes sub paupere Christo, quas sub locuplete diabolo non habuerant; et suspiret eos Ecclesia divites, quos tenuit mundus ante mendicos. » Hoc autem frequenter contingere potest in religionibus quæ possunt possessiones habere, non autem in illis quæ possessionibus carent. Ergo magis est laudabile in religionibus carere quam eas habere.

Item. Hieronymus *Ad Lucinum Beticum :* « Quamdiu versamur in rebus sæculi, et anima nostra possessionum ac redituum procuratione devicta est, de Deo libere cogitare non possumus. » Ergo magis expedit religiosis, reditibus et possessionibus carere quam eas habere.

Item. Gregorius dicit in III lib. *Dialogorum*, loquens de Isaac servo Dei : « Cumque ei crebro discipuli innuerint ut pro usu monasterii possessiones quæ offerebantur acciperet, ille sollicitus suæ paupertatis custos fortem illam suam tenebat sententiam, dicens : Monachus qui in terra possessiones quærit, non est monachus. Sic quippe metuebat paupertatis suæ securitatem perdere, sicut avari divites solent perituras divitias custodire. » Ex quo patet quod majoris perfectionis et securitatis est possessionibus communibus carere quam eas habere.

Item. Inter monachos Ægypti, de quibus

in *Vitis Patrum* legitur, perfectiores illi reputabantur qui in eremo nullas possessiones habuisse leguntur. Non ergo possessiones communes ad paupertatem evangelicam requiruntur.

Item. Communes possessiones auferre in potestate tyrannorum consistit. Si ergo non sunt relinquenda omnia nisi intretur in religionem quæ possessiones habeat, in potestate tyrannorum erit impedire perfectionem evangelicæ paupertatis, quod est absurdum.

Item. Ad hoc paupertas consulitur, ut sollicitudo de rebus mundi minuatur. Sed possessiones communes multas sollicitudines ingerunt de ipsis conservandis et custodiendis et excolendis. Ergo perfectius consilium paupertatis impletur ab illis qui communes possessiones non habent.

CAPUT XXXVII.

Quod non omnes religiosi qui carent possessionibus in communi tenentur de necessitate ad laborandum manibus.

Ulterius ostendemus quod paupertas prædicta laborem manuum non requirit in omnibus de necessitate. Sicut enim dicit Augustinus in lib. *De opere monach.* : « Illi qui habebant in sæculo aliquid quo sine opificio sustentarent hanc vitam, quod conversi ad Deum indigentibus dispartiti sunt, non sunt cogendi manibus laborare. » Sed tales laudabiliter voluntariam paupertatem pro Christo assumunt, etiamsi communes possessiones non habeant; tales enim fuisse multos in primitiva Ecclesia in Jerosolymis legimus, ut Augustinus ibidem dicit. Ergo illi qui paupertatem eligunt, etsi communes possessiones non habeant, non tenentur manibus laborare.

Item. Nullus tenetur manibus laborare quasi ex præcepto, nisi in illo casu quo aliunde licite victum habere non potest. Sed illi qui possessiones non habent, non aliunde ad laborem manuum obligantur quam ex præcepto, nisi forte ex voto. Ergo non simpliciter verum est quod ad laborem manuum teneantur, sed solum in casu, quando scilicet alias licite victum habere non possent, in quo etiam casu quilibet homo teneretur manibus laborare, vel etiam nisi ad hoc ex statuto suæ regulæ tenerentur.

Item. Consilium de paupertate a Domino datum, ad vitam contemplativam ordinatur, ut patet per *Glossam*, Matth., XIX, super illud : *Si vis perfectus esse,* etc.; *Glossa :* « Ecce contemplativa vita, quæ ad Evangelium pertinet. » Sed eos quos oportet victum quærere manuum labore, necesse est plurimum a contemplationis opere retardari. Si ergo qui pauperem vitam eligunt propter Christum, necesse habent manibus laborare, sequitur quod consilium paupertatis magis impediat quam promoveat id ad quod ordinatur, et ita erit indiscretum consilium, quod dicere est absurdum.

Item. Si eos qui relinquunt omnia propter Christum, oportet intentionem habere ut manibus laborent : aut ista intentio ordinatur ad laborem manuum propter seipsum, aut propter victum quærendum, aut propter eleemosynas faciendas ex his quæ labore manuum acquiruntur. Sed ridiculum est dicere quod spiritualis perfectio, quæ in paupertate consistit, ad laborem manualem propter seipsam ordinetur; sic enim labor corporalis perfectioni præferretur. Similiter non potest dici quod intentio eorum debeat ordinari ad laborem manuum propter victum quærendum, tum quia victum habere poterant ex rebus quas dimiserant, tum quia labor manuum pauperibus Christi, qui orationibus et aliis spiritualibus bonis vacant, ad victum non sufficit de facili; unde etiamsi manibus laborent, indigent a fidelibus sustentari, ut dicit Augustinus in lib. *De opere monach.* Similiter non potest dici quod labori manuum debeant intendere propter eleemosynas exinde faciendas, quia multo largiores eleemosynas ex rebus possessis[1] prius facere potuissent; et sic eos non oportebat propter hoc sua relinquere, ut ex labore manuum eleemosynas facerent. Ergo non oportet quod illi qui sua relinquentes, possessiones communes non habent, laborare manibus intendant ad hoc quod faciant illa quæ supra de labore manuum dicta sunt.

[1] Al. : « processis. »

CAPUT XXXVIII.

Responsiones ad objecta per istos adversarios inducta contra veritatem.

Nunc restat respondere his quæ ab adversariis in contrarium objiciuntur.

Ad id ergo quod primo objicitur : *Mendicitatem et divitias,* etc., dicendum quod, sicut divitiæ non sunt in culpa, sed divitiarum abusus, ita mendicitas sive paupertas non est in culpa, sed paupertatis abusus, quando scilicet aliquis paupertatem invitus, et impatienter sustinet, tunc enim desiderio divitiarum in multa peccata quandoque incidit. I ad Tim., VI, 9 : *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum diaboli,* etc.; et hoc est quod dicit Chrysostomus super Matth. : « Audite quicumque pauperes estis, magis autem qui ditari concupiscitis, non pauperem esse malum est, sed non velle pauperem esse. » Patet ergo quod coacta paupertas aliquando pericula habet annexa, quæ a voluntaria paupertate sunt procul. Qui enim sunt in voluntaria paupertate, divites fieri nolunt. Quod ergo dicit Salomon : *Mendicitatem et divitias ne dederis mihi,* intelligitur de paupertate involuntaria, quod patet ex hoc quod sequitur : *Ne egestate compulsus furer,* etc.; et etiam *Glossa* dicit quod « vir cum quo est Deus, petit ne copia, vel inopia transeuntium rerum in oblivionem decidat æternorum. » Ex quo patet quod abusum divitiarum et paupertatis sapiens fugiendum docet, non ipsas divitias vel paupertatem.

Ad illud quod secundo objicitur, quod *utilior est sapientia cum divitiis,* etc., dicendum quod verbum illud Salomonis procedit secundum regulam quam Philosophus docet in I lib. *Ethic.,* quod maximum bonum, sicut felicitas, connumeratum minimo bonorum est eligibilius; unde etsi sapientia quæ inter maxima bona computatur, connumeretur cum divitiis, quæ sunt de minimis bonis, est eligibilior. Sed secundum hanc regulam, maximum bonum connumeratum alteri maximo bono, est eligibilius quam si connumeretur minimo bono, vel per seipsum accipiatur. Unde sapientia cum perfectione evangelica, quæ in paupertate consistit, quæ est de maximis bonis, est eligibilior quam sapientia per se accepta, vel sapientia cum divitiis.

Ad illud quod tertio objicitur : *Propter inopiam multi perierunt,* dicendum quod loquitur de inopia involuntaria [1], quæ habet de necessitate desiderium divitiarum annexum ; unde ibi sequitur : *Qui quærit locupletari, Glossa,* « in mundo, » *avertit oculum suum, Glossa,* « interiorem a timore Dei. »

Ad illud quod quarto objicitur, dicendum quod *Glossa* illa detruncate proponitur, et contra intentionem glossatoris, quod patet, quia post inducta verba subjungitur in *Glossa :* « Non hoc ideo dixit quin melius esset dare omnia ; sed infirmis timet quod sic dare monet, ut egestatem non patiantur. »

Ad quintum dicendum quod hoc quod dicitur, quod « egestas a justitia [2] declinat, » intelligendum est de egestate coacta, quæ habet desiderium divitiarum annexum, quod patet per hoc quod dicit : « Dum saturari quærit. » Saturitas enim copiam quamdam importat, quam quærunt qui non sunt modicis contenti, secundum illud I ad Timoth., VI, 8 : *Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus;* unde subjungit rationem, *nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli,* quia desiderium prædictæ copiæ a justitia frequenter declinare facit.

Ad sextum dicendum quod illud quod dicitur, quod temporalia non sunt omnino abjicienda, intelligendum est, quin eis utamur ad sustentationem vitæ in cibo et potu et vestitu, quod patet ex hoc quod dicitur : *Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus,* non tamen intelligit quin homo possit omnium temporalium curam a se abjicere.

Ad illud quod septimo objicitur, dicendum quod in rebus temporalibus quædam sunt quæ sunt necessaria ad sustentationem vitæ præsentialiter, sicut vestis qua induor, et cibus et potus, quibus uti debeo ad præsens. De hujusmodi autem si tantum suppetat mihi quod et alii sufficiat, debeo indigenti providere ; et alias non debeo mihi totum eripere, ut scilicet nudus remaneam, vel absque cibo et potu tempore comestionis, et de his loquitur *Glossa.* Quædam autem sunt temporalia quæ re-

[1] Al. : « voluntaria. » — [2] Parm. : « amicitiam declinat. »

servantur ad providendum necessitati corporis in futurum, sicut pecunia, possessiones et hujusmodi; et ista talia possunt a perfectis viris totaliter aliis dari, quia interim antequam necessitas immineat, potest per divinam providentiam multipliciter subveniri, de qua fiduciam habere monemur in Scripturis.

Ad illud quod octavo objicitur, dicendum quod quamvis non sit præceptum quod nihil pecuniæ ad usus necessarios reservetur, est tamen consilium, nec Dominus loculos habuit quasi alias ei non potuisset provideri; sed ut infirmorum gerens personam, ut sibi licitum crederent quod a Christo observatum viderent; unde Joan., XII, super illud. *Et loculos habens*, dicit *Glossa :* « Cui ministrant angeli, loculos habet in sumptus pauperum, condescendens infirmis, » et super illud Psal. CIII : *Producens fenum jumentis,* dicit *Glossa :* « Dominus loculos habuit in usus eorum qui cum eo erant, et suos, personam infirmorum magis suscipiens, ut ibi : *Tristis est anima mea.* » Habuit et religiosas mulieres in comitatu, quæ ministrabant ei de substantia sua. Prævidit enim multos infirmos futuros, et ista quæsituros. Et tamen loculos quos habebat, ex possessionibus non impleverat; sed ex his quæ ei a devotis et fidelibus administrabantur.

Ad nonum dicendum quod, sicut in II *Ethic.* determinatur, medium in virtutibus non accipitur secundum distantiam ab extremis, sed secundum debitam proportionem circumstantiarum, quam facit ratio recta; unde non oportet quod medium virtutis sit inter superfluum et diminutum in unaquaque circumstantia secundum se considerata; sed in una circumstantia per comparationem ad alias. Contingit enim quandoque quod unius circumstantiæ medium variare oportet secundum variationem alterius circumstantiæ verbi gratia, in sobrietate modus hujus circumstantiæ *quis* variatur secundum varietatem hujus circumstantiæ *quid;* constat enim quod aliquid in cibum sumere est alicui personæ moderatum, quod alteri personæ est superfluum, alteri vero diminutum. Unde aliquando contingit quod una circumstantia in suo maximo existens moderatur secundum proportionem ad aliam circumstantiam, sicut in magnanimitate contingit. Magnanimus enim, secundum Philosophum in IV *Ethic.*, maximis se dignificat, unde qui excedit hanc virtutem in superfluitate, quem caymum vocat, non dignificat se majoribus quam magnanimus; sed in hoc excedit virtutis modum, quod illa quæ erant magnanimo moderata, sibi sunt superflua. Patet ergo quod medium virtutis non corrumpitur ex hoc quod una circumstantia in sui summo accipiatur, dummodo per alias circumstantias moderetur. Si ergo in liberalitate consideremus quantum sit dandum, et accipiatur ultimum circumstantiæ hujus, videlicet omnia dare, aliquibus circumstantiis adjunctis, cadet in superfluitatem, et erit prodigalitatis vitium; aliis autem circumstantiis adjunctis, erit perfectæ liberalitatis opus; verbi gratia, si daret aliquis omnia sua ut consulat patriæ, cui periculum destructionis imminet, non reputabitur a morali philosopho prodigus, sed perfecte liberalis. Similiter qui omnia sua dat propter Christi consilium implendum, non est prodigus, sed perfectum actum virtutis agit. Si autem non debito fine, aut aliis circumstantiis indebitis omnia daret, prodigus esset. Et similiter est dicendum de virginitate et de aliis hujusmodi, in quibus videtur excessus contra commune medium virtutis. Sic ergo patet quod dare omnia propter Christum, non est dare danda et non danda, sed est dare danda tantum. Quamvis enim non omnia sint danda quocumque modo, sunt tamen danda propter Christum.

Ad decimum dicendum quod gratia est perfectio naturæ; unde nihil quod ad gratiam attinet, naturam interimit. Sunt ergo quædam quæ immediate ad naturam sustentandam pertinent, sicut potus, cibus, somnus et hujusmodi, et in istis actus gratuitæ virtutis modum naturæ conservandæ non excedit; unde, si in istis aliquis sibi subtrahat ultra id quod natura sustinere potest, sic rationis medium excedit, et vitiosus est, et de his loquitur Apostolus et *Glossa;* unde dicit *Glossa :* « *Obsequium vestrum,* in prædictis, scilicet in maceratione carnis, de qua præmiserat, sit *rationabile*, id est cum discretione, ne quid nimis sit; sed cum temperantia corpora vestra castigetis, ut non naturæ defectu cogantur dissolvi. » Quædam autem sunt sine quibus natura conservari potest, sicut venereorum usus, et ideo in istis, quantumcumque subtrahatur propter Deum,

non potest esse superfluum, dummodo ex alia circumstantia vitium non incidat, et propter hoc virginitas laudabilis est, quæ ab omni hujusmodi delectabili abstinet. Et similiter est in proposito. Potest enim sine dominio possessionum terrenarum natura conservari cum spe divini auxilii multis modis; unde, quantumcumque ei subtrahatur, non erit superfluum, si propter Deum fiat. Et sic patet quod voluntaria paupertas propter Christum suscepta, a medio virtutis non discedit.

Ad undecimum dicendum quod, licet ille qui dat omnia propter Christum subtrahat sibi aliquod auxilium vitæ, non tamen omne, quia adhuc remanet ei auxilium divinæ providentiæ, quæ ei in necessariis non deerit, et fidelium devotio. Unde Augustinus, in lib. *De eleemosyna,* invehitur contra talia objicientes, sic dicens : « Tu christiano, tu Dei servo, tu bonis operibus dedito, tu Domino suo caro aliquid existimas defuturum? An putas qui Christum pascit, a Christo ipse non pascitur? An putas terrena deerunt quibus cœlestia et divina tribuuntur? Unde hæc incredula cogitatio? unde impia et sacrilega ista meditatio? Quid facit in domo Dei perfidum pectus? Quid qui Christo omnino non credit, appellatur et dicitur christianus? Pharisæi sibi magis congruit nomen, nam cum in Evangelio de eleemosynis Dominus disputaret, et ut nobis amicos de terrenis lucris faceremus moneret, addidit Scriptura, dicens : Audiebant hæc omnia pharisæi, qui erant avari, et deridebant eum, quales in Ecclesia quosdam videmus, quarum præclusæ aures et corda cæcata nullum de spiritualibus et salutaribus monitis lumen admittunt, de quibus non oportet mirari, quod contemnant in talibus servos, quando a talibus videmus ipsum Dominum esse contemptum. » Et sic patet quod sacrilegium est dicere, quod illi qui omnia propter Christum dant, se periculo homicidii committunt.

Ad duodecimum dicendum quod, sicut ex jam dictis patet, ille qui dimittit omnia propter Christum, non se exponit fami quæ ipsum interimat, quia nunquam a Deo ita deseritur quod fame moriatur; quod patet Hebr., ult., super illud : *Non te deseram, neque derelinquam, Glossa :* « Sed ne forte dicerent : Quid facturi erimus, si suffragia nobis necessaria defecerint? protinus subdit consolationem, adhibens testimonium de lib. Jesu Nave : *Non te deseram,* quin dem necessaria, *neque derelinquam.* Derelinqueretur ille qui fame periret. Sed quia hoc non est, non sit homo cupidus. » Et infra : « Hoc autem dicit omni speranti in se, sicut Josue. » Hoc enim nobis promittit, si in illo spem nostram ponimus, non tenacibus, non cupidis fit ista promissio; sed sperantibus in Deo. Et tamen hoc quod assumit, est falsum, quia posset homo se exponere periculo gladii propter Christum laudabiliter, etiam si haberet aliud quod faceret, sicut legitur de multis martyribus tempore persecutionis, qui ultro se offerebant in medium nomen Christi publice confitentes; alias non liceret militibus ire ultra mare, et exponere se multis periculis propter Christi honorem.

Ad decimum tertium dicendum quod homo rerum suarum est dominus, non autem rerum alterius; et ideo injuriam faceret alteri, si possessiones ei auferret; non autem si possessiones sibi aufert, injuriam sibi facit : propter quod dicitur in V *Ethic.,* quod non est injustitia hominis ad seipsum, proprie loquendum de injustitia. Et præterea, qui alteri sua aufert, inducit eum in paupertatem involuntariam, quæ est periculosa; qui autem sua dimittit, inducit se in paupertatem voluntariam, quæ est meritoria, si sit propter Christum suscepta.

Ad decimum quartum dicendum quod, sicut supra dictum est, Dominus pecuniam reservari fecit ad necessarios usus, ut infirmis condescenderet; et ideo non est reputandum pro superstitione, si aliqui perfecti viri pecuniam reservare nolunt. Sicut etiam ut infirmis condescenderet, cum publicanis comedebat et vinum bibens, et aliis cibariis communiter utens, nec tamen reputandi sunt superstitiosi sancti patres in eremo, qui a vino et aliis cibariis delicatis abstinebant. Et tamen Dominus quamvis pecuniam reservari fecerit, non tamen eam de aliquibus propriis possessionibus habebat, sed magis ei a fidelibus per modum eleemosynæ ministrabatur; unde dicitur Luc., VIII, quod mulieres quædam sequebantur Dominum ministrantes de facultatibus suis.

Ad decimum quintum dicendum quod apostoli reservabant pecunias, et etiam colligebant, ut sanctis pauperibus, qui præ-

dia sua vendiderant propter Christum, necessaria ministrarent; nec tamen illas pecunias habebant de aliquibus possessionibus, sed ex eleemosynis fidelium. Quod etiam dicitur quod nullus egenus erat inter eos; non est intelligendum quin apostoli et primitivæ Ecclesiæ discipuli multas egestates et penurias sustinuerint propter Christum, cum dicatur I Corinth., IV, 11 : *Usque in hanc horam esurimus et sitimus*, etc.; et II Corinth., VI, 4 : *In multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus; Glossa :* « Victus vel vestitus; » sed quia de his quæ haberi poterant, unicuique secundum quod opus erat, tribuebant, ut quantum eis facultas suppeteret, omnium indigentias relevarent.

Ad decimum sextum dicendum quod, quamvis illud præceptum, *in viam gentium ne abieritis,* fuerit post resurrectionem totaliter revocatum, eo quod primum oportebat Judæis verbum Dei loqui et sic transire ad gentes, ut dicitur Act., XIII; tamen hoc quod Dominus dixerat apostolis, quod non secum necessaria ferrent, non totaliter revocavit in cœna, sed solum tempore persecutionis, quando a persecutoribus necessaria habere non potuissent; unde Luc., XXII, 35 : *Quando misi vos sine sacculo et pera et calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? Glossa :* « Non eadem vivendi regula persecutionis tempore, qua pacis, discipulos informat. Missis siquidem discipulis ad prædicandum, ne quid tollerent in via præcepit, ordinans scilicet ut qui Evangelium nuntiat, de Evangelio vivat. Instante vero mortis articulo, et tota illa gente pastorem simul et gregem persequente, congruam tempori regulam decernit, permittens necessaria victui, donec sopita persecutorum insania, tempus evangelizandi redeat; » et alia *Glossa* dicit : « In hoc nobis quoque datur exemplum, ut nonnunquam causa instante, quædam de nostri propositi rigore sine culpa intermittere possimus; » verbi gratia : si per inhospitales regiones iter agimus, plura viatici causa licet portare quam domi habeamus. Sed quia quidam hæretici, quorum est illa objectio, *Glossam* non recipiunt, ipso textu ostendemus quod multiplicatis fidelibus discipuli Christi secum necessaria in via non portabant. Dicitur enim in ult. Can. Joan., V : *Carissime, fideliter facis quidquid operaris in fratres, et hoc in peregrinos;* et infra : *Pro nomine enim ejus profecti sunt, nihil accipientes a gentilibus. Nos ergo debemus suscipere hujusmodi.* Non autem esset necessarium, quamvis a gentilibus nihil acciperent, quod reciperentur a fidelibus, si secum necessaria ad victum deferrent; quod etiam patet per *Glossam* ibi, quæ dicit : « Pro nomine ejus profecti sunt, alieni a rebus propriis. »

Ad decimum septimum dicendum quod Ecclesia multos infirmos sustinet, quod non facile sustineret sine temporalium possessionum solatio. Expedit ergo facultates communes in Ecclesia possideri propriis dimissis, et præcipue propter pauperes sustentandos. Non tamen sequitur quod non sit expediens perfectis viris, qui sua dimiserunt, vitam religiosam agere sine communibus possessionibus; et quamvis perfectio apostolica non annulletur in illis qui possessiones communes habent, tamen expressius conservatur in illis qui propriis dimissis, etiam communibus carent.

Ad decimum octavum dicendum quod per illud decretum non habetur esse prohibitum alicui quin pauperem vitam eligat propter Christum, sed est præceptum episcopis et eis qui Ecclesiarum bona possident, quæ pauperum sunt, ut eis de fructibus possessionum Ecclesiæ provideant, et quantum possunt eorum sublevent egestatem; et hoc patet diligenter inspicienti seriem capituli inducti.

Ad decimum nonum dicendum quod ille qui dimissis omnibus propter Christum, spem habet ut sustentetur a Deo, neque præsumptuosus est, neque Deum tentat. Qui enim fiduciam debitam de Deo habet, neque præsumptuosus est, neque Deum tentat. Talem autem fiduciam debent habere de Deo pauperes Christi, et præcipue prædicatores veritatis; unde *Glossa,* super illud Luc., X : *Nolite portare sacculum,* etc., « Tanta prædicatori debet esse fiducia in Deo, ut præsentis vitæ sumptus et si non provideat, tamen sibi non defecturos certissime sciat; ne dum mens occupatur ad temporalia, minus prædicet æterna. » Imo magis Deum tentarent, nisi istam fiduciam haberent. I Corinth., X, 9 : *Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentaverunt. Glossa :* « dicentes : Numquid poterit Deus parare mensam in deserto? » Distinguendum tamen est in illis in quibus se homo totum committit. Quandoque enim hoc

faciens tentat Deum, quandoque vero non. Sunt enim quædam in quibus est impossibile hominem juvari nisi a Deo miraculose operante, et talibus periculis homo se exponens Deum tentaret; sicut si aliquis de muro se præcipitaret sub spe divini auxilii, nisi forte a Deo certificatus esset de futuro eventu aliqua inspiratione, sicut Petrus ad jussum Domini se exposuit fluctui maris; sicut etiam B. Martinus dixit : « Ego signo crucis, non clypeo protectus aut galea, hostium cuneos penetrabo securus; » et sicut B. Joannes Evangelista venenum confidenter bibit; et sicut B. Agatha quæ dicit : « Medicinam carnalem corpori meo nunquam exhibui, sed habeo Dominum meum Jesum Christum, qui solo sermone restaurat universa. » Quædam autem sunt in quibus possibile est remedium adhiberi etiam per causas inferiores, et in istis non est tentare Deum, si se aliquis divino auxilio committit; sicut miles non tentat Deum, qui pugnam ingreditur, de divino auxilio confisus, quamvis de evasione securus non sit. Ex hoc ergo patet quod ille qui omnia sua propter Deum relinquit, non tentat Deum, tum quia plenus fiducia ex divina auctoritate concepta hoc facere debet, tum quia remanent fideles devoti per quos satisfieri ei potest et debet : sicut etiam non tentaret Deum qui ob aliquam causam rationabilem urso veniente arma deponeret aliis armatis præsentibus, qui eum defendere possent et deberent.

Ad vigesimum dicendum quod temporalia a Deo petere jubemur ad naturæ usus necessarios ; unde temporalia non debemus abjicere, quin eis utamur ad necessitatem corporis in cibo et vestitu.

Ad vigesimum primum dicendum quod statutum illud inductum est in favorem ministrorum Ecclesiæ ; et ideo si aliqui supererogare velint, ut sine possessionibus Ecclesiæ serviant, laudabiliores existunt; sicut Paulus prædicans Evangelium sine sumptu, qui prædicator erat a Deo ordinatus, ut patet I Corinth., IX.

Ad vigesimum secundum dicendum quod, quamvis sancti Patres illum modum approbaverint, non tamen istum modum reprobaverunt; et ideo non est præsumptuosum hunc modum sequi : alias nihil de novo posset institui, quod non fuerit antiquitus observatum. Nihilominus tamen iste modus antiquitus a multis sanctis fuit approbatus, etiam in Ecclesia primitiva.

Ad vigesimum tertium dicendum quod subvenire indigentibus indicitur illis qui divitias possident, sicut patet ex hoc quod dicitur I Joan., 17 : *Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necesse habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo?* Sed multo laudabilius est quod aliquis omnibus suis datis, etiam semetipsum Deo det : quod ad apostolicam perfectionem pertinet; unde dicit Hieronymus *Ad Lucinum Beticum :* « Seipsum offerre Deo, proprie christianorum est, et apostolorum, qui totum censum quem habuerant, Domino tradiderunt. »

CAPUT XXXIX.

An religiosus de eleemosynis vivere possit.

Non solum autem prædicti adversarii Christi paupertatem ratione impugnare nituntur, sed eam totaliter eradicare conantur quodammodo indirecte, dum victum pauperibus Christi crudeliter subtrahere nituntur, dicentes eos de eleemosynis vivere non posse. Eccl., XXXIV, 25 : *Panis egentium vita pauperis est; qui defraudat illum, homo sanguinis est.* Ad quod probandum multipliciter nituntur.

Primum enim illud inducunt quod dicitur Deuter., XVI, 18 : *Non accipies personam nec munera : quia munera excæcant oculos sapientum, et mutant verba justorum.* Sed eleemosynæ munera quædam sunt. Ergo, cum religiosis maxime competat oculos spirituales illuminatos habere, non competit eis de eleemosynis vivere.

Item. Proverb., XXII, 7 : *Qui accipit mutuum, servus est fenerantis.* Multo magis ergo qui accipit datum, servus dantis efficitur. Sed religiosos maxime decet esse liberos a servitudine sæculi, quia in libertatem spiritus sunt vocati; unde II Thessal., III, super illud : *Ut nosmetipsos formam daremus*, etc., dicit *Glossa :* « Religio nostra ad libertatem homines advocat. » Ergo non debent de eleemosynis vivere.

Item. Religiosi statum perfectionis profitentur. Sed perfectius est dare eleemosynas quam accipere ; unde dicitur Act., XX, 35 : *Beatius est magis dare quam accipere*. Ergo magis debent manibus laborare, ut habeant unde tribuant necessitatem patienti, quam

eleemosynas accipere de quibus vivant.

Item. Apostolus I ad Timoth., v, præcipit ut viduæ quæ possunt aliunde sustentari, non vivant de eleemosynis Ecclesiæ, ne gravetur Ecclesia, ut illis quæ sunt vere viduæ, sufficiat. Ergo illi qui sunt validi et robusti, debent de laboribus manuum vivere, non de eleemosynis quas accipiunt pauperes, qui aliunde quam de eleemosynis vivere non possunt.

Item. I, quæst. xi, cap. *Clericus*, Hieronymus dicit : « Qui bonis parentum et operibus suis sustentari possunt, si quod pauperum est, accipiunt, sacrilegium profecto committunt, et per abusionem talium judicium sibi manducant et bibunt. » Ergo si aliquis habebat unde sustentaretur, quo relicto velit de eleemosynis vivere, sacrilegus est reputandus.

Item. I Thess., ult., super illud : *Ut nosmetipsos formam daremus*, etc., *Glossa :* « Qui frequenter ad alienam mensam convenit otio deditus, aduletur necesse est pascenti se. » Sed qui de eleemosynis vivunt, frequenter aliorum mensæ conveniunt, imo magis de mensa aliorum semper vivunt. Ergo de necessitate sunt adulatores. Peccant ergo qui se in tali statu ponunt quod oporteat eos de eleemosynis vivere.

Item. Accipere non potest esse actus alicujus virtutis nisi liberalitatis, quæ medium tenet in dando et accipiendo. Sed liberalis solum accipit ut det, ut dicit Philosophus in V *Ethic*. Ergo qui ducunt vitam semper in accipiendo, illiberaliter et reprehensibiliter vivunt.

Item. Augustinus in lib. *De opere monach.*, reprehendit quosdam religiosos qui sine labore manuum volebant de eleemosynis vivere ; de quibus inter cætera dicit : « Isti fratres temere sibi arrogant, quantum existimo, quod ejusmodi habeant potestatem, » scilicet vivendi de Evangelio sine labore manuum ; et tamen illi contra quos loquitur, sua propter Christum reliquerant, et spiritualibus operibus vacabant, scilicet orationibus, psalmis et lectioni, et verbo Dei, ut in libro illo dicitur. Ergo illi qui sua dimittunt propter Christum etiamsi spiritualibus vacant, non debent de eleemosynis vivere.

Item. Marc., vi, 8, dicitur : *Præcepit eis ne quid tollerent in via nisi virgam tantum, Glossa :* « Per virgam potestatem accipiendi necessaria a subditis intelligit. » Sed habere subditis est tantum prælatorum. Ergo illi religiosi qui prælati non sunt, non possunt a fidelibus sumptus suos accipere.

Item. Illud quod est provisum in solatium laboris, non laborantibus non debetur. Sed vivere de sumptibus fidelium est a Domino provisum ad solatium eorum qui in Evangelio laborant, ut patet I Cor., ix, et II ad Tim., ii, 6 : *Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere*. Ergo saltem illi qui non laborant in Evangelio, non possunt de eleemosynis vivere.

Item. Apostolus nolebat accipere sumptus a Corinthiis unde viveret, ut occasionem auferret pseudo-apostolis, ut patet II ad Cor., xi. Sed nunc etiam multi sunt qui turpiter de eleemosynis vivunt. Ergo saltem ad auferendam eis occasionem religiosi viri debent ab eleemosynis abstinere. Unde Augustinus dicit in lib. *De opere monach.* : « Eadem vobis causa est quæ Apostolo fuit, ut amputetis occasionem his qui quærunt occasionem. »

Item. Apostolus ideo stipendia a gentibus non accipiebat, ne scandalum in fide paterentur ; unde Luc., viii, super illud : *Et aliæ multæ quæ ministrabant eis*, etc., *Glossa :* « Antiquitus mos erat Judæorum, nec ducebatur in culpam, ut mulieres sua substantia pascerent et vestirent doctores. Sed quia hoc scandalum in gentibus poterat facere, Paulus se memorat abstinuisse. » Et hoc idem habetur I Cor., ix. Sed et nunc multi scandalizantur de hoc quod religiosi sine labore vivere volunt. Ergo saltem propter scandalum debent ab eleemosynis abstinere. Unde Augustinus in lib. *De opere monach.* : « In meditatione vestra exardescat ignis, ut istorum mala opera bonis operibus vestris persequamini, ut eis amputetis occasionem turpium nundinarum, quibus existimatio vestra læditur, et infirmis offendiculum ponitur. Misereminì ergo, et compatiamini, et ostendite hominibus non vos in otio facilem victum, sed per angustam viam et arctam hujus propositi regnum Dei quærere.

Item. Si religiosi qui sunt validi et fortes, de eleemosynis vivere possunt sine labore manuum, eadem ratione et alii poterunt. Sed si omnes talem vitam agere vellent, tota vita humana periret ; non enim invenirentur artifices qui necessaria usibus

hominum præpararent. Ergo nullo modo est sustinendum quod religiosi validi et fortes de eleemosynis vivant.

In *Collationibus Patrum* [1], inducunt hæc verba ex sententia Antonii ad quemdam loquentis : « Noveris a te etiam ex hoc, non levius quam illo quod supra diximus ferri detrimento, qui cum sis sani corporis ac robusti, stipe sustentaris aleam quæ juste solis est debilibus attributa. » Ergo illi qui non sunt debiles non debent de eleemosynis vivere.

Item. Hieronymus *Ad monachum presbyterum :* « Nulli aliquid præripui nihil otiosus accipio. Manu quotidie et proprio sudore quærimus cibum, scientes ab Apostolo esse dictum : *Qui autem non operatur, non manducet.* » Ergo non licet sine labore manuum de eleemosynis vivere.

CAPUT XL.

An liceat religiosis eleemosynas petere mendicando.

Ulterius nituntur ostendere, quod etsi possent aliquo modo de eleemosynis ultro oblatis vivere, non tamen licet ipsis eleemosynas mendicando petere, quia Deut., xv, 4, dicitur : *Omnino indigens et mendicus non erit inter vos.* Ergo prohibitum est mendicare qui aliunde vivere potest.

Item. In Psalm. xxxvi, 25, dicitur : *Non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem.* Ergo illi qui mandicando panem quærunt, non sunt semen justi, id est Christi.

Item. Illud quod alicui sacra Scriptura imprecatur, viris justis non competit. Sed hujusmodi est mendicitas, ut dicitur in Psal. cviii, 10 : *Nutantes transferantur filii ejus, et mendicent.* Ergo mendicitas perfectis viris non competit.

Item. I Thessal., iv, 11 : *Operamini manibus vestris, sicut præcepimus vobis, et ut honeste ambuletis ad eos qui foris sunt, et nullius aliquid desideretis; Glossa :* « Quasi ideo opus agendum est, non otiandum, quia et honestum est, et quasi lux ad infideles; et non desiderabitis rem alterius, nedum rogetis, vel tollatis aliquid. » Ergo potius est manibus operandum quam rogando aliquid petere per mendicitatem.

Item. II ad Thessal., iii, super illud : *Si quis non vult operari,* etc., *Glossa* Augustini : « Vult servos Dei corporaliter operari unde vivant, ut nec compellantur egestate necessaria petere. » Ergo magis debent manibus operari quam necessaria petere mendicando.

Item. Hieronymus *Ad Nepotianum presbyterum :* « Nunquam petentes, raro accipiamus rogati. Beatius enim est magis dare quam accipere. » Ergo non licet servis Dei petere aut accipere victus necessaria mendicando.

Item. Certum est gravius esse delictum quod severius vindicandum est, ut habetur XXIV, quæst. i : « Non afferamus stateras dolosas. » Sed gravissime secundum jus civile punitur validus mendicus si prodatur[2] : quia si servilis est conditionis, efficitur servus prodentis; si liber est, efficitur ejus colonus perpetuus, cap. *De mendicantibus validis,* leg. unica. Ergo graviter peccant religiosi qui sunt validi, mendicando.

Item. Contra religiosos mendicantes dicit Augustinus in lib. *De opere monach. :* « Tam multos hypocritas sub habitu monachorum usquequaque dispersit callidissimus hostis circumeuntes provincias, nusquam missos, nusquam fixos, nusquam stantes, nusquam sedentes; » et infra : « Omnes petunt et omnes exigunt aut sumptus lucrosæ egestatis, aut simulatæ pretium sanctitatis. » Ergo videtur quod vita religiosorum mendicantium sit reprobanda.

Item. Illud quod naturaliter habet erubescentiam adjunctam in se, aliquid turpitudinis habere videtur; cum verecundia non sit nisi de turpi, ut Damascenus dicit. Sed petere vel mendicare naturaliter

[1] Parm. omittit duo argumenta quæ sequuntur : In *Collationibus Patrum*, inducunt hæc verba ex sententia Antonii ad quemdam loquentis : « Noveris a te etiam ex hoc, non levius quam illo quod supra diximus ferri detrimento, qui cum sis sani corporis ac robusti, stipe sustentaris aleam quæ juste solis est debilibus attributa. » Ergo illi qui non sunt debiles non debent de eleemosynis vivere. Item. Hieronymus *Ad monachum presbyterum :* « Nulli aliquid præripui, nihil otiosus accipio. Manu quotidie et proprio sudore quærimus cibum, scientes ab Apostolo esse dictum : *Qui autem non operatur, non manducet.* » Ergo non licet sine labore manuum de eleemosynis vivere.

[2] Al. : « si probatur. »

erubescit homo, tantoque magis, quanto est melioris naturæ; unde dicit Ambrosius in lib. *De offic.*, quod « verecundia petendi ingenios prodit natales; » et Philosophus in IV *Ethic.* dicit de liberali quod « non est petitivus. » Ergo menducare in se turpe est; et ita nullo modo mendicare debet qui aliter vivere potest.

Item. II Corinth., IX, super illud : *Hilarem datorem*, etc., dicit *Glossa :* « Qui dat ut careat tædio interpellantis, non ut reficiat viscera indigentis, et rem et meritum perdit. » Sed frequenter sic datur mendicantibus, quia mendicantes tædium faciunt petendo. Ergo etsi aliqui possint de eleemosynis vivere, non tamen debet mendicare.

CAPUT XLI.

An saltem religiosi prædicantes possint de eleemosynis vivere vel illas petere.

Ulterius nituntur ostendere quod religiosi etiam prædicantes de eleemosynis vivere, vel etiam eleemosynas petere non debent. Dicit enim Apostolus I ad Thessal., II, 5 : *Neque aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis.* Sed prædicatores qui mendicant et de eleemosynis vivunt, oportet adulari illis a quibus pascuntur : quod patet Matth., XXI, super illud : *Et relictis illis abiit foras;* ubi dicit *Glossa :* « Quia pauper nullique adulatus nullum in tanta urbe invenit hospitem, sed apud Lazarum receptus est. » Et tamen intantum erat gratiosus cum prædicaret, quod, sicut dicitur Luc., XXI, 38 : *Omnis populus manicabat ad eum in templum audire eum; Glossa,* « id est mane ire accelerabat. » Et I ad Cor., IV, 11, dicitur : *Usque in hanc horam et esurimus et sitimus et nudi sumus; Glossa :* « Libere enim et sine aliqua adulatione veritatem prædicantes, et gesta pravæ vitæ arguentes, gratiam non habent apud homines. » Ergo prædicatores non debent eleemosynas quærere.

Præterea, I ad Thessal., II, 5 : *Neque fuimus in occasione avaritiæ, Deus testis est; Glossa :* « Non dico in avaritia, sed nec feci nec dixi etiam in quo esset occasio avaritiæ. » Sed illi qui petunt eleemosynas sibi dari, faciunt aliquid in quo est occasio avaritiæ. Ergo prædicatores hoc non debent facere.

Item. II Corinth., XII, 14 : *Non ero gravis vobis : non enim quæro quæ vestra sunt, sed vos;* et ad Philip., ult., 17 : *Non quia quæro datum, sed requiro fructum; Glossa :* « Datum est ipsa res quæ datur, ut nummus, cibus, potus et hujusmodi; fructus autem bona opera et recta voluntas datoris. » Ergo veri prædicatores non debent quærere ab his quibus prædicant temporales res, et ita non debent de mendicitate vivere.

Item. II ad Timoth., II, super illud : *Laborantem agricolam,* etc., dicit *Glossa :* « Vult Apostolus ut intelligat Evangelista, quod necessaria sibi sumere licet ab eis in quibus Deo militat, et quos tanquam vineam fultor exercet, vel tanquam gregem pascit. Non est enim mendicitas, sed potestas. » Ex quo patet quod vivere de Evangelio potestatis est, non mendicitatis. Sed potestas ista non competit nisi prælatis. Ergo alii prædicatores, qui non sunt prælati, non debent per mendicitatem de Evangelio vivere.

Item. Apostolus, I ad Corinth., IX, volens ostendere quod ipse de sumptibus fidelium vivere poterat, prius probat se apostolum esse. Ergo illi qui non sunt apostoli, non possunt de sumptibus fidelium vivere. Sed religiosi prædicantes non sunt apostoli, cum non sint prælati. Ergo, etc.

Item. I ad Thessal., II, super illud : *Cum possemus vobis oneri esse ut Christi apostoli,* dicit *Glossa :* « Intantum gravat causam pseudo, ut se abnuere dicat, cum liceat illi subsidia requirere, ad comprimendum illos quibus nec facultas erat; nec pudor poscendi. Apostolicæ autem potestatis debitum vocat onus propter pseudo-apostolos, qui illud indebite usurpantes, importune a plebibus exigebant. » Ex quo patet quod illi qui exigunt victum a plebibus, cum non sint apostoli, id est prælati, sunt reputandi pseudo-apostoli. Ergo prædicatori qui non est prælatus, non licet mendicare.

Item. Prædicatores qui non sunt prælati, victum suum ab his quibus prædicant mendicando quærentes, aut quærunt quod est eis debitum, aut quod non est eis debitum. Si quod est eis debitum, ergo possunt illud potestative exigere, et per coarctationem : quod manifeste et falsum. Si autem petunt quod non est eis debitum, ergo et indebite et injuste petunt : et sic pseudo reputandi sunt, ut patet per *Glossam* prius inductam.

Item. Prælati recipientes a plebibus decimas et oblationes, tenentur in spiritualibus eis providere. Ergo si alii ab episcopis dirigantur ad spiritualia ministranda, injuria fit plebi, si a plebe victum recipiant, cum magis episcopi teneantur eis providere.

Item. Prælati mittentes aliquos ad prædicandum, tenentur eis in necessariis providere, ut habetur *Extra.* de offic. ordin. *Inter cætera.* Si ergo prædicatores ab episcopis missi ab aliis victum requirant, hoc in illorum gravamen cedit, et ita non debent ab aliis sumptus accipere.

Item. Dominus, Matth., XXIII, 14, contra Pharisæos dicit : *Væ vobis scribæ et pharisæi hypocritæ, qui comeditis domos viduarum, orationes longas orantes.* Ergo et illi semper videntur esse reprehensibiles qui, sub prætextu orationis aut prædicationis aut alicujus hujusmodi, eleemosynas petunt.

Item. Matth., X, 11, Dominus discipulis ad prædicandum missis dicit : *In quamcumque civitatem aut castellum intraveritis, interrogate quis in ea dignus sit; Glossa :* « Testimonio vicinorum eligendus est hospes, ne ejus infamia prædicatio negligatur; » et alia *Glossa :* « Ille est dignus qui magis scit se accipere gratiam quam dare. » Ergo ad minus in talibus reprehensibile videtur quod quandoque ad divites peccatores declinant, et ad eos qui sibi hoc pro gratia non reputant.

Item. Quicumque pro re spirituali accipit temporalem, simoniæ crimen incurrit, sive petat sicut Giezi, sive recipiat absque petitione oblatum, sicut Eliseus a Naaman recipere noluit, IV Reg., V, et sive ante accipiat sive post, ut per illud patet quod habetur I, quæst I, cap. *Eos.* Sed ille qui prædicat populo, spiritualia ministrat. Ergo non licet ei accipere temporalia ab eis ante vel post, neque petendo, neque oblata recipiendo.

Item. I ad Thessal., ult., 22 : *Ab omni specie mali abstinete vos. Glossa :* » Si quid speciem mali prætendit, etsi non sit malum, nolite præcipitanter agere. » Sed quod prædicator temporalia quærat ab his quibus prædicat, speciem mali prætendit; unde II Cor., XII, super illud : *Non quæro quæ vestra sunt, sed vos,* dicit *Glossa :* « Non quærebat Apostolus datum, sed fructum, ne quasi venditor Evangelii putaretur. » Ergo prædicatores non debent ab his quibus prædicans, victum quærere mendicando.

CAPUT XLII.

Utrum talibus eleemosynæ sint dandæ.

Ulterius nituntur ostendere quod talibus etiam eleemosynæ non sum dandæ, quia Luc., XIX, 13, dicitur : *Cum facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos et cæcos; Glossa,* « a quibus in præsenti nihil potest expectare. » Sed a talibus mendicis, qui sunt validi et fortes, potes in præsenti multa expectare, cum sint familiares potentum. Ergo talibus non sint eleemosynæ dandæ.

Item. Augustinus *Ad Vincentium Donatistam :* « Utilius esurienti panis tollitur, si de cibo securus justitiam negligat, quam eidem panis frangitur, ut injustitia seductus acquiescat. » Sed qui non vult operari corporaliter ad victum quærendum, cum possit, vel qui potest aliunde victum habere sine peccato, si petat, injuste agit, ut potest probari per multa quæ superius sunt inducta. Ergo talibus debet panis subtrahi.

Item. Luc., VI, super illud : *Omni petenti te tribue, Glossa :* « rem, vel corruptionem, » et super illud Matth., V : *Qui petit a te, da ei,* dicit *Glossa :* « Ita scilicet ut nec tibi noceat, nec alii. Pensanda est enim justitia. Ita enim omni petenti dabis, etsi non id quod petit, sed melius, cum injuste petentem correxeris. » Sed ille qui potest manibus laborare, si petat sibi eleemosynam dari, injuste petit, ut probatum est. Ergo magis deberet sibi dari correptio quam res petita, ut ita ab injusta petitione avertatur.

Item. Augustinus *Ad Vincentium Donatistam :* « Sæpe mali persecuti sunt bonos, et boni malos : illi nocendo per injustitiam, et isti consulendo per disciplinam. » Ergo boni possunt persequi malos causa disciplinæ. Sed quædam persecutio est ut panis alicui subtrahatur. Ergo aliquibus qui sunt mali, debet panis subtrahi, ut corrigantur; et præcipue si panem petendo peccent. Sed validi mendicantes peccant, etiam si prædicent, ut probatum est. Ergo talibus debet panis subtrahi.

Item. Ambrosius in I lib. *De offic. :* « Consideranda est etiam in largiendo ætas atque debilitas, » scilicet ejus cui datur;

« nonnunquam etiam verecundia, quæ ingenuos prodit natales, ut senibus plus largiaris, qui sibi labore jam non queunt victum quærere. Similiter et debilitas corporis, et hæc juvanda promptius : tum si quis ex divitiis cecidit in egestatem, et maxime si non vitio suo, sed aut latrociniis, aut proscriptione, aut calumniis, quæ habebat amisit. » Ex quo patet quod in his quibus dantur eleemosynæ, considerandum est, si sunt debiles corpore aut verecundi, aut si bona sua latrocinio aut proscriptione amiserunt. Sed pauperes validi qui se ad mendicandum exponunt, non sunt hujusmodi. Ergo eleemosynæ eis non sunt dandæ.

Item. Eleemosynæ ordinantur ad indigentiam sublevandam. Ergo magis indigenti dandum est. Sed magis indigent illi qui non possunt de labore proprio victum acquirere, vel aliunde habere, quam tales qui aliunde habere possunt. Ergo quamdiu magis indigentes inveniuntur, talibus non sunt dandæ.

Item. Dare eleemosynam est actus misericordiæ. Ergo illis solum sunt eleemosynæ dandæ qui sunt miserabiles. Sed illi qui voluntarie mendicitati se exponunt, non sunt hujusmodi, sed illi solum qui in statum mendicitatis involuntarie incidunt; quia, ut Philosophus dicit in III *Ethicor.*, involuntarium misericordiam meretur et ignoscentiam. Ergo prædictis pauperibus eleemosynæ non sunt dandæ.

Item. Augustinus dicit in I *De doctrina christiana :* « Cum omnibus prodesse non possis, his potissime consulendum est qui pro locorum et temporum vel quarumlibet rerum opportunitatibus constrictius tibi quasi quadam sorte junguntur. » Sed maxime constricti videntur consanguinei et vicini et alii familiares. Ergo aliis extraneis eleemosynæ non sunt dandæ, quamdiu tales indigentes inveniuntur quibus possint dari.

CAPUT XLIII.

Quod dicta positio est erronea, et unde habuit ortum error iste.

His igitur visis, ne ista positio novella videatur, errorem prædictum ostendemus tempore primitivæ Ecclesiæ incepisse. Dicitur enim in III Canon. Joan., IX : *Is qui amat primatum gerere in eis Diotrephes non recipit nos,* et infra : *et quasi ei ista non sufficiant, neque ipse suscipit fratres, Glossa :* « indigentes, » *et eos qui suscipiunt, prohibet; Glossa :* « ne impendant curam humanitatis, » *et de Ecclesia ejicit; Glossa :* « de loco ubi conveniunt; » et alia *Glossa* dicit ibidem : « Perseverare debes in eleemosyna, quia utilitatem tantam in ea intelligo, quod non solum tibi, sed etiam toti Ecclesiæ scripsissem de commendatione eleemosynæ, sed hanc necessitate dimisi, quia Diotrephes non curat nostram auctoritatem. » Diotrephes hæresiarcha illius temporis, nova docendo, primatum sibi usurpabat. Hæc autem ejus erat hæretica doctrina, quod prohibebat ne impenderetur cura humanitatis fratribus peregrinis alienis a rebus propriis, ut per textum et *Glossam* ibidem patet. Hic etiam error in Vigilantio surrexit, ut patet in *Epistola Hieronymi ad Riparium et Desiderium contra Vigilantium,* ubi sic dicitur : « Præterea eisdem ad me relatum est epistolis, quod contra auctoritatem Apostoli Pauli, imo Petri, Joannis et Jacobi, qui dextras dederunt Paulo et Barnabæ communicationis, et præceperant eis ut pauperum memores essent, tu prohibeas Jerosolymam in usus sanctorum aliqua sumptuum solatia dirigi. »

CAPUT XLIV.

Proponuntur quatuor fundamenta ad destructionem aliorum quatuor fundamentorum quibus isti adversarii suam positionem fundare nituntur.

Hunc igitur errorem excludere volentes, hoc ordine procedemus.

Primo, ostendemus quod pauperes qui reliquerunt omnia propter Christum, possunt de eleemosynis vivere.

Secundo, quod prædicatores, etsi non sint prælati, dummodo a prælatis Ecclesiæ mittantur, possunt ab eis quibus prædicant accipere unde vivant.

Tertio, quod liceat prædictis eleemosynas petere mendicando, quamvis sint corpore validi.

Quarto, quod eis præcipue sunt eleemosynæ dandæ.

Quinto, solvemus ea quæ in contrarium sunt objecta.

CAPUT XLV.

Quod religiosi qui propter Deum omnia relinquerunt possunt licite de eleemosynis vivere.

Quod autem pauperes qui reliquerunt omnia propter Christum, possint de eleemosynis vivere, probatur primo exemplo beati Benedicti, de quo narrat beatus Gregorius in II lib. *Dialog.,* quod tribus annis in specu manens, de his quæ a Romano monacho ministrabantur, refectus est, postquam domum parentis reliquerat; et tamen validus corpore existens non legitur de labore manuum victum quæsivisse.

Item. I, quæst. XI, cap. *Sacerdos,* dicitur quod « ille qui omnia sua aut reliquit parentibus, aut pauperibus distribuit, aut Ecclesiæ rebus adjunxit, et se in numero pauperum paupertatis amore constituit, non solum sine cupiditate, sed etiam cum laude pietatis accipit a populo dispensanda, et fideliter dispensat accepta, ut unde pauperibus subministrat, inde et ipse tanquam pauper voluntarius vivat. » Patet ergo quod pauper qui omnia sua propter Christum reliquit, potest vivere de eleemosynis quæ a populo pauperibus ministrantur.

Item. Potius debet homo bonum prætermittere quod sine peccato prætermitti potest, quam aliquod peccatum committere. Si ergo illi qui sunt validi corpore, peccant eleemosynas recipiendo, potius debent omnes alias occupationes dimittere, quantumcumque bonas, quam eleemosynas accipere. Hoc autem aperte est falsum, per hoc quod dicit Augustinus in lib. *De opere monach.,* quod « illi servi Dei qui etiam manibus operantur, ad ea discenda quæ memoriter recolant, debent habere seposita tempora. » Quibus scilicet a labore manuum vacent. « Ad hoc enim et illa bona opera fidelium subsidio supplendorum necessariorum deesse non debent, ut horis quibus ad erudiendum animum ita vacatur, ut illa corporalia opera geri non possint, non opprimantur egestate. » Ex quo etiam patet quod Augustinus non intendit quod monachi laborent manibus ad totum victum quærendum ex labore manuum, quia si hoc facerent, non relinqueretur aliquod tempus vacuum ad spiritualia opera.

Item. Augustinus, in eodem libro, loquens de aliquo divite qui bona sua alicui monasterio tribuit, dicit quod « bene facit operando, ut aliis exemplum det, quamvis ipsa res communis monasterii jam facta debeat ei rependere vicem ad vitam ejus sustentandam. Quod quidem si nolit, » scilicet manibus operari, « quis audeat cogere ? » Ex quo patet quod ille qui bona sua monasterio dat, potest sine labore manuum de rebus monasterii vivere. Sed sicut idem Augustinus statim subjungit, cum omnium christianorum sit una respublica, non differt ubicumque sua reliquerit, vel a quibuscumque accipiat necessaria vitæ. Ergo illi qui omnia quæ habebant reliquerunt propter Christum, possunt a quibuscumque accipere unde vivant.

Item. Propositum desistendi quandoque ab aliquo quod est per se malum, non aufert illi operi rationem peccati, quamvis forte peccatum diminuat. Si ergo pauperem validum ad laborandum de eleemosynis vivere est per se peccatum, illi qui cum sint validi ad tempus de eleemosynis vivere volunt[1], quamvis intendant quandoque alio modo vivere, non excusabuntur a peccato. Ergo secundum hoc, peregrini de eleemosynis viventes, qui sunt corpore validi, peccant, et similiter qui eis tales peregrinationes injungunt, quod est absurdum.

Item. Vacare contemplationi divinæ laudabilius est quam vacare studio philosophiæ. Seu aliqui sine peccato, ut studio philosophiæ vacent, de eleemosynis vivunt ad tempus. Ergo et aliqui, ut contemplationi vacent, ad tempus possunt prætermisso labore manuum de eleemosynis vivere. Sed contemplationi divinæ vacare in omni tempore est laudabilius quam certum tempus ad hoc præfigere. Ergo aliqui possunt, ut contemplationi vacent, toto tempore vitæ suæ, prætermisso labore, de eleemosynis vivere.

Item. Caritas Christi magis facit communia quam amicitia politica. Sed si aliquis dat mihi rem aliquam, licite possum uti illa ut libet. Ergo multo fortius possum vivere de his quæ dantur mihi propter caritatem Christi.

Item. Qui potest accipere quod majus est,

[1] Parm. : « vivunt. »

potest accipere quod minus est. Sed religiosi possunt accipere reditus mille marcharum, et de eis vivere sine labore manuum; alias multi religiosi habentes multas possessiones, essent in statu damnationis : et eadem ratione multi clerici sæculares non habentes curam animarum, qui de possessionibus Ecclesiæ, quæ de eleemosynis proveniunt, vivunt. Ergo ridiculum est dicere quod pauperes religiosi non possunt modicas eleemosynas recipere, et ex eis sine labore manuum sustentari.

Item. Magis defraudantur pauperes invalidi ad laborandum, si aliis detur id quod est debitum et determinatum, quam si aliis detur id quod non est eis debitum. Sed fructus possessionum Ecclesiæ sunt deputati ad hoc ut pauperibus dentur, ut patet XII, quæst. I, cap. *Videntes;* unde dicitur I, quæst. II, cap. *Clericus,* et cap. *Si quis,* quod « clerici qui de bonis parentum sustentari possunt, non possunt sine peccato vivere de bonis Ecclesiæ, unde pauperes sunt victuri. » Ergo magis videtur quod defraudentur pauperes, si aliqui non laborantes manibus, cum sint validi, de possessionibus Ecclesiæ vivant, quam si vivant pauperes Christi de his quæ a fidelibus offeruntur de bonis propriis, quæ pauperibus non sunt deputata. Si ergo primi pauperes non defraudant, multo minus nec secundi.

CAPUT XLVI.

Quod prædicatores specialiter, quamvis non sint prælati, possunt licite de eleemosynis vivere illorum quibus prædicant.

Ad hoc etiam faciunt multa quæ supra dicta sunt in tractatu *De operibus manualibus.*

Nunc secundo ostendendum est quod etiam prædicatores, quamvis non sint prælati, possunt accipere ab illis quibus prædicant, eleemosynas unde vivant. Apostolus enim dicit I Corinth., IX, 7 : *Quis militat suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam, et de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, et de lacte gregis non manducat?* Quæ omnia et pluralia alia exempla inducit, ut *Glossa* dicit, ad ostendendum quod apostoli non sibi aliquid ultra debitum usurpant, si, sicut Dominus constituit, ex Evangelio viventes panem gratuitum manducabant ab eis sumptum quibus gratuitam gratiam prædicabant. Sed constat quod militi cuilibet et plantatori vineæ et pastori gregis debetur victus ex suo opere, propter hoc quod in opere laborant. Cum ergo in Evangelio laborem habeant prædicando non solum prælati, sed etiam quicumque alii licite prædicant, utique possunt ab his quibus prædicant, panem accipere, unde sustententur.

Item. Apostolus probat quod poterant apostoli temporalia accipere ab eis quibus prædicabant, quia eis spiritualia seminabant, quia qui dat magna, non est mirum si accipiat parva, unde dicit in eodem cap., vers. 3 : *Si nos vobis spiritualia seminavimus; magnum est, si nos carnalia vestra metamus?* Sed eadem spiritualia quæ prædicant prælati, prædicant alii ex eorum auctoritate. Ergo etiam ipsi possunt ab his quibus prædicant, carnalia accipere unde vivant.

Item. Eodem cap., vers. 14, dicit Apostolus : *Dominus ordinavit his qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere; Glossa :* « Hoc rationabiliter fecit, ut expeditiores sint ad prædicandum verbum Dei. » Sed omnes qui ad prædicandum deputantur, oportet esse expeditos ad prædicandum, sive sint prælati, sive auctoritate prælatorum prædicent. Ergo ad eos etiam qui non sunt prælati, ordinatio Domini se extendit, ut de Evangelio vivant : quod etiam patet ex ipsis verbis Apostoli. Non enim dicit, qui habent ordinariam auctoritatem, sed simpliciter *qui annuntiant.*

Item. Lucæ, X, Dominus discipulis missis ad prædicandum dicit : *In eadem domo manete edentes et bibentes quæ apud illos sunt; dignus enim operarius mercede sua.* Ex quo patet quod prædicatori quasi merces debetur victus ab his quibus prædicat, ut patet ibidem per *Glossam* quæ dicit : « Nota quod uni operi prædicatorum duæ mercedes debentur : una in via, quæ nos in labore sustentat; alia in patria, quæ nos in resurrectione remunerat. » Sed merces non debetur potestati vel auctoritati vel habitui, sed actui, quia solum actibus meremur; unde et Philosophus in I *Ethicor.* dicit : « Quemadmodum in Olympiadibus non optimi et fortissimi coronantur, sed agonizantes (horum enim quidam vincunt), ita et eorum qui in vita bonorum et optimorum operantes recte, illustres fiunt. » Et hoc est etiam quod Apostolus dicit II Tim.,

II, 5 : *Non coronabitur nisi qui legitime certaverit.* Ergo illi qui prædicant, sive sint prælati, sive non, dummodo licite prædicent, possunt licite de Evangelio vivere.

Item. Magis laborant in Evangelio illi qui prædicant missi a prælatis, quam illi ex quorum collegio mittuntur, vel qui mittunt eos de voluntate prælatorum. Sed illi ex quorum collegio prædicatores mittuntur, quamvis non sint prælati, possunt vivere de eleemosynis acceptis ab his quibus Evangelium prædicant, quod patet ex hoc quod dicitur Rom., XV, 26 : *Probaverunt Macedonia et Achaia collationem aliquam facere in pauperes sanctos qui sunt in Jerusalem. Placuit enim eis, et debitores sunt eorum. Nam si spiritualium eorum participes facti sunt gentiles; Glossa :* « *eorum,* id est Judæorum, qui miserunt eis prædicatores ab Jerosolymis, » *debent et in carnalibus ministrare eis.* Isti autem pauperes non possunt tantum intelligi apostoli, quia non oportebat pro apostolis solum, qui duodecim erant, et parvo victu contenti, facere collectas per omnes Ecclesias, et præcipue cum ipsimet victum acciperent ab his quibus prædicabunt, ut patet I Cor., XI. Ergo multo fortius illi qui prædicant, quamvis non sint prælati, sed a prælatis missi, possunt de Evangelio vivere.

Item. Magis cooperantur prælatis ad Evangelium prædicandum illi qui ex eorum injunctione Evangelium prædicant, quam illi qui in aliis ministeriis eis obsequuntur. Sed prælati prædicantes Evangelium possunt accipere sumptus non solum pro se, sed etiam pro familia sua, quæ eis ministrat. Ergo multo fortius illi qui Evangelium annuntiant ex commissione prælatorum, possunt de Evangelio vivere.

Item. Ille qui impendit aliquid gratis ad quod non tenetur, non minus potest recipere vicem, quam ille qui impendit hoc ad quod tenetur. Sed prælati obligati sunt plebibus ad hoc quod eis spiritualia ministrent; unde dicit Apostolus I Cor., IX, 16 : *Nam et si evangelizavero, non est mihi gloria ; necessitas enim mihi incumbit : væ enim mihi est, si non evangelizavero.* Ergo illi qui non sunt prælati, nec in aliquo plebibus tenentur, non minus possunt licite accipere temporalia ab eis quibus prædicant.

Item Augustinus dicit in lib. *De opere monach. :* « Si evangelistæ sunt, » scilicet hi religiosi, « fateor, habent potestatem, » scilicet vivendi de sumptibus fidelium. Sed non soli prælati sunt evangelistæ, sed omnes qui evangelizare possunt, etiam diacones; unde Ephes., IV, 11, Apostolus dicit : *Dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alias autem pastores et doctores;* distinguens evangelistas a pastoribus et apostolis, per quos prælati intelliguntur. Ergo quicumque prædicant, sive sint prælati, sive non, possunt de Evangelio vivere.

Item. Inter omnes occupationes ecclesiasticas dignior est occupatio eorum qui verbum Dei annuntiant ; unde ad hoc Christus venisse se monstrat, Marc., I, II. Ad hoc etiam missus demonstratur [1], etiam Isa., LXI, 1 : *Ad evangelizandum pauperibus misit me ;* et ad hoc etiam Paulus missum se dicit, I Cor., I, 17 : *Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare.* Sed illi qui occupationibus ecclesiasticis implicantur, non debent manibus laborare, sed de rebus Ecclesiæ vivere, ut dicit Augustinus in lib. *De opere monach.,* de seipso loquens. Ergo multo fortius illi qui occupantur in prædicatione verbi Dei, possunt sine labore manuum de Evangelio vivere.

Item. Utilius est prædicationis officium quam advocationis. Sed advocati qui licite advocationis officium exercent, possunt de suo labore et officio vivere. Ergo multo fortius prædicatores possunt de Evangelio vivere, sive sint prælati, sive non, dummodo licite prædicent.

Item. Quamvis de usura non possit eleemosyna fieri, tamen prædicatoribus est concessum ut ab usurariis eleemosynas accipiant, si aliter non possint morari in terris usurariorum, hac ratione quia gerunt negotia eorum quibus usuræ debentur, dum per prædicationem usurarios ad usurarum restitutionem inducunt, ut *Decretalis* dicit, *Extra.* de sent. excom., cap. *Cum voluntate.* Sed ipsi similiter gerunt negotia omnium et divitum et pauperum, dum divites ad dandum eleemosynas pauperibus inducunt, et dum ad alia salutaria opera alios exhortantur. Ergo possunt licite accipere eleemosynas ab illis quibus prædicant.

[1] Parm. : « venisse se monstrat Marc., I : *Ad hoc missus sum.* Demonstratur. » Et in notula : « Nihil tale in Marco. Lucæ autem XLIII : « ideo missus sum. »

Item. In artibus mechanicis videmus quod non solum illi qui manibus operantur, licite de artificio vivunt, sed et sapiens architectus, qui manibus non laborat et alios dirigit. Sed ille qui de moribus docet, est quasi architectus respectu omnium officiorum humanorum, ut patet per Philosophum in I *Ethic.* Ergo prædicatores possunt de officio prædicationis vivere, etiam si manibus non operentur.

Item. Sanitas animæ præferenda est sanitati corporis. Sed medici dantes consilium de salute corporis, etsi nihil manibus operentur, possunt licite accipere unde vivant. Ergo multo fortius illi qui consulunt saluti animarum etiam si manibus, non laborent.

CAPUT XLVII.

Quod religiosi vel prædicatores possunt licite non solum de eleemosynis eis oblatis vivere, sed etiam illas petere mendicando, quamvis sint corpore validi.

Nunc tertio restat ostendere quod prædicti non solum vivere possint de eleemosynis sponte oblatis, sed etiam eas petere mendicando; quod probatur exemplo Christi, in cujus persona in Psalm. XXXIX, 18, dicitur : *Ego autem mendicus sum et pauper. Glossa :* « Hoc dicit Christus de se ex forma servi; » et infra : « Mendicus est qui ab alio petit, et pauper qui sibi non sufficit. »

Item. In alio Psalm. LXIX, 6 : *Ego vere egenus et pauper sum. Glossa :* « Sum *egenus,* id est petens; *et pauper sum,* id est insufficiens mihi, quia et mundanas copias non habet, et intus ubi est dives, semper ambit, desiderat, accipit. »

Item. In alio Psalm. CVIII, 17 : *Persecutus est hominem inopem et mendicum. Glossa :* « scilicet Christum. » Et alia *Glossa :* « pauperes insequi sola sævitia est : alii pro divitiis vel honoribus interdum hujusmodi patiuntur. » Istæ duæ ultimæ *Glossæ* ostendunt manifeste, quod de mendicitate rerum temporalium prædicta verba intelligere oportet.

Item. II ad Cor., VIII, 9 : *Scitis gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est. Glossa :* « in mundo. « Et quod in hoc Christus sit imitandus, patet per *Glossam,* quæ ibidem dicit : « Nemo se contemnat. Pauper in cella, dives in conscientia, securior dormit in terra quam cum auro dives in purpura. Non ergo expavescas cum tua mendicitate ad illum accedere qui indutus est nostra paupertate. »

Item. Quod Dominus victum petierit, expresse habetur Luc., XIX, 5, ubi Dominus dixit ad Zachæum : *Zachæe, festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere. Glossa :* « Non invitatus se invitat, quia etsi nondum audierat vocem invitantis, audierat tamen affectum. »

Item. Marc., XI, 11 : *Circumspectis omnibus, cum jam vespere esset,* etc. *Glossa :* « *Circumspectis omnibus,* si quis eum hospitio susciperet. Tantæ enim paupertatis fuit, et ita nulli adulatus, ut in tanta urbe nullum hospitium inveniret. » Ex quo patet quod Christus ita pauper erat quod hospitium conducere non posset; sed ab aliis hospitium petebat et expectabat. Unde blasphemum est dicere quod non liceat mendicare.

Item. Hoc probatur exemplo apostolorum, qui jussi sunt a Domino necessaria ad victum in via non ferre, ut patet Matth., X, Marc., VI, et Luc., IX et X. Constat autem quod ipsi imperiose non poterant accipere. Ergo satis evidens est quod necessaria victus humiliter petebant, quod est mendicare.

Item. Hoc etiam patet de discipulis apostolorum post resurrectionem Christi. Dicitur enim in III cap. Joan., VII : *Pro nomine ejus profecti sunt. Glossa :* « Pro nomine Christi ampliando, » *profecti sunt. Glossa :* « alienatis rebus propriis. » Ergo sine necessariis viæ ibant; ex quo patet quod necesse habebant petere.

Item. Homo magis debet sibi providere quam aliis. Sed apostolus petebat eleemosynas pro aliis, scilicet pro pauperibus sanctorum qui erant in Jerusalem. Ergo etiam licet alicui eleemosynas petere pro fratribus suis, vel etiam pro seipso.

Item. Quod mendicare liceat, patet per exemplum beati Alexii, qui omnibus suis dimissis propter Christum, sine labore manuum vivebat de eleemosynis quas mendicando quærebat, ita etiam quod a servis patris sui qui eum quærebant, eleemosynas peteret, et de hoc gratias Deo ageret, quod a servis suis eleemosynas accepisset. Cujus sanctitatis indicium fuit vox cœlitus

delapsa, audientibus Papa et imperatoribus Honorio et Arcadio, et universo populo romano in Ecclesia beati Petri existentibus, quæ testata est meritis ejus Romam stare. Multis etiam miraculis post mortem claruit, unde et canonizatus est, et festum ejus a romana Ecclesia solemniter celebratur.

Item. Hieronymus *Ad Oceanum in commendationem Fabiolæ* dicit quod « optabat suis divitiis pariter effusis pro Christo stipes accipere. » In hoc autem non esset commendanda, si peccatum esset mendicare.

Item. Illud quod est illicitum in Ecclesia, non injungitur alicui in pœnitentiam. Sed pro gravioribus peccatis alicui injungitur quod extra terram suam sine expensis mendicando peregrinetur. Ergo mendicare non est illicitum, sed potest esse pœnitententiæ opus; et ita assumere mendicationem propter Christum ad perfectionem vitæ pertinet, sicut et cætera pœnitentiæ opera, in quibus religiones fundantur.

Item. Sicut ea quibus maceratur corpus, ut jejunium, vigiliæ et hujusmodi, valent contra concupiscentiam carnis, ita ea quæ ad humiliationem hominis pertinent, valent contra superbiam spiritus quæ non minus est fugienda quam concupiscentia carnis, cum etiam peccata spiritualia sint majoris culpæ, ut Gregorius dicit. Sed nihil potest esse inter opera pœnitentiæ quod hominem magis humilem et abjectum reddat quam mendicatio; unde naturaliter omnis homo mendicare erubescit. Ergo sicut ad statum perfectionis pertinet quod homo jejunium et vigilias assumat, ut carnis concupiscentiam domet; ita ad perfectionem vitæ pertinet, si aliquis mendicationem assumat propter Christum, ut spiritum humiliet.

Item. Caritas Christi liberalior est quam amicitia sæculi. Sed licet alicui ex amicitia sæculi aliquid petere ab amico suo quo indigeat, et præcipue si ei in aliquo recompensare potest, nec differt utrum recompensatio fiat de eodem vel de alio, ut dicitur in V *Ethic.* Ergo multo fortius licet alicui, quamvis sit validus, quod petat illa quibus indiget propter caritatem Christi; et præcipue cum possit recompensare recipiens danti in orationibus et aliis spiritualibus bonis.

Item. Licet petere ab aliquo illud ex cujus datione fit dantis conditio melior. Sed ex hoc, scilicet quod aliquis dat eleemosynam, fit ejus conditio melior, quia per hoc meretur vitam æternam. Ergo non est illicitum eleemosynas petere.

Item. Indigentiæ pauperum non potest subveniri, nisi eorum indigentia sciatur. Sciri autem non potest omnino, nisi necessitatem suam petendo exponat. Ergo si licitum est aliquibus quod sint in tali statu quod rebus alienis indigeant ad sustentationem, licitum est quod eas petant. Sed licitum est quod aliqui in statu egestatis se ponant propter Christum, ut supra probatum est, in quo etiam si manibus operentur, oportet quod indigeant multis, ut Augustinus dicit in lib. *De opere monach.* Ergo licitum est eleemosynas petere.

CAPUT XLVIII.

Quod prædictis pauperibus mendicantibus qui omnia reliquerunt propter Christum sunt maxime eleemosynæ dandæ.

Nunc quarto ostendemus quod prædictis mendicantibus eleemosynæ sunt dandæ. Primo per hoc quod habetur in III Canon. Joan. : *Carissime, fideliter facis quidquid operaris in fratres et peregrinos;* et de quibus loquatur subjungit : *Pro nomine ejus profecti sunt. Glossa :* « Alienati a rebus propriis. » Et infra : *Nos ergo debemus suscipere hujusmodi. Glossa :* « Joannes omnia dimiserat et se divitibus connumerat, ut alacriores reddat et promptiores ad commiserandum pauperibus. » Ergo commendabile est dare eleemosynas illis qui pro nomine Christi sine rebus propriis vivunt.

Item. Matth., x, 41 : *Qui recipit justum in nomine justi. Glossa :* « Pro eo quod nominatur justus, » *mercedem justi accipiet. Glossa :* « Dicit ergo aliquis : Ergo et pseudoprophetas et Judam proditorem suscipiemus? Hoc Dominus procurans, dixit personas non esse suscipiendas, sed nomina; et mercede non carere suscipientem, licet indignus sit qui suscipitur. » Ex quo patet quod eleemosynæ sunt dandæ his qui habent nomen sanctitatis, etiam si indigni sint.

Item. Ad Rom., xv, commendat Apostolus Macedones et Achaicos de hoc quod probaverunt collationem facere in pauperes sanctos; ubi dicit *Glossa :* « Hi totos se dederunt divinis obsequiis, nihil mundanum curantes; exemplum bonæ conversationis præbebant credentibus. Istis mit-

tendam fecerant Achaici et Macedones collectam, per quam rem ad hujusmodi opera Romanos Apostolus invitat. » Ergo patet quod prædictis pauperibus eleemosynæ sunt dandæ.

Item. II ad Corinth., VIII, 14 : *Vestra abundantia illorum inopiam suppleat; Glossa :* « Illorum qui omnia mundi deserunt. » Ergo idem ut prius.

Item. Super illud II ad Thess., III, 13 : *Vos autem, fratres, nolite deficere benefacientes; Glossa,* « pauperibus; » et alia *Glossa* : « Quia et si operentur, possunt tamen nonnullis indigere; et ideo monet ne illi qui habebant unde servis Dei necessaria præberent, hac occasione pigrescerent. Non enim in reprehensionem venit qui humanus est in largiendo; sed hic qui cum possit laborem ferre, otiose vult vitam agere. » Ergo patet quod servis Dei est laudabile eleemosynas dare, sive laborent sive non, etiam quando non laborantes reprehensibiles sunt.

Item. Hieronymus *Contra Vigilantium :* « Nec nos negamus cunctis pauperibus, et etiam Judæis et Samaritanis, si tanta sit largitas, stipes porrigendas; sed Apostolus docet faciendam quidem ad omnes eleemosynam, sed maxime ad domesticos fidei, de quibus et Salvator in Evangelio loquebatur : *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, qui vos recipiant in æterna tabernacula.* Numquid isti pauperes inter quorum pannos et illuviem corporis flagrans libido dominatur, possunt habere æterna tabernacula, qui nec præsentia possident nec futura? Non enim simpliciter pauperes, sed pauperes spiritu beati appellantur, de quibus scriptum est Psal. XL : *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem.* In vulgi pauperibus sustentandis nequaquam intellectu, sed eleemosyna opus est; in sanctis pauperibus beatitudinis intelligentia, ut ei tribuat qui erubescit accipere, et cum acceperit dolet, metens carnalia, et seminans spiritualia. » Ex quo patet quod melius est sanctis pauperibus dare eleemosynas quam quibuscumque aliis.

Item. II Corinth., IX, super illud : *Dispersit, dedit pauperibus,* dicit *Glossa :* « Si hujus qui pauperibus largitur, merces magna est : quanto magis ejus qui ministrat sanctis? Pauperes enim dici possunt etiam qui mali sunt. » Et sic idem quod prius.

Item Hieronymus, *Super Epistolam ad Galat.,* exponens illud : *Communicet autem is qui catechizatur,* sic dicit : « His qui adhuc imbecilliores et disciputi et carnales erant, imperat ut quomodo ipsi a magistris spiritualia metunt, sic magistris carnalia præbeant; qui totos se divinæ eruditioni et studio tradentes, vitæ hujus necessariis indigent. » Ergo etiam non laborantibus corporaliter, sed ex toto se studio Scripturarum dantibus, eleemosynæ sunt dandæ.

Item. Hieronymus *Ad Paulinum :* « Quem senseris tibi aut semper aut crebro de nummis loquentem, excepta eleemosyna, quæ indifferenter omnibus patet, institorem potius habeto quam monachum. » Ex quo patet quod monachis et omnibus aliis eleemosynæ sunt dandæ, et quod eis licet loqui de eleemosyna petenda.

Item. Dicitur in *Decret.,* distinct. XLII : « Si quis despicit eos qui fideliter agapes, id est convivia pauperum exhibent, et propter honorem Domini convocant fratres, et voluerit communicare hujusmodi vacationibus, parvipendens quod geritur, anathema sit. » Ergo patet quod excommunicandus est qui dicit eleemosynas indigentibus non esse largiendas.

Item. Proverb., XXI, 13 : *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, et ipse clamabit, et non exaudietur; Glossa* : « Pauperis generaliter, non egent tantum vel corporaliter infirmi. Nam qui criminibus alienis affectus non vult condolere, sed judicantis mavult tenere censuram, ostendit se nondum vitiorum fæcibus expurgatum, neque auditu divinæ misericordiæ dignum. » Patet ergo quod omnibus pauperibus eleemosynæ sunt dandæ, etiam corpore validis.

Item. Super illud Psal. CIII : *Producens fenum jumentis, et herbam servituti hominum,* dicit *Glossa :* « Terra satiabatur *producens fenum,* id est temporalia, *jumentis,* id est prædicatoribus, ut de Evangelio vivant qui Evangelium annuntiant. Nisi terra producat fenum, id est temporalia, non est irrigata, sed sterilis; quod si facit, ipse est fructus. » Et infra : « Debentur prædicatoribus temporalia, qui largiuntur spiritualia, de quibus dicitur : *Beatus qui præoccupat vocem petituri.* Non ita debes agere bovi trituranti, ut mendico transeunti. Illi, scilicet mendico, das, quia legitur : *Omni petenti da;* huic vero etiam non

petenti dare debes. » Et infra : « *Omni petenti da;* quicumque sit, da, agnoscens in eo eum cui des; sed multo magis da servo Dei, militi Christi, et non petenti. » Ex quo patet quod omnibus pauperibus, etiam non petentibus, eleemosynæ sunt dandæ; præcipue tamen prædicatoribus dari debent a suis auditoribus.

Item. Luc., XVI, 9 : *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis; Glossa :* « Non quoslibet pauperes, sed eos qui possunt vos recipere in æterna tabernacula. » Sed maxime possunt in æterna tabernacula recipere pauperes propter Christum, qui etiam judices cum Christo erunt. Ergo eis præcipue sunt eleemosynæ faciendæ.

CAPUT XLIX.

Responsiones ad inducta superius contra veritatem in primo articulo.

Nunc ultimo restat respondere his quæ in contrarium objiciuntur.

Ad id ergo quod primo objicitur, quod *munera excæcant oculos sapientum,* dicendum quod res temporales dupliciter accipi possunt. Uno modo ad divitias augendas et congregandas; et talis receptio munerum ex cupiditate procedit, quæ oculos cordis excæcat, et a justitia declinare facit. Alio modo ad necessitatem victus et vestitus ; et ista munerum acceptio cupiditatem non habet annexam; unde non excæcat oculos, nec verba justitiæ facit mutare. Et hæc distinctio probatur per hoc quod habetur I Tim., ult., 8 : *Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus; Glossa :* « Qui ultra tendit, malum invenit; » unde subditur : *Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum diaboli.*

Ad secundum dicendum quod duplex est servitus. Est enim servitus timoris et amoris. Qui ergo accipit munera ex cupiditate, servus est timoris, quia quæ cum cupiditate acquiruntur, cum timore possidentur; et ab hac servitute liberi debent esse servi Christi. Rom., VIII, 15 : *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore.* Sed qui accipit munera ex caritate, servus est amoris, et ab hac servitute non sunt liberi servi Christi; unde Apostolus dicit II Cor., IV, 5 : *Non nosmetipsos prædicamus, sed Jesum Christum Dominum nostrum; nos autem servos vestros per Jesum.* Patet ergo quod ille qui propter officium caritatis implendum eleemosynas ad corporis sustentationem recipit, non incurrit servitutem quæ sit indigna servis Christi, sed illam quæ competit servis Christi.

Ad tertium dicendum quod dare secundum se est laudabilius quam accipere ; unde et Philosophus dicit in IV *Ethic.,* quod actus liberalitatis magis est in dando quam in accipiendo, quamvis liberalis det et recipiat. Nihil tamen prohibet receptionem esse meliorem ratione alicujus adjuncti, et hoc est per accidens. Dicendum ergo quod si in paupere nihil consideretur nisi receptio eleemosynæ tantum, beatior est dives qui dat eleemosynas quam pauper qui recipit; sed talis potest esse causa recipiendi eleemosynam, quod magis merebitur recipiens quam dans : utpote si se in tali statu propter Christum constituerit, ut eleemosynas recipiat, non quasi coactus, sed voluntarius pauper. Unde *Glossa* ibidem dicit : « Non illis qui relictis omnibus secuti sunt Dominum, divites eleemosynarios præponit; sed illos maxime glorificat qui cunctis quæ possident in semet renuntiantes, nihilominus laborant manibus operando, ut habeant unde tribuant necessitatem patienti. » Et proculdubio hoc est laudabilius in illis duntaxat qui ab aliis magis necessariis occupationibus vacant. Et ita tales si possent sine impedimento talium occupationum laborare, et aliis dare, perfectius esset, ut etiam supra dictum est, cum de labore manuum agebatur. Nec tamen concedendum est quod religiosi teneantur ad omne id quod perfectius est, sed ad illa tantum ad quæ ex voto se astringunt.

Ad quartum dicendum quod Ecclesia non gravatur, si tales de eleemosynis vivunt : quia modicis sunt contenti, magnum fructum in Ecclesia facientes; imo in hoc Ecclesia maxime alleviatur : quia quod alii qui non sunt ita modicis contenti, cum magnis expensis faciunt, hoc idem per tales cum parvis sumptibus expletur. Nec in hoc pauperibus aliquid subtrahitur, quod tales de eleemosynis vivunt : quia talium consilio et inductione multo plura pauperibus dantur quam ipsi accipiant. Et præterea ipsi etiam omnia quæ habuerunt, pauperibus sunt largiti; unde multo plus in sumptibus pauperum posuerunt quam illud quod de eleemonynis accipiunt.

Ad quintum dicendum quod illud decretum perverse inducitur : quod patet ex hoc quod Gratianus dicit in cap. sequenti. Verum his auctoritatibus prohibentur ab Ecclesia suscipi non illi qui quondam fuerunt divites, et postea omnia reliquerunt, ut Petrus, et Matthæus, et Paulus; aut pauperibus distribuerunt, ut Zachæus; aut Ecclesiæ rebus adjunxerunt, sicut illi qui prædia sua vendentes, ponebant pretia ante pedes apostorum, ut essent illis omnia communia : sed illi qui in domibus parentum residentes, vel sua relinquere nolentes, ecclesiasticis facultatibus pasci desiderant.

Ad sextum dicendum quod Augustinus loquitur de illis qui sunt otio dediti, qui in nullo possunt esse utiles illis a quibus pascuntur : tales enim necesse est ut adulentur ad hoc ut pascantur. Tales enim pascere onerosum esset cuilibet, nisi favorem pascentis saltem adulationibus captarent. Sed illi qui pascuntur propter Christum, a quibus pascentes scilicet sperant spiritualia pro temporalibus quæ largiuntur, non oportet adulari, quia talibus non datur propter eos, sed propter illum cujus sunt servi, qui in eis recipitur, ut dicitur Matth., x, 40 : *Qui recipit vos, me recipit;* ubi *Glossa :* « Quia non aliud recipit in apostolis quam quod in Christo est. » Et sic patet quod illi qui pauperes efficiuntur et mendicant et de eleemosynis vivunt propter Christum, non sibi necessitatem adulationis imponunt. Sed major necessitas adulationis et servitutis inest divitibus, quos oportet adulari principibus ut divitias amplient et conservent. Unde dicit Chrysostomus *Super Matth. :* « Adulari necesse est principes et milites et subjectos, et multis indigere et turpiter servire et formidare et suspicari et timere eorum qui suspicantur, oculos et calumniantium ora, et avarorum concupiscentias. Sed non est paupertas aliquid tale, sed contrarium universum. »

Ad septimum dicendum quod, quamvis accipere non sit actus liberalitatis, nisi prout ordinatur ad dandum; tamen accipere necessaria ad victum, actus est humilitatis in his qui tantum se humiliaverunt propter Christum, ut se subjicerent egestati; quæ quidem virtus est eminentior quam liberalitas.

Ad octavum dicendum quod Augustinus in libro illo reprehendit monachos qui volebant de eleemosynis vivere, propter duo. Primo propter errorem in quem inciderant, ut scilicet dicerent manibus operari esse contrarium præcepto evangelico quod habetur Matth., vi, 25 : *Nolite solliciti esse corpori vestro,* etc. Secundo, quia propter pigritiam a labore manuum desistebant, laboriosam vitam fugientes, qua in sæculo laboraverunt. Unde de his dicit quod nullo modo decet ut in ea vita ubi senatores fiunt laboriosi, ibi stent opifices otiosi; eos autem qui in sæculo possessiones habuerunt unde viverent sine labore manuum, vel qui occupationibus ecclesiasticis occupantur, non prohibet de eleemosynis vivere, exemplo eorum quos tales fuisse in primitiva Ecclesia Jerosolymis dicit; et hoc manifeste patet verba libri diligenter intuenti. Et quamvis si non prædicent, non habeant potestatem vivendi de eleemosynis, quasi operarii de mercede laboris, non tamen eis prohibetur quin sicut pauperes de eleemosynis vivant. Alio enim modo debetur eleemosyna pauperi, et alio modo prædicatori, ut dicit *Glossa* super illud Psal. CXIII : *Producens fenum jumentis.*

Ad nonum dicendum quod, ut dictum est, prælatis victus necessaria a subditis accipere licet, quia laborant in Evangelio. Merces enim operi debetur, non potestati aut auctoritati. Cum ergo religiosi ex commissione prædicantes similiter laborent, dignum est ut et ipsi ab his quibus prædicant, necessaria victus accipiant. Sunt tamen et aliæ causæ propter quas et religiosi etiam non prædicantes necessaria victus a fidelibus accipere possunt : puta, quia omnia sua propter Christum reliquerunt, vel quia ministrant altari, cujus sacrificium, ubicumque agatur, commune est toti populo fidelium, vel quia vacant studio sacræ Scripturæ, contemplationi, orationi et aliis spiritualibus ad communem utilitatem totius Ecclesiæ.

Ad decimum dicendum quod non est inconveniens, illud quod alicui datur pro mercede, alteri dari gratis et misericorditer. Unde victus qui ministratur prædicatoribus quasi debita merces laboris, potest omnibus pauperibus misericorditer et meritorie dari, non ut debita merces, sed quasi subsidium caritatis.

Ad undecimum dicendum quod majus damnum sequebatur ex prædicatione pseudo-apostolorum, quibus prædicandi occasio-

nem apostolus auferebat de sumptibus fidelium non vivendo, cum contraria fidei prædicarent, quam de hoc quod apostolus se labori manuum implicabat de proprio labore vivens. Nunc autem est e converso, quia major profectus est Ecclesiæ fidelibus de hoc quod aliqui exemplum humilitatis præbent in paupertate et mendicitate vivendo voluntarie propter Christum, et dimisso labore manuum, occupando se in his quæ pertinent ad salutem animarum, quam sequatur damnum de hoc quod aliqui turpiter de eleemosynis vivere volunt. Et ideo non debent desistere pauperes Christi ab hoc quod de eleemosynis vivant, ut aliis occasionem auferant.

Ad duodecimum dicendum quod apud Judæos consuetudo erat ut doctoribus ab aliis subsidia vitæ ministrarentur, ita etiam inter cunctos fideles in consuetudinem venit, divulgata evangelica doctrina, quæ hoc ordinavit; unde etsi a principio conversionis gentium, quando adhuc in gentibus hoc non consuetum erat, dimittebant sumptus accipere propter scandalum; nunc tamen hoc scandalum non est timendum, et præcipue in illis qui modico victu et vestitu sunt contenti, de quo multo plures ædificantur quam scandalizantur. Qui enim de hoc scandalizantur, pharisæorum scandalum sibi inducunt, quod Dominus parvipendere jubet Matth., xv. Secus autem esset, si eleemosynam acciperent non solum ad necessitatem victus, sed ad laute vivendum, vel ad divitias congregandas.

Ad decimum tertium dicendum quod eadem ratione probari posset quod virginitas non sit bona, quia hoc Hieronymus dicit *Contra Vigilantium* prædictam rationem facientem : « Si omnes virgines fuerint, nuptiæ non erunt, interibit humanum genus; » et infra : « Rara est victus, nec a pluribus appetitur, atque utinam hoc omnes essent quod pauci sunt, de quibus dicitur : *Multi sunt vocati, pauci vero electi.* » Ex quo patet solutio prædictæ objectionis. Opera enim perfectionis tantæ difficultatis sunt, quod paucorum est se ad ea extendere. Nec dicendum quod timendum sit quod dum omnes eis inhærent, mundus pereat[1].

Ad decimum quartum dicendum quod in verbis illis accipitur stipes largo modo pro omni eo quod præter manuum laborem acquiritur, sive sit ex patrimonio habitum, sive ex quibuscumque redditibus. Unde sequitur quod propter verba inducta non solum eos qui semetipsos fulciri vel parentum facultatibus, vel famulorum laboribus, vel frumentorum fructibus gloriantur, sed ipsos etiam reges mundi, hujus agape, id est eleemosyna, certum est sustentari. Qui enim ad necessitatem quotidiani victus eo inservimus; quod opere manuum nostrarum effectum partumque non fuerit ad agapem referri debere Patres censentur. Ex quo patet quod non loquitur de nutrimento culpæ; alias, omnes absolute peccarent qui etiam rebus suis utendo ad victum labore manuum non laborant. Sed loquitur de nutrimento perfectionis qui consistit in hoc quod homo sua pauperibus eroget, et labore manuum suum corpus exercitet, cui tamen exercitationi corporali, secundum Apostolum, opera pietatis, sicut prædicare et docere, et hujusmodi omnia præferuntur.

Ad decimum quintum dicendum quod Hieronymus loquitur de seipso, ut patet *Epistolam* inspicienti, in statu quo solitariam vitam agebat in eremo, ubi nec docebat, nec prædicabat. Et tamen ex hoc non

[1] Parm. omittit duas solutiones quæ sequuntur : Ad decimum quartum dicendum quod in verbis illis accipitur stipes largo modo pro omni eo quod præter manuum laborem acquiritur, sive sit ex patrimonio habitum, sive ex quibuscumque redditibus. Unde sequitur quod propter verba inducta non solum eos qui semetipsos fulciri vel parentum facultatibus, vel famulorum laboribus, vel frumentorum fructibus gloriantur, sed ipsos etiam reges mundi, hujus agape, id est eleemosyna, certum est sustentari. Qui enim ad necessitatem quotidiani victus eo inservimus; quod opere manuum nostrarum effectum partumque non fuerit ad agapem referri debere Patres censentur. Ex quo patet quod non loquitur de nutrimento culpæ; alias, omnes absolute peccarent qui etiam rebus suis utendo ad victum labore manuum non laborant. Sed loquitur de nutrimento perfectionis qui consistit in hoc quod homo sua pauperibus eroget, et labore manuum suum corpus exercitet, cui tamen exercitationi corporali, secundum Apostolum, opera pietatis, sicut prædicare et docere, et hujusmodi omnia præferuntur.

Ad decimum quintum dicendum quod Hieronymus loquitur de seipso, ut patet *Epistolam* inspicienti, in statu quo solitariam vitam agebat in eremo, ubi nec docebat, nec prædicabat. Et tamen ex hoc non posset haberi quod hoc fecerit quasi ex præcepto, sed propria voluntate, nisi forte secundum statuta eremitarum, ad laborandum manibus obligaretur.

posset haberi quod hoc fecerit quasi ex præcepto, sed propria voluntate, nisi forte secundum statuta eremitarum, ad laborandum manibus obligaretur.

CAPUT L.

Responsiones ad inducta superius contra veritatem in secundo articulo.

Ad ea autem quibus ostendere nituntur quod non liceat mendicando eleemosynas petere, hoc modo respondendum est.

Ad primum ergo dicendum quod cum dicitur : *Omnino indigens et mendicus non erit inter vos,* non prohibetur quin aliquis statum mendicitatis vel paupertatis assumat; sed quod non ita derelinquatur ab aliis, ut in talem statum incidat, in quo eum oporteat de necessitate mendicare, et hoc patet per id quod præcedit : *Divem et propinquum repetendi non habebis potestatem;* et *Glossa* ibi dicit : « Licet omnes proximi nostri sint, illis tamen maxime misericordia impendenda est qui Christi nobiscum sunt membra. » Ex quo patet quod ubi præcipitur misericordia, non prohibetur mendicitas.

Ad secundum dicendum quod *Glossa* exponit de pane spirituali; unde dicit : « *Non vidi justum derelictum* a Deo, *nec semen ejus quærens panem* spiritualem, id est indigere pane verbi Dei, quia verbum Dei semper cum eo est. » Si tamen de pane materiali intelligatur, intelligendum est quod justi non quærunt panem ex necessitate quasi derelicti a Deo, cum dicatur Hebr., ult., 5: *Non te deseram neque derelinquam,* non tamen excluditur quin illi qui sunt justi voluntarie se possint exponere paupertati propter Christum; quod tamen forte temporibus Psalmistæ factum non erat, quia perfectionis opera tempori gratiæ servabantur.

Ad tertium dicendum quod non est inconveniens quod illud quod alicui in pœnam infligitur, ab alio voluntarie assumptum in justitiam vertatur; sicut aliqui propter scelera quæ committunt, rebus suis spoliantur; et tamen ad perfectionem justitiæ pertinet quod aliquis rebus propriis se spoliet propter Christum. Et similiter mendicitas quamvis aliquibus malefactoribus indicatur a Deo in pœnam, nihil tamen prohibet quin voluntarie assumpta propter Christum, ad perfectionem justitiæ pertineat.

Ad quartum dicendum quod per illam *Glossam* prohibetur quod aliquis non petat ex cupiditate; alias *Glossa* non concordaret textui; in textu enim dicitur : *Ut nullius aliquid desideretis.* Ex cupiditate autem quærunt non qui necessaria victus et vestitus petunt, sed qui ultra hoc quærunt unde divites fieri possint; ut patet per hoc quod dicitur I Timoth., VI, ut supra dictum est.

Ad quintum dicendum quod duplex est mendicitas : coacta scilicet et voluntaria. Coacta mendicitas, quia contra voluntatem est, periculum impatientiæ habet annexum. Voluntaria autem mendicitas, quæ non ex cupiditate procedit, ut dictum est, humilitatis meritum habet adjunctum. Unde Augustinus per verba illa non prohibet mendicitatem voluntariam, sed docet occasionem necessariæ mendicitatis vitandam esse a pauperibus Christi, dum manibus laborant, quod patet per hoc quod dicit : « Ut non compellantur egestate necessaria petere. »

Ad sextum dicendum quod Hieronymus loquitur de petitione et acceptione eorum quæ sunt ultra necessarium victum, quod patet ex hoc quod loquitur Nepotiano presbytero, qui de rebus mundi sufficienter habebat ad vitam sustentandam. Unde patet quod non est ad propositum.

Ad septimum dicendum quod lex illa loquitur de validis mendicantibus, qui nullam utilitatem reipublicæ afferebant, sed otiose viventes usurpabant illud quod aliis pauperibus debebatur, quod patet ex hoc quod lex eos inertes nominat, sicut sunt guliardi et alii similes, qui victum ab hominibus quærunt otiose viventes, quod non nisi perversissime in religiosos retorqueri potest. Et tamen non oportet quod peccatum semper sit gravius quod gravius punitur, quia pœnæ peccatoribus infliguntur non solum propter vindictam culpæ, sed etiam propter correctionem vel ejus qui peccavit, vel aliorum; unde pro minori peccato aliquando aliquis gravius punitur, quando homines ad peccatum illud sunt proniores, ut terrore pœnæ magis caveant. Capitulum autem inductum loquitur de pœna quæ inducitur ad vindictam peccati tantum.

Ad octavum dicendum quod illi de quibus Augustinus loquitur, non solum petebant necessaria victus, sed aliquid ultra ad

divitias congregandas, nec habebant veram sanctitatem, sed simulatam, quod patet ex hoc quod dicit quod « exigebant sumptus lucrosæ egestatis, aut simulatæ pretium sanctitatis, » et hoc proculdubio reprehensibile erat.

Ad nonum dicendum quod erubescentia semper est de turpi, turpe autem pulchro opponitur; unde secundum differentiam pulchri oportet accipere differentiam turpitudinis et ruboris. Est enim duplex pulchritudo. Una spiritualis, quæ consistit in debita ordinatione et affluentia bonorum spiritualium ; unde omne quod procedit ex defectu spiritualis boni, vel quod interiorem inordinationem ostendit, turpitudinem habet. Alia est pulchritudo exterior, quæ consistit in debita ordinatione corporis et affluentia exteriorum rerum, quæ ad corpus ordinantur; et e converso inordinatio corporis vel defectus temporalium rerum exteriorem quamdam turpitudinem habet. Et sicut utraque pulchritudo delectat et desideratur, ita utraque turpitudo erubescentiam parit. Verecundatur enim aliquis de hoc quod est pauper, vel de hoc quod est corpore [1] vitiatus, vel de hoc quod est inscius, vel inordinata gessit. Quia igitur turpitudo interior semper est reprobanda, ideo omne quod habet erubescentiam prædictæ turpitudinis, reprobandum est. Nec est instantia de confessione peccatorum, quia confitens non erubescit de confessione, sed de peccato quod confessio manifestat. Defectus autem exteriorum vel turpitudo a sanctis viris contemnitur, et quandoque perfectionis studio ab eis assumitur propter Christum. Unde illud quod habet erubescentiam illius turpitudinis, non semper est reprobandum; imo quandoque maxime laudatur, quando propter humilitatem assumitur. Mendicare autem habet erubescentiam huic secundæ turpitudini respondentem : quia omnis mendicans se pauperem ostendit, et quodammodo se subjicit ei a quo mendicat, quæ ad defectum exteriorem pertinent; unde mendicitas propter Christum assumpta non solum non est reprobanda, sed maxime laudanda.

Ad decimum dicendum quod ille a quo eleemosyna petitur, non debet habere tædium, si ordinate ab eo petatur; et ideo quando aliquis ordinate eleemosynam petit, scilicet ad necessitatem sustentandam, non est in culpa qui petit, sed ille qui ad tædium removendum dat. Si autem inordinate petatur, petens etiam peccat.

CAPUT LI.

Solutiones ad inducta superius contra veritatem in tertio articulo.

Ad ea vero quibus ostendere nituntur quod religiosi prædicantes non possunt de eleemosynis vivere vel eleemosynas petere, per ordinem deinceps respondendum est.

Ad primum ergo dicendum quod, quamvis prædicatores de eleemosynis vivant, non tamen sequitur quod adulentur. Quamvis enim qui sine adulatione prædicant, non habeant gratiam apud malos, qui dicuntur homines carnales, habent tamen gratiam apud bonos; et ideo quandoque si sine adulatione prædicant, coguntur defectus multos pati, quando scilicet in illos incidunt apud quos sine adulatione gratiam habere non possunt ; quandoque autem sine egestate sunt, quando in illos incidunt quorum sine adulatione gratiam habent. Unde et Christus hospitium quandoque habere non poterat, quandoque etiam invitabatur a multis, et mulieres quæ eum sequebantur, de suis facultatibus ei ministrabant, ut dicitur Luc., VIII. Ita etiam apostoli quandoque multas penurias sustinebant, quandoque autem abundabant, in utrisque modeste se habentes. Philip., ult., 12 : *Scio et abundare, et penuriam pati.* Et has etiam vicissitudines pauperes prædicatores nostri temporis experiuntur frequenter.

Ad secundum dicendum quod prædicatores eleemosynas petentes non faciunt aliquid in quo sit occasio avaritiæ. Avaritia enim est immoderatus amor habendi; velle autem victum et vestitum ad necessitatem, non est immoderatum. I Tim., ult., 8 : *Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus.* Unde pauperes qui petunt necessaria victus et vestitus, et aliorum quæ humana vita exigit, non sunt in aliqua occasione avaritiæ.

Ad tertium dicendum quod prædicatores non debent quærere temporalia quasi ex

[1] Al. : « de corpore. »

principali intentione, ut in eis finem constituant; possunt tamen quærere secundario, ut sustententur ad Evangelium prædicandum, quod primo quærere debent. Matth., VI, 36 : *Primum quærite regnum Dei et justitiam ejus; Glossa :* « Hic aperte ostendit ista non esse petenda tanquam bona nostra, etsi necessaria. Regnum enim petendum est, et in eo finis noster est ponendus, propter quem omnia faciamus; verbi gratia, manducemus ut evangelizemus, non evangelizemus ut manducemus. »

Ad quartum dicendum quod, sicut supra probatum est, sumptus quem prædicatores accipiunt, debetur eis tanquam merces. Merces autem alicui operanti debetur dupliciter. Uno modo ex debito legalis justitiæ, sicut quando pactum intervenit inter operantem et eum cui operatur, ita quod operarius potest alium compellere ad solvendum. Alio modo ex debito justitiæ amicabilis, sicut quando aliquis amicabiliter alteri de suo labore servit, debitum est ut alius ei suo modo vicem rependat, quamvis non possit eum per judicium compellere. Hos enim duos justitiæ modos Philosophus distinguit in VIII *Ethic.* Dico ergo quod quando aliquis prælatus alicui plebi præficitur, hoc modo ad invicem colligantur, quod subditi possunt a prælato spiritualia petere, et prælati a subditis temporalia; sed ab aliis qui non sunt prælati non possunt subditi spiritualia exigere, nec e converso ipsi possunt eos cogere ad solvendum temporalia, quamvis ex licentia prælatorum spiritualia seminent, nisi forte quantum ad omnia vicarii prælatorum constituantur. Patet igitur quod diversimode accipiunt sumptus pauperes qui omnino nihil impendunt, et religiosi qui non sunt prælati, sed prædicant de licentia prælatorum, et prælati; quia alii pauperes totaliter accipiunt gratis, unde in eis est pura mendicitas; sed prædicantes qui non sunt prælati, accipiunt sicut mercedem debitam; unde habent potestatem accipiendi, quamvis non coactivam; prælati autem etiam coactivam habent potestatem. Si tamen ille qui potest aliquid ex potestate accipere, petat non quasi debitum, sed quasi omnino gratuitum, nulli facit injuriam, sed in se humilitatem commendabilem reddit.

Ad quintum dicendum quod Apostolus volebat ostendere quod ipse poterat sumere sumptus a fidelibus eadem ratione qua alii apostoli accipiebant, et ideo ut ostenderet se eamdem habere potestatem, primo ostendit se apostolum esse, sicut et alii apostoli erant.

Ad sextum dicendum quod pseudo-apostoli usurpabant sibi indebite sumptus fidelium tripliciter. Primo quia falsa prædicabant, et contra evangelicam doctrinam, ut patet Roman., ult., super illud : *Rogamus autem vos fratres ;* quod *Glossa* de pseudo-apostolis exponit, qui credentes cogebant judaizare. Secundo quia prædicabant non missi a veris apostolis : unde Apostolus vocat eos ad Galat., II, *subintrantes.* Tertio quia auctoritative exigebant ac si essent apostoli. Et hæc tria deficiunt in proposito : unde ratio non valet.

Ad septimum dicendum quod prædicti religiosi prædicantes petunt quod est eis debitum per secundum modum justitiæ, quia debitum justitiam respicit; sed in hoc commendabiliores sunt, quia hoc quod est debitum, ut gratuitum petunt.

Ad octavum dicendum quod prælati recipientes a populo decimas et oblationes, etsi ipsi solvant per se debito modo spiritualia seminando, possunt tamen ad majorem plebis utilitatem etiam alios cooperatores habere; unde nulla injuria fit plebi, si plus de temporalibus conferant quam sit statutum, quando et plus de spiritualibus eis impenditur quam prælati teneantur, et præcipue ex quo non potestative accipitur, sed caritative et humiliter petitur.

Ad nonum dicendum quod unusquisque abrenuntiare potest ei quod sibi debetur; unde etsi prælati ex debito teneantur providere eis quos mittunt ad prædicandum, possunt tamen qui mittuntur huic debito abrenuntiare. Nec tamen in hoc aliquod gravamen ingeritur illis ad quos mittuntur, cum ab eis ultra necessaria victus non petant, nec etiam ista exigant coactive, sed caritative, *prout unusquisque destinavit in corde suo,* in hoc exemplum Apostoli imitantes II Cor., VIII et IX cap.

Ad decimum dicendum quod hypocritæ propter hoc a Domino redarguuntur, quia per orationem, et alia quæ superstitiose agebant, solum intendebant ad quæstum; unde *Glossa* ibi : *Væ vobis, scribæ et pharisæi,* qui vestra superstitione nihil intenditis nisi ut prædam de subjecta plebe faciatis. » Hoc autem de aliquo judicare est temerarium, cum pertineat ad intentionem cordis.

Ad undecimum dicendum quod ad infames personas prædicatores declinare non debent, ita quod eorum infamia in prædicatores retorqueri possit; sic enim prædicatio venit in contemptum : quia, sicut dicit Gregorius, « cujus vita despicitur, consequens est ut ejus prædicatio contemnatur ; » et sic loquitur *Glossa* inducta. Si autem ad peccatores[1] declinent qui eorum consortio meliores reddantur, et ipsi exinde non infamentur, laudabile est, quia hoc Dominus legitur fecisse ; unde Matth., IX, 11 : *Videntes hoc pharisæi, discipulis ejus dicebant : Quare cum publicanis et peccatoribus manducat magister vester ?* ubi et *Glossa* dicit quod « Dominus suis in hoc misericordiæ exemplum dedit. » Si tamen illi ad quos declinant, hoc sibi pro gratia non imputant, eorum culpa est, non illorum qui ad eos declinant.

Ad duodecimum dicendum quod illi qui evangelizant, etsi accipiant ab eis quibus prædicant necessaria vitæ, non tamen Evangelium vendunt, quia non habent finalem intentionem ad ea quæ accipiunt, ut supra dictum est ; unde I Tim., V, super illud : *Qui bene præsunt presbyteri,* etc., dicit *Glossa :* « Boni dispensatores et fideles non solum honore sublimi præveniri debent, sed et terreno, ut non contristentur ; » et infra : « Necessitatis ergo est accipere unde vivitur ; caritatis est præbere. Non tamen venale est Evangelium, ut pro his prædicetur, sed pro æternis. Si enim sic vendunt magnam rem, vili vendunt. Accipiant ergo sustentationem necessitatis a populo, mercedem dispensationis a Domino. Non enim a populo redditur quasi merces, propter quam scilicet finaliter serviatur illis qui sibi in caritate serviunt Evangelii, sed tanquam stipendium datur, quo, ut possint laborare, pascantur. »

Ad decimum tertium dicendum quod quamvis potuerit esse aliqua species mali accipere victum a gentibus quibus fides prædicabatur, propter hoc quod non erat eis consuetum, ut supra dictum est, tamen nunc species nulla mali apparet, divulgata Evangelii doctrina, quæ hæc deberi evangelizantibus ordinavit, et præcipue illis qui non quærunt ad superfluitatem, sed ad necessitatem ; et de quibus constat quod non propter hoc labori Evangelii se exponunt ut lucrentur ; cum hoc quod propter Evangelium accipiunt, multo sit minus eo quod ab eis in sæculo relictum fuit propter Christum.

CAPUT LII.

Solutiones ad inducta superius contra veritatem in quarto articulo.

Ad ea vero quibus ostendere nituntur quod talibus eleemosynæ non sunt dandæ, jam per ordinem respondendum est.

Ad primum ergo dicendum quod, cum dicitur : « Voca pauperes, a quibus in præsenti nil potes expectare, » intelligendum est quod excluditur intentio retributionis in præsenti, non autem possibilitas eventus ; cum nullus sit pauper a quo aliquis non possit juvari in præsenti, quandoque aliquo casu emergente. Et quod ita debeat intelligi, patet per *Glossam,* quæ ibi dicit : « Si intendis invitare ut inviteris, ibi potes falli. » Nec tamen intelligendum est quod semper retributione æterna careat, si aliquis divites vel amicos ad convivium vocet ; cum hoc possit ex caritate procedere, et propter Deum fieri ; unde *Glossa* ibi dicit quod qui pauperes vocat, in futuro præmium percipiet ; qui amicos, fratres et divites vocat, recepit mercedem suam. Sed si hoc propter Deum facit in exemplo filiorum Job, sicut cætera fraternæ dilectionis officia, ipse qui jussit, remunerat. » Nec tamen intelligendum est quod si fratres et familiares propter solam familiaritatem vocentur, quod sit peccatum, quamvis merito æterno careat ; unde *Glossa* ibidem dicit : « Fratres, amicos et divites alterutrum convivia celebrare non quasi scelus interdicit, sed ostendit non valere ad præmia vitæ. »

Ad secundum dicendum, quod verbum Augustini intelligendum est in illo casu in quo loquitur Sapiens, Eccl., XII, 4 : *Da misericordi, et ne suscipias peccatorem;* ubi dicit *Glossa :* Peccatoribus, pro eo quod peccatores sunt, noli communicare, sicut qui nutriunt histriones, cum esuriant Christi pauperes. » Qui autem dat indigenti peccatori, non quia peccator est, sed quia homo est ; non peccatorem, sed justum nutrit ; quia culpam non diligit, sed naturam : unde quando eleemosyna datur alicui

[1] Al. : « prædicatores. »

propter hoc quod peccator est, vel ut peccator sit, magis esset ei subtrahenda. Nec tamen sequitur quod pauperibus Christi qui manibus non laborant, eleemosynæ non sint dandæ. Non enim ex hoc injustitiam incurrunt, cum non laborando non peccant, ut supra ostensum est. Et si etiam peccatores essent, non tamen eis daretur propter hoc quod sunt peccatores, sed quia sunt indigentes.

Ad tertium dicendum quod ei qui inordinate petit, non est danda res petita, sed correptio ; sed ei qui ordinate petit, danda est res, si facultas adsit. Unde Gregorius, XXI *Moral.*, super illud Job : *Si negavi quod volebant pauperibus*, dicit : « Per hæc dicta vir sanctus ostendit non solum ad inopiam pauperibus, sed etiam ad habendi desiderium deservisse. Sed quid, si ipsa vellent pauperes quæ fortasse accipere non expediret ? An quia in Scriptura sacra pauperes humiles dici solent, ea sola æstimanda sunt quæ pauperes accipere volunt, quæ humiles petunt ? Et proculdubio oportet ut incunctanter[1] detur quiquid cum vera humilitate requiritur : id est quod non ex desiderio, sed ex necessitate postulatur. Nam valde jam superbire est extra metas inopiæ aliquid desiderare. » Patet ergo quod petentibus ad necessitatem danda est indubitanter res, sed petentibus ad superfluitatem danda est correptio.

Ad quartum dicendum quod tunc in pœnam subtrahenda est eleemosyna petentibus, quando ex acceptis occasionem injustitiæ manifeste accipiunt ; nec tamen etiam ita sunt eis subtrahendæ quin in ultima necessitate eis subveniatur. Religiosi autem pauperes non ex eleemosynis acceptis ad injustitiam abutuntur, sed magis per eas ad injustitiæ opera sustentantur. Unde ratio non est ad propositum.

Ad quintum dicendum quod Ambrosius non dicit pensanda esse in his quibus datur eleemosyna, debilitatem corporis et verecundiam, quasi rationes dandi, quia ratio dandi est indigentia ejus cui datur, sed quasi rationes quare his magis dari debeat. Unde non sequitur quod non debilibus, vel his qui non verecundantur accipere, non sit dandum ; sed quod debilibus et verecundis magis sit dandum, cæteris paribus : quia prædictæ duæ conditiones non sunt solæ quæ debeant movere ad magis dandum ; sed multæ aliæ, sicut bonitas personæ, propinquitas, indigentia et multa hujusmodi. Nec tamen verecundia accipiendi est tantum in illis qui sua violenter amiserunt, sed etiam in illis qui voluntarie sua dimiserunt propter Christum ; cum quandoque æqualiter utrique ingenuos natales habeant, quos verecundia prodit, quamvis forte voluntarii pauperes magis verecundiam rationi subjiciant, sicut et cæteras passiones.

Ad sextum dicendum quod cum multæ sint conditiones quare alicui potius sit eleemosyna danda quam alteri, ut dictum est, non potest ex una sola conditione absolute concludi quod tali sit eleemosyna semper magis danda, ut puta quod magis indigenti semper magis sit danda. Unde, si aliæ conditiones præponderent in alio minus indigente, est magis dandum ei. Inter omnes autem conditiones efficacior est debitum, ut dicit Philosophus in IX *Ethic.*, quia magis debemus reddere debitum quam gratiam impendere, nisi multæ conditiones ex alia parte præponderarent, ut ibidem dicitur. Unde, cum prædicantibus debeantur necessaria victus quasi stipendia quædam, ut dictum est, his potissime sunt eleemosynæ dandæ, præcipue si indigeant, nisi multum ex alia parte præponderarent aliæ conditiones.

Ad septimum dicendum quod, sicut duplex est felicitas, spiritualis scilicet et temporalis, ita duplex miseria, scilicet temporalis et spiritualis. Quamvis ergo voluntarii pauperes non sint miseri spirituali miseria, quæ simpliciter miseria est, cum Dominus beatos eos vocet, Matth., v, et Luc., vi, possunt tamen temporali miseriæ esse subjecti ; unde et de temporalibus est eis misericordia exhibenda.

Ad octavum dicendum quod propinquitas est una de conditionibus quæ facit quod alicui sit magis dandum, non tamen est sola ; et ideo non oportet quod semper magis propinquis magis detur, ut ex dictis patet.

[1] Al. : « inconstanter. »

TERTIA PARS.

IN QUA OSTENDITUR QUOMODO RELIGIOSORUM FAMAM CORRUMPERE NITUNTUR, IN MULTIS EOS FRIVOLE IMPUGNANDO.

PROLOGUS.

Nunc accedendum est ad refellendum ea quæ a prædictis malignantibus in religiosorum infamiam proferuntur, quod ex eorum præsumptione procedit; quia ut Gregorius dicit in V *Moral.* : « Nequaquam quis sanctorum neglecta corrigere præsumeret, nisi de se prius meliora sensisset. » Unde Hieronymus Sabinianum super hac materia sic alloquitur : « Ne tibi solus videaris errasse, simulas nefanda de servis Dei, nesciens quod iniquitatem in alterum loquaris, et ponas in cœlum os tuum. Nec mirum, si a te qualescumque servi Domini blasphementur, cum patrem familias Beelzebub vocaverint patres tui. »

CAPUT I.

Proponuntur duo modi principales quibus isti adversarii pervertunt judicium contra religiosos.

Et ne quid eis ad malitiam desit, dupliciter pervertunt judicium : scilicet male judicando de rebus, et male judicando de personis. Et hæc duplex judicii perversitas distinguitur in *Glossa* I Corinth., IV, super illud : *Nolite ante tempus judicare;* unde dicit : « Cavendum est ne perniciosa opinatione fallamur, ut quia non possumus hominum indagare conscientiam, de ipsis rebus habeamus veram certamque scientiam ; hoc modo ut si nesciamus an ille vel ille homo sit impudicus pudicusve, vel justus vel injustus, oderimus tamen impudicitiam et injustitiam, et justitiam pudicitiamque diligamus ; et hæc appetenda illaque vitanda, in Dei veritate conspiciamus ; ut cum de ipsis rebus quod appetendum est appetimus, et quod devitandum est devitamus, ignoscatur nobis quod de hominibus aliquando, imo assidue, non vera sentimus. »

Quia vero perversitas judicii de rebus perniciosior est, ut ibidem habetur per *Glossam;* periculosiori morbo primitus occurrentes, primo videamus qualiter judicium pervertunt in rebus ; deinde qualiter in personis.

CAPUT II.

Pervertunt judicium tripliciter.

In rebus si quidem pervertunt judicium tripliciter. Primo manifesta bona quæ a religiosis aguntur, prava esse judicando, secundum illud Eccl., XI, 33 : *Bona in mala convertens insidiatur, et in electis imponet maculam.* Secundo quæ bene et male possunt fieri, illicita asserendo. Tertio [1] ea quæ sunt mala levia ultra modum aggravando : sed hoc ponitur quasi in principio secundæ particulæ

CAPUT III.

Primus modus detractionis.

In hoc autem quod bona quæ a religiosis aguntur, judicant esse mala, seipsos condemnant ; et eos contra quos loquuntur maxime commendabiles ostendunt. Si quidem condemnant, quia sibi bona displicere ostendunt ; unde de talibus dicit Gregorius in VI *Moral.* : « Nunc malis bonis derogat, et recta quæ agere negligit, hæc in aliis obtrectando, lacerare non cessat. » Commendabiles etiam ex hoc illos contra quos loquuntur, ostendunt, in eis Danielis innocentiam ostendentes, de quo dixerunt principes Babylonis, Dan., VI, 5 : *Non inveniemus Danieli, huic aliquam occasionem nisi forte in lege Dei sui; Glossa :* « Felix conversatio, in qua inimici culpam non inveniunt nisi in lege quam custodit. » Ita et prædicti malignantes in lege Dei, quam religiosi custodiunt, occasionem detractionis inveniunt, eos in contemptum inducentes.

Primo, ex ipso habitu humilitatis quem deferunt.

Secundo, ex officio caritatis quod proximis impendunt, dum aliis serviunt juxta posse aliorum negotia caritative pertractando.

Tertio, ex hoc quod non habentes hic

[1] Parm. omittit : « Tertio ea quæ sunt mala levia ultra modum aggravando, sed hoc ponitur quasi in principio secundæ particulæ. »

manentem civitatem, de loco ad locum discurrunt ad fructificandum in populo Dei.

Quarto, de hoc quod studio vacant.

Quinto, de hoc quod verbum Dei ordinate et gratiose proponunt. Ad hoc etiam refertur, quod in eis paupertatem et mendicitatem et doctrinam contemnunt, et fructum animarum, quem in populo faciunt ex licentia prælatorum, de quibus supra tractatum est.

CAPUT IV.

An vilitas vestium in religiosis sit contemnenda.

Vilitatem vero vestium in religiosam vitam agentibus contemptibilem multipliciter nituntur ostendere.

Primo ex hoc quod Dominus dicit Matth., VII, 15 : *Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium*, eos qui vilibus vestibus induuntur, ex hoc intendentes suspectos reddere, quod sint falsi prophetæ.

Item. Apocal., VI, super illud : *Ecce equus pallidus*, etc., dicit *Glossa :* « Videns diabolus nec per apertas tribulationes nec per apertas hæreses posse se proficere, præmittit falsos fratres, qui sub habitu religionis obtinent naturam et rufi et nigri æqui, pervertendo fidem. » Et ex hoc arguunt ut supra.

Item dicunt antiquis temporibus a Sede apostolica episcopis Galliæ esse mandatum ut eos corrigant qui dissimilem habitum aliis volebant assumere sub quadam specie sanctitatis humilioribus induti, quod mandatum Papæ in *Registro* romanæ Ecclesiæ habetur, ut dicunt, quamvis in corpore Decretorum non contineatur. Ex quo volunt habere quod homines ad minus in sæculo viventes, humilioribus vestibus non utantur quam alii sui status.

Item. Augustinus dicit in III lib. *De doct. christiana :* « Quisquis rebus temporalibus restrictius utitur quam se habent mores eorum cum quibus vivit, aut intemperans aut superstitiosus est. » Ex quo patet quod vituperabile est quod aliquis utatur vilioribus vestibus quam illi cum quibus vivit.

Item. Hieronymus dicit *Ad Nepotianum :* « Vestes pullas æque vita ut candidas. Ornatæ et sordidæ pari modo fugiendæ, quia alterum delicias, alterum gloriam redolet. » Et ita videtur quod vituperabile sit viles vestes portare.

Item. Rom., XIV, 17, dicitur : *Non est regnum Dei esca et potus. Glossa :* « Non interest omnino quid alimentorum vel quantum quis capiat, dum id faciat pro congruentia hominum cum quibus vivit, et personæ suæ et pro valetudinis suæ necessitate. » Ergo pari ratione nec ad virtutem omnino interest quibus vestibus utatur homo, dummodo pro congruentia personæ suæ hoc faciat. Et ita videtur esse religio in hoc quod aliquis in signum contemptus mundi habitum vilem exterius portet.

Item. Hypocrisis videtur esse maximum peccatorum; unde Dominus in Evangelio contra hypocritas plus invehitur quam contra alios peccatores, et Gregorius in *Pastor.:* « Nemo amplius in Ecclesia nocet quam qui, perverse agens, nomen vel ordinem sanctitatis tenet. » Sed sub vilitate vestium latet hypocrisis; pretiositas autem vestium ad delicias carnis pertinet, vel etiam aliquem motum superbiæ occasionaliter inducit. Ergo vituperabilius est excedere in vilitate vestium quam in pretiositate.

Item. In Domino Jesu Christo omnis religionis et sanctitatis perfectio fuit. Sed ipse portavit vestem pretiosam, scilicet tunicam inconsutilem, quæ desuper erat contexta per totum, ut dicitur Joan., IX; in quo videtur quod erat facta tali opere, sicut panni consuuntur acu cum auro et serico ; et quod pretiosa esset, patet ex eo quod milites eam dividere noluerunt, sed sortem super eam miserunt. Ergo hoc ad religionem non pertinet quod aliquis vilibus vestibus induatur.

Item. Dominus Papa pretiosis et sericis vestibus utitur, et reges antiquitus purpureis vestibus utebantur; nec laudabile eis esset, si viliores vestes assumerent. Ergo pari ratione nec in aliis laudabile est, si viliores vestes assumant quam suus status requirat. Et sic per hujusmodi in contemptum inducunt habitus humilitatem.

CAPUT V.

Quod e contrario vilitas vestium est laudabilis generaliter et maxime in religiosis.

Hoc autem quantum sit contrarium veritati, patet per illud quod dicitur XXI,

q. IV : « Omnis jactantia et ornatura corporalis a sacrato ordine aliena est. Eos ergo episcopos vel clericos, qui se fulgidis et claris vestibus ornant, emendari oportet : quod si in hoc permanserint, epitimio contra dantur. » Et infra : « Igitur si inventi fuerint deridentes eos qui vilibus et religiosis vestibus amicti sunt, per epitimium corrigantur. » Priscis enim temporibus omnis sacratus vir cum mediocri aut vili veste conversabatur. Omne quippe quod non propter necessitatem suam sed propter venustatem accipitur, elationis habet calumniam, quemadmodum magnus ait Basilius. Patet ergo quod vilitas vestium est amplectenda et pretiositas fugienda; et quod graviter puniendi sunt qui contra vilitatem vestium loquuntur.

Item. Eorum falsitas apparet exemplo Joannis Baptistæ, de quo Matth., III, dicitur quod habebat vestimentum de pilis camelorum; ubi dicit *Glossa :* « Qui pœnitentiam prædicat, habitum pœnitentiæ prætendit. In eo vilitas vestis et cibi laudatur, quorum usus in divite arguitur. » Et alia *Glossa* dicit ibidem quod servus Dei non debet habere vestimentum ad decorem vel ad delectationem, sed tantum ad tegendam nuditatem. Et Marc., I, super illud : *Erat Joannes vestitus pilis,* dicit *Glossa :* « Conveniens vestis prædicatori. » Ex quibus patet quod servi Dei, et præcipue qui pœnitentiam prædicant, debent vilibus vestibus indui.

Item. Probatur exemplo antiquorum Prophetarum, de quibus dicitur ad Hebr., XI : *Circumierunt in melotis, in pellibus caprinis. Glossa :* « Ut Elias, et alii. » Melus est animal quod et taxus dicitur, cujus pellis melota dicitur, et est valde hispida, vel melota est vestis de pilis camelorum, ut patet ibi per *Glossam.*

Item. Probatur B. Hilarionis exemplo et Arsenii, et aliorum Patrum in eremo, de quibus narratur in eorum gestis, quod vilissimis vestibus induebantur.

Item. Apocal., XI, 3 : *Dabo duobus testibus meis, et prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis; Glossa :* « id est prædicantes pœnitentiam et exemplo ostendentes. » Item alia *Glossa* ibi : « Et ad exemplum eorum debetis prædicare. » Ex quo iterum aperte habetur quod debent vilibus indui præcipue pœnitentiam prædicantes.

Item. Quod vilitas vestium sit approbanda et pretiositas reprobanda, aperte ostendit Gregorius in homilia : *Homo quidam erat dives,* sic dicens : « Sunt nonnulli qui cultum subtilium pretiosarumque vestium non putant esse peccatum; quod videlicet si culpa non esset, nequaquam sermo Dei tam vigilanter exprimeret, quod dives qui torquebatur apud inferos, bysso et purpura indutus fuisset. Nemo quippe vestimenta præcipua nisi ad inanem gloriam quærit, videlicet ut honorabilior cæteris esse videatur. Nam quia pro sola inani gloria vestimentum pretiosum quæritur, ipsa res testatur, quod nemo vult ibi pretiosis vestibus indui, ubi ab aliis non possit videri. Quam culpam possumus melius vilis indumentis virtute ex diverso colligere : quia si objectio pretiosi indumenti virtus non esset, Evangelista de Joanne tam vigilanter non diceret : *Erat Joannes indutus pilis camelorum.* »

Item. I Petr., III, 3, super illud : *Quarum non sit extrinsecus capillatura,* etc., dicit *Glossa :* « Sicut Cyprianus ait, serico et purpura indutæ Christum induere non possunt. Auro et margaritis et monilibus adornatæ ornamenta cordis et corporis perdiderunt. Quod si Petrus mulieres quoque admonet coercendas, quæ excusare possunt cultus suos per maritos, quanto magis id virginem observare fas est, cui nulla sui cultus competit venia? » Ex quo patet quod etiam in clericis multo amplius reprehensibilis est habitus ornatus.

Item. Illud per quod virtus mentis manifestatur, per se loquendo, est laudabile, quamvis eo possit aliquis in superbiam uti. Sed vilitas vestium est hujusmodi; unde Hieronymus dicit *Ad Rusticum monachum :* « Sordes vestium candidæ mentis indicia sunt; vilis tunica contemptum sæculi probat; ita duntaxat ne animus timeat, ne habitus sermoque dissentiant. » Ergo vilitas vestium secundum se est sectanda, dommodo superbia removeatur.

Item. Illud quod divinam misericordiam promeretur, non potest esse malum. Sed per vilitatem vestium divinam misericordiam promeruerunt etiam maximi peccatores; unde III Reg., XXI, 27, dicitur de impiissimo Achab, quod cum audisset sermones Eliæ, *scidit vestimenta sua, et operuit cilicio carnem suam, jejunavitque et dormivit in sacco;* unde Dominus de eo dixit ad

Eliam : *Nonne vidisti Achab humiliatum coram me? Quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus ejus.* Et tamen non fuit vera humilitas cordis, ut ibidem *Glossa* dicit. Et Jonæ, III, dicitur quod abjecit rex vestimentum suum a se, indutus est sacco, et sedit in cinere : et hoc idem aliis præcepit. Ergo vilitas vestium est Deo accepta.

Item. Philosophus probat in X *Ethicor.*, quod virtutes non solum in interioribus actibus, sed in exterioribus etiam consistunt, et loquitur de moralibus virtutibus. Humilitas autem quædam moralis virtus est : non enim est intellectualis neque theologica. Ergo non solum in interiori consistit, sed etiam in exterioribus. Cum ergo ad humilitatem pertineat quod homo contemnat seipsum, hoc etiam ad humilitatem pertinebit quod contemptibilibus exterius utatur.

Item. Malum nunquam palliatur nisi sub eo quod habet speciem boni. Sed hypocrite sua mala palliant sub vestium vilitate. Ergo vilitas vestium, quantum est in se, habet speciem boni, ergo secundum se commendabilis est, et si ea aliqui abuti possint.

Item. Sicut jejunium et eleemosyna sunt pœnitentiæ instrumentum, ita et vilitas vestium est laudabilis. Sed jejunium et eleemosyna per se sunt laudabilia. Ergo et vilitas vestium per se est laudabilis, quamvis eis aliqui abutantur.

CAPUT VI.

Responsiones ad inducta superius contra veritatem.

His igitur consentientes, dicimus vilitatem vestium per se loquendo commendabilem, utpote et pœnitentiæ et humilitatis actum, quamvis etiam aliqui vilibus utantur vestibus qui pretiosioribus secundum sui status conditionem licite uti possent ; sicut qui secundum status sui conditionem licite carnibus uti possent et non jejunare, commendabiliter a carnibus abstinent et jejunant. Per accidens tamen potest esse malum utrumque, ut si ex prædictis perturbentur illi cum quibus nos socialiter vitam agere oportet, vel etiam si aliquis pœnitentiæ operibus ad inanem gloriam abutatur, sicut et de oratione et de jejunio et de eleemosyna Dominus Matth., VI, docet.

Ad primum ergo dicendum quod ex hoc quod falsi prophetæ vestimentis ovium utuntur ad deceptionem, vilitas vestium non est reprobanda, sed magis commendanda. Non enim vilitate vestium malitiam suam obtegerent, nisi vilitas vestium speciem boni haberet : alias Scriptura, qua hæretici abutuntur, ut dicitur II Petri, ult., reprobanda esset, et similiter pietas, cujus speciem hæretici habent, ut dicitur II Tim., III. Unde et *Glossa* dicit Matth., VII, ibidem, quod « non a veste, sed ab operibus prophetæ falsi cognoscuntur, » et infra dicit quod oves non debent pelles suas deponere, etsi aliquando lupi eis se contegant. »

Ad secundum dicendum quod diabolus ministros suos sub religionis habitu non obtegeret ad decipiendum, nisi religiosus habitus, quantum in se est, speciem boni haberet. Nec tamen boni debent a tali habitu abstinere, nec ex tali habitu aliqui judicandi sunt mali, ut patet ex *Glossa* inducta, quæ habetur Matth., VII. Unde et Hieronymus dicit in libro *Contra Elvidium:* « Numquid virginitatis est culpa, si simulator virginitatis in crimine est?

Ad tertium dicendum quod illa prohibitio non fuit facta quia vilitas vestium reprobanda esset, sed quia forte aliqui ad deceptionem vilitate vestium utebantur.

Ad quartum dicendum quod Augustinus loquitur quando ex restrictione vitæ turbatur societas inter eos quos oportet socialiter vivere. Si enim simpliciter esset intelligendum, tunc qui jejunaret ubi alii non jejunant, reprehensibilis esset ; quod manifeste apparet falsum.

Ad quintum dicendum quod Hieronymus in verbis præmissis non vilitatem vestium cavendam esse docet, sed abusum, ut scilicet ex vilitate vestium aliquis in elationem non incidat ; alias sibi contrarius esset, qui ad vilitatem vestium Rusticum monachum inducit, et eam in Pammachio viro nobilissimo commendat, ut patet in *Epistola ad Pammachium de morte Paulinæ.*

Ad sextum dicendum quod usus exteriorum rerum dupliciter considerari potest : uno modo ex natura ipsarum rerum, et sic est indifferens ; alio modo ex fine ad quem ordinatur, et secundum hoc in usu exteriorum rerum illud quod est ordinabile ad meliorem finem, est commendabilius ; sicut abstinentia ciborum, quæ ordinabilis est ad concupiscentiam carnis

domandam, est commendabilior quam communis victus, quo quis utitur cibos cum gratiarum actione, cujus contrarium Jovinianus hæreticus asserebat, ut patet per Hieronymum, qui hunc et alios ejus errores condemnat. Similiter etiam vilitas vestium ordinatur ad humiliandum animum, et etiam ad corpus domandum; unde etiam pari ratione vilitas vestium secundum se magis commendabilis est quam habitus communis; et hoc modo, sicut in jejunio consistit religio, ita etiam in vestium vilitate.

Ad septimum dicendum quod ex hoc quod hypocrisis quæ sub vilitate vestium latet est magnum peccatum, non potest haberi quod vilitas vestium sit deterior quam pretiositas. Non enim hoc modo comparatur vilitas vestium ad hypocrisim sicut pretiositas earum ad delicias carnis vel ad superbiam. Pretiositas enim vestium, per se et directe ad prædicta vitia ordinatur; unde excessus in pretiositate vestium, per se loquendo, vituperabilis est. Vilitas autem vestium non ordinatur per se directe ad hypocrisim, sed hypocrisis est abusio quædam ejus, sicut et cæterorum operum sanctitatis. Et quia quanto aliqua res est sanctior, tanto abusus ejus est vituperabilior; ex hoc quod hypocrisis est magnum peccatum, manifeste commendabilis redditur vilitas vestium, et cætera exteriora pœnitentiæ opera, quibus hypocrisis abutitur. Non tamen concedendum est quod hypocrisis, simpliciter loquendo, sit maximum peccatorum, quia infidelitas, qua quis mentitur de Deo, est gravior quam simulatio, qua quis mentitur de seipso.

Ad octavum dicendum quod non est credibile quod Dominus Jesus Christus pretiosis vestibus indueretur, qui Joannem commendabilem ostendit quod non erat mollibus indutus; alioquin pharisæi, qui exteriorem sanctitatem ostentabant, sicut de eo dicebant quod erat vorax et potator vini et publicanorum amator; ita et de eo dixissent quod esset mollibus indutus. Milites etiam qui ei illudebant, non eum veste purpurea induissent in signum regiæ dignitatis, si tunica inconsutilis auro et serico contexta fuisset. Sed quod tunicam ejus milites dividere noluerunt, hoc non fuit propter pretiositatem vestis, sed propter numerum, quia quatuor partibus superfuerat, quas milites de vestibus Christi fecerunt, et si divisa fuisset, omnino fuisset inutilis, in quo manifeste apparet quod non erat de pretiosa materia. Nihilominus tamen secundum *Glossam* ibi notatur sacramentum ecclesiasticæ unitatis.

Ad nonum dicendum quod quidam sunt status hominum quibus est habitus determinatus, sicut quælibet religio suum determinatum habitum habet. Ita etiam antiquis temporibus reges et in dignitatibus constituti determinatos habitus habebant, quasi suæ dignitatis insignia, et sic etiam nunc Summus Pontifex determinato habitu utitur. Unde sicut religioso unius religionis non licet assumere viliorem habitum qui suæ religionis metas excederet, quamvis intra metas habitus suæ religionis si vilioribus utatur, non sit reprehensibilis, sed laudetur; ita etiam non fuisset laudabile in antiquis principibus, nec modo esset in Summo Pontifice, si viliorem habitum assumeret extra metas habitus consueti. Secus autem est de principibus et aliis hominibus qui non habent certum habitum et determinatum. In eis enim non est vituperabile, si vilioribus utantur quam eis convenire possit secundum suum statum. Unde II Regum, VI, 20, dicitur quod Michol deridens David ait : *Quam gloriosus fuit hodie rex Israel, discooperiens se ante ancillas servorum suorum, et nudatus est, quasi si nudetur unus de scurris ;* David respondit : *Ludam, et vilior fiam plusquam factus sum, et ero humilis in oculis meis.* Et Esther, XIV, 16 : *Tu scis necessitatem meam, quod abominer signum superbiæ et gloriæ meæ, quod est super caput meum in diebus ostentationis meæ, et non portem illud in diebus silentii mei.* Ex quo patet quod etiam regibus et principibus est laudabile quod humilibus sint contenti, quando sine scandalo fieri potest, et sine detrimento propriæ auctoritatis.

CAPUT VII.

Quomodo religiosos impugnant quantum ad opera caritatis.

Nunc secundo videndum est qualiter in sugillationem religiosorum proponunt religiosi de aliorum negotiis se intromittunt; inducentes illud quod habetur I ad Thess., IV, 11 : *Operam detis ut quieti sitis, et ut vestrum negotium agatis; Glossa :*

« Dimissis alienis, quod vobis utile est in emendationem vitæ. »

Item II ad Thess., III, 11 : *Audivimus inter vos quosdam ambulantes inquiete, nihil operantes, sed curiose agentes; Glossa :* « De alienis hoc modo merentur pasci; quod factum abhorret disciplina dominica. »

Item. II ad Tim., II : *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus; Glossa :* « quibuslibet. » Sed frequenter aliena negotia sunt sæcularia, et ita ex his volunt habere quod religiosi de aliorum negotiis se intromittere non debeant.

CAPUT VIII.

Quod religiosi possint se intromittere de aliorum negotiis pertractandis, ex caritate.

Quod est expresse contra sententiam Jacobi apostoli dicentis, Jacob., I, 27 : *Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem, hæc est visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum; Glossa :* « Succurrere eis qui carent præsidio in tempore necessitatis. «

Item. Rom., ultim., I : *Commendo vobis Phœbem sororem nostram; Glossa :* « Ea pro aliquo negotio tunc temporis Romam profecta est; unde subdit Apostolus : *Et assistatis ei in quocumque negotio vestri indiguerit.* Item ad Galat., ult., 2 : *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi.*

Patet ergo quod commendabile est quod aliquis ex caritate alterius negotia gerat ut sua.

CAPUT IX.

Responsio ad inducta contra veritatem.

Sed tamen hoc potest dupliciter male fieri. Uno modo quando aliquis est tam curiosus pertractator aliorum negotiorum, quod omnino negligit sua; et hoc prohibet Apostolus, I ad Thess., IV, dicens : *Operum detis ut quieti sitis; Glossa :* « a curiositate; » *et ut vestrum negotium agatis; Glossa :* « dimissis alienis. Ad hoc enim dimittere aliena jubet, ut sua quisque pertractet. » Alio modo quando aliquis cooperatur aliis in turpibus negotiis, vel etiam turpi intentione, et hoc etiam prohibet idem Apostolus II ad Thess., ult.; unde dicit *Glossa* super illud : *Curiose agentes :* « Hoc modo merentur pasci; quod factum abhorret disciplina dominica. Eorum enim Deus venter est qui fœda cura necessaria sibi provident. » In hoc enim quod ventrem pascere intendebant, ostenditur turpis intentio; in hoc vero quod turpi cura hoc agebant, tangitur turpe negotium.

Et per hoc patet responsio ad duo prima.

Ad tertium dicendum quod sæcularia negotia sunt illa ut *Glossa* ibidem dicit, cum animus occupatur colligendæ cura pecuniæ sine labore corporis, ut faciunt negotiatores et hujusmodi, et talibus negotiis religiosi se implicare non debent, ut scilicet pro aliis negotientur, vel aliqua hujusmodi exerceant, sed præter hæc de aliorum negotiis nihilominus se misericorditer intromittere possunt, sicut dando consilium, vel intercedendo, vel aliquo simili modo.

CAPUT X.

Quomodo religiosos impugnant quantum ad discursum pro salute animarum.

Nunc tertio videmus quomodo religiosos incusant de discursu, inducentes illud quod Apostolus dicit II Thess., ult., 11 : *Audivimus quosdam inter vos ambulare inquiete.* Ex quo eos gyrovagos appellant.

Item. In eorum irrisionem inducunt quod Augustinus in lib. *De opere monach.* quosdam monachos notans ait : « Nusquam missos, nusquam fixos, nusquam stantes, nusquam sedentes. »

Item. Marc., VI, 10 : *Quocumque introieritis in domum, illic manete; Glossa :* « Alienum est a prædicatore per domos cursitare et hospitii jura mutare. »

Item. Luc., X, 7 : *In eadem autem domo manete; Glossa :* « Non est de domo in domum vaga facilitate demigrandum, ut in hospitali amore servetur constantia. »

Item. Ad hoc facere videtur quod dicitur Isa., XXX, 7 : *Ideo clamavi super hoc : Superbia tantum est; Glossa :* « in terra tua. »

Item. Jerem., XIV, 10 : *Populus hic dilexit movere pedes suos, et non quievit et Domino non placuit.*

CAPUT XI.

Maxime prædicatores possunt discedere de loco ad locum pro aliorum salute.

Hæc autem irrisio non est nova, sicut Dionysius narrat in *Epistola ad Apolophanium;* ipse gentilis existens Paulum irridebat, vocans mundi circuitorem, quippe qui præceptum Domini diligenter implebat dicentis Marc., ultim., 15 : *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ;* et Joan., xv, 16, Dominus discipulis dixit : *Ego elegi vos, ut eatis, et fructum afferatis.*

Hic etiam prædicatorum discursus significatus fuit Job, xxxvii, 11 : *Nubes spargunt lumen suum, quæ illustrant cuncta per circuitum, quocumque eas voluntas gubernantis duxerit ad omne quod præcepit illis super faciem orbis terrarum; Glossa :* « Nubes spargere, est prædicatores sanctos exempla vitæ et agendo et loquendo dilatare, *quæ lustrant cuncta per circuitum,* quia prædicationis luce mundi fines illuminant. »

Item. Job, xxxviii, 23 : *Quis dedit vehementissimo imbri cursum?* quod de cursu prædicationis *Glossa* exponit, et Gregorius in *Moral.*

Item. Zach., vi, 7 : *Qui autem erant robustissimi, exierunt, et quærebant discurrere per omnem terram,* quod *Glossa* de apostolis et aliis prædicatoribus exponit.

Item. Ad Rom., ult., super illud : *Salutate eos qui ex Narcissi domo; Glossa:* « Narcissus iste dicitur fuisse presbyter, qui, sicut in aliis codicibus legitur, peregrinando confirmabat sanctos fratres. »

Item. Isa., xxvii, 6 : *Qui ingrediuntur impetu ad Jacob; Glossa :* « ad prædicandum; *implebunt faciem orbis semine; Glossa :* « semine prædicationis; » et in Psalm. xviii, 5 : *In omnem terram exivit sonus eorum.*

Item. Prov., vi, 3 : *Discurre, festina, suscita amicum tuum; Glossa :* « a somno peccati. » Excitatur autem aliquis a somno peccati per prædicationem. Ergo discursus prædicantium ad salutem animarum est commendandus.

Item. Ezech., i, 13 : *Hæc erat visio discurrens in medio animalium,* super quo dicit Gregorius in v *Homil. primæ partis super Ezech. :* « Hi qui animarum custodes sunt, et pascendi gregis onera susceperunt, mutare loca minime permittuntur. Hi autem qui amore Domini in prædicatione discurrunt, rotæ ejus ignis ardens sunt, quia cum ex ejus desiderio per varia locadiscurrunt, unde ipsi ardent, et alios incendunt. » Ex hac autem auctoritate duo habentur, scilicet quod alii possunt prædicare quam prælati, et quod illi prædicatores debent per diversa loca discurrere, non in uno loco manere.

Item. Super illud : *Cum ambularent, quasi sonus erat multitudinis, ut sonus castrorum, Homil.* viii *primæ partis super Ezech.,* dicit Gregorius : « Alia sunt castra prædicantium, qui huc illucque pro colligendis animabus in sancti operis procinctu laborant. Ex omnibus igitur prædictis patet quod prædicantium discursus ad salutem animarum procurandam commendandus est.

CAPUT XII.

Responsio ad inducta superius contra veritatem.

Sciendum est quod discursus tripliciter in sacra Scriptura vituperatur. Uno modo quando ex inconstantia mentis procedit, vel animi levitate, et hoc præcipue accidit in illis qui sine aliquo fructu discurrunt. Alio modo quando ex concupiscentia terrenorum ad lucra quærenda discurritur. Tertio modo quando per hoc incitatur malitia ad aliqua mala procuranda. Et de his tribus habetur in Canon., Judæ, 11 : *Væ illis qui in via Cain abierunt et errore Balaam mercede effusi sunt,* in quo ostenditur intentio nocendi. *Hi sunt in epulis suis maculæ, convivantes sine timore, semetipsos pascentes, nubes sine aqua, quæ a ventis circumferuntur,* in quo tangitur concupiscentia impellens ad motum; *arbores autumnales infructuosæ,* in quo ostenditur quod ex levitate sine fructu discurrunt. Quod ergo Apostolus arguit quosdam de inquietudine, discursum ex levitate procedentem reprehendit, vel etiam ex concupiscentia, quod patet ex hoc quod in *Glossa* subjungitur : « Qui fœda cura pastum sibi quærebant per curiosam inquietudinem. »

Similiter quod dicit Augustinus quosdam monachos « nusquam missos, nusquam fixos, nusquam stantes, nusquam seden-

tes, » arguit eorum discursum ex levitate procedentem, vel potius ex cupiditate; unde subjungit quod propter lucrum quærendum discurrebant, et in hoc reprehensibiles erant.

Quod etiam dicitur Marc., VI, et Lucæ, X, manifeste prohibet discursum de domo in domum, id est de hospitio in hospitium, ad quod frequenter concupiscentia inducit ; ut scilicet contingit in illis quibus ea quæ habent, non sufficiunt, lautiora quærentes, unde de domo in domum discurrunt.

Quod autem dicitur Isa., XXX, pertinet ad animi levitatem, per quam homo qui in Deo fixus non est, ad diversa discurrit, in quibus quietem invenire possit. Unde hoc ad litteram dicitur contra Judæos, qui divino auxilio non contenti, in Ægyptum descendere volebant, ut Ægyptiorum patrocinio salvarentur.

Similiter quod dicitur Jerem., XIV, ad discursum ex levitate procedentem referendum est, quod patet ex hoc quod dicit : *Qui dilexit movere pedes suos.* Eis enim qui ex levitate moventur, hoc ipsum quod circumeunt, appetibile videtur; unde *Glossa* exponit ibi motum pedum de motu affectuum.

CAPUT XIII.

Quomodo religiosos impugnant quoad studium.

Nunc quarto videndum est quomodo in religiosorum sugillationem inducunt quod studio vacant. Dicitur enim II ad Timoth., III, 7, in derogationem quorumdam, per quos pericula Ecclesiæ imminebunt, quod erunt *semper discentes, et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes;* et ita ex hoc ipso suspectos eos reddere volunt quod studio vacant.

Item. Gregorius in XIII lib. *Moral.*, super illud Job, XVI : *Hostis meus terribilibus oculis me intuitus est :* « Sicut incarnata veritas in prædicationem suam pauperes, idiotas et simplices elegit; sic e contrario damnatus ille homo, quem in fine mundi apostata angelus assumet ad prædicandum falsitatem suam, astutos ac duplices, atque hujus mundi scientiam habentes electurus est. » Unde ex hoc ipso eos quasi prænuntios antichristi insimulant, quia prædicationis officium scientia fulgentes exercent.

Item. Apoc., XIII, 11 : *Vidi aliam bestiam ascendentem de terra, et habebat cornua duo similia agni; Glossa :* « Descripta tribulatione quæ erit per antichristum et suos principes, subjungit aliam quæ fiet per apostolos quos ipse per totum mundum sparget. » Item *Glossa :* « *ascendentem*, id est in prædicatione proficientem. » Item super illud : *habebat duo cornua, Glossa :* « Quia simulabunt se habere innocentiam et puram vitam, veram doctrinam et miracula, quæ Christus habuit, et suis discipulis dedit, vel duo Testamenta sibi usurpabunt. » Et ita videtur quod illi qui cum scientia duorum Testamentorum in prædicatione proficiunt sanctitatem simulante, sint apostoli antichristi.

Item. I Cor., VIII, 1 : *Scientia inflat, caritas vero ædificat.* Sed religiosi præcipue humilitatem sectari deberent. Ergo deberent a studio scientiæ abstinere.

Item. De beato Benedicto, qui fuit præcipuus in religione, dicit Gregorius in II *Dial.* quod « recessit a studio litterarum scienter nescius et sapienter indoctus. » Unde ad ejus exemplum deberent religiosi scientiæ studium deserere.

Item. Apostolus II ad Thess., III, arguit eos qui, relicto opere manuali, curiositati vacabant et otio. Sed curiositas in studio scientiæ consistit. Ergo non deberent religiosi ab opere manuali desistere ut studio vacarent.

CAPUT XIV.

Quod insistentes officio prædicationis debent vacare studio.

Hujus autem cogitationis ipsi auctores non sunt, sed Julianus Apostata, qui, ut *Ecclesiastica* narrat *historia,* servos Christi a studio litterarum coercuit, cujus imitatores se ostendunt qui religiosis studium interdicunt, manifeste contra auctoritatem Scripturæ loquentes. Dicitur enim Isa., V, 13 : *Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam; Glossa :* « quia noluit habere. » Non autem voluntarius defectus scientiæ puniretur, nisi studium scientiæ laudabile esset.

Item. Oseæ, IV, 5 : *Nocte tacere feci matrem tuam, conticuit populus meus, eo quod non habuerit scientiam, quia tu scientiam repulisti, repellam te ne sacerdotio fungaris mihi.* In hoc etiam manifeste ostenditur quomodo defectus scientiæ graviter punitur.

Item. In Psalm. CXVIII, 66 : *Bonitatem et disciplinam et scientiam doce me. Glossa :* « *Bonitatem,* id est caritatem inspira ; *disciplinam,* id est patientiam da ; *scientiam,* id est mentem illumina. Scientia enim utilis est qua sibi homo innotescit. »

Item. Hieronymus *Ad Rusticum mon. :* « Nunquam de manu et oculis tuis recedat liber ; » et infra : « Ama scientiam Scripturarum, et carnis vitia non amabis. » Idem in *Epistola ad Paulinum mon. :* « Sancta rusticitas solum sibi prodest, et quantum ædificat ex vitæ merito Ecclesiam Christi, tantum nocet, si contradicentibus non resistat, » in quo manifeste sanctorum scientia præfertur simplicium sanctitati. Item in eadem, numeratis sacræ Scripturæ libris, subjungit : « Oro te, frater carissime, inter hæc vivere, ista meditari, nihil aliud nosse, nihilque aliud quærere. Nonne videtur tibi jam hic in terris regni cœlestis habitaculum ? » Ex quo patet quod cœlestis conversatio est in studio sacræ Scripturæ commorari.

CAPUT XV.

Quod iidem debent præcipue vacare studio Scripturarum, sed et aliis studiis.

Quod autem illis qui ad prædicationis officium deputantur, præcipue studium Scripturarum conveniat, patet per illud quod dicit Apostolus, I Tim., IV, 13 : *Dum venio, attende lectioni, exhortationi et doctrinæ.* Ex quo patet quod exhortari et docere volentibus necessarium est studium lectionis.

Item. Hieronymus *Ad Rusticum mon. :* « Multo tempore disce quæ postmodum doceas; » et idem ad eumdem : « Si clericatus te titillat desiderium, discas quod possis docere. »

Item. Gregorius in *Pastorali :* « Nimirum necesse est ut qui ad prædicationis officium excubant, a sacræ lectionis studio non recedant. »

Item. Vita religiosorum præcipue ad contemplationem ordinatur. Sed pars contemplationis est lectio, ut Hugo de Sancto Victore dicit. Ergo religiosis studio vacare competit.

Item. Illi præcipue sunt ad scientiam capiendam idonei qui a carnalibus curis magis sunt separati. Isa., XXVIII, 9 : *Quem docebit scientiam, et quem intelligere faciet auditum? Ablactatos a lacte, parvulos ab uberibus;* et Commentator dicit in VII *Physic.,* quod castitas et aliæ virtutes quibus concupiscentiæ carnis reprimuntur, præcipue valent ad acquirendas scientias speculativas. Cum igitur religiosi concupiscentiæ carnis domandæ magis inserviant per continentiam et abstinentiam, eis præcipue studium litterarum competit.

Item, quod non solum studio litterarum sacrarum, sed etiam studio litterarum sæcularium laudabiliter vacare possint, expresse habetur per Hieronymum, in *Epistola ad Pammachium monach. :* « Si adamaveris captivam mulierem, scientiam scilicet sæcularem, et ejus pulchritudine captus fueris, decalva eam, atque illecebras crinium atque ornamenta verborum cum remotis unguibus seca; lava eam prophetali nitro, et tunc requiescens cum illa, dicito : Sinistra ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me ; et multos tibi fetus captiva dabit, ac de Moabitide efficietur Israelitis. » Ex quo patet quod et monachis licet sæculares scientias addiscere, dummodo ea ibi quæ reprehensibilia inveniuntur, secundum regulam sacræ Scripturæ resecentur.

Item. Augustinus in II *De doctrina christiana* dicit : « Philosophi qui vocantur, si qua forte vera et fidei nostræ accommoda dixerunt, maxime platonici, non solum formidanda non sunt, sed ab eis tanquam ab injustis possessoribus in usum nostrum vindicanda. »

Item. Daniel., I, super illud : *Posuit autem Daniel in corde suo,* etc., dicit *Glossa :* « Qui de mensa regis non vult comedere ne polluatur, si sapientiam et doctrinam Ægyptiorum sciret esse peccatum, nunquam didicisset. Didicit autem non ut sequatur, sed ut judicet atque convincat. Si quis enim imperitus hujus artis adversus mathematicos scribat, aut expers philosophiæ contra philosophos agat, quis etiam ridendus irridendo [1] non rideat ? » Ex quibus omnibus patet quod studium in religiosis est commendandum, et præcipue sanctarum Scripturarum, et maxime in illis qui ad prædicandum deputantur.

[1] Al. : « vel ridendo. »

CAPUT XVI.

Responsiones ad inducta superius contra veritatem.

Quod ergo dicitur II ad Timoth., III : *Semper discentes, et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes,* non in reprehensionem dicitur quod semper discant, sed quia ad scientiam veritatis non perveniunt, et hoc contingit illis quorum studium eos a fidei veritate seu rectitudine errare facit. Unde et ibidem sequitur : *Homines corrupti mente, reprobi circa finem.*

Ad id quod Gregorius dicit, quod antichristus habebit prædicatores mundi scientiam habentes, dicendum quod intelligit de illis qui humana utentes scientia, inducunt populum ad mundi desideria et peccata ; unde Gregorius statim subjungit auctoritatem Isa., XVIII, 1 : *Væ terræ cymbalo alarum ..., qui mittit in mari legatos suos, et in vasis papyri super aquas ;* quod exponens ibidem dicit : « Ex papyro quippe charta est. Quid itaque per papyrum nisi scientia sæcularis designatur ? Vasa igitur papyri sunt præcordia sæcularium doctorum. In vasis igitur papyri legatos super aquas mittere est prædicationem suam in sapientium carnalium sensibus ponere, et refluentes populos ad culpam vocare. »

Ad aliud dicendum quod illa *Glossa* loquitur de prædicatoribus quos antichristus post suum adventum per mundum sparget, sicut per multa quæ ibi dicuntur, apparet. Nec tamen propter hoc est scientia duorum Testamentorum reprobanda in religiosis, quia illi ea abutantur ; nisi dicatur quod innocentia et puritas vitæ sunt reprobanda, quia illi ea simulabunt, quod est absurdum.

Ad illud quod objiciunt, quod « scientia inflat, » dicendum quod intelligendum est, quando scientia est sine caritate ; unde *Glossa* ibidem dicit : « Scientia inflat, si sola est ; » et infra : « Addite ergo scientiæ caritatem, et utilis erit scientia. » Unde in illis qui caritatis operibus insistunt, minus est periculosa scientia. Si tamen propter hoc vitanda esset quia inflat, quandoque pari ratione bona opera vitanda essent ; quia Augustinus dicit quod « superbia bonis operibus insidiatur ut pereant. »

Ad id quod quarto objicitur de beato Benedicto, dicendum quod ipse non discessit a studio quasi scientiam horrens aut studium, sed sæcularem vitam et societatem formidans. Unde Gregorius de eodem præmittit, quod « Romæ liberalibus studiis litterarum traditus fuerat ; sed cum in his multos per abrupta vitiorum pergere cerneret, eum quem quasi in ingressu mundi posuerat, retraxit pedem ; ne si quid de scientia ejus attingeret, ipse quoque postmodum quasi in immane præcipitium totus iret. » Et ideo etiam nunc laudabiliter faciunt qui sæculari vita studentium relicta, ad religionem transeunt, in qua studio vacare possunt.

Ad ultimum dicendum quod curiositas superfluam curam importat et inordinatam ; unde non solum in studio litterarum, sed in omnibus studiis ad quæ animus occupatur, superflua cura, quæ curiositatem facit, reprehensibilis est. In prædicta tamen auctoritate Apostoli reprehenditur eorum curiositas qui fœda cura alienis negotiis se ingerebant ut ventrem pascerent, ut patet per *Glossam* ibidem. Dicere autem eos otio deditos qui studio sacræ Scripturæ vacant, est contra id quod habetur in *Glossa* supra illud Ps. CXVIII : *Defecerunt oculi mei*, quæ dicit : « Sicut non est otiosus qui verbo Dei tantum studet ; nec pluris est qui extra operatur quam qui studium cognoscendæ divinitatis exercet. Ipsa etiam sapientia maximum opus est, et antefertur Maria quæ audiebat Marthæ quæ ministrabat. »

CAPUT XVII.

Quomodo religiosos impugnant quoad ordinatam prædicationem.

Nunc quinto videndum est quomodo in religiosis ordinatam et compositam prædicationem vituperant, inducentes illud quod habetur I Cor., I, 17 : *Non in sapientia verbi, ut non evacuetur crux Christi ; Glossa :* « id est, non in lepore et ornatu verborum, quia prædicatio christiana non indiget pompa et cultu sermonis, ne videatur esse ex versutia et calliditate humanæ sapientiæ, non ex veritate, sicut pseudo-apostoli in sapientia humana Christum prædicabant eloquentiæ studentes. » Unde volunt concludere religiosos esse pseudo-apostolos, quia eloquenter et ornate verbum Dei proponunt.

Item I ad Corinth., II, 1 : *Ego cum venis-*

sem ad vos, veni non in sublimitate sermonis; Glossa : « secundum logicam, scilicet ut logicis rationibus uterer, » *aut sapientiæ. Glossa,* « secundum physicam, ut physicis speculationibus illud firmarem. » Et infra : *Et sermo meus et prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis; Glossa :* « Quia etsi persuasibilia fuerunt verba mea, non tamen per humanam sapientiam, ut verba pseudo-apostolorum. » Ex hoc autem idem concludunt quod superius.

Item. II Corinth., xi, 6 : *Nam etsi imperitus sermone, sed non scientia; Glossa :* « quia non orno verba; » et infra : « Quod ait, *imperitus sermone,* non ad apostolos pertinet, qui non erant eloquentes, sed ad pseudo, qui componebant verba quos præferebant Corinthii causa accurati sermonis; cum in religione vis sermonis necessaria sit, non sonus vocis. » Et ex hoc arguunt idem quod prius.

Item. Nehemiæ, ult., 24 : *Filii eorum ex media parte loquebantur azotice, et loquebantur juxta linguam populi : et objurgavi eos, et maledixi.* Per azoticum autem sermonem *Glossa* interpretatur eloquium rhetoricum et physicum. Ergo excommunicandi sunt qui verbis sacræ Scripturæ eloquentiam, rhetoricam, vel sapientiam philosophicam immiscent.

Item. Isa., i, 22 : *Vinum tuum mixtum est aqua.* Vinum autem significat sacram doctrinam, ut patet per *Glossam.* Ergo illi qui sacræ Scripturæ admiscent aquam humanæ sapientiæ, reprehensibiles sunt.

Item. Isa., xv, super illud : *Nocte vastata est Ar; Glossa :* « *Ar,* id est adversarius, scilicet sapientia sæcularis, quæ adversaria est Deo, cujus murus dialectica arte constructus, nocte vastatur et conticescit. » Ex quo etiam patet reprehensibiles esse eos qui in sacra doctrina sæculari sapientia vel eloquentia utuntur.

Item. Prov., vii, super illud : *Lectulum meum stravi tapetibus pictis ex Ægypto, Glossa :* « In *tapetibus pictus de Ægypto* ornatus eloquentiæ, vel dialecticæ artis versutia, quæ ab ethnicis originem sumpsit, intelligitur; per quam hæretica mens sensum pestilentis doctrinæ quasi meretrix torum facinoris se texuisse gloriatur. » Ex quo etiam videtur quod perniciosum sit sapientia et eloquentia sæculari in sacra doctrina uti.

Item. I Tim., iii, 7 : *Oportet autem illum,* scilicet episcopum, *testimonium habere bonum ab his qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat; Glossa :* « id est in contemptum apud fideles et infideles. » Sed per hoc quod aliqui religiosi eloquenter et ordinate prædicant, episcopi veniunt in contemptum apud populum, qui taliter non prædicant. Ergo talis prædicatio religiosorum periculosa est Ecclesiæ Dei.

CAPUT XVIII.

Quod religiosi et alii debent composite et ornate prædicare et legere ut sic magis ædificent.

Ad horum autem responsionem accipienda sunt verba Hieronymi ita scribentis ad *Magnum urbis Romæ oratorem :* « Quod quæris, cur in nostris opusculis sæcularium litterarum interdum ponamus exemplum, et candorem Ecclesiæ ethnicorum sordibus polluamus, responsum breviter habeto. Nunquam hoc quæreres, nisi te totum Tullius possideret, si Scripturas sanctas legeres, si interpretes earum, omisso Volcatio, evolveres. Quis enim nesciat in Moyse et in prophetarum voluminibus quædam assumpta de gentilium libris, et Salomonem philosophicis uti, et proposuisse multa, et aliqua respondisse? » Et infra prosequens in tota epistola ostendit tam scriptores canonis quam expositores eorum omnes a tempore apostolorum usque ad sua tempora sacræ Scripturæ immiscuisse sapientiam et eloquentiam sæcularem; unde multis doctoribus enumeratis subjungit : « Qui omnes intantum philosophorum doctrinis atque sententiis suos resperserunt libros ut nescias quid in illis primum admirari debeas, eruditionem sæculi, an scientiam Scripturarum. » Et in fine epistolæ concludit : « Quæso ut suadeas ei, scilicet qui super prædictis eum reprehendebat, ne vescentium dentibus edentulus invideat, et oculos caprearum talpa contemnat. » Ex quo patet quod commendabile est quod aliquis eloquentiam et sapientiam sæcularem ad obsequium divinæ sapientiæ trahat, et quod hoc reprehendentes sunt sicut cæci invidentes videntibus, quæcumque ignorant blasphemantes, ut dicitur in Can., Judæ.

Item. Augustinus in IV lib. *De doctr.*

christiana : « Porro qui non solum sapienter, verum etiam qui eloquenter vult dicere (quoniam profecto plus proderit, si utrumque potuerit), ad legendos vel audiendos et exercitatione imitandos eloquentes eum mitto. » Patet ergo quod in sacra Scriptura curandum est ut homo eloquenter et ornate loquatur, ut magis sermo proficiat audientibus.

Item. In eodem libro : « Hic aliquis forsan quærit utrum auctores nostri qui canonem nobis saluberrima auctoritate fecerunt, sapientes tantum, an eloquentes sint nuncupandi; » et ostendit eos eloquentes fuisse, et ornatu verborum per colores rhetoricos usos esse; unde concludit : « Quapropter et eloquentes quidem, non solum sapientes canonicos nostros auctores fateamur; talique eloquentia usos, qualis personis ejusmodi congruebat. »

Item. In eodem libro : « Oportet eloquentem ecclesiasticum, quando suadet aliquod quod agendum est, non solum docere ut instruat, et delectare ut teneat, sed etiam flectere, ut vincat; » et hæc tria quomodo a sacris doctoribus fieri habeant, per ornatissimas locutiones sanctorum Patrum ostendit. Ex quibus omnibus patet, eos qui prædicando, vel legendo sacram Scripturam docent, eloquentia uti debere, et sapientia sæculari.

Hoc etiam patet per Gregorium et Ambrosium, et alios, qui ornatissime sunt locuti. Augustinus etiam et Dionysius et Basilius multa in suis libris de sapientia sæculi interseruerunt, sicut patet legentibus et intelligentibus eorum scripta. Apostolus etiam Paulus auctoritatibus ethnicorum in sua prædicatione est usus, ut patet Actor., XVII, et ad Titum, I.

Item. Gregorius, in IX lib. *Moral.*, exponens illud Job, IX : *Qui facis Arcturum et Orionas*, etc., sic dicit : « Hæc quippe astrorum nomina a cultoribus sapientiæ carnalis inventa sunt. Sic ergo in sacro eloquio sapientes Dei sermonem trahunt a sapientibus sæculi, sicut in eo pro utilitate hominis vocem in se humanæ passionis ipse conditor hominum sumit Deus. » Ex quo iterum patet quod doctoribus sacræ Scripturæ convenit eloquentia et sapientia sæculari uti.

CAPUT XIX.

Responsio ad inducta superius contra veritatem.

Sciendum est igitur quod uti sapientia et eloquentia sæculari in sacra Scriptura quodammodo commendatur, et quodammodo reprehenditur. Reprehenditur quidem, quando aliquis ad jactantiam eis utitur, et quando eloquentiæ et sapientiæ sæculari principaliter studet. Tunc enim oportet quod illa vel taceat vel neget quæ sæcularis scientia non approbat, sicut articulos fidei, qui sunt supra humanam rationem. Et similiter qui eloquentiæ principaliter studet, homines non intendit inducere in admirationem eorum quæ dicit, sed dicentis. Et hoc modo humana sapientia et eloquentia pseudo-apostoli utebantur, contra quos Apostolus loquitur in Epistola II ad Corinth.; unde I ad Corinth., I, super illud : *Non in humanæ sapientiæ verbis,* dicit *Glossa :* « Pseudo-apostoli, ne stulti viderentur prudentibus mundi, in sapientia humana Christum prædicabant dupliciter : scilicet eloquentiæ studentes, et quæ mundus stulta judicat evitantes. » Commendatur autem quando ad se non ostentandum, sed ad utilitatem audientium, qui sic quandoque facilius et efficacius instruuntur, vel convincuntur adversarii, utitur aliquis sapientia et eloquentia sæculari; et iterum quando aliquis non principaliter eis intendit, sed eis utitur in obsequium sacræ Scripturæ, cui principaliter inhæret, ut sic omnia alia in obsequium ejus assumat, secundum id quod habetur II Corinth., X, 5 : *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi;* et ita etiam Apostoli eloquentia utebantur. Unde Augustinus in IV *De doctrina christiana* dicit quod in verbis Apostoli erat dux sapientia et sequens comes eloquentia; et sapientia præcedens eloquentiam sequentem non respuebat. Sed tamen posteriores doctores magis adhuc usi sunt sapientia et eloquentia sæculari propter eamdem rationem qua non prius philosophi et rhetores sunt electi ad prædicandum, sed plebeii et piscatores, qui postmodum philosophos et oratores converterunt, ut scilicet fides nostra non consistat in sapientia hominum, sed in virtute Dei; *et non glorietur omnis caro coram illo,* ut habetur I ad Corinth., I, 29,

in textu, et *Glossa* super illud : *Videte vocationem vestram, fratres,* etc.

Et per hoc patet responsio ad duo prima quæ in contrarium objiciebantur.

Ad tertium dicendum quod secundum Augustinum in IV *De doctrina christiana,* videtur Apostolus, ubi ait : *Etsi imperitus sermone, sed non scientia,* quasi concedendo obtrectatoribus sic locutus, non tanquam id agnosceret confitendo; in quo ostendit quod plus prodest doctori sapientia quam eloquentia. Unde Augustinus subjungit : « Scientiam plane non cunctatus est profiteri, sine qua esse Doctor gentium non valeret. » Si autem hoc assertive intelligatur, non est intelligendum quin Apostolus eloquentia uteretur, sed quia non principale studium apponebat ad ornatum verborum, ut rhetores faciunt, vel quia ad litteram impeditæ linguæ erat; unde *Glossa* ibi dicit : « *Nam etsi* sim *imperitus sermone,* quia non orno verba, vel quia impeditæ linguæ sum. » Sed pseudo-apostoli principale studium apponebant ad ornandum verba; unde ibidem subditur, quod « verba componebant, et quod Corinthii causa accurati sermonis eos Apostolo præferebant. »

Ad quartum dicendum quod quando aliquid totaliter transit in alterum, non dicitur esse mixtio; sed quando est mixtio, utrumque miscibilium convertitur in unum tertium; et ideo quando aliquid adjungitur sacræ Scripturæ de sapientia sæculari, quod cedit in fidei veritatem, vinum sacræ Scripturæ non est mixtum, sed purum remanet. Tunc autem mixtum fit quando aliquid adjungitur quod corrumpit sacræ Scripturæ veritatem. Unde *Glossa* ibidem dicit : « Qui præcepta sacræ Scripturæ, quibus debet auditores corrigere, ad illorum voluntatem emollit, sensu suo admixto vinum corrumpit. »

Et per hoc patet responsio ad quintum.

Ad sextum dicendum quod *Glossa* illa loquitur de sapientia sæculari quæ adversa est Deo, quod contingit quando sapientia sæcularis ponitur principalis; tunc enim sequitur quod aliquis velit regulare fidem secundum documenta sapientiæ sæcularis; et exinde sequuntur hæreses contrariæ Christo.

Et hoc modo etiam loquitur *Glossa* sequens inducta de Proverbiis. Unde patet responsio ad septimum.

Ad octavum dicendum quod non sunt prohibendi boni ab his quæ bene faciunt, propter hoc quod ex comparatione eorum aliqui contemnuntur; sed magis illi qui se contemptibiles reddunt. Unde, sicut religiosi non sunt prohibendi ab operibus perfectionis, propter hoc quod aliqui prælati ex eorum comparatione carnaliter viventes contemptibiles redduntur, ita nec religiosorum diserta prædicatio reprehendenda est, quamvis aliquorum prælatorum minus diserta prædicatio contemnatur.

CAPUT XX.

Quomodo judicium pervertunt in rebus, religiosos infamando.

Nunc restat videre quomodo judicium de rebus pervertunt, ea quæ bene et male fieri possunt, præcise reprehendendo.

Reprehendunt enim religiosos primo de hoc quod se vel suam religionem commendant, vel commendari per epistolas aliorum procurant.

Secundo quod detractorum suorum verba non sustinent, sed eis resistunt.

Tertio de hoc quod in judicio contendunt.

Quarto de hoc quod persecutores suos puniri procurant.

Quinto de hoc quod hominibus placere volunt.

Sexto de hoc quod gaudent de his quæ magnifice Deus per eos facit.

Septimo de hoc quod curias regum et potentum frequentant.

CAPUT XXI.

An religiosi possint seipsos vel statum suum per se vel per alios commendare.

Quod autem seipsos commendare non debeant, probare nituntur primo per illud quod habetur Roman., ult., super illud : *Per dulces sermones et benedictiones, Glossa :* « Compositis verbis suam traditionem commendabant pseudo-apostoli, quibus simplicium corda decipiebant. » Unde, cum religiosi suum ordinem commendent, et per hoc aliquos ad suum ordinem trahant, se pseudo-apostolos ostendunt, et similes pharisæis de quibus dicitur Matth., XXIII, 15 : *Væ vobis, scribæ et pharisæi hypocritæ,*

qui circuitis mare et aridam, ut faciatis unum proselytum.

Item. II Cor., III, 1 : *Incipimus iterum nosmetipsos commendare; Glossa :* « Quasi : est aliquis qui hoc imponat nobis. Absit ut hoc faciamus. » Et sic idem quod prius.

Item ibidem subditur : *Aut numquid egemus commendatitiis epistolis ad vos aut ex vobis, sicut quidam? Glossa :* « id est pseudo-apostoli, quos nulla virtus commendat. Utique non egemus. » In quo videtur quod illi qui commendatitias litteras procurant, sint pseudo-apostoli.

Item. II Cor., IV, 2 : *In manifestatione veritatis commendantes nosmetipsos; Glossa :* « Sine comparatione adversariorum. » Ergo religiosi qui se commendantes religionem suam alias religionibus præferunt, non sunt veri apostoli.

Item. II Cor., IV, 5 : *Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Jesum Christum.* Sed illi qui seipsos commendant, seipsos prædicant. Ergo tales non sunt verorum apostolorum imitatores.

Item. II Cor., X, 12 : *Non enim audemus inserere aut comparare nos quibusdam qui seipsos commendant; Glossa :* « id est pseudo. » Ergo illi qui seipsos commendant, videntur esse pseudo-apostoli.

Item. II Cor., X, 18 : *Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat.* Ergo illi qui seipsos commendant, non sunt a Deo approbati.

Item. Prov., XXVII, 2 : *Laudet te os alienum, et non tuum; extraneus, et non labia tua.* Item Prov., XXVIII, 25 : *Qui se jactat et dilatat, jurgia concitat.* Ex quibus patet quam reprobabile sit quod aliquis seipsum commendet.

Item. Joan., VIII, 54 : *Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est.* Ergo multo fortius qui seipsos commendant, ostendunt gloriam suam nihil esse. Et sic ex omnibus prædictis ostendere nituntur, quod non liceat alicui seipsum aut suum statum commendare.

CAPUT XXII.

Quod religiosi possunt statum suum, et aliquando seipsos licite commendare.

Sed quod aliquando sancti seipsos commendant, hoc manifeste probatur tam ex Veteri quam ex Novo Testamento. Dicitur enim Nehem., V, 18, quod ipse in sui commendationem dixit : *Insuper et annonas ducatus mei non quæsivi, valde enim erat attenuatus populus. Memento mei, Deus meus, in bonum, secundum omnia quæ feci.*

Item. Job, XXXI, 1 : *Pepigi fœdus cum oculis meis ut ne cogitarem quidem de virgine;* et XXIX, 14 : *Justitia indutus sum, et vestivi me sicut vestimento,* et multa alia in utroque capitulo dicit manifeste ad sui commendationem.

Item. Apostolus Rom., XV, 18 : *Non enim audeo aliquid loqui eorum quæ per me non efficit Christus;* et infra : *Ab Jerusalem per circuitum usque ad Illyricum replevi Evangelium Christi.* Item I Cor., XV, 10 : *Abundantius illis omnibus laboravi;* et II Cor., XI, 21 : *In quo quis audet ..., audeo et ego;* et multa alia quæ ibi in sui commendationem dicit. Item Galat., I, 16 : *Non acquievi carni et sanguini;* et multa alia in eodem et sequenti cap. dicit, quæ ad suam commendationem pertinent. Quod etiam statum suum commendaverit, expresse patet II Cor., III, 6 : *Qui et idoneos nos fecit ministros Novi Testamenti, non littera, sed spiritu;* et ibi multa alia subjungit ad commendationem apostolicæ dignitatis. Et ita patet quod religioso licet suam religionem commendare, et per hoc alios ad suam religionem adducere.

Item. Apostolus I Cor., VII, 7, virginitatis perfectionem commendans, et alios ad virginitatis statum in quo erat ipse hortabatur, dicens : *Volo omnes homines esse sicut meipsum.* Ergo et religiosi in statu perfectionis possunt suam religionem commendare.

CAPUT XXIII.

Responsio ad inducta supra contra veritatem.

Quia ergo commendare seipsum aliquando quidem est laudabile, aliquando vero reprehenditur; qualiter boni seipsos commendare possint, Gregorius ostendit in *Homil.* IX *primæ partis super Ezech.*, sic dicens : « Justi atque perfecti aliquando suas virtutes prædicant, bona quæ divinitus acceperunt, narrant, non ut ipsi apud homines sua ostensione proficiant, sed ut eos quibus prædicant, exemplo suo ad vitam trahant. Quod in paradisum ductus sit

Paulus, Corinthiis narrat, ut eorum sensum a falsis prædicatoribus avertat. » Et infra : « Quod perfecti cum faciunt, » id est cum virtutes proprias loquuntur, « in hoc quoque imitatores omnipotentis Dei sunt, qui laudes suas hominibus loquitur, ut ab hominibus cognoscatur. » Sed ne passim quisque se laudare præsumat, post pauca subjungit in quibus causis se commendare debeant; unde dicit : « De quibus tamen, scilicet justis, sciendum est quod nunquam bona sua detegunt, nisi eos, ut dixi, aut proximorum utilitas, aut certe nimia necessitas cogat. Unde Paulus apostolus, cum virtutes suas Corinthiis enumerasset, adjunxit : *Factus sum insipiens, vos me coegistis.* Fit vero aliquando ut necessitate compulsi in bonis quæ de se referunt, non aliorum utilitatem, sed suam requirant; sicut beatus Job facta sua enumerat, dicens : *Oculus fui cæco,* etc. Sed quia in vulnere doloris positus, ab amicis increpantibus impie egisse, et violentus proximis atque oppressor pauperum fuisse dicebatur; vir sanctus inter flagella Dei et humanæ increpationis verba deprehensus, mentem suam graviter concuti atque ad desperationis foveam conspexit impelli, qui jamjam cadere poterat, nisi ad memoriam bene acta sua revocasset. Quod ergo bona sua enumerat, non innotescere aliis quasi ex laude desiderat, sed ad spem animum reformat. » Patet igitur ex prædictis quod multis ex causis possunt justi commendare seipsos, non quasi gloriam ab hominibus quærentes, sed propter animæ utilitatem suam vel aliorum, præcipue autem licet perfecto viro statum perfectionis commendare, ut alii ad perfectionem sequendam inflammentur; sicut christiano licet christianam religionem commendare apud infideles, ut ad fidem convertantur, et quanto sunt magis sancti, tanto hunc zelum convertendi alios ad statum perfectionis magis habent; unde Paulus dicebat Act., XXVI, 29 : *Opto apud Deum et in medico et in magno non tantum te, sed etiam omnes qui audiunt hodie, tales fieri qualis et ego sum.*

Quod ergo dicitur Roman., ult., quod pseudo-traditiones suas commendabant, patet per *Glossam* ibidem quod traditio eorum erat quod cogebant gentes judaizare; et hanc traditionem compositis verbis commendabant ad simplices pervertendos. Non ergo traditionem nominat aliquem religionis statum, sed falsam doctrinam et hæreticam. Et Matth., XXIII, non reprehenduntur pharisæi de hoc quod solliciti erant faciendi proselytos, sed de hoc quod postquam eos converterant, falsis doctrinis imbuebant, vel quia proselyti videntes eorum vitia, rursum ad gentilitatem revertebantur; et sic majori pœna erant digni, ut patet per *Glossam* ibidem.

Ad aliud vero quod dicitur II Corinth., III, dicendum quod apostoli non commendabant semetipsos quasi gloriam suam quærentes, sed ex causis quas Gregorius dicit.

Ad tertium dicendum quod Apostolus non negat quin sit commendatitiis litteris utendum, sed ostendit se eis non indigere quantum ad se, sicut indigebant pseudo-apostoli, quos nulla virtus commendabat, ut *Glossa* dicit. Indigent autem sancti quandoque commendatitiis litteris non propter se, sed propter alios qui eorum virtutem vel auctoritatem ignorant; et hoc modo Paulus Timotheum in sua Epistola commendavit I Cor., ult., 10 : *Si venerit Timotheus, videte ut sine timore sit apud vos; opus enim Domini operatur,* etc. Et Phil., II, 19 : *Spero autem in Domino Jesu Timotheum me cito mittere ad vos;* et post : *Neminem enim habeo tam unanimem;* et Coloss., ult., 10 : *Marcus consobrinus Barnabæ, de quo accepistis mandata,* etc.; et Rom., ult., 1 : *Commendo vobis Phœbem sororem nostram,* etc. Et exinde inolevit consuetudo ut illi qui mittuntur, a mittentibus litteras testimoniales et commendatitias accipiant.

Ad quartum dicendum quod sicut sancti non commendant seipsos ut gloriam propriam habeant, sed propter utilitatem aliorum; ita et quandoque se aliis præferunt. Sic enim quandoque sancti se præferunt malis, ut mali evitentur a populo, qui sanctos imitantur, sicut Apostolus II Cor., XI, 23 : *Ministri Christi sunt, et ego (ut minus sapiens dico) plus ego.* Quandoque etiam bonis præferunt se, ut in auctoritate apud homines habeantur, a quibus si contemnuntur, proficere in eis non possunt, et sic Apostolus seipsum prætulit etiam veris apostolis quantum ad aliquid, I Cor., XV, 10 : *Gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi.* Sed adhuc magis sine reprehensione præferunt statum suum statui aliorum minus perfecto, inquantum talis comparatio minus sapit privatam gloriam, et hoc modo Apos-

tolus II Cor., III, prætulit ministros Novi Testamenti ministris Veteris. Hoc etiam modo I ad Tim., V, 17, statum doctorum, de quorum numero erat, aliis statibus Ecclesiæ præfert, dicens : *Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur; maxime qui laborant verbo et doctrina.* Vel potest dici quod *Glossa* illa in falso sensu inducitur. Apostolus enim ibi loquitur non de commendatione per verba, sed per facta, quibus se commendabiles in conscientiis hominum reddebant, ut patet ex ipso textu, et constat quod ex operibus se meliores ostendebant quam pseudo-apostoli facerent, cum meliora opera facerent; unde quod dicit : « Sine comparatione adversariorum, » exponendum est, id est incomparabiliter plusquam adversarii. Unde *Glossa* est contra id ad quod inducitur.

Ad quintum patet responsio per hoc quod *Glossa* ibidem dicit : « *Non enim prædicamus nosmetipsos;* id est, prædicatio nostra non tendit ad gloriam nostram vel ad lucra nostra, sed ad gloriam Christi. Sancti enim, etsi aliquando se commendant, non tamen ex hoc quærunt gloriam suam, sed Dei per profectum aliorum. »

Ad sextum patet responsio per *Glossam,* quæ ibi dicit : « *Non inserimus nos quibusdam,* id est pseudo, qui non missi a Deo commendant seipsos aliquibus actibus, non Deus eos. » Unde ex hoc non potest concludi quin illi qui sunt a Deo per prælatos Ecclesiæ missi, possint commendare seipsos, cum Deus illos commendet largiendo munera gratiarum, ex causis tamen supra dictis.

Et sic etiam patet responsio ad septimum.

Ad octavum et nonum dicendum quod auctoritates illæ loquuntur de laude qua aliquis seipsum commendat, gloriam propriam quærens.

Ad decimum etiam patet responsio per *Interlinearem,* quæ dicit : « Si ego tantum glorifico meipsum. » Unde et illorum qui a Deo non glorificantur, si seipsos glorificant, gloria nihil est; secus autem est de illis quos Deus glorificat per munera gratiarum quæ eis largitur.

CAPUT XXIV.

Secundo de hoc quod religiosi detractoribus suis resistunt.

Nunc secundo videamus quomodo nituntur ostendere quod religiosi suis detractoribus resistere non debent.

Nam I Cor., XII, super illud : *Nemo potest dicere, Dominus Jesus,* dicit *Glossa :* « Humiliari debent christiani, ut patiantur se argui; non quærant adulationibus deliniri. » Ergo religiosi qui non sustinent se argui, ostendunt se non esse veros christianos.

Item. II Cor., XII, 12 : *Signa apostolatus mei facta sunt super vos in omni patientia. Glossa :* « Patientiam memorat, quæ ad mores pertinet. » Ergo illi qui apostolorum officium prædicando exercent, præcipue debent esse patientes, secundum illud Psalm. XCI, 15 : *Bene patientes erunt, ut annuntient.* Ergo debent sustinere in patientia suos detractores, et non eis resistere.

Item. Galat., IV, 16 : *Ergo inimicus vobis factus sum, verum dicens vobis? Glossa :* « Nemo carnalis se vult argui errantem. » Ergo qui seipsos argui non patiuntur, ostendunt se carnales esse.

Præterea. Phil., III, super illud : *Videte canes,* etc., dicit *Glossa,* « id est, cognoscite illos esse canes, non ratione, sed consuetudine contra insolitam veritatem latrantes; » et infra : « Sicut canes consuetudinem magis sequuntur quam rationem, ita pseudo-apostoli irrationabiliter contra veritatem latrant et mordent. » Et ita illi qui mordent de novo reprehendentes sua vitia, sunt pseudo-apostoli.

Item. Gregorius dicit in *Pastorali :* « Qui prava studet agere, et tamen ad hæc cæteros vult tacere, ipse sibimet testis est, quia plus veritate se appetit diligi quam contra se non vult defendi. » Veritas autem Deus est, ut dicitur Joan., XIV. Ergo illi qui non sustinent se argui, ostendunt se plusquam Deum diligere, et ita in statu damnationis esse.

Item. Adhuc potest melius objici pro parte ista. Proverb., IX, 8 : *Noli arguere derisorem, ne oderit te; argue sapientem, et diliget te.* Item. Eccli., XXI, 7 : *Qui odit correctionem, vestigium est peccatoris.* Item

Rom., xii, 14 : *Benedicite persequentibus vos, benedicite, et nolite maledicere.* Item Lucæ, vi, 23 : *Benedicite maledicentibus vobis, et orate pro calumniantibus vos.* Item I Cor., iv, 12 : *Maledicimus et benedicimus, blasphemamus et obsecramus.* Ex quibus omnibus videtur quod perfecti viri, et præcipue qui officio prædicationis vacant, non debeant maledicentibus resistere.

CAPUT XXV.

Quod religiosi possunt aliquando licite resistere detractoribus.

Quod autem apostolici viri aliquando maledicentibus resistere possunt, patet per illud quod habetur Rom., iii, 8 : *Non sicut blasphemamur, et sicut aiunt quidam nos dicere : Faciamus mala ut veniant bona, quorum damnatio justa est. Glossa* : « Quidam perversi homines non intelligentes, et ad reprehendendum proclives, ita imponunt nobis, et horum *damnatio justa est;* et ideo non est eis credendum, » in quo manifeste detractoribus suis resistit.

Item. In III Canon., Joan., x : *Si venero commonefaciam ejus opera, quæ facit verbis malignis garriens in nos;* ubi *Glossa* dicit : « Sicut linguas detrahentium nostro vitio non debemus excitare, ne pereant; ita per suam nequitiam excitatas debemus æquanimiter tolerare, ut meritum nobis crescat; aliquando etiam compescere, ne dum de nobis mala disseminant, eorum qui bona audire poterant, corda corrumpant.

Item. II Cor., x, 10 : *Epistolæ, inquiunt, graves sunt et fortes; præsentia autem corporis infirma, et sermo contemptibilis. Hoc cogitet qui ejusmodi est, quia quales sumus in verbo per epistolas absentes, tales et præsentes in facto.* In quo etiam patet quod Apostolus his qui de se mala disseminabant, restitit.

Item. Gregorius *Homil.* ix *primæ partis super Ezech.* : « Hi quorum vita in exemplum imitationis est posita, debent, si possunt, detrahentium sibi verba compescere, ne eorum prædicationem non audiant qui audire poterant, et in pravis moribus remanentes, bene vivere contemnant. » Perfecti autem viri sunt quorum vita in imitatione est posita. Ergo ipsi debent compescere linguas detrahentium cum possunt.

Item. Augustinus in II *De Trinitate* : « Gratanter suscipit osculum columbinum pulcherrima et modestissima caritas; dentem autem caninum vel evitat castissima cautissimaque humilitas, vel retundit solidissima veritas. » Ex quo patet quod canini dentes detractorum quandoque sunt evitandi, quandoque retundendi.

Item. Hoc patet multorum exemplo sanctorum, ut Gregorii Nazianzeni, Hieronymi, Bernardi et multorum aliorum, qui apologeticos fecerunt, et epistolas quibus se excusarent ab his quæ eis imponebantur.

CAPUT XXVI.

Responsio ad inducta superius contra veritatem.

Est ergo in reprehendentibus distinguendum, quia aut ordinate reprehendunt et intentione correctionis, et sic sunt non solum ferendi, sed diligendi; aut reprehendendo falsa imponunt, apud alios detrahentes, et tunc quandoque sunt patienter sustinendi, quando scilicet talis detractio non multum nocet aliis, generando scandalum in cordibus auditorum; quandoque autem, si fieri potest, sunt repellendi, non amore privatæ gloriæ, sed communis utilitatis. Si vero repelli non possunt, nihilominus patienter tolerandi sunt; unde Gregorius in prædicta *Homil.* dicit : « Justi sicut sine arrogantia loquuntur aliquando bona quæ agunt, ita sine zelo privatæ gloriæ detrahentiam sibi linguas redarguunt, quia noxia loquuntur. Cum vero linguæ detrahentium corrigi nequeunt, æquanimiter sunt per omnia sustinendæ, nec obtrectationis sermo timendus est; ne dum vituperatio perversorum metuitur, recti operis via deseratur. »

Ad primum quidem dicendum quod veri christiani patiuntur se argui ab his qui ad correctionem arguunt; resistunt autem his qui ad subversionem arguunt; et præcipue quando non solum personæ, sed veritas blasphematur.

Ad secundum dicendum quod apostolici viri semper habere debent patientiam. Quod autem aliquando resistunt detractoribus, non est ex impatientia, sed ex zelo veritatis, ut dictum est.

Ad tertium dicendum quod illi qui iniquos reputant caritative corrigentes, se

carnales ostendunt; non autem illi qui resistunt detractoribus veritatis.

Ad quartum dicendum quod *Glossa* illa loquitur de illis qui sine ratione contra veritatem latrant, mordendo prædicatores veritatis. Illi vero qui falsitatem prædicantes sustinerent sub prætextu patientiæ, essent mutis canibus comparandi; de quibus Isa., LVI, 10 : *Canes muti non valentes latrare.*

Ad quintum dicendum quod, sicut probatur plus se diligere quam veritatem qui non vult veritatem contra se defendi, ita ostenditur plus se diligere quam veritatem qui veritatis adversariis non resistit, ut sibi pacem quærat; et ita ex amore veritatis sancti viri detractoribus resistunt.

Ad omnia autem quæ sequuntur, patet responsio : quia in sequentibus auctoritatibus præcipitur ut recte corrigentes diligantur; et prohibetur ne perverse detrahentes odio vel impatientia prosequamur, sed eos magis diligamus, et pro eis oremus; quod etiam sancti viri complent in illis quorum detractionibus resistunt.

CAPUT XXVII.

Tertio de hoc quod religiosi in judicio contendunt.

Nunc tertio restat videre quomodo nituntur ostendere quod religiosi in judicio contendere non debeant, nec procurare quod armis defendantur; primo inducentes illud quod habetur I Corinth., VI, 7 : *Jam quidem omnino delictum est in vobis, quod judicia habetis inter vos. Quare non magis injuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini?* ubi dicit *Glossa :* « Perfectis licet sua repetere simpliciter, id est sine causa, sine judicio, sine lite; sed non convenit eis inde movere causam ante judicem. » Cum ergo religiosi sint in statu perfectionis, non debent cum aliquo contendere.

Item. Matth., V, 40, dicitur : *Et qui vult tecum in judicio contendere, et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium;* et sicut patet per *Glossam,* tria præcepta quæ ibi ponuntur, perfectionem justitiæ demonstrant. Ergo, cum religiosi perfectionem vitæ profiteantur, non debent cum aliquo in judicio contendere, sed potius sua dimittere.

Item. Luc., VI, 29 : *Ab eo qui aufert tibi vestimentum, etiam tunicam noli prohibere;* et infra : *Qui aufert quæ tua sunt, ne repetas;* ubi dicit *Glossa :* « Quod de vestimento et tunica dicit, etiam in aliis est faciendum. » Ergo videtur quod religiosi, ad quos præcipue ista præcepta pertinent, non debeant auferentes prohibere, nec etiam ablata repetere.

Item. Matth., X, 14 : Dominus apostolis mandat : *Quicumque non recipit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes foras de domo vel civitate, excutite pulverem de pedibus vestris;* et hoc idem habetur Luc., IX. Ex quo videtur quod apostoli et apostolici et perfecti viri non debeant litigare, si in aliqua civitate vel castello, vel aliqua societate non recipiantur.

Item. I ad Corinth., XI, 16 : *Si quis videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus.* Ergo illi qui in judicio contendunt, a forma apostolicæ perfectionis declinant.

Item. I Corinth., XIII, 5 : *Caritas non quærit quæ sua sunt! Glossa :* « Non repetit ablata. » Ergo qui in judicio contendentes sua repetunt, caritatem non habent.

Item. Gregorius in XIII lib. *Moralium :* « Cum pro terrena re pax a corde cum proximo scinditur, apparet quod plus res quam proximus amatur. » Sed hoc est contra caritatis ordinem. Ergo qui propter hoc quod repetit suam rem, turbationem sustinet proximorum, contra caritatem agit.

Item. Secundum regulam Hieronymi, « omne quod potest fieri vel non fieri, salva triplici veritate, omittendum est propter scandalum. « Sed aliquis potest dimittere rem suam de qua in judicio contendit, salva triplici veritate. Ergo si in judicio repetat cum turbatione et scandalo proximorum, contra caritatem facit. Inter omnia temporalia maxime est necessaria corpori ad vitam sustentanda esca, sed esca dimittitur propter scandalum proximi; I Corinth., VIII, 13 : *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum.* Ergo multo fortius omnia alia temporalia sunt potius dimittenda quam aliquis scandalum vel turbationem sustineat proximorum.

CAPUT XXVIII.

Quod licet religiosis se in judicio defendere, et procurare quod armis defendantur.

Sed quod sanctis viris liceat se per judicium tueri, patet per id quod habetur Actuum xxv, ubi Paulus, ne Judæis traderetur, Cæsarem appellavit. Appellatio autem ad judicium pertinet. Ergo viri perfecti possunt se per judicium defendere.

Item quod possint procurare quod armis defendantur, patet exemplo ejusdem apostoli, de quo dicitur Act., xxiii, quod procuravit ut deduceretur cum custodia militum armatorum, qui eum defenderent ab insidiatoribus.

Item quod liceat perfectis viris libertatem sui status defendere, præcipue in judicio ecclesiastico, patet per hoc quod habetur Act., xv, quod Paulus et Barnabas contra eos qui volebant credentes ex gentibus in servitutem redigere legis, Jerosolymam ascenderunt ad judicium apostolorum; de quo etiam dicit Galat., ii, 4 : *Propter subintroductos falsos fratres, qui subintroierunt explorare libertatem nostram, quam habemus in Christo Jesu, ut nos in servitutem redigerent; quibus neque ad horam cessimus subjectione.* Ergo cum aliqui volunt in servitutem redigere religiosos et perfectos viros, possunt se defendere judicio ecclesiastico.

Item quod possint sua temporalia aliquando per judicium defendere, expresse habetur per Gregorium in XXXI libro *Moralium*, super illud Job, xxix : *Frustra laboravit,* sic dicentem : « Cum curam rerum temporalium nobis itineris necessitas imponit, quidam dum eas rapiunt, solummodo tolerandi sunt; quidam vero servata caritate prohibendi, non tam sola cura ne nostra subtrahant, sed ne rapientes non sua semetipsos perdant. Plus quippe ipsis raptoribus debemus metuere quam rebus irrationabilibus defendendis inhiare. » Item Gregorius in eodem super illud Job : *In occursum pergit armatis :* « Plerumque quieti atque inconcussi relinquimur, si obviare pravis pro justitia non curamus. Sed si ad æternæ vitæ desiderium animus exarsit; si verum lumen intrinsecus respicit; si in se flammam sancti fervoris accendit; inquantum locus admittit, inquantum causa exigit, debemus pro defensione justitiæ nosmetipsos objicere, et perversis ad injusta erumpentibus, etiam cum ab eis non quærimur obviare. Nam cum justitiam quam nos amamus in aliis feriunt, nos nihilominus sua percussione confodiunt, etiam si venerari videantur. » Ex quo patet quod perfecti viri debent se ultro ingerere ad aliorum injurias repellendas etiam non provocati.

Item. Ad officium caritatis pertinet quod aliquis oppressos ab opprimentibus liberet, secundum illud Job, xxix, 17 : *Conterebam molas iniqui, et de dentibus illius auferebam prædam;* et Proverb., xxiv, 11 : *Erue eos qui ducuntur ad mortem;* et in Ps. lxxxi, 4 : *Eripite pauperem, et egenum de manu peccatoris liberate.* Sed aliquis tenetur ad impendenda caritatis officia magis illis qui sunt sibi magis conjuncti. Sed magis conjuncti sunt religioso alicui fratres suæ religionis. Ergo debet secundum caritatem resistere illis qui fratres religionis suæ nituntur opprimere. Sic ergo ex omnibus prædictis patet quod religiosi non solum licite, sed etiam laudabiliter interdum resistunt violentiis et fraudibus malignorum.

CAPUT XXIX.

Responsio ad inducta superius contra veritatem.

Sciendum est ergo quod aliquando religiosorum adversarii impugnant ipsam religionem vel religiosorum statum in his quæ ad spiritualia pertinent, aliquando vero in temporalibus. Et si quidem in spiritualibus impugnentur, totis viribus resistere debent, et præcipue in illis in quibus non solum sibi, sed et aliis prosunt, quia cum religionis statum non assumant nisi ut spiritualibus vacent, per hujusmodi impugnationem perfectionis propositum impeditur. Unde, sicut perfectionis est ut homo perfectionis propositum custodiat, ita etiam ut impedientibus resistat. Si autem pro temporalibus, tunc perfectionis est ut quis damnum patienter sustineat, quod vergit in suum proprium detrimentum, nisi forte inferenti violentiam consulere vellet, ejus malitiæ resistendo, ut per auctoritatem Gregorii prædictam patet. Sed in illis quæ ad detrimentum commune pertinent etiam temporale, non est perfectio-

nis, sed negligentiæ vel pusillanimitatis, talia incommoda, dum possit resistere, sustinere; cum aliquis ex caritate teneatur, dum potest, proximorum incommodis obviare, secundum illud quod dicitur Prov., XXIV, 11 : *Erue eos qui ducuntur ad mortem,* etc.

Ad illud ergo quod primo objicitur, dicendum quod in illo verbo Apostoli aliquid interdicitur omnibus, et aliquid perfectis tantum. Omnibus quidem interdicitur, cum contentione vel fraudulenter, vel apud infideles judices sua repetere movendo causam, ut patet per *Glossam* ibidem; sed perfectis interdicitur, cum lite et in judicio pro rebus suis repetendis causam coram judice movere. Sed, ut Gratianus dicit XIV, quæst. I, cap. *Episcopus,* hoc intelligendum est de rerum propriarum petitione, non autem de repetitione rerum communium, quæ licet eis repetere, sicut habere. Et sic hujusmodi repetentes in judicio, non sua repetunt, sed res Ecclesiæ, quarum procurationes gerunt; nec coram judice sibi sed aliis stant, quorum negotia agunt. Sciendum tamen quod illa *Glossa* non est authentica, sed magistralis; quod patet ex hoc quod est quædam conclusio ex verbis Augustini illata; unde paulo ante præmittitur : « Ut autem prædicta verba Augustini, » etc., in quibus Augustini verbis, quamvis dicatur habere judicium infirmis concessum esse secundum veniam, non tamen dicitur quod non liceat perfectis, nec magister etiam subdit postea, quod eis non liceat, sed quod eis non conveniat. Si enim his qui sunt in statu perfectionis, in judicium non liceret aliquem trahere; nec ipsis episcopis hoc licitum esset, quorum status est perfectior quam religiosorum, alias religiosi ad prælationis apicem promoveri non possent. Non enim ex hoc quod aliquis perfectionis statum assumit, aliquid ei illicitum redditur quod prius non erat, nisi se ad illud specialiter voto adstrinxerit. Unde non plus est religiosis illicitum in judicio causam movere quam prius, nisi quatenus voto paupertatis contradicit, et hoc est quando aliquis religiosus vellet pro recuperanda vel acquirenda re propria litigare, quod ei secundum votum suæ professionis possidere non licet, aut etiam interdum propter scandalum. Vel potest dici, et forte verius, quod verbum illud *Glossæ* non potest intelligi de perfectis quoad statum, sicut sunt religiosi, quia tales non habent aliquid proprium. Unde nihil esset dictum quod in eadem *Glossa* dicitur, quod sua possunt repetere simpliciter. Quod ergo dicitur in *Glossa,* intelligendum est de perfectis secundum gradum caritatis, id est qui perfectam caritatem habent, in quocumque statu sint; licet enim tales sua repetendo in judicio non peccent, interdum tamen per hoc eorum perfectioni derogatur; unde *Glossa* non dicit quod talibus non liceat, sed quod eis non conveniat. In aliquibus tamen casibus non est ei inconveniens in judicio sua repetere. Primus casus est, quando oritur contentio de re spirituali; unde Act., XV, cum esset orta contentio de observatione legalium, hoc Paulus detulit ad judicium apostolorum; et de eodem ad Galat., II, 4 : *Et propter* quosdam *falsos fratres, qui subintroierunt explorare libertatem nostram.* Secundus est, quando oritur contentio de eo quod potest vergere in detrimentum rei spiritualis, quamvis sit temporale; unde Act., XXV, Paulus appellavit Cæsarem pro liberatione sua : quia per ejus mortem vel incarcerationem impediebatur fructus prædicationis. Ipse tamen, quantum in se erat, cupiebat dissolvi et esse cum Christo, ut dicitur Philip., I. Tertius est, quando contentio est de aliquo quod vergit in temporale damnum alterius, et maxime pauperum. Reus enim est quodammodo rapinæ qui sua negligentia alios damnum incurrere permittit, et præcipue in his quæ sunt ejus curæ commissa. Unde de hoc non potest perfectionis sacrificium Deo exhiberi. Eccl., XXXIV, 24 : *Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui.* Quartus est, quando contentio est de eo quod vergit in spirituale damnum illius qui injuste detinet rem alterius temporalem; unde Gregorius in XXXI lib. *Mor.,* super illud Job, XXXIX : *Frustra laboravit,* dicit : « Quidam dum res temporales rapiunt, solummodo sunt tolerandi; quidam vero servata caritate prohibendi, non sola cura ne nostra subtrahant, sed ne rapientes non sua, semetipsos perdant. » Quintus est, quando vergit in corruptionem multorum per exemplum rapiendi. Eccl., VIII, 11 : *Quia non profertur cito contra malos sententia, absque timore ullo filii hominum perpetrant mala.*

Ad secundum dicendum quod, sicut

Glossa ibidem dicit, in tribus præceptis ibidem positis perfectio justitiæ ostenditur. Quorum primum est : *Si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe ei et alteram.* Secundum est : *Qui vult tecum in judicio contendere et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium.* Tertium est : *Quicumque te angariaverit mille passus, vade cum eo et alia duo.* Quæ tria ad patientiam pertinere noscuntur. Hoc autem tertium, ut *Glossa* exponit ibidem, intelligendum est non tam ut cum eo pedibus vadas, quia hoc nec in Christo nec in aliis historialiter legimus esse completum, sed ut parato animo sis ire, cum oporteret. Similiter et primum præceptum, ut Augustinus dicit in lib. *De mendacio,* sic est intelligendum ut homo cor paratum habeat non solum ad alias alapas accipiendas, sed etiam quælibet tormenta pro veritate patienda cum eorum dilectione a quibus illa pateretur. Nec intelligitur quod ad litteram aliquis debeat maxillam præbere se percutienti; cum nec Dominus hoc etiam percussus impleverit, nec apostolus Paulus. Unde patet quod medium præceptum secundum eamdem formam est exponendum, ut scilicet quilibet habeat cor paratum ad quælibet damna temporalia sustinenda potius quam caritatem vel veritatem relinquat. Potest autem sine præjudicio veritatis vel caritatis contingere quod aliquis in judicio sua repetat, ut ex prædictis patet, et propter hoc non sequitur ratio.

Et similiter dicendum est ad tertium.

Ad quartum dicendum quod Dominus præcepit ut apostoli pedes excutiant a pulvere in testimonium eorum qui eos non recipiunt ; unde Matth., x, dicitur : *Excutite pulverem de pedibus vestris in testimonium illis;* unde super illud Luc., ix : *Excutite pulverem,* dicit *Glossa :* « Ad contestationem terreni laboris, quem pro eis inaniter susceperunt. » Et hoc testimonium ordinatur ad divinum judicium ; unde sequitur Matth., x : *Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum et Gomorrhæorum in die judicii quam illi civitati.* Ab illis ergo Dominus discipulis suis mandat ut non recepti recedamus, qui finali judicio pro suis sceleribus reservantur, sicut sunt infideles; de quibus dicitur I Cor., v, 13 : *Eos qui foris sunt, judicabit Deus.* Sed de his qui intus sunt, scilicet fidelibus, judicium Ecclesiæ committitur. Unde si aliquis in societatem fidelium recipi velit, et ipsi injuste contradicant; non debet hoc divino judicio reservari, sed ad judicium Ecclesiæ corrigendum deduci.

Ad quintum dicendum quod judicium cum contentione omnibus infirmis est prohibitum, ut patet per *Glossam* I Cor., vi, super illud : *Jam quidem omnino delictum est,* etc. Est enim contentio impugnatio veritatis per confidentiam clamoris, ut habetur in *Glossa* Rom., i, super illud : *Homicidiis, contentione,* etc. Unde illi qui cum veritate in judicio stant, non confidentes in clamore, non propter hoc sunt contentiosi.

Ad sextum dicendum quod non est intelligendum quod salva caritate nullo modo possit aliquis ablata repetere, sed quia caritas non inducit ad repetendum ablata ex cupiditate ; unde *Glossa :* « *Non quærit quæ sua sunt,* id est ablata non repetit, quia non est amatrix pecuniæ. » Quandoque tamen aliquis ex caritate sua repetere potest zelo fraternæ correctionis, ut patet per auctoritatem Gregorii inductam.

Ad septimum dicendum quod non semper quando aliquis rem suum repetit in judicio, pacem quam cum proximo debet habere, a corde suo repellit. Unde quamvis pax cordis nullo modo sit perdenda pro terrena re recuperanda, non sequitur quod aliquis non possit in judicio terrenam rem repetere. In ipso enim tumultu judicii plerumque est salva pax pectoris, cum etiam a bonis viris in bellorum tumultibus non amittatur, alias omnia bella essent illicita.

Ad octavum dicendum quod si aliquis juste in judicio sua repetit, ipse non scandalizat, scandalum active faciens ; sed si aliquis scandalizatur, est scandalum passivum tantum. In quo distinguendum videtur, quod aut est scandalum pharisæorum, cum scilicet quis ex malitia scandalizatur, et scandalum in aliis suscitat, et tale scandalum est contemnendum exemplo Domini, qui audito pharisæorum scandalo, dicit Matth., xv, 14 : *Sinite eos, cæci sunt, et duces cæcorum ;* aut scandalum infirmorum, quod scilicet procedit ex infirmitate vel ignorantia, et huic scandalo occurrendum est juxta posse ; ita tamen, ut pro hoc removendo, aliquod illicitum non committamus. Esset autem illicitum, si aliquis bona Ecclesiæ sibi commissa perire permitteret a prædonibus direpta. Unde, quamvis

aliquis scandalo passivo scandalizetur, nihilominus ille cui cura Ecclesiæ committitur, debet custodire et defendere jura Ecclesiæ sibi commissæ; unde B. Thomas Cantuariensis episcopus, contempto scandalo regis Angliæ, bona suæ Ecclesiæ defensavit usque ad mortem. Sed si etiam posset sine peccato dimittere illius rei repetitionem, non oportet quod propter scandalum passivum dimittat repetere. Potest enim alio modo scandalo passivo obviare, si est scandalum infirmorum, scilicet pacificis verbis se juste agere ostendendo; et magis proximo prodesset, si eum ab injusta deceptione eriperet, vel consuetudinem similia præsumendi auferret, quam si ei rem suam dimitteret. Et præterea, magis debet aliquis scandalo suo quam proximi cavere; et ideo, si timeret se scandalum perpeti nisi sua repeteret, non deberet a rei suæ repetitione prohiberi.

Ad nonum dicendum quod, quamvis esca simpliciter sit maxime necessaria corpori, non tamen quælibet esca. Si enim aliquis ab una esca abstineat, potest alia sustentari; unde aliquo genere escæ magis esset abstinendum pro scandalo evitando, quam res aliquas alias temporales dimittere, quæ cum majori nocumento amitterentur; et quandoque cum aliquo periculo peccati esset si non repeterentur, ut ex dictis patet.

CAPUT XXX.

Quarto de hoc quod religiosi persecutores suos puniri procurant.

Nunc restat quarto ostendere quomodo nituntur monstrare quod religiosi suis persecutoribus nullam pœnam aut persecutionem debeant procurare. Dicitur enim Matth., v, 44 : *Benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos :* et hoc idem dicitur Luc., vi. Ergo inimicis persecutionem inferre prohibemur. Qui enim alicui bona debet inferre, multo magis non debet ei nocere.

Item. Matth., x, 16 : *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum : Glossa :* « Qui locum prædicationis suscipit, mala inferre non debet, sed tolerare. » Ergo si aliqui prædicatores pœnas inferri suis adversariis procurent, se falsos prædicatores ostendunt.

Item. Rom., xii, 17 : *Nulli malum pro malo reddentes;* et infra : *Non vosmetipsos defendentes, carissimi,* id est non istis referientes adversarios. Ergo contra doctrinam apostoli faciunt qui suos adversarios puniri procurant.

Item in *Legenda sanctorum Simonis et Judæ* legitur quod cum dux regis Persarum vellet punire sacerdotes idolorum contrarios apostolis, apostoli projecerunt se ad pedes ducis, rogantes ut eis parceret, ne essent alicui interemptionis occasio qui ad communem salutem venerant procurandam. Ergo illi qui procurant ut sui adversarii a principibus puniantur, non sunt veri, sed falsi apostoli.

Item. Galat., iv, 29 : *Quomodo tunc is qui secundum carnem natus est, persequebatur eum qui secundum spiritum, ita et nunc. Glossa* Augustini : « Qui sunt secundum carnem nati? Dilectores mundi, amatores sæculi. Qui sunt secundum spiritum nati? Amatores regni cœlorum, dilectores Christi. » Ergo illos qui aliis persecutionem procurant, apparet esse amatores mundi.

Item. Galat., v, 26 : *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi; Glossa :* « Inanis gloria est vincere velle ubi præmium non est. » Sed illi qui adversariis suis persecutionem procurant, victoriam quærere videntur. Ergo hoc ad inanem gloriam pertinet. Ex his ergo concludere volunt, quod nullo modo sanctis viris liceat aliquibus persecutionem concitare.

Item. Luc., ix, 54, dicitur quod Jacobus et Joannes dixerunt : *Domine, vis dicimus ut ignis descendat de cœlo, et consumat illos? Et conversus increpavit illos, dicens : Nescitis cujus spiritus estis.* Ex quo videtur quod illi qui sunt spiritu Dei repleti, punitionem aliorum non debeant procurare.

CAPUT XXXI.

Quod religiosi licite possunt inferre pœnam aut malum, vel procurare quod ab aliis inferantur ad correctionem.

Sed quod sancti viri pœnas aliquibus inferant vel inferri procurent, probatur primo exemplo ipsius Christi, de quo dicitur Joan., ii, 14, quod *vendentes et ementes de templo ejecit, et nummulariorum effudit æs, et mensas subvertit.*

Item exemplo Petri, qui Ananiam et Saphiram verbo suo morti condemnavit,

quia fraudaverant de pretio agri, Act., v.

Item. Act., xiii, 10, dicitur quod Paulus repletus Spiritu sancto, intuens Elymam magum dixit : *O plene omni dolo et omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis justitiæ, non desinis subvertere vias Domini rectas. Et nunc ecce manus Domini super te; et eris cæcus, non videns solem usque ad tempus.* In quo patet quod verbis eum exasperavit, et pœnam cæcitatis inflixit.

Item. I Cor., v, 3 : *Jam judicavi ut præsens eum qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Jesu Christi congregatis vobis et meo spiritu cum virtute Domini Jesu, tradere hujusmodi Satanæ in interitum carnis. Glossa :* « Ut Satanas corporaliter eum vexet; » quam quidem constat magnam pœnam esse. Et sic idem quod prius.

Item. Cant., ii, 15 : *Capite nobis vulpes parvulas. Glossa :* « Debellate et comprehendite schismaticos et hæreticos : quia, ut in alia *Glossa* ibidem dicitur, non sufficit nobis vitam nostram aliis in exemplum proponere et bonam prædicationem facere, nisi errantes corrigamus et infirmos ab insidiis aliorum defendamus.

Item. Dionysius in vi cap. *De div. nom.*, dicit quod angeli non sunt mali, quamvis interdum malos puniant. Sed ecclesiastica hierarchia exemplata est a cœlesti. Ergo sine malitia potest esse hominis alicujus quod malis pœnam inferat, vel inferri procuret.

Item. XXIII, quæst. iii, cap. *Qui potest,* dicitur : « Qui potest obviare et perturbare perversos, et non facit, nihil est aliud quam favere impietati eorum : nec caret scrupulo societatis occultæ qui manifesto facinori desinit obviare. » Ex quo patet, quod non solum licet malis resistere et eos perturbare, sed etiam hoc sine peccato dimitti non potest.

Item. Job, xxxix, 21, dicitur de equo, per quem prædicator intelligitur : *In occursum pergit armatis. Glossa :* « Quia prave ac male agentibus se pro defensione justitiæ opponit; » et *Interlinearis :* « Etiam cum ipse non quæritur. » Ex quo patet quod sanctorum prædicatorum est iniquos perturbare, etiam eos qui eis molestias non inferunt. Sed tamen hoc non faciunt sancti ex odio, sed ex amore; unde I Cor., v, 3, super illud : *Tradere hujusmodi* hominem *Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat. Glossa:* « Ex his verbis manifestat Apostolus se non odio, sed amore illud fecisse; » et infra : « Sic et Elias et alii viri boni nonnulla peccata morte punierunt : quia sic viventibus utilis metus incutiebatur; et illis qui morte puniebantur, non ipsa mors nocebat, sed peccatum, quod augeri posset si viverent, minuebatur. » Unde non proprie persecutio potest dici, quam sancti malis inferunt; cum non totaliter eos insequantur, ut in malo eorum finem constituant, sed in bono eorum, ut corrigantur, vel a peccato desistant; vel saltem in bono aliorum, ut metu coerceantur vel ab impiis liberentur. Aliquando tamen persecutionis nomen accipit prædicta punitio propter pœnæ similitudinem. Unde Augustinus *Ad Bonifacium Comitem,* et habetur XXIII, quæst. iv, cap. *Si Ecclesia :* « Si verum dicere vel cognoscere volumus, persecutio est injusta, quam impii faciunt Ecclesiæ Christi; justa, quam facit Ecclesia Christi impiis. »

Item. In Psalm. xvii, 38 : *Persequar inimicos meos ..... donec deficiant;* et alibi, Psalm. c, 5 : *Detrahentem secreto proximo suo, hunc persequebar.*

CAPUT XXXII.

Responsio ad inducta superius contra veritatem.

Ad id ergo quod primo objicitur, dicendum quod, sicut jam probatum est, sancti non ex odio, sed ex amore malos puniunt vel puniri procurant; in hoc enim eis non nocent, sed prosunt, ut supra dictum est.

Ad secundum dicendum quod prædicatores non debent aliis mala inferre ut eorum intentio in malis eorum quiescat, quasi pœnis delectentur; debent tamen mala pœnæ inferre vel per se vel per alios, propter bonum vel ejus qui punitur, vel aliorum, ut prius dictum est.

Ad tertium dicendum quod ille qui ex zelo caritatis alicujus punitionem procurat, non reddit malum pro malo, sed magis bonum pro malo, cum ipsa pœna sit utilis ei qui punitur. Sunt enim pœnæ medicinæ quædam, ut II *Ethic.* dicitur; et Dionysius dicit in iv cap. *De div. nom. :* « Puniri non est malum, sed fieri pœna dignum. » Similiter hoc quod prohibemur adversarios referire, intelligendum est ne referiamus ex odio vel livore vindictæ.

Ad quartum dicendum quod sancti, sicut dictum est alios non puniunt vel puniri procurant nisi propter correctionem eorum vel aliorum. Quandoque autem aliqui ex impunitate insolentes redduntur, et ad peccatum proniores. Eccle., VIII, 11 : *Etenim quia non profertur cito contra malos sententia, absque ullo timore filii hominum perpetrant mala;* et tunc sancti contra malos pœnis utuntur. Quandoque autem clementia magis proficit ad correctionem, et tunc sancti pœnas impediunt vel remittunt; unde Lucæ, XI, super illud : *Nescitis cujus spiritus estis*, etc., *Glossa :* « Non semper in eos qui peccant, est vindicandum : quia nonnunquam magis prodest clementia tibi ad patientiam, lapso ad correctionem ; » et hac de causa Simon et Judas adversariorum pœnas impediverunt.

Ad quintum dicendum quod dilectores mundi injuste persequuntur eos qui sunt dilectores Dei; sed juste ab eis persecutionem patiuntur, ut patet ex auctoritate Augustini supra inducta.

Ad sextum dicendum quod, ut jam patet ex dictis, sancti non procurant aliorum pœnam nisi propter aliquam utilitatem, et hanc utilitatem pro præmio computant; unde ex hoc non incurrunt notam inanis gloriæ.

Ad septimum dicendum quod, sicut *Glossa* ibidem dicit, apostoli adhuc rudes, et modum medicandi ignorantes, non ex amore correctionis aliorum, vel malitiæ finiendæ in illis, sed ex odio vindictam desiderabant. Hanc autem ignorantiam Dominus reprehendit. Postquam vero eos de vera dilectione docuit, aliquando potestatem tribuit tales vindictas exercendi, sicut Petro in Ananiam et uxorem ejus : quorum mors viventibus utilem metum mortis incussit; et in illis qui puniebantur, peccatum, quod augere poterant, si viverent, finivit; et hoc idem habetur in *Glossa* I Cor., v, 3, super illud : *Tradere hujusmodi* hominem *Satanæ,* etc. Vel dicendum quod ideo Dominus increpavit discipulos pœnam Samaritanorum petentes, quia videbat eos clementia facilius posse converti; unde *Glossa* ibidem dicit : « Denique Samaritani citius crediderunt, a quibus hoc loco ignis arcetur. »

CAPUT XXXIII.

Quinto de hoc quod religiosi placere hominibus volunt.

Nunc quinto restat videre quomodo ostendere nituntur quod religiosi non debent quærere ut hominibus placeant. Quia in Psalm. LII, 6, dicitur : *Deus dissipavit ossa eorum qui hominibus placent; confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos.*

Item. Ad Gal., I, 10 : *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.* Ergo religiosi qui se servos Christi profitentur, non debent quærere ut hominibus placeant.

Item. I Corinth., IV, super illud : *Usque in hanc horam esurimus et sitimus*, etc., *Glossa :* « Libere et sine aliqua adulatione veritatem prædicantes, et gesta pravæ vitæ malorum arguentes, gratiam non habent apud homines. Si ergo religiosi debent sine adulatione libere veritatem prædicare, non debent quærere quod hominibus placeant.

Item. Gregorius in *Pastorali :* « Adulterinæ cogitationis reus est, si placere puer sponsæ oculis appetit, per quem sponsus dona transmisit. » Sponsam autem ibi Ecclesiam vocat, puerum autem Dei ministrum. Ergo si religiosi, qui se Dei ministros profitentur, hominibus placere quærant, adulterinæ cogitationis rei sunt.

Item. Desiderium hominibus placendi procedit ex amore sui. Sed, sicut dicit Gregorius in *Pastorali,* « auctori reddit aliquem extraneum amor suus. » Ergo per hoc quod aliquis homini placere quærit, Deo extraneus redditur.

Item. Illud quod in vitium sonat, præcipue a religiosis caveri debet. Sed esse placidum sonat in vitium, ut patet per Philosophum in IV *Ethic.* Ergo religiosi quærere non debent ut hominibus placeant.

Ex hujusmodi igitur probare volunt quod nullo modo aliquis debeat quærere hominibus placere.

CAPUT XXXIV.

Quod religiosi debent dare operam ut placeant hominibus.

Sed hoc esse falsum multipliciter ostenditur. Dicitur enim ad Rom., XV, 2 : *Unusquisque proximo placeat in bonum, ad*

ædificationem. Item I ad Cor., x, 32 : *Sine offensione estote Judæis et gentibus et Ecclesiæ Dei, sicut et ego per omnia omnibus placeo.* Item Roman., xii, 17 : *Providentes bona non solum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus.* Hoc autem non esset necessarium, si non oporteret curare quomodo hominibus placeremus. Ergo quilibet curare debet ut hominibus placeat.

Item. Matth., v, 16 : *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.* Sed nullus movetur ad gloriandum ex bonis operibus nisi per hoc quod sibi placent. Ergo quilibet studere debet ut opera sua sint talia quæ aliis placere debeant.

CAPUT XXXV.

Responsio ad inducta superius contra veritatem.

Ad horum ergo evidentiam sciendum est quod tribus modis prohibetur ne aliquis hominibus placere desideret vel quærat. Uno modo ne propter seipsum placere quærat, quasi in humano favore finem constituens, sed hoc quod hominibus placere curat, debet aliquis referre ulterius ad aliquod bonum, scilicet ad Dei gloriam, vel proximorum salutem ; et hoc est quod Gregorius dicit in *Pastorali :* « Sciendum est quod oportet ut rectores boni placere hominibus appetant : scilicet ut suæ æstimationis dulcedine proximos in affectum veritatis trahant ; non ut se amari desiderent, sed ut dilectionem suam quasi quamdam viam faciant, per quam corda audientium ad amorem Conditoris introducant. Difficile quippe est ut quantumlibet recta denuntiet prædicator qui non diligitur, libenter audiatur. » Et infra : « Quod bene Paulus insinuat, cum sui nobis studii occulta manifestat, dicens : *Sicut et ego per omnia omnibus placeo;* qui tamen rursus dicit : *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.* Placet ergo Paulus, et non placet : quia in hoc quod placere appetit, non se, sed per se hominibus veritatem placere quærit. » Alio modo quando aliquis, ut placeat hominibus, facit aliquid per quod Deo displicet ; et hoc est quod Hieronymus dicit *Super Epistolam ad Gal.*, exponens illud : *Si hominibus placerem,* etc.: « Si (inquit) fieri potest ut pariter Deo et hominibus placeamus, placendum est et hominibus. Si autem aliter non placeamus hominibus, nisi Deo displiceamus, Deo magis quam hominibus placere debemus. » Tertio modo quando aliquis quod in se est facit exterius, et tamen ab aliis temerarie judicatur. Tunc ergo sibi debet sufficere quod Deo placeat in conscientia, non curans quod hominibus non placeat, qui perverse judicant ; et hoc est quod habetur in *Glossa* ad Gal., i, super illud : *Si adhuc hominibus placerem,* etc. « Sunt homines temerarii judices, detractores, susurrones, murmuratores, quærentes suspicari quod non vident, quærentes etiam jactare quæ non suspicantur. Contra tales sufficit testimonium conscientiæ nostræ. »

Et secundum hoc de facili patet responsio ad omnia objecta.

Quod enim dicitur : *Dissipavit ossa eorum qui hominibus placent,* intelligendum est de his qui ita hominibus placere volunt quod in hoc finem constituunt ; et qui ut hominibus placeant, Deum offendunt.

Et similiter intelligendum est quod dicitur ad Galat., i : *Si hominibus placerem,* etc., ut ex dictis patet.

Ad tertium dicendum quod, quamvis illi qui veritatem annuntiant, malis displiceant, qui corrigi nolunt, tamen ex hoc ipso bonis placent, qui correctionem amant ; unde dicitur Prov., ix, 8 : *Argue sapientem, et diliget te.*

Ad quartum dicendum quod verbum Gregorii intelligendum est quando aliquis ita hominibus placere quærit ut in hoc finis constituatur, ut scilicet eo modo ametur quo Deus amari debet, ne scilicet aliquid quocumque modo contra Deum fiat, quod patet ex hoc quod immediate præmittit : « Hostis, inquit, Redemptoris est qui per recta opera quæ facit hujus vitæ ab Ecclesia amari concupiscit. »

Ad quintum dicendum quod verbum Gregorii[1] est intelligendum de inordinato sui amore, ex quo procedit ut aliquis propter se hominibus placere quærat.

Ad sextum dicendum quod placidus secundum Philosophum non dicitur qui qualitercumque hominibus placere quærit, sed qui in hoc excedit ; dum scilicet placere

[1] Sic cod.; Parm. : « Augustini. »

quærit plusquam oportet, vel in quibus non oportet; eum enim qui secundum quod oportet aliis placere studet, amicum ibidem vocat.

CAPUT XXXVI.

Sexto de hoc quod religiosi gaudent de his quæ per eos Deus magnifice operatur.

Sexto videamus quomodo nituntur ostendere quod religiosi gaudere non debent de his quæ Deus magnifice per eos operatur. Luc. enim, x, 20, dicitur : *In hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subjiciuntur.* Ergo eadem ratione nec de aliis magnifice per eos factis gaudere debent.

Item. Job, xxxi, 25, dicitur : *Si lætatus sum super divitiis meis multis, et quia plurima reperit manus mea. Si vidi solem cum fulgeret, et lunam incedentem clare, et lætatum est in abscondito cor meum;* quasi dicat : Male mihi accidat; quod exponens Gregorius in XXII lib. *Moral.*, dicit : « Quia sanctum virum intelligentia scientiæ non corrupit, de multis divitiis gaudere despexit. Quia vero eum magnitudo operis non inflavit, solem fulgentem non vidit. Quia autem illum nec fama laudis extulit, clare incedentem lunam minime attendit. » Ergo patet quod non debent nec de scientia, nec de fama, nec de operibus gaudere.

Item. Gaudio alicujus rei gloria circa illam rem adjungitur. Sed homo non debet gloriari de bonis propriis, secundum illud Jer., ix, 23 : *Non glorietur sapiens in sapientia sua, et non glorietur fortis in fortitudine sua, et non glorietur dives in divitiis suis.* Ergo nec de bonis quæ per eum fiunt aliquis gaudere debet; et sic videtur ostendi quod nullo modo aliquis gaudere debeat de bonis quæ per eum Deus facit.

CAPUT XXXVII.

Quod religiosi gaudere debent de illis quæ Deus per eos magnifice operatur.

Sed quod hoc sit falsum, manifeste ostenditur per illud Actuum xi, 22, ubi dicitur quod *multus numerus credentium conversus est ad Dominum,* scilicet ad prædicationem quorumdam fidelium. *Pervenit autem sermo ad aures Ecclesiæ super istis : et miserunt Barnabam usque ad Antiochiam. Qui cum pervenisset, et vidisset gratiam Dei, gavisus est.* Gaudebant ergo apostoli de hoc quod per eorum fratres et socios fructus fiebat in Ecclesia.

Item. Act., xv, 3, dicitur de Paulo et Barnaba, quod *deducti ab Ecclesia pertransibant Phœnicem et Samariam, narrantes conversionem gentium : et faciebant gaudium magnum omnibus fratribus,* etc. Ex hoc etiam habetur idem quod prius.

Item. Phil., iv, 1 : *Itaque fratres mei carissimi et desideratissimi, gaudium meum et corona mea.* Ergo patet quod Apostolus gaudebat de illis quos ad Christum convertebat. Ergo et religiosi et alii perfecti viri gaudere possunt in illis quæ Deus magnifice per eos facit, præcipue in conversione aliorum.

Item. Nullus agit gratias de hoc in quo non credit sibi gratiam esse factam. Sed nullus reputat sibi gratiam fieri de eo quo non gaudet. Si ergo non est gaudendum de his quæ Deus magnifice per eum operatur, non sunt de hoc gratiæ agendæ, quod est omnino absurdum.

Item. Secundum Philosophum in I *Ethic.*, nullus est justus qui non gaudet justis operationibus; et huic concordat quod dicitur in Psal. xcix, 2 : *Servite Domino in lætitia.* Sed nihil magnificentius Deus per aliquem facit, quam opus justitiæ, quo ei servitur. Ergo sancti viri gaudere debent de his quæ Deus magnifice per eos operatur.

CAPUT XXXVIII.

Responsio ad inducta superius contra veritatem.

Ad horum ergo evidentiam sciendum est quod gaudium non est nisi de bono; unde secundum ordinem bonorum est de eis gaudendum; et ideo finis lætitiæ in solo summo bono ponendus est, quo proprie dicimur frui; aliis autem rebus hoc modo gaudere debemus, ut in tali gaudio finis non ponatur, sed referatur ad ultimum finem. Qui ergo gaudet de bonis quæ Deus per eum operatur, hoc gaudium in Deum referens, recte gaudet, quod contingit dum aliquis propter hoc gaudet de his quæ Deus per eum facit, quia videt hoc in gloriam Dei cedere, et suam et aliorum salutem. Si autem aliter gaudeat, suis operibus fruitur, et peccat. Unde Gregorius in XXII lib.

Moral., exponens præfata verba Job, sic dicit : « Nonnunquam etiam sancti viri de sua bona opinione gaudent. Sed cum per hanc ad meliora proficere audientes pensant, non jam de opinione sua, sed de proximorum utilitate gaudent, quia aliud est favores quærere, et aliud de profectibus exultare. »

Et per hoc de facili patet responsio ad objecta.

Quod enim dicitur Luc., x : *In hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subjiciuntur,* est intelligendum quod de hoc gaudere non debeant quantum pertinet ad spirituum depressionem, sed quantum pertinet ad Dei et suam exaltationem; unde dicit *Glossa* ibidem : « Prohibentur gaudere de humiliatione diaboli, qui propter superbiam cecidit; sed gaudeant in sua[1] sublimatione. » Vel dicendum quod de hoc non debent gaudere quasi de maximo bono, cum hoc possit fieri sine merito ejus qui talia operatur, ut *Glossa* ibidem dicit; sed principale gaudium eorum esse debet de his quæ eos ordinant ad vitam æternam ; unde et sequitur : *Gaudete autem quod nomina vestra scripta sunt in cœlis.*

Ad secundum dicendum quod verba Job sunt intelligenda de gaudio elationis, et hoc etiam patet in verbis Gregorii inductis. Superbum autem gaudium est, quando aliquis de bonis quæ Deus per eum facit, quasi propria gloria delectatur.

Ad tertium dicendum quod ille qui gaudium de quo agitur refert in Deum, non in seipso gloriatur, sed gloriatur in Deo[2] in quem refert hoc de quo gloriari posset.

CAPUT XXXIX.

Septimo de hoc quod religiosi curias principum frequentant.

Nunc septimo restat ostendere quomodo nituntur probare quod religiosi non debent in familiis principum et magnatum conversari. Matth. enim, XI, 8, dicitur : *Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt.* Sed mollibus vestiri religiosis non competit, cum statum pœnitentiæ profiteantur. Ergo in domibus regum et principum religiosi esse non debent.

Item *Glossa* ibidem dicit : « Rigida vita et prædicatio debet declinare mollium palatia, quæ frequentant mollibus induti, videlicet adulantes ; » et sic idem quod prius.

Item. Luc., IX, super illud : *Loquebatur illis de regno Dei,* dicit *Glossa :* « Illis non otiosis, non in civitate synagogæ, id est sæcularis dignitatis, residentibus, sed inter deserta Christum quærentibus, cœlestis gratiæ alimoniam impartitur. » Si ergo religiosorum vita ad hoc est ordinata ut aliquis alimoniam cœlestis gratiæ consequatur a Christo, non debent religiosi cum his qui sunt in sæculari dignitate, commorari.

Item. Hieronymus *Ad Paulinum presbyterum :* « Multitudines hominum et officia et salutationes et convivia veluti quasdam catenas fugias voluptatum. » Sed in curiis principum conveniunt multitudines et convivia frequentantur. Ergo religiosi ibi morari non debent.

Item. Boetius dicit in lib. *De consolatione,* quod illi qui in potentia gloriantur, quærunt vel regnare, vel regnantibus adhærere. Sed hoc est reprobabile in religiosis, qui humilem vitam elegerunt, quod in potentia glorientur. Ergo regnantibus adhærere non debent.

Item. Cum honores ad superbiam vitæ pertineant, quæ est unum de tribus quæ in mundo reprobantur, religiosi, qui mundo abrenuntiaverunt, debent ab his quæ ad honorem pertinent, abstinere. Sed hoc videtur ad honorem pertinere quod aliquis prædicet in curiis regum vel principum, vel synodis, ubi multitudo hominum congregatur. Ergo religiosi de talibus se intromittere non debent; et sic nituntur concludere, quod religiosi nullatenus debent in curiis regum vel principum conversari.

CAPUT XL.

Quod religiosi possunt licite conversari in curiis principum et magnatum.

Sed hoc manifeste falsum ostenditur ex hoc quod multi sancti viri cum regibus et principibus commorati sunt. Joseph enim commoratus est in curia Pharaonis, de quo in Psal. CIV, 21, dicitur : *Constituit eum dominum domus suæ, et principem omnis possessionis suæ.* Moyses etiam in domo filiæ Pharaonis nutritus est, et instructus

[1] Sic cod.; Parm. : « de sublimatione, » et in notula : « an deest vox Dei ? » — [2] Al. : « in Deum. »

omni sapientia Ægyptiorum perhibetur, Act., VII. Nathan etiam propheta inter familiares David et Salomonis computatur. Daniel etiam in curia regis Babylonis constitutus est princeps super omnes provincias Babylonis, et postulavit a rege, et constituit super opera provinciæ Babylonis Sidrach, Misach et Abdenago. *Ipse autem Daniel erat in foribus regis,* Dan., II, 49. *Glossa :* « A regis latere non recedens honoratus familiaris. » Nehemias etiam pincerna regis Persarum fuit, ut habetur Nehem, I. Mardochæus etiam factus est princeps in curia Assueri, Esther., VIII. In Novo etiam Testamento in regum palatiis aliqui sancti morati fuisse leguntur; unde Phil., ult., dicitur : *Salutant vos sancti, maxime qui de domo Cæsaris sunt.* Sebastianus etiam in curia Diocletiani inter primos palatii fuisse legitur. Similiter Joannes et Paulus fuerunt de familia Constantini Augusti. Et Gregorius in prol. *Moral.* narrat quod « in terreno palatio excubabat, ubi multi ex monasterio fratres germana caritate conjuncti secuti sunt eum. » Non est ergo illicitum viris perfectis et viris religiosis in curiis regum commorari.

CAPUT XLI.

Responsio ad inducta superius contra veritatem.

Ut ergo appareat quid in ista controversia sit tenendum, sciendum quod sancti viri aliquid propter se quærunt, aliquid propter alios. Propter se quidem quærunt Christo per contemplationem inhærere vel in hoc mundo, quantum præsentis vitæ infirmitas patitur, vel in futura vita, ubi eum plenissime contemplentur. Sed propter alios interdum coguntur a desiderata contemplatione discedere, et se actionum tumultibus implicare. Sic ergo et in desiderio habent quietem contemplationis, et tamen propter salutem proximorum patienter sustinent laborem actionis. Unde Paulus Phil., I, 23 : *Coarctor e duobus, desiderium habens dissolvi et esse cum Christo; permanere autem in carne necessarium propter vos.* Gregorius etiam in *Homil.* IV *secundæ partis super Ezech.* ait : « Menti sponsum suum fortiter amanti una solet esse consolatio, si per hoc quod ipsa a visione differtur, aliorum animæ per ejus verba proficiant, et ad cœlestem sponsum amoris facibus inardescant. » Et hac necessitate contingit quod sancti quandoque multitudinibus se ingerant, et magnatum gratiam et consortia quærant, non favore humano vel potentia delectati, sed ut plures ad viam salutis trahere possint, quia, ut dicit Augustinus VIII *Confess.,* « multis noti, multis sunt auctoritati ad salutem, et multis præeunt secuturis, quia, ut ipse infra dicit, plus hostis vincitur in eo quem plus tenet, et de quo plures tenet. » Plus autem superbos tenet nomen nobilitatis, et de his plures nomine auctoritatis ; ideo urgente caritate, nobilium et auctoritatem habentium sancti consortia quærunt, ut per eos pluribus possint proficere ad salutem ; et nisi hoc facerent, essent merito arguendi. Unde dicit Gregorius in *Pastoral. :* « Qua mente is qui proximis profuturus enitesceret, utilitati cæterorum secretum præponit suum, quando ipse summi Patris unigenitus, ut multis prodesset, de sinu Patris egressus est ad publicum nostrum. »

His igitur visis, facile est respondere ad objecta.

Quod enim dicitur Matth., XI : *Qui mollibus vestiuntur,* etc., satis aperte ostendit quod de his loquitur qui in curiis regum morantur ut ibi suas perficiant voluptates.

Similiter quod dicit *Glossa* Luc., IX : *Non otiosis,* etc., intelligitur de illis qui in civitate vel sæculari dignitate resident, ibi quietem habentes. Sed sancti quietem suam in Deo solum habent, et in ipso resident ; quod autem eos oporteat in dignitatibus vel cum multitudine commorari, magis laborem reputant quam quietem.

Quod autem dicit Hieronymus : « Multitudines hominum, » etc., patet quod loquitur de frequentantibus multitudines et hujusmodi, non ad fructificandum, sed ad delectandum, quod patet ex hoc quod sequitur : « Quasi catenas fugias voluptatum. »

Similiter quod Boetius dicit : « illi qui in potentia, » etc., manifeste apparet verum esse. Non tamen sequitur, si illi qui in potentia gloriantur, volunt potentibus adhærere, quod e converso omnes qui potentibus adhærent vel adhærere volunt, in potentia delectentur ; cum hoc possit fieri propter aliam causam, ut dictum est.

Similiter etiam quamvis prædicare mul-

titudini sit honorificum, non tamen sancti in hoc gloriam suam quærunt, sed Dei; imitantes eum qui dicit Joan., VII, 18 : *Ego gloriam meam non quæro, sed ejus qui misit me.*

CAPUT XLI.

Quomodo pervertunt judicium in infamiam personarum religiosarum.

Viso igitur quomodo blasphemantes perversi homines judicium de rebus pervertunt, nunc videndum est quomodo pervertunt judicium de personis. Forte autem posset alicui videri quod detractiones quæ personis irrogantur, essent tolerandæ sine contracdictione, tum quia, ut Gregorius dicit IX *Hom. primæ partis super Ezech.*, « perversorum derogatio vitæ nostræ approbatio est, quia jam ostenditur nos aliquid justitiæ habere, si illis displicere incipimus qui non placent Deo, » juxta illud quod dicitur Joan., XV, 18 : *Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit;* tum etiam quia humana judicia sunt parvipendenda, secundum Apostolum I Cor., IV, 3 : *Mihi pro minimo est ut a vobis judicer, aut ab humano die;* et præcipue cum nostræ conscientiæ Deum testem habeamus, secundum illud Job, XVI, 20 : *Ecce in cœlo testis meus, et conscius meus in excelsis.* Sed interius considerantibus apparet hujusmodi detrahentium linguas esse efficaciter reprimendas propter tria. Primo, quia eorum detractio non ad unam personam aut ad plures determinatas fertur, sed ad totum religiosorum collegium. Unde eorum temeritati est viriliter resistendum, ne oves Christi passim luporum morsibus lacerentur. In detestationem enim mercenarii dicitur, Joan., X, 12, quod *mercenarius videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit.* Lupus autem, ut *Glossa* ibidem dicit, est vel violentus, qui corporaliter vastat, vel diabolus qui spiritualiter dissipat. Reprehenduntur etiam quidam Ezech., XIII, 5 : *Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israel.* Secundo quia eorum vitam denigrare nituntur quibus non solum conscientia necessaria est propter seipsos, sed etiam fama, ut in proximis per prædicationem proficere possint. De istis enim detractoribus, super illud ad Galat., IV : *Ejice ancillam,* etc., dicit *Glossa :* « Omnes qui in Ecclesia terrenam felicitatem quærunt, adhuc ad Ismael pertinent. Ipsi sunt qui contendunt spiritualibus proficientibus, et detrahunt illis, et habent labia iniqua et linguas dolosas. » Et ideo talibus detractoribus resistendum est. Ut enim dicit Gregorius in *Homil. prædicta :* « Hi quorum vita in exemplum imitationis est posita, debent, si possunt, detrahentium sibi verba compescere; ne eorum prædicationem non audiant qui audire poterant; et in pravis moribus remanentes, bene vivere contemnant. » Unde et Joannes detrahentis sibi verba compescuit in *Epistola ad Gajum,* cum dixit : *Si venero, commonebo ejus opera quæ facit, verbis malignis garriens in nos,* et Paulus II ad Corinth., X, 10 : *Epistolæ, inquiunt, graves sunt et fortes; præsentia autem corporis infirma et sermo contemptibilis.* Tertio, quia non in hoc sistunt ut infament, sed ad hoc tendunt ut totaliter extirpent. Quod manifeste apparet ex hoc quod prælatos inducunt ut eos faciant ab omnibus evitari, ut in necessariis eis non provideatur, et ad eorum consortium nullus admitti permittatur. Quod quidem consilium significatur Isa., VII, 5 : *Eo quod consilium inierit contra te Syria in malum Ephraim, et filius Romeliæ, dicentes : Ascendamus ad Judam, et suscitemus eum, et avellamus eum ad nos.* Sed, ut ibi dicitur, *non stabit, et non erit istud.* Ista etiam sunt consilia de quibus dicitur Jer., XI, 19 : *Cogitaverunt super me consilia, dicentes : Eradamus eum de terra viventium, et nomen ejus non memoretur amplius.* Sed *in consilium eorum non veniat anima mea,* dicit Jacob, Genes., penult., 6, unde eorum crudelitas non debet amplius tolerari. Ut enim dicitur Esther, VII, 34 : *Traditi sumus ego et populus meus,* per eorum scilicet perversa consilia, *ut conteramur, et jugulemur, et pereamus. Atque utinam in servos et famulas venderemur, esset tolerabile malum, et gemens tacerem.* Dicitur enim Eccli., IV, 26 : *Ne accipias faciem adversus faciem tuam, nec adversus animam tuam mendacium.*

Ut ergo eorum detractionibus resistatur, sciendum est quod ipsi in sua detractione quadrupliciter procedunt. De viris enim spiritualibus mala, si qua sunt vera, extendunt, dubia asserunt, falsa confingunt, bona pervertunt.

CAPUT XLIII.

Primus modus detractionis.

Extendunt siquidem mala, quæ in religiosis inveniri possunt, tripliciter.

Primo quantum ad tempus, videlicet ea quæ ante conversionem ab eis perpetrata sunt, in eorum contumeliam commemorando. Exponentes etiam hoc quod dicitur II Timoth., III : *Erunt homines seipsos amantes,* etc., contra religiosos, dicunt in eorum opprobrium, hoc de eis intelligi : quia ex statu in quo hujusmodi peccatis detinebantur, ad statum religionis perveniunt, quam ipsi detractores sectam penetrantium domos appellant. Sed in hoc manifeste errare convincuntur, quia, ut dicit Gregorius in XVIII *Mor.,* super illud Job, XXVIII : *Ferrum de terra tollitur;* « tunc ferrum de terra tollitur, dum fortis propugnator Ecclesiæ a terrena, quam prius tenuit, actione separatur. Non ergo debet in eo despici quod fuit, quia jam cœpit esse quod non fuit. Et Apostolus I Cor., VI, 11, post multorum enumerationem peccatorum subjungit : *Et hæc aliquando quidem fuistis; sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis,* etc. Expositio etiam eorum contra intentionem Apostoli est. Non enim vult quod prius fuerint tales quales prædixerat, et postea penetratores domorum efficiantur; sed quia simul [1] dum domos penetrant, sunt de numero eorum peccatorum quos prius enumeraverat.

Secundo extendunt quoad personas, ut videlicet quod ab uno vel duobus geritur, toti religioni imponere præsumant; sicut cum dicunt quod non sunt cibis sibi appositis contenti, lautiora quærentes, et multa hujusmodi, quæ etiam si ab aliquibus aliquando fiant, nullatenus sunt totali collegio imponenda. Unde dicit Augustinus *Ad Vincentium Donatistam,* et habetur XXIII, quæst. VII, cap. *Quicumque :* « Quisquis res [2] pauperum, quas sub nomine Ecclesiæ tenebatis, non per justitiam, sed per avaritiam tenet, displicet nobis. Sed nec facile ista monstratis. Nonnullos toleramus quos corrigere vel punire non possumus, neque propter paleam relinquimus aream Domini, neque propter pisces malos rumpimus retia Domini, » etc. Non ergo propter hoc infamandum est religiosorum collegium si aliqui ex eorum numero gravia etiam peccata committunt; alias simili modo et Apostolorum collegium vituperabile fuit propter hoc quod dicitur Joan., VI, 71 : *Nonne duodecim vos elegi, et unus ex vobis diabolus est?* Unde etiam Cantic., II, 2, dicitur : *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Glossa* Gregorii : « Nec mali sine bonis, nec boni sine malis esse possunt. » Sed tamen de his dici potest quod dicitur I Joan., II, 19 : *Ex nobis prodierunt, sed ex nobis non erant.*

Tertio extendunt religiosorum mala secundum quantitatem, videlicet eorum peccata levia ultra modum aggravando. Non enim potest homo in hoc mundo sine peccato vivere, secundum illud I Joan., I, 8 : *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.* Sed tamen peccata levia, quæ etiam in quibuscumque perfectis inveniuntur, quasi gravia exaggerant, contra illud Proverb., XXIV, 15 : *Ne insidieris, et quæras impietatem in domo justi.* Et ad hoc pertinet quod religiosos pseudo-apostolos esse dicunt his signis, quod quærunt opulentiora hospitia, in quibus melius procurentur; quod procurant aliena negotia, ut sic mereantur hospitia; quod rapiunt bona temporalia illorum quibus prædicant, et alia hujusmodi, quæ etsi in vitium sonent, non tamen sunt tam gravia, ut pro eis dici possent peccatores qui hæc committunt, nedum ut pro eis possint dici pseudo-apostoli; unde super illud Galat., II : *Nos natura Judæi, et non ex gentibus peccatores,* dicit *Glossa :* « Hoc nomen non est usitatum in Scriptura de illis qui cum juste et laudabiliter vivant, non tamen sunt sine peccato. » Et sic eis convenit quod dicitur Matth., VII, quod scilicet vident festucam in oculo fratris sui, et trabem in oculo suo non vident, ubi dicit *Glossa :* « Multi præventi majoribus, leviora in fratre malunt vituperare et damnare quam emendare, pleni odio et invidia et malitia. » Implent etiam quod dicitur Matth., XXIII, 24 : *Colantes culicem, camelum autem glutientes,* minima religiosorum peccata mordaciter arguentes, sua gravia non curantes.

[1] Al. : « similiter. » — [2] Al. : « qui res, » etc.

CAPUT XLIV.

Secundus modus detractionis dubia asserendo, quod scilicet religiosi favorem mundi quærunt et suam gloriam, et non Christi.

Nunc videndum est quomodo dubia asserunt in religiosorum infamiam. Dubia autem maxime sunt futura, et etiam occulta cordis, de quibus etiam judicare præsumunt. De futuris quidem, cum dicunt quod erunt finaliter in moribus reprobi, et tandem in fide erunt corrupti. De occultis vero cordium, cum dicunt quod quærunt favorem mundi, quod quærunt suam gloriam et non Christi, et multa hujusmodi, in quibus manifeste temerarii judices convincuntur, ut patet per hoc quod habetur Rom., XIV, 13 : *Non ergo amplius invicem judicemus,* ubi dicit *Glossa :* « In his duobus temerarium judicium, scilicet cum incertum est quo animo quid factum sit, vel cum incertum est qualis futurus sit qui nunc bonus vel malus manifeste apparet. » Vel superbia vel invidentia est de his judicare, quod maxime faciunt qui magis amant clamare et vituperare, quam corrigere et emendare. In hoc etiam sibi quod solius Dei est, usurpant, scilicet scire futura, et secreta cordium; unde dicitur Isa., XLI, 23 : *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, et sciemus quia dii estis vos ;* et Jerem., XVII, 9 : *Pravum est cor hominis et inscrutabile, quis cognoscet illud? Ego Dominus,* etc. Unde I Cor., IV, 5 : *Nolite ante tempus judicare,* etc. *Glossa :* « Aliter enim injuria judici fit, si ante sententiam ejus a servo procedat sententia, » quod intelligendum est in illis quorum sibi Dominus judicium reservavit.

CAPUT XLV.

Tertius modus detractionis, falsa confingendo, quod scilicet religiosi sunt pseudo-apostoli, pseudo-prophetæ et pseudo-christi.

Jam restat videre quomodo in diffamationem religiosorum falsa confingunt. Et quia, ut diximus, ad conterendum cor eorum, ut dicitur Isa., X, non sunt contenti quælibet mala confingere, sed gravissima, quibus eos suspectos reddant, et hominum societate indignos et omnibus odiosos, et ut eos sua detractione plenius opprimant; eis imponunt mala illa quæ in Ecclesia pessima inveniri possunt et secundum ejus initium, ut in primitiva Ecclesia, et secundum ejus progressum, sicut secundum tempus quod nunc agitur, et secundum ejus terminum, sicut erit temporibus antichristi. Dicunt enim eos esse pseudo-apostolos, qui in primitiva Ecclesia vituperantur. Dicunt eos esse fures et latrones et penetratores domorum, quales per totum tempus Ecclesiæ sunt cavendi. Dicunt eos nuntios antichristi, novissimorum temporum pericula procurantes, quales in finali Ecclesia sunt timendi. A quibus tribus eos per ordinem defendamus.

Et primo quantum ad hoc quod pseudo-apostoli dicuntur. Ut ergo appareat quam fallaciter hoc nomen religiosis imponant; quid hoc nomine significetur, videamus. Inveniuntur enim in sacra Scriptura multa quæ ad idem pertinent, sicut pseudo-prophetæ et pseudo-apostoli et pseudo-christi; quæ omnia in falsitatem sonant, et ad idem pertinent; unde de eis simile est judicium, quod patet ex hoc quod habetur II Petr., II, 1 : *Fuerunt et pseudo-prophetæ in populo, sicut et in vobis erunt magistri mendaces.* Prophetæ autem et apostoli officium est ut sit mediator inter Deum et populum, verba Dei populo annuntiando, sicut habetur II Cor., V, 20 : *Pro Christi legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos.* Unde ex duobus dicitur aliquis falsus propheta et falsus apostolus. Primo ex hoc quod a Deo non est missus, prout dicitur Jerem., XXIII, 21 : *Non mittebam prophetas, et ipsi currebant; non loquebar ad eos, et ipsi prophetabant.* Secundo ex hoc quod verba Domini non proponunt, sed falsa de suo confingunt; unde in eodem cap. dicitur : *Nolite audire verba prophetarum qui prophetant vobis, et decipiunt vos : visionem cordis sui loquuntur non de ore Domini.* Et Ezech., XIII, 6, hæc duo tanguntur : *Vident,* inquit, *vana, et divinant mendacium, dicentes : Ait Dominus, cum Dominus non miserit eos.* Et additur tertium quod ad pertinaciam falsitatis pertinet cum subditur : *Et perseveraverunt confirmare sermonem.* Unde, cum Jeremias quasi falsus propheta, condemnaretur, hæc duo a se removit,

Jerem., XXVI, 15, inquiens : *In veritate misit me Dominus ad vos,* quantum ad primum, *ut loquerer in auribus vestris omnia verba hæc,* quantum ad secundum. Et hæc duo in Novo Testamento pseudo-apostolos constituunt, videlicet quod non mittuntur a Domino, et quod falsam doctrinam disseminant. Intelliguntur autem a Domino mitti, etiam quando a prælatis Ecclesiæ mittuntur; unde Augustinus *Ad Orosium :* « Apostolus interpretatur missus. Apostolorum quatuor sunt genera : a Deo, a Deo et per hominem, et per hominem tantum, et ex se. A Deo, sicut Moyses; a Deo et per hominem, sicut Jesus Nave; per hominem tantum, sicut nostris temporibus multi favore vulgi in sacerdotium subrogati sunt; ex se, sunt ipsi pseudo-prophetæ. » Et postea subjungit : « Illum cognosce missum a Deo quem non paucorum hominum laudatio, vel potius adulatio eligit; sed illum quem vita et mores optimi, et apostolicorum exactio commendat sacerdotum. » Quod etiam pseudo-apostoli dicantur illi qui doctrinam hæreticam disseminabant, patet ex hoc quod habetur in *Glossa* ad Galat., I, super illud : *Nisi quod sunt aliqui qui vos conturbant. Glossa :* » Hi erant pseudo-apostoli qui dicebant aliud Evangelium esse, et aliud legem Moysi; » et Marc., XIII, super illud : *Exurgent pseudo-christi et pseudo-prophetæ,* etc., dicit *Glossa :* » De hæreticis accipiendum est, qui contra Ecclesiam venientes, se Christos esse mentiuntur, quorum primus est Simon Magus, extremus antichristus. » Ad hoc autem quod aliquis non missus prædicet, vel falsam doctrinam prædicet, ex aliqua mala radice movetur, utpote vel ex avaritia lucrum quærens, vel ex superbia, vel inani gloria. Contingit etiam hujusmodi homines gratia Dei desertos per multa vitia defluere et magna et parva. Non tamen ex omnibus his radicibus vel hujusmodi vitiis dicuntur pseudo-apostoli vel pseudo-prophetæ, quia non omnis qui propter lucrum prædicat vel propter favorem mundi, pseudo-apostolus est; alias non esset differentia inter mercenarium et pseudo-apostolum. Qui enim aliud quam fructum animarum et honorem Dei per prædicationem quærunt, mercenarii dicuntur, sive vera, sive falsa annuntient, et sive missi et sive non missi; sed pseudo-apostoli seu pseudo-prophetæ dici non possunt nisi quando non sunt missi vel falsa annuntiant. Similiter etiam non omnes peccatores qui verbum Dei annuntiant, vel sacramenta ministrant, sunt pseudo-apostoli vel pseudo-prophetæ. Veri enim prælati sunt veri apostoli, qui tamen peccatis exigentibus interdum peccatores inveniuntur.

In hoc etiam detractorum, contra quos agimus, insipientia sive malitia ostenditur. qui religiosos pseudo-apostolos vel pseudo-prophetas nominare præsumunt ex quibusdam signis, quorum quædam peccata levia sunt, quædam vero gravia, non tamen ad duo prædicta pertinentia; utpote quia quærunt honorem proprium, quia quærunt de inimicis vindictam, et quædam alia hujusmodi; quæ etiam si omnia congregata essent in aliquo homine prædicante, non tamen eum pseudo-apostolum constituerent vel ostenderent, dummodo vera prædicaret, et missus. De falsitate autem prædicationis nihil proponere audent. Sed de hoc quod dicunt eos prædicare non missos, quod ad rem pertinet, quam inaniter dicant, patet ex his quæ supra dicta sunt, cum de eorum prædicatione ageretur. Unde relinquitur in hoc esse mendaces, quod eis tantum crimen imponere præsumunt, religiosos, pseudo-apostolos nominando. Possent autem eadem astutia vel ipsimet vel quilibet alii de simili crimine infamari. Cum enim pseudo-apostoli multa egerint quæ etiam alii peccatores agunt, et interdum etiam justi, licet ex alia causa, in promptu esset arguere : pseudo-apostoli leguntur hoc vel illud fecisse; unde et illi qui hoc vel illud faciunt, sunt pseudo-apostoli reputandi. Sed in hoc argumento manifeste vanitas inveniretur, ut ex dictis patet.

CAPUT XLVI.

Quartus modus detractionis, crimina imponendo quæ Ecclesia toto temporis processu patitur, scilicet quod religiosi sunt lupi, fures, latrones et penetrantes domos.

Nunc videndum est quomodo religiosis crimina imponant quæ Ecclesia de toto temporis sui processu patitur : utpote quod dicunt eos lupos, latrones et penetrantes domos.

Quod enim sint fures et latrones, per hoc volunt ostendere, quia, ut dicunt, non

intrant per ostium in ovile ovium, dum confessiones audiunt, et prædicant et docent aliunde quam per ostium. Ex quo manifeste insipientiæ convinci possunt. Quia ostium Christus est, ut per *Glossa* ibidem patet, nec prælatus ostium dici potest; unde *Glossa* ibidem dicit quod ostium sibi soli Christus retinuit. Non ergo intelligitur intrare non per ostium qui non intrat per prælatum, sed qui non intrat per Christum, sicut Judæi, gentiles philosophi, pharisæi et hæretici, ut ibidem *Glossa* exponit. Isti ergo fures dicuntur, quia quod alienum est suum dicunt; id est oves Dei suas faciunt, non convertendo ad doctrinam Christi, sed ad suam. Latrones, quia quod furantur occidunt, retrahendo a fide, ut ex verbis *Glossarum* ibi accipi potest. Et tamen, dato quod fures et latrones dici deberent qui Christum annuntiant secundum veram doctrinam, non per prælatos Ecclesiæ, quam hoc sit a religiosis alienum, ex prædictis manifeste apparet; nisi illum errorem aliquis sapiat, quod episcopus vel Papa non sit immediatus prælatus cujuslibet qui parochiali subditur sacerdoti.

Lupos autem rapaces eos dicunt, per hoc quod accedunt ad ministrandum fidelibus Christi spiritualia alimenta; intrinsecus autem intendunt refici de bonis carnalibus eorum, sicut lupi accedunt ad oves, ut de carnibus earum reficiantur. In quo et manifeste desipere convincuntur. Manifeste enim Joan., x, Dominus distinguit inter mercenarium et lupum. Hoc autem quod lupo imponunt, *Glossa* mercenario attribuit, quæ sic dicit : « Mercenarius est qui quærit quæ sua sunt, non quæ Christi; qui servit Deo, non propter Deum, sed pro aliqua mercede. » Illi ergo qui in hoc tantum offendunt quod intendunt temporalia accipere, et pro eis prædicant, mercenarii sunt, non lupi; nisi ipsi vel corporaliter mactent per potentiam, sicut tyranni, vel spiritualiter dissipent, sicut diabolus et ejus ministri hæretici, ut per *Glossam* ibidem patet. Hoc etiam apparet per hoc quod dicitur Act., xx, 29 : *Scio quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos; Glossa :* « Hæretici callidi in fraude, fortes in disputatione, crudeles in occisione; » et per hoc etiam quod habetur Matth., VII, 16 : *Intrinsecus autem sunt lupi rapaces,* quod *Glossa* specialiter exponit de hæreticis, qui venenato animo et intentione nocendi lupi rapaces sunt vel exterius, si detur copia, persequendo vel interius corrumpendo. Quomodo etiam hoc sit temerarium judicium, judicare de aliquibus quod carnalia principaliter intendant, quamvis spiritualia seminantes carnalia accipiant, ex dictis patet.

Dicunt etiam eos esse penetrantes domos per hoc quod confessiones audiunt sine licentia sacerdotum; sic enim penetrant domos conscientiarum; quod probant per quamdam expositionem *Glossæ* quæ habetur II Timoth., III, super illud : *Ex his sunt qui penetrant domos,* etc. *Glossa :* « *Penetrant domos*, id est rimantur proprietatem cujusque; et quos idoneos inveniunt, captivos ducunt. » Proprietatem autem cujusque rimari non possent, nisi confessiones audirent. Quia ergo huic auctoritati multum innituntur, videamus intellectum ejus. Prædixit enim Apostolus, quod *in novissimis diebus instabunt tempora periculosa, et erunt homines seipsos amantes,* etc. Novissimi autem dies, ut Augustinus dicit in *Epistola ad Hesychium,* quandoquo dicuntur etiam ipsa apostolorum tempora; unde illud quod dicitur Joel, II, 28 : *In novissimis diebus effundam de spiritu meo super omnem carnem;* Petrus dicit esse completum in die Pentecostes, Act., II. Quandoque etiam novissimus dies dicitur omnium ultimus, Joan., VI, 55 : *Ego resuscitabo eum in novissimo die.* Hic autem oportet ut intelligantur novissimi dies, qui sunt illo novissimo propinquiores, eo quod Apostolus in futurum loquitur. *Instabunt,* inquit, *tempora periculosa, et erunt,* etc.; quod ad illud pertinere videtur quod habetur Matth., XXIV, 12, quod *refrigescet caritas multorum, et abundabit iniquitas;* unde *Glossa* ibidem dicit : « Unde Apostolus : « *Erunt homines seipsos amantes.* » Non ergo verba Apostoli sunt intelligenda quasi vitia quæ connumerat, ullo sæculo unquam defuerint, sed quia abundante malitia, in futuris temporibus crescent. Quidam tamen in primitiva Ecclesia erant qui etiam illis vitiis abundabant, alias frustra diceret : *Et hos devita;* et quasi Timotheo quærenti : Quomodo possum vitare quæ nondum sunt; respondet Apostolus : *Ex his jam sunt* illi *qui penetrant domos,* etc. Illa igitur vitia quæ supra posuerat, ad futurum pertinere vult; sed hoc quod

dicit : *Ex his sunt qui penetrant domos,* ad præsens. Unde dicit : *penetrant,* non penetrabunt; *captivas ducunt,* non ducent. Nec putandum est hoc loco pro temporis futuri verba præsentis temporis posuisse, ut Augustinus in eadem epistola dicit. Erant ergo in primitiva Ecclesia ex hoc actu noti, quia penetrabant domos, etc., quos vult intelligi illis vitiis esse irretitos[1] quæ[2] in novissimis temporibus abundabunt. Qui autem sunt isti, expressius exponit ad Titum, I, 10, ubi sic dicit : *Sunt multi inobebientes et vaniloqui et seductores .....; qui de circumcisione sunt, quos oportet redargui : qui universas domos subvertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratia.* Sic ergo quod dicit : *Ex his sunt qui penetrant domos,* de illis intelligit qui latenter circumibant domos, falsam doctrinam disseminando ; sive intelligatur de domo conscientiæ, sive de domo materiali; et captivabant vinculis erroris ; unde subjungit Apostolus : *Homines corrupti mente, reprobi circa fidem.* Nec est intelligendum, ut ipsi volunt, quod hoc quod dicitur : *Reprobi circa fidem,* accipiatur pro futuro ; quasi dicat : Qui nunc penetrant domos, erunt reprobi circa fidem; quod patet tum ex hoc quod dicit præsentialiter : *Hi resistunt veritati;* tum ex hoc quod sequitur : *Sed ultra non proficient; insipientia enim eorum manifesta erit; Glossa :* « per bonos, præsertim per Joannem apostolum, per quem in Asia destruendos hæreticos prædicit. » Ex quo etiam patet quod de hæreticis apostolus loquitur. Unde dato quod religiosi confessiones audirent sine licentia prælatorum, dummodo hæreticam doctrinam non seminarent, istis verbis apostoli non notarentur.

Et sic etiam exclusum est totum eorum figmentum, quo confingere nituntur occasione horum verborum, per religiosos qui confessiones audiunt, novissimorum temporum pericula imminere. Quomodo autem religiosi licite et utiliter confessiones audiant, supra dictum est, cum de hoc ageretur.

[1] Cod. 3109 : « intentos. » — [2] Al. : « qui. »

CAPUT XLVII.

Quomodo mala quæ in finali Ecclesia timentur, religiosis imponunt, probare volentes quod e vicino instent tempora antichristi.

Jam videamus quomodo mala quæ in finali Ecclesia timentur, religiosis imponant, dicentes eos esse nuntios antichristi. Ad quod persuadendum, ad duo ostendenda conantur. Primo, quod nunc quasi e vicino tempore antichristi immineant. Secundo, quia nuntii antichristi sunt specialiter religiosi qui prædicant et confessiones audiunt. De quibus per ordinem agemus.

Quod autem non longe sunt tempora novissima, ex hoc probare volunt quod Apostolus dicit, I Cor., x, 11 : *Nos sumus in quos fines sæculorum devenerunt;* et I Joan., II, 18 : *Filioli, novissima hora est;* et Hebr., x, 37 : *Adhuc modicum aliquantulumque qui venturus est veniet, et non tardabit;* et Jacob., v, 9 : *Ecce judex ante januam assistit.* Ex quibus omnibus habere volunt, quod cum a temporibus apostolorum, quando hæc dicebantur, jam tantum tempus sit elapsum, quod nunc prope immineat tempus antichristi.

Quæ quidem verba, si sic intelligant ut tempus antichristi propinquum esse denuntient, eo modo loquendi quo temporis quantumcumque spacium in sacra Scriptura breve solet accipi in comparatione æternitatis; secundum quem modum dicitur I Corinth., VII, 29 : *Tempus breve est,* in nullo reprehensibiles inveniuntur. Sed tamen hæc eorum assertio ad suam sententiam confirmandam efficaciam non habebit; qua videlicet volunt astruere quod nunc sunt cavenda illa pericula quæ propinquissimis temporibus antichristi prædicantur futura, et quod per religiosos qui nunc sunt, evenient; de quibus inquiri volunt a prælatis.

Si autem ex his verbis aliquod diffinitum tempus signari volunt, utpote quod antichristus veniet intra septem annos, aut centum, aut mille, inveniuntur præsumptuosissimi multis auctoritatibus convicti; Dominus enim Act., I, 4, quærentibus discipulis de hoc ipso, respondit : *Non est vestrum nosse tempora vel momenta.* Ex quo argumentatur Augustinus in *Epistola*

ad Hesychium quod si non est eorum nosse, multominus aliorum. Et Matth., xxiv, 36 : *De die autem illa nemo scit, neque angeli cœlorum.* Et idem habetur Matth., xiii, et II Thess., ii, 2 : *Non moveamini a sensu vestro ..... quasi instet dies Domini.* Et Augustinus dicit in *Epistola ad Hesychium,* loquens : « Dixisti : Evangelium dicit : *De die illa et hora nemo scit.* Ego autem, » inquit, « pro possibilitate intellectus mei dico, neque mensem neque annum adventus ipsius sciri posse. Ita enim videtur sonare tanquam non possit sciri quo anno venturus sit, licet posset sciri qua hebdomade annorum, vel qua decade ; » et infra : « Quod si nec hoc comprehendi potest, quæro utrum sic saltem possit intelligi tempus adventus ejus, ut eum venturum dicamus infra istos, verbi gratia, vel quinquaginta, vel centum annos, vel quorumlibet seu majoris numeri seu minoris annorum ; » et infra : « Si autem nec hoc te comprehendisse præsumis, hoc sentis quod ego. » In primitiva Ecclesia, ut Hieronymus narrat in lib. *De illustribus viris,* et Eusebius in *Ecclesiastica historia,* quorumdam doctrina reprobata est, propter hoc quod adventum Domini instare dicebant, sicut et isti nunc videntur dicere. Non ergo potest quantumlibet spatium determinari, aut parvum vel magnum tempus, quo finis mundi, in quo Christus et antichristus expectantur, expectetur. Et propter hoc dicitur I Thess., v, 2, quod *dies Domini sicut fur veniet;* et Matth., xxiv, 38 : *Sicut autem in diebus Noe ....., non cognoverunt donec venit diluvium, et tulit omnes ; ita erit et adventus Filii hominis.* Unde et Augustinus in *Epistola ad Hesychium* proponit tres adventum Domini expectantes : quorum unus citius, alter tardius Dominum putat esse venturum, tertius suam de hoc ignorantiam confitetur ; et hunc magis commendat, primum vero magis increpat.

Ad astruendam etiam suam intentionem, tali ratione utuntur. Ab adventu Christi ultima ætas incipit ; aliæ vero ætates non duraverunt ultra mille annos ; unde cum jam ab adventu Christi multo plures quam mille anni transierint, in brevi hujus ætatis est terminus expectandus. Cui rationi obviat Augustinus in lib. LXXXIII *Quæst.,* quæst. xl, sic dicens : « Senectus autem solet etiam tantum tenere temporis quantum reliquæ omnes ætates. » Senectuti autem comparat istam ultimam ætatem ; unde concludit : « Ætas igitur ultima generis humani, quæ incipit a Domini adventu usque ad finem sæculi, quibus generationibus computetur, incertum est. » Et hoc utiliter Deus voluit latere, sicut in Evangelio scriptum est, et Apostolus attestatur dicens diem Domini tanquam furem in nocte esse venturum.

Inducunt etiam octo signa quibus propinquum antichristi adventum ostendere volunt, quorum primum videtur sumi ex hoc quod dicitur Danielis, vii, 25, de antichristo : *Putabit quod possit mutare tempora; Glossa* : « In tantam elatus superbiam, ut leges et cæremonias mutare conetur. » Unde cum quidam jam Christi Evangelium mutare conentur in quoddam aliud evangelium quod dicunt æternum, manifeste dicunt instare tempora antichristi. Hoc autem evangelium de quo loquuntur est quoddam introductorium in libro Joachim compositum, quod est ab Ecclesia reprobatum ; vel etiam ipsa doctrina Joachim, per quam, ut dicunt, Evangelium Christi mutatur. Quo supposito, istud signum nullum est ; quia temporibus apostolorum quidam Evangelium Christi mutare voluerunt, ut patet Galat., i, 6 : *Miror quod sic tam cito transferimini ab eo qui vos vocavit in gratiam Christi, in aliud Evangelium.*

Secundum signum assumunt ex hoc quod habetur in Psal. ix, 21 : *Constitue, Domine, legislatorem super eos ; Glossa :* « Antichristum legis pravæ latorem. » Unde cum doctrina prædicta quam legem antichristi dicunt, sit Parisius exposita, signum est antichristi tempus instare. Sed doctrinam Joachim, vel illius introductorii, quamvis alia reprobanda contineat, esse doctrinam quam prædicabit antichristus, falsum est. Ipse enim prædicabit se esse Deum, ut habetur II Thessal., ii, 4 : *Ita ut in templo Dei sedeat ostendens se tanquam sit Deus.* Quia si doctrinam antichristi intelligunt omnem falsam doctrinam, sicut et antichristi dicuntur omnes hæretici, tunc istud signum nullum est. A primitiva enim Ecclesia nullum tempus fuit in quo doctrinæ hæreticæ non proponerentur. I Joan., ii, 18 : *Nunc antichristi multi facti sunt; Glossa :* « Antichristi sunt omnes hæretici. »

Tertium signum assumunt ex hoc quod

habetur Daniel., v, et Isa., xxi. Visa est in Babylone reproba manus scribentis : *Mane, Thecel, Phares.* Hanc etiam scripturam jam dicunt esse visam in Babylone dilecta, scilicet Ecclesia. *Mane* enim interpretatur, *numeravit regnum tuum, et complevit,* id est finivit. Per scripturam autem supradictam numeratur regnum Christi. Dicitur enim quod durabit usque ad mille ducentos et septuaginta annos. *Thecel* exponitur : *Appensus es in statera, et inventus es minus habens;* quia in scriptura prædicta Evangelio Christi præfertur aliud Evangelium æternum. *Phares* interpretatur : *Divisum est regnum tuum, et datum est Medis et Persis.* Et similiter dicunt quod regnum Ecclesiæ finietur, et ad alios transferetur. Unde, sicut scriptura illa signat terminum Babylonis instare, ita etiam hæc scriptura signat terminum Ecclesiæ. Sed hoc signum apparet esse frivolum ex hoc quod dicit Augustinus, XVIII *De civ. Dei,* quod quidam dixerunt quod cultus nominis Christi debebat durare per trecentos sexaginta quinque annos; deinde, completo memorato annorum numero, sumeret finem. Jam ergo ante tempus Augustini aliqui fuerunt qui tempus Christi numeraverunt; et sic ista scriptura non est de novo visa. Unde per hoc non potest probari quod adventus antichristi jam de propinquo immineat. Augustinus etiam ibidem narrat, suo tempore quosdam fuisse qui computabant annos ab ascensione Christi usque ad ultimum ejus adventum, quidam quadragintos, quidam quingentos, et quidam mille; quos omnes confutat auctoritate Domini dicentis (Act., i, 7) : *Non est vestrum nosse tempora vel momenta.* Ibidem etiam hunc modum argumentandi quo isti utuntur, improbat in quibusdam qui ex decem plagis Ægypti volebant sumere numerum persecutionum quas Ecclesia passura est; quas dicit esse conjecturas humanas nulla veritatis firmitate roboratas. In hoc etiam signo evidenter scripturæ quam reprobant, assentiunt; cum et ipsi dicant Babylonem dilectam cito esse destruendam, sicut et scriptura quam improbant, asserebat. Patet etiam nullam similitudinem esse; quia scriptura illa quæ visa est in Babylone divinitus est ostensa, unde erat indicium veritatis; sed scriptura de qua loquuntur, est ex errore conficta, unde ex ea nullum potest elici argumentum.

Alia vero quinque signa sumunt ex Evangelio Matthæi, ubi Dominus videtur ponere signa adventus sui.

Quartum quidem signum est ex hoc quod dicitur Matth., xxiv, 9 : *Occident vos, et eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum.* Dicunt enim quod hoc nunc impletur, quia quidam qui in Ecclesia videntur esse sanctiores, correptionem non sustinentes, suos correptores tradunt in tribulationem et mortem, et in odium hominum. Hoc vero signum omnino nullum est; cum hujusmodi tribulationes sanctorum maxime fuerint in ipsis apostolis et in martyribus, de quibus Dominus hæc prædicebat, nec adhuc aliquæ persecutiones similes illis apparent. Unde non est magis signum propinquitatis adventus Christi quam tunc erat.

Quintum signum sumunt ex hoc quod subditur, ibi : *Et tunc scandalizabuntur multi,* etc. Quod dicunt nunc impleri, quando religiosi diffamantur, et ex hoc homines scandalizantur. Sed ista expositio est contra *Glossam,* quæ ibi dicit : *Scandalizabuntur*, id est discedent a fide timore vel portentis, vel immanitate tormentorum. » Unde patet hoc esse completum temporibus martyrum. Et iterum non est novum quod sancti viri ab impiis infamentur, cum dicatur etiam ipsis apostolis. Matth., v, 11 : *Beati estis, cum maledixerint vobis* homines, *et dixerint omne malum adversus vos, mentientes.* In *Ecclesiastica* etiam *historia* recitatur, quomodo tyranni procurabant fideles Christi turpissimis vitiis infamari.

Sextum signum accipiunt ex hoc quod sequitur ibi : *Et multi pseudo-prophetæ surgent, et seducent multos.* Quod dicunt nunc apparere, quando religiosi quidam apparent, quos pseudo-prophetas nominant, propter hoc quod seipsos commendant, et propter alia quædam hujusmodi. Sed hæc eorum expositio patet esse perversa per *Glossam* quæ habetur Marc., xiii, ubi hæc eadem verba leguntur; quæ pseudo-prophetas dicit esse intelligendos hæreticos, vel illos qui in populo Judæorum fuerunt seductores post Christi passionem ante eversionem terrenæ Jerusalem. Ad hujus etiam destructionem sufficit quod supra dictum est de pseudo-prophetis.

Septimum signum accipiunt ex hoc quod ibidem subditur : *Et quoniam abundabit*

iniquitas, refrigescet caritas multorum; quod dicunt nunc impleri, quando quidam qui videntur in Ecclesia maxime fidei zelatores, dimittunt Evangelium Christi, et adhærent Evangelio æterno ; in quo ostenditur caritatem quam habere debent ad Christum refriguisse. Sed in hoc plane mentiuntur, quia illi de quibus loqui videntur Evangelium Christi non dimittunt, nec alteri Evangelio adhærent. Et præterea dato quod hoc esset, numquid non [1] a multis retroactis temporibus aliqui qui in Ecclesia videbantur perfecti, novas hæreses confinxerunt, Christi Evangelium dimittentes, ut Pelagius, Nestorius, Eutyches et multi alii hujusmodi? Nec tamen in hoc illorum caritas refrigescere ostenditur, quod, etsi prædictam doctrinam non sequantur, tamen non persequuntur. Non enim persecutione indiget in quo defensor non invenitur; imo hoc esset errores extirpatos sub specie correctionis suscitare, et auribus populi inculcare : quod est maxime periculosum ; unde Gregorius dicit in XIV *Moral.*, quod, mortuo Eutychio hæretico, quia forte non erat qui ejus doctrinam sequeretur, dissimulavit ejus dicta persequi, ne in favillas videatur verba jaculare.

Octavum signum sumunt ex hoc quod ibi subditur : *Prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe;* quod impleri dicunt, per seipsos, qui hæc signa et pericula annuntiant, quæ ab omnibus annuntiari volunt, secundum illud II Timoth., IV, 2 : *Prædica verbum, insta opportune, importune ;* intantum quod eos qui hujusmodi signa non prædicant, dicunt esse pseudoapostolos, quia non habent oculos ante et retro, id est ad cognocendum præterita et futura, sicut animalia de quibus legitur Apoc., IV. Quidam enim, eorum vanitati similes, etiam a tempore primitivæ Ecclesiæ hujusmodi signa conficta annuntiabant, qui ab aliis catholicis et gravibus reprimebantur, ut habetur in *Ecclesiastica historia;* et Marc., XIII, in *Glossa,* super illud : *Multi venient in nomine meo,* quæ sic dicit : « Imminente excidio multi venerunt qui se esse christianos dicerent, et jam tempus libertatis adesse mentirentur. Multi etiam in Ecclesia temporibus apostolorum inter cætera diem Domini instare minati sunt. » Sic ergo illi qui hujusmodi signa prænuntiant, non computantur in numero illorum qui Evangelium annuntiant, sed in numero eorum qui seducent multos. Unde quod Dominus dicit : *Prædicabitur hoc Evangelium regni,* etc., non refertur ad prædicationem horum vanorum signorum, sed ad prædicationem fidei christianæ, quæ in universo orbe ante Christi adventum debet annuntiari. Unde et Augustinus in *Epistola ad Hesychium* probat non instare adhuc diem dominicum, cum adhuc suo tempore essent gentes, in quibus certissimum erat Evangelium Christi nondum esse prædicatum. Patet etiam quod in hoc signo incidunt etiam in foveam quam fecerunt, dum imponunt aliis quod quamdam novam doctrinam Evangelium regni nominant, et ipsi manifesta hæc signa quæ annuntiant, Evangelium regni dicunt. Hæc etiam quinque ultima signa vana et nulla esse, patet per Augustinum in *Epistola ad Hesychium,* ubi sic dicit : « Fortasse omnia quæ a tribus evangelistis dicta sunt de Christi adventu, diligentius inter se collata atque discussa, invenientur ad hoc pertinere quod quotidie evenit in corpore suo, quod est Ecclesia; de quo adventu suo dixit : Amodo videbitis filium hominis venientem, vel sedentem, » etc.

CAPUT XLVIII.

Quomodo probare nituntur quod religiosi nuntii sunt antichristi.

Nunc videamus quomodo nituntur investigare qui sunt illi per quos pericula novissimorum temporum imminebunt, quos appelant nuntios antichristi. Et procedunt tali deductione : Certum est, inquiunt, quod isti seductores non erunt de barbaris, gentilibus et Judæis. Hoc autem est contra in quod habetur Apoc., XX, 7 : *Seducet gentes quæ sunt super quatuor angulos terræ, Gog et Magog; Glossa :* « Has duas gentes ad litteram prius seducet, et per has ad alias procedet. » Vel secundum aliam expositionem, ibidem per Magog intelliguntur omnes persecutores diabolum intra se tegentes, et tandem ad apertam persecutionem procedentes. Non

[1] Parm. omittit : « non. »

ergo barbari a persecutione antichristi excluduntur, ut dicunt.

Procedunt autem ulterius ad ostendendum quod erunt christiani, per hoc quod dicitur II Tim., III, 5 : *Habentes speciem quidem pietatis ; Glossa :* « id est christianæ religionis. » Et loquitur de illis per quos pericula novissimorum temporum imminebunt. Sed in hoc errare noscuntur, quia illa vitia quæ ibi numerantur ab Apostolo, non sunt ita accipienda, quasi omnia eisdem oporteat inesse, sed quædam his, quædam aliis. Unde non oportet quod omnes illi per quos imminent illa pericula, habeant speciem pietatis, sed eorum aliqui; sicut etiam in primitiva Ecclesia patiebantur apostoli persecutionem et a fidelibus et ab infidelibus, ut patet II Cor., XI, 27 : *Periculis ex gentibus, periculis ex falsis fratribus.*

Ulterius procedunt quod isti nuntii antichristi non reperientur inter aperte malos. Hoc est autem expresse contra *Glossam* super illud Psal. XXXIV : *Deus quis similis erit tibi?* quæ totum illum Psalmum XXXIV, exponit de persecutione antichristi; et inter cæteros antichristi ministros per Philistiin dicit significari illos qui sunt ebrii luxuria sæcularium. Gregorius etiam in XX *Moral.,* exponens illud Job, XXX : *Nunc autem deridént me,* etc., dicit hæc esse verba Ecclesiæ ab adversariis suis extremis temporibus pressæ, et postea subjungit : « Quorum virtus manuum erat mihi pro nihilo, et vita ipsa putabantur indigni ; » quæ postea et multa sequentia de aperte malis et carnaliter viventibus exponit.

Dicunt etiam quod tales antichristi ministri inter eos qui videntur boni, inveniuntur; quod probant per illud quod dicitur Matth., VII, 15 : *Attendite a falsis prophetis,* et per aliquas alias hujusmodi auctoritates. Sed quamvis tales aliqui sint futuri, per quos antichristus seducet, nihilominus et alii non excluduntur, sicut etiam in primitiva Ecclesia fideles per utrosque persecutiones patiebantur.

Quod etiam dicunt quod nullus potest seducere nisi sit apparens bonus, patet esse falsum; cum multo plures seducantur deliciis hujus mundi et terroribus quam etiam specie honestatis.

Procedunt ulterius quod nuntii antichristi inveniuntur inter eos qui vacant studio litterarum; quod probare nituntur per hoc quod habetur II Timoth., III, 7 : *Semper discentes, et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes.* Quæ probatio quam sit inepta, apparet, cum hoc referatur ad mulierculas seductas, ut ipse textus ostendit, magis quam ad homines seducentes. Dato etiam quod ad seductores esset referendum, ad illos pertineret qui studio vacantes, deviant a fidei veritate; cum de hæreticis verba illa sint exponenda, ut supra dictum est. Hoc idem probare nituntur per hoc quod dicit Gregorius in lib. XIII *Moral.,* super illud Job, 16 : *Hostis meus terribilibus,* etc. : « Sicut incarnata veritas in prædicatione sua pauperes idiotas et simplices elegit, sic e contrario antichristus ad prædicandum falsitatem suam astutos ac duplices, atque hujus mundi scientiam habentes electurus est. » Sed qui sunt isti prædicatores litterati quos antichristus mittet, Gregorius infra statim exponit, utens auctoritate Isa., XVIII, 2 : *Qui mittit in mare legatos, et in vasis papyri super aquas;* quod exponens dicit : « *Mittit in mare legatos,* quia prædicatores suos in sæculo spargit. *In vasis papyri super aquas.* Vasa papyri sunt corda sæcularium doctorum. In vasis ergo papyri super aquas legatos mittere, est prædicationem suam in carnalium sapientium sensibus ponere, et defluentes ad culpam populos vocare. » Illi ergo litterati sunt prædicatores antichristi qui, sæculariter viventes, populos ad lascivias inducunt. Nec tamen si per litteratos antichristus pericula in Ecclesiam inducet, sequitur quod solum per eos.

Procedunt ulterius deducendo quod inter illos litteratos inveniuntur nuntii antichristi, quorum consilium reputatur pretiosum, maximum et optimum, quasi si quis consuleret Deum, ut dicitur de Achitophel II Reg., XVI. Et quod seductores finalis Ecclesiæ per Achitophel significentur, probant per hoc quod Achitophel prius fuit cum David, et postea cum Absalon : sic isti prius erunt cum Christo, postea cum antichristo; unde dicitur II Timoth., III, 5 : *Habentes speciem pietatis ;* et postea sequitur : *Homines corrupti mente, reprobi circa fidem;* et per illud quod dicitur I Joan., II, 19 : *Ex nobis prodierunt; Glossa :* « Nobiscum in sacramentis communicant. » Sed ista probatio non est efficax : quia non est intentio Apostoli in verbis præmissis,

quod prius habeant speciem pietatis et postea eam deponant ad infidelitatem conversi; sed simul dum speciem habent pietatis superficie tenus, virtutem ejus abnegant, infideles existentes. Multi etiam hæretici cum Ecclesia in sacramentis conveniunt : aliqui enim sacramenta Ecclesiæ recipiunt, ad minus ad apparentiam. Dato etiam quod quantum ad hoc per Achitophel significarentur, non tamen oportet quantum ad hoc quod Achitophel in consiliis fuerit famosus. Hic etiam eorum processus ex conjectura humana procedere apparet, sicut in illis qui per plagas Ægypti futuras persecutiones Ecclesiæ prædicere voluerunt, ut supra dictum est.

Adhuc procedunt ulterius, et ostendere volunt quod tales nuntii antichristi inter eos invenientur qui sunt ad consilia obligati, per hoc quod dicit Gregorius super illud Job, XXX : *Ad dexteram orientis,* etc. : « Ad dexteram (inquit) orientis calamitates insurgunt, quia hi quoque ad persecutionem Ecclesiæ prosiliunt qui electa membra Redemptoris esse credebantur. » Sed per hoc non potest probari quod inveniantur inter ligatos ad consilia, quia per electa membra, quæ per dexteram significantur, omnes bonos intelligit; unde ibidem dicit : « In hoc loco dexteræ vocabulo fidelis populus Ecclesiæ sanctæ designatur. » Sed si etiam per membra electa non significantur nisi perfecti, adhuc probatio non est efficax : quia etiam aliqui sunt perfecti, propter gradum caritatis, etiam si sint matrimonio conjuncti; prælati etiam sunt perfecti quantum ad statum. Unde per electa membra non possunt soli religiosi intelligi. Sed in processu hujusmodi plane apparet fallacia consequentis. Probare etiam nituntur hoc idem per hoc quod dicitur Matth., II, 13 : *Futurum est ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum; Glossa :* « Quam cito Christus in mundo apparuit, incepit in eum persecutio, quæ præfigurat persecutionem sanctorum. » Et ideo concludunt quod, sicut in adventu Christi se opposuerunt Christo qui sapientiores et sanctiores videbantur, scilicet scribæ et pharisæi; ita etiam se opponent fidelibus Christi in fine qui sapientes et sancti videntur, scilicet litterati et religiosi. Sed hæc probatio non est efficax : quia etiam Christum non solum persecuti sunt scribæ et pharisæi, sed principes sacerdotum, ut Anna et Caiphas, et principes sæculares, ut Herodes et Pilatus. Nec illi qui Christum persecuti sunt, erant simul omnes scribæ et pharisæi, sed quidam pharisæi tantum. Unde ex hoc non potest haberi quod intendunt : quia hæc ratio non magis tangit religiosos litteratos quam illitteratos, nec eos magis quam prælatos et principes et doctores sæculares.

Ex his autem omnibus prædictis sic colligendo concludunt. Patet ergo quod nuntii antichristi erunt christiani apparentes boni, studiis litterarum dediti, in consiliis dandis famosi, religiosi, ad consilia obligati : in qua conclusione quid intendant, ostendunt. Eos enim quos infamare nituntur, ita notificant, ac si eos exprimerent nominatim. Nihil enim differt dicere Socratem et Sophronisci filium, si solus sit Sophronisci filius Socrates. In quo eorum excusatio tollitur, et simul ostenditur quod ad personas descendunt.

Sed in hoc eorum processu multipliciter errare convincuntur. Primo ex hoc quod nuntios antichristi definiunt tanquam unum genus hominum, cum ex diversis statibus hominum ministros antichristi futuros *Glossa* ostendat super illud Psalm. LXXXII : *Deus, quis similis erit tibi?* Secundo, quia etsi diversæ auctoritates de singulis quæ colligunt, loquuntur, non tamen potest haberi quod omnes conditiones prædictæ congregentur; sed forte multi erunt seductores nuntii antichristi, quorum alii erunt religiosi, alii litterati, alii famosi in consiliis, et sic de aliis; et forte non erunt aliqui de numero eorum in quibus omnia prædicta conveniunt. Tertio, quia etsi inter istos invenirentur, non tamen inter eos solos, ut probatum est. Unde hæc probatio non magis procedit contra eos quam contra alios. Quarto, quia etsi aliqui talium sint futuri nuntii antichristi, non tamen omnes tales, sed aliqui forte pauci, sicut et de singulis statibus forte aliquos ad se colliget antichristus. Quinto, quia istæ conditiones sunt bonæ, scilicet esse christianum, litteratum, famosum in consiliis, religiosum. Unde ex his conditionibus non potest judicari de aliquo quod sit nuntius antichristi, sed magis ex aliquibus malis, secundum doctrinam Domini, Matth., VII et XII, unaquæque arbor ex fructu suo noscitur, scilicet bona ex bonis, mala ex malis.

CAPUT XLIX.

Quomodo religiosorum manifesta bona, ut orationes, jejunia et hujusmodi, pervertere nituntur, et suspecta ostendere.

Nunc ultimò videamus quomodo bona religiosorum, quæ negare non possunt, nec mala esse asserere, utpote orationes, jejunia, miracula et hujusmodi, pervertere nituntur et suspecta ostendere, occasione accepta ex hoc quod in aliquibus Scripturæ locis aliqui perniciosi homines hujusmodi operibus suam malitiam palliare dicuntur. Dicitur enim Matth., VII, 15, de falsis prophetis, quod *veniunt in vestimentis ovium;* ubi dicit *Glossa* quod in conspectu hominum similes sunt ministris justitiæ, dum jejunant, orant, eleemosynas dant, sed non sunt eorum fructus, quia pro vitio eis reputantur; » et infra super illud : *Multi dicent mihi,* etc., dicit *Glossa :* « Maxime cavendum est ab his qui propter nomen Christi miracula habent, quæ cum propter infideles Dominus fecerit, monuit tamen ne a talibus decipiantur, putantes ibi esse visibilem sapientiam ubi est visibile miraculum. » Ex quibus ostendere volunt quod nec ex virtutum operibus nec ex miraculorum signis sint aliqui acceptandi.

Sed hæc eorum sententia quam manifeste sit divinæ auctoritati contraria, facillimum est videre, cum Dominus dicat Matth., V, 16 : *Videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum,* etc. Matth. etiam, XII, dicitur quod arbor ex fructu cognoscitur, bona ex bono, mala ex malo; dicitur etiam Petr., II, 12 : *Conversationem vestram inter gentes habentes bonam, ut in eo quod detrectant de vobis tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes; Glossa,* « vestram dignitatem, » *glorificent Deum in tempore visitationis.* Ex quibus patet quod ex bonis operibus in aliquo visis est acceptandus. Similiter et miracula per aliquem facta eum commendabilem reddunt, et doctrinam ipsius; unde Dominus dicit Joan., V, 36 : *Opera quæ dedit mihi Pater ut perficiam, ea testimonium perhibent de me;* et Marc., ult., 20, dicitur quod apostoli *prædicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis.* Signa vero testimonium perhibent et homini et doctrinæ. Hoc autem non pro tanto dicimus, quin ab aliquibus malis aliqua virtutum indicia et miraculorum signa ostendantur, sed quia nobis tantum de manifestis judicare conceditur. Unde si in aliquo bona appareant, manifeste ex eis judicandus est bonus, nisi alia manifesta mala ostendantur, ex quibus apparere possint illa bona indicia quæ in eis apparent, non esse eorum fructus. Unde Matth., VII, super illud : *A fructibus eorum cognoscetis eos,* dicit *Glossa :* « Non a veste, sed ab operibus, quod de manifestis accipit. » Et Rom., XIV, super illud : *Is qui manducat,* etc., dicit *Glossa :* « Manifesta sunt quæ non possunt bono animo fieri, ut sunt blasphemiæ, furta et hujusmodi, de quibus nobis permittitur judicare; de quibus etiam dicitur : *A fructibus eorum cognoscetis eos.* Sed ea quæ dubia sunt quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur. » Auctoritates ergo quas inducunt, sic intelligendæ sunt, ut quantumcumque in aliquo bona signa appareant, illis decipi non debemus, ut ex illis signis vel ad malum, vel ad errorem aliquem pertrahamur. Sed si aliquis qui non invenitur ad errorem pertrahere vel ad malum suggerere, credatur esse bonus per opera bona quæ ostendit, quamvis forte sit malus; non est in hoc periculosa deceptio, cum non sit hominum de occultis cordis judicare. Unde II Corinth., XI, super illud : *Ipse Satanas transfigurat se in angelum lucis,* dicit *Glossa :* « Cum se bonum fingens, ea vel facit vel dicit quæ bonis angelis congruunt, etiam si credatur bonus, non periculosus error aut morbidus. Cum vero per hæc aliena ad sua incipit ducere, ne quis post eum eat, magna vigilantia opus est. »

Addunt etiam hic suæ nequitiæ, ut opera bona quæ in religiosis respiciunt, hypocrisim nominent; quam gravissimum asserunt esse peccatum, etiam in hoc pharisæis similes, qui Domino ejiciente dæmonium, dixerunt : *In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia,* ut habetur Matth., XII, et Lucæ, XI, 15. Quibus similes sunt qui bona opera quæ in aliis vident, statim ad hypocrisim referunt; unde Dominus ad eos confutandos dicit (Matth., XII, 33) : *Si quidem ex fructibus arbor cognoscitur.*

In hoc etiam quam sit periculosa eorum assertio, facile patet, quia sic homines a perfectionis operibus retraherentur, si istud

judicium procederet; et in cordibus hominum confirmaretur quod propter opera perfectionis exterius apparentia aliquis esset hypocrita judicandus; vel si etiam postquam perfectionis statum assumpserit, ex quocumque peccato commisso hypocrita diceretur, hypocrisi existente tam gravi peccato, ut dicunt. Sed hoc removet Gregorius, XXXI lib. *Moral.*, super illud Job, XXXIX : *Frustra laboravit nullo timore cogente,* ubi sic dicit : « Sciendum vero est quod sunt nonnulli quos caritatis gremio nutriens mater Ecclesia tolerat, quousque ad spiritualis ætatis incrementa perducat, qui nonnunquam et sanctitatis habitum tenent, et perfectionis meritum exequi non valent ; » et infra : « Illos nequaquam credendum est in hypocritarum numerum currere, quia aliud est infirmitate, aliud malitia peccare. » Illi ergo soli sunt hypocritæ dicendi ex sententia Beati Gregorii, qui ea intentione opera perfectionis assumunt, ut malitiam suam occultius exerceant, et magis nocere possint ; non autem illi quos contingit ex infirmitate peccare etiam post habitum perfectionis assumptum.

EPILOGUS ET TOTIUS OPERIS CONCLUSIO.

Sic igitur divina auxiliante gratia malignorum detractionibus repressis, evidenter apparet quod nihil damnationis est his qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant, sed crucem Domini bajulantes, operibus spiritualibus insistunt, carnalia desideria contemnentes. Pateret siquidem locus multa replicandi contra prædictos detractores; sed eos divino judicio reservamus, cum eorum nequitia possit esse omnibus manifesta ex his quæ ex corde suo nequissime protulerunt, secundum sententiam Domini dicentis, Matth., XII, 34 : *Quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? Ex abundantia enim cordis os loquitur. Si quis ergo emundaverit se ab istis,* ut habetur II Timoth., II, 21, eorum scilicet iniquitati non consentiens, *erit vas in honorem sanctificatum, et utile Domino, ad omne opus bonum paratum.* Qui vero eis consentiunt, cæci cæcos sequentes, simul cum eis in foveam cadent; a qua ut liberemur, hæc dicta sufficiant, Domino adjuvante, cui sit honor et gratiarum actio in sæcula sæculorum. Amen.

OPUSCULUM II.

DE PERFECTIONE VITÆ SPIRITUALIS.

(EDIT. ROM. XVIII.)

AUCTORIS INTENTIO.

Quoniam quidam perfectionis ignari, de perfectionis statu vana quædam dicere præsumpserunt, propositum nostræ intentionis est de perfectione tractare : quid sit esse perfectum, qualiter perfectio acquiritur, quis sit perfectionis status, et quæ competant assumentibus perfectionis statum.

CAPUT I.

Quod perfectio spiritualis vitæ attenditur simpliciter secundum caritatem.

Primum igitur considerare oportet quod perfectum multipliciter dicitur. Est enim aliquid simpliciter perfectum; aliquid vero dicitur perfectum secundum quid. Simpliciter quidem perfectum est quod attingit ad finem ejus quod ei competit secundum propriam rationem; secundum quid autem perfectum dici potest quod attingit ad finem alicujus eorum quæ comitantur propriam rationem : sicut animal simpliciter dicitur esse perfectum, quando ad hunc finem perducitur ut nihil ei desit ex his quæ integritatem vitæ animalis constituunt : puta cum nihil ei desit ex numero et dispositione membrorum, et debita corporis quantitate, et virtutibus quibus operationes vitæ animalis perficiuntur. Secundum quid autem perfectum animal dici potest, si sit perfectum in albedine, aut in odore, aut in aliquo hujusmodi. Sic igitur et in spirituali vita simpliciter quidem homo perfectus dicitur ratione ejus in quo principaliter spiritualis vita consistit; sed secundum quid perfectus dici potest ratione cujuscumque quod spirituali vitæ adjungitur.

Consistit autem principaliter spiritualis vita in caritate : quam qui non habet, nihil esse spiritualiter reputatur ; unde Apostolus I Corinth., XIII, 2, dicit : *Si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia et omnem scientiam, et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam; caritatem autem non habuero, nihil sum.* Beatus etiam Joannes apostolus totam vitam spiritualem in dilectione consistere asserit, dicens I Joan., III, 14 : *Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte.* Simpliciter ergo in spirituali vita perfectus est qui est in caritate perfectus; secundum quid autem perfectus dici potest, secundum quodcumque quod spirituali vitæ adjungitur : quod evidenter ex verbis sacræ Scripturæ ostendi potest. Apostolus enim ad Coloss., III, perfectionem principaliter caritati attribuit ; enumeratis enim multis virtutibus, scilicet misericordia, benignitate et humilitate, etc., iterum subdit : *Super omnia autem hæc caritatem habete, quæ est vinculum perfectionis.* Sed et secundum intellectus cognitionem aliqui dicuntur esse perfecti. Dicit enim Apostolus, I ad Cor., XIV, 20 : *Malitia parvuli estote, sensibus autem perfecti;* et alibi in eadem epistola (cap. I, 10) : *Sitis autem perfecti in eodem sensu et in eadem scientia;* cum tamen, sicut dictum est, quantumcumque aliquis habeat perfectam scientiam, sine caritate nihil esse judicetur. Sic etiam et perfectus aliquis dici potest secundum patientiam, quæ opus perfectum

habet, ut dicit Jacobus, et secundum quascumque alias virtutes. Nec debet hoc mirum videri : quia etiam in malis aliquis dicitur esse perfectus, sicut dicitur aliquis perfectus fur aut latro ; et hoc etiam modo loquendi interdum Scriptura utitur : dicitur enim Isa., XXXII : *Cor stulti faciet iniquitatem, ut perficiat simulationem.*

CAPUT II.

Quod perfectio attenditur tam secundum dilectionem Dei quam proximi.

Perfectione autem circa caritatem principaliter considerata, plane accipi potest in quo perfectio spiritualis vitæ consistat. Sunt enim duo præcepta caritatis, quorum unum pertinet ad dilectionem Dei, aliud autem ad dilectionem proximi. Quæ quidem duo præcepta ordinem quemdam ad invicem habent secundum ordinem caritatis. Nam id quod principaliter caritate diligendum est, est summum bonum, quod nos beatos efficit, scilicet Deus. Secundario vero diligendus ex caritate est proximus, qui nobis quodam socialis vitæ jure conjungitur in beatitudinis perceptione vel participatione. Unde hoc est quod in proximo ex caritate debemus diligere, ut simul ad beatitudinem perveniamus. Hunc autem ordinem præceptorum caritatis Dominus in Evangelio Matth., XXII, 37, ostendit, dicens : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua. Hoc est maximum est primum mandatum. Secundum autem simile est huic : Diligens proximum tuum sicut teipsum.* Primo igitur et principaliter consistit spiritualis vitæ perfectio in dilectione Dei; unde Dominus ad Abraham loquens dicit, Genes., XVII, 1 : *Ego Dominus omnipotens, ambula coram me, et esto perfectus.* Ambulatur autem coram Deo non passibus corporis, sed affectibus mentis. Secundario vero consistit spiritualis vitæ perfectio in proximi dilectione ; unde Dominus, cum dixisset Matth., v, 44 : *Diligite inimicos vestros,* et plura subjunxisset quæ ad dilectionem proximi pertinent, concludit in fine : *Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est.*

CAPUT III.

De perfectione divinæ dilectionis, quæ soli Deo convenit.

In utraque autem dilectione multiplex perfectionis gradus reperitur. Et quantum ad dilectionem Dei pertinet, primus et summus perfectionis gradus divinæ dilectionis convenit soli Deo. Qui quidem modus consideratur ex parte dilecti et ex parte diligentis. Dico autem ex parte dilecti, ut scilicet aliquid tantum diligatur quantum diligibile est. Ex parte vero diligentis, ut aliquid diligatur secundum totam facultatem diligentis. Cum autem unumquodque sit diligibile, secundum quod est bonum, bonitas Dei cum sit infinita, infinite diligibilis est. Infinite autem diligere nulla creatura potest, quia nullius virtutis finitæ potest esse actus infinitus. Solus ergo Deus, cujus est tanta virtus in diligendo quanta est bonitas ejus, seipsum perfecte diligere potest secundum primum perfectionis modum.

CAPUT IV.

De perfectione divinæ dilectionis, quæ convenit comprehensoribus.

Creaturæ igitur rationali hic solus modus perfecte Deum diligendi possibilis est qui sumitur ex parte diligentis, ut scilicet secundum suam totam virtutem [1] creatura rationalis diligat Deum ; unde et in ipso divinæ dilectionis præcepto manifeste hoc exprimitur ; dicitur enim Deut., VI, 5 : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua;* sed Luc., x, 27, additur, *et ex omni mente tua,* ut cor referatur ad intentionem, mens autem ad cognitionem, anima vero ad affectum, fortitudo ad executionem ; hæc enim omnia in Dei dilectione sunt expendenda.

Considerandum est autem quod hæc dupliciter impleri contingit. Cum enim totum et perfectum sit cui nihil deest; ex toto corde et anima et fortitudine et mente Deus diligetur, si nihil in his omnibus nobis desit quin totum actualiter convertatur in Deum. Sed hic perfectæ dilectionis mo-

[1] Al. : « veritatem. »

dus non est viatorum, sed comprehensorum. Unde Apostolus ad Philip., III, 12, dicit : *Non quod jam acceperim, aut jam perfectus sim; sequor autem si quo modo comprehendam;* quasi tunc perfectionem expectans, cum ad comprehensionem pervenerit, beatitudinis palmam accipiens. Comprehensionem autem accipit non secundum quod importat inclusionem aut terminationem comprehensi; sic enim Deus incomprehensibilis est omni creaturæ, sed secundum quod comprehensio importat consecutionem ejus quod insequendo aliquis quæsivit. In illa autem cœlesti beatitudine semper actualiter intellectus et voluntas creaturæ rationalis in Deum fertur, cum in divina fruitione illa beatitudo consistat. Beatitudo autem non est in habitu, sed in actu. Et quia Deo creatura rationalis inhærebit tanquam ultimo fini, qui est veritas summa; in finem autem ultimum omnia per intentionem referuntur, et secundum ultimum finem omnia exequenda disponuntur; consequens est quod in illa beatitudinis perfectione creatura rationalis diliget Deum ex toto corde, dum tota ejus intentio feretur in Deum ex omnibus quæ cogitat, amat, aut agit; ex tota mente, dum semper actualiter mens ejus feretur in Deum, ipsum semper videns, et omnia in ipso et secundum ejus veritatem de omnibus judicans; ex tota anima, dum tota ejus affectio ad Deum diligendum feretur continue, et propter ipsum omnia diligentur; ex tota fortitudine vel ex omnibus viribus, dum omnium exteriorum actuum ratio erit Dei dilectio. Hic est ergo secundus perfectæ dilectionis divinæ modus, qui est beatorum.

CAPUT V.

De perfectione divinæ dilectionis, quæ in statu hujus viæ est de necessitate salutis.

Alio vero modo ex toto corde, mente, anima et fortitudine Deum diligimus si nihil nobis desit ad divinam dilectionem, quod actu vel habitu in Deum non referamus, et hujus divinæ dilectionis perfectio datur homini in præcepto. Primo quidem ut homo omnia in Deum referat sicut in finem, sicut Apostolus dicit I Cor., x, 31 : *Sive manducatis sive bibitis vel aliquid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite,* quod quidem impletur cum aliquis vitam suam ad Dei servitium ordinat, et per consequens omnia quæ per seipsum agit, virtualiter ordinantur in Deum, nisi sint talia quæ a Deo abducant, sicut sunt peccata, et sic Deum diligit homo ex toto corde. Secundo, ut intellectum suum homo Deo subjiciat, ea credens quæ divinitus traduntur, secundum illud Apostoli II Cor., x, 5 : *In captivatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi,* et sic Deus diligitur ex tote mente. Tertio, ut quæcumque homo amat, in Deo amet, et universaliter omnem suam affectionem ad Dei dilectionem referat; unde dicebat Apostolus, II Cor., v, 13 : *Sive enim mente excedimus, Deo, sive sobrii sumus, vobis, caritas enim Christi urget nos;* et sic Deus ex tota anima diligitur. Quarto, ut omnia exteriora nostra, verba et opera ex divina caritate firmentur, secundum illud Apostoli I ad Cor., ult., 14 : *Omnia enim vestra in caritate fiant,* et sic Deus ex tota fortitudine diligitur. Hic est ergo tertius perfectæ dilectionis divinæ modus, ad quem omnes ex necessitate præcepti obligantur. Secundus vero modus nulli est possibilis in hac vita, nisi simul fuerit viator et comprehensor, sicut Dominus noster Jesus Christus.

CAPUT VI.

De perfectione divinæ dilectionis quæ cadit sub consilio.

Et cum Apostolus dixisset : *Non quod jam comprehenderim, aut perfectus sim,* subdit tertio : *Sequor autem, si quo modo comprehendam;* et postmodum subdit quarto : *Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus.* Ex quibus verbis manifeste accipitur quod, etsi comprehensorum perfectio non sit nobis possibilis in hac vita, æmulari tamen debemus ut in similitudinem perfectionis illius, quantum possibile est, nos trahamus, et in hoc perfectio hujus vitæ consistit, ad quam per consilia invitamur. Manifestum namque est quod humanum cor tanto intensius in aliquid unum fertur, quanto magis a multis revocatur. Sic igitur tanto perfectius animus hominis ad Deum diligendum fertur, quanto magis ab affectu temporalium revocatur. Unde Augustinus in lib. LXXXIII *Quæstionum* dicit quod « venenum cari-

tatis est spes adipiscendarum, aut retinendarum temporalium rerum; augmentum vero ejus est cupiditatis diminutio; perfectio vero nulla cupiditas. » Omnia igitur consilia quibus ad perfectionem invitamur, ad hoc pertinent ut animus hominis ab affectu rerum temporalium avertatur, ut sic liberius mens tendat in Deum contemplando, amando et ejus voluntatem implendo.

CAPUT VII.

De secunda via perfectionis, quæ est per dimissionem temporalium.

Inter temporalia vero bona primo relinquenda occurrunt bona extrinseca, quæ divitiæ nuncupantur; et hoc Dominus consulit, Matth., XIX, 21, dicens : *Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quæ habes, et da pauperibus; et habebis thesaurum in cœlo, et veni, sequere me,* cujus consilii utilitas consequenter ostenditur. Primo quidem per evidentiam facti. Nam cum adolescens, qui de via perfectionis quæsierat, hoc audisset, abiit tristis. Causa autem tristitiæ, ut Hieronymus dicit *Super Matth.*, redditur : « *Erat enim habens multas possessiones,* id est spinas, et tribulos, quæ sementem dominicam suffocaverunt. » Et Chrysostomus idem exponendo dicit quod « non similiter detinentur qui pauca habent, et qui multis abundant, quoniam abjectio divitiarum majorem accendit flammam, et violentior fit cupido. » Augustinus etiam dicit in *Epist. ad Paulinum et Therasiam,* quod « cum superflue terrena diliguntur, arctius adepta quam concupita constringunt; nam unde juvenis iste tristis discessit, nisi quia magnas habebat divitias? Aliud est enim jam nolle incorporare quæ desunt, aliud jam incorporata divellere. Illa enim velut extranea repudiantur, ista velut membra præciduntur. » Secundo vero utilitas prædicti consilii manifestatur per Domini verba quæ subdidit : « Quia dives difficile intrabit in regnum cœlorum. » Et ratio est, ut Hieronymus dicit, « quia divitiæ habitæ difficile contemnuntur. Non dixit : Impossibile est divitem intrare in regnum cœlorum, sed *difficile;* ubi *difficile* ponitur, non impossibilitas prætenditur, sed raritas demonstratur. » Et sicut Chrysostomus dicit *Super Matth.*, procedit ulterius Dominus ad ostendendum quod est impossibile, dicens : *Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cœlorum.* Ex quibus verbis, ut dicit Augustinus in lib. *De quæst. Evang.*, disciputi adverterunt, omnes qui divitias cupiunt in divitum haberi numero, alioquin cum pauci sint divites in comparatione multitudinis pauperum, non quæsivissent discipuli : *Quis ergo poterit salvus esse?* Ex quibus duabus Domini sententiis aperte ostenditur quod divitias possidentes difficile intrant in regnum cœlorum, quia, sicut ipse Dominus alibi, Matth., XIII, 22, dicit, *sollicitudo sæculi istius et fallacia divitiarum suffocant verbi Dei, et sine fructu efficitur.* Eos vero qui divitias inordinate amant, impossibile est intrare in regnum cœlorum, multo magis quam ad litteram camelum per foramen acus transire; hoc enim est impossibile, quia repugnat naturæ; illud vero, quia repugnat divinæ justitiæ, quæ est virtuosior omni natura creata. Ex his ergo manifeste apparet ratio divini consilii; consilium enim datur de eo quod utilius est, secundum illius Apostoli, II ad Cor., VIII, 10 : *Consilium in hoc do, hoc enim vobis utile est.* Utilius autem est ad vitam æternam consequendam divitias abjicere quam eas possidere, quia possidentes divitias difficile intrant in regnum cœlorum, eo quod difficile sit affectum divitiis possessis non alligari; quod jam facit impossibilitatem intrandi in regnum cœlorum. Salubriter ergo Dominus consuluit tanquam utilius, ut divitiæ relinquerentur.

Sed potest aliquis contra præmissa objicere, quia Matthæus, Bartholomæus et Zachæus divitias habuerunt, et tamen in regnum cœlorum intraverunt. Sed hoc Hieronymus solvens dicit : « Considerandum est autem quod eo tempore quo intraverunt, divites esse desierunt. »

Sed cum Abraham nunquam dives esse desierit, quin potius in divitiis fuerit mortuus, et eas in morte reliquerit filiis, ut in Genesi legitur, videtur secundum prædicta non fuisse perfectus; cum tamen ad eum Dominus dixerit, Gen., XVII, 1 : *Esto perfectus.* Quæ quidem quæstio solvi non posset, si perfectio vitæ christianæ in ipsa dimissione divitiarum consisteret. Sequeretur enim quod qui divitias possideret, non posset esse perfectus. Sed si verba Domini diligenter considerantur, non in

ipsa divitiarum dimissione perfectionem posuit; sed hoc ostendit esse quasi quamdam perfectionis viam, ut ipse modus loquendi ostendit, cum dicitur : *Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et sequere me;* quasi in sequela Christi consistat perfectio, dimissio vero divitiarum sit perfectionis via; unde Hieronymus dicit *Super Matth. :* « Quia non sufficit tantum relinquere, subjungit Petrus quod perfectum est : *Et secuti sumus te.* « Origenes etiam in eodem loco dicit quod hoc quod dicit : *Si vis perfectus esse,* etc., non sic intelligitur, ut ipso tempore quo tradiderit bona sua pauperibus, fiat omnino perfectus, sed ex illo die incipiet speculatio Dei adducere eum ad omnes virtutes. Potest ergo contingere quod aliquis divitias possidens perfectionem habeat, caritate perfecta Deo inhærens; et hoc modo Abraham divitias possidens perfectus fuit, non quidem habens animum divitiis irretitum, sed totaliter Deo conjunctum, et hoc figurant verba Domini dicentis ad eum : *Ambula coram me, et esto perfectus;* quasi in hoc ejus perfectionem ostendens esse quod coram Deo ambulaverit, eum perfecte amando usque ad contemptum sui et suorum omnium, quod maxime ex immolatione filii demonstravit; unde ei dictum est : *Quia fecisti rem hanc, et non pepercisti filio tuo propter me, benedicam tibi.* Genes., XXII, 16.

Si quis vero ex hoc arguere velit inutile esse consilium Domini de divitiis dimittendis, quia Abraham divitias possidens fuit perfectus, ad hoc patet jam responsio ex prædictis. Non enim Dominus ea ratione hoc dedit consilium quasi divites perfecti esse non possint, aut intrare in regnum cœlorum, sed quia non de facili possunt. Magna ergo fuit virtus Abrahæ, quia etiam divitias possidens, a divitiis liberum animum habuit; sicut et magna virtus fuit Samson, qui absque armis cum sola mandibula asinæ multos hostes prostravit; nec tamen consilium inutiliter datur militi ut ad bellum accedens assumat arma ad hostes vincendos; nec ergo inutiliter datur consilium perfectionem desiderantibus ut dimittant divitias, quia in divitiis Abraham posuit esse perfectus. Facta enim mirabilia non sunt ad consequentiam trahenda, quia infirmi ea magis mirari et laudare possunt quam imitari; unde et in Ecclesiastico dicitur, XXXI, 8 : *Beatus dives qui inventus est sine macula, et qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia et thesauris.* Magnæ virtutis dives esse ostenditur, et perfecta caritate fixus in Deo, qui ex affectu divitiarum maculam peccati non contrahit; qui post aurum concupiscendo non vadit, nec de divitiis confidendo per superbiam super alios se extollit; unde Apostolus, I ad Tim., ult., 17 : *Divitibus hujus sæculi præcipe non sublime sapere, nec sperare in incerto divitiarum.* Sed quanto divitis taliter instituti major est beatitudo et virtus, tanto talium divitum minor est numerus; unde subditur : *Quis est hic, et laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in vita sua.* Vere enim mirabilia facit qui divitiis affluentibus cor non apponit; et si quis talis est, absque dubio probatur perfectus; unde sequitur : *Qui probatus est in illo,* id est in hoc quod absque macula divitias habeat, *et perfectus inventus est?* quasi dicat : rarus. Et hoc *erit illi in gloriam æternam;* quod consonat verbis Domini dicentis, quod *difficile dives intrabit in regnum cœlorum.*

Hæc est ergo prima via perveniendi ad perfectionem, ut aliquis studio sequendi Christum, dimissis divitiis paupertatem sectetur.

CAPUT VIII.

De secunda perfectionis via, quæ est per abdicationem corporalium affectionum et matrimonii.

Ut autem secundam perfectionis viam convenientius ostendamus, accipiendum est verbum Augustini, qui dicit in XII *De Trinit. :* « Tanto magis inhæretur Deo, quanto minus diligitur bonum proprium. » Igitur secundum ordinem propriorum bonorum, quæ homo propter Deum contemnit, est attendendus ordo eorum quibus ad perfectam Dei inhæsionem pervenitur.

Prius enim relinquenda occurrunt quæ minus nobis conjuncta existunt; unde in primo loco occurrit ad perfectionem tendentibus exteriora bona relinquere, quæ a nostra natura sunt separata.

Post hæc vero relinquenda occurrunt ea quæ nobis naturæ communione et affinitatis cujuscumque necessitudine conjunguntur; unde Dominus dicit, Luc., XIV, 26 : *Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres,*

et sorores ..., non potest esse meus discipulus. « Sed percontari libet (ut Gregorius dicit) quomodo parentes et carnales propinquos præcipimur odisse, qui jubemur et inimicos diligere? Sed si vim præcepti perpendimus, utrumque agere per discretionem valemus ..., quasi enim per odium diligitur qui carnaliter sapiens dum prava nobis ingerit, non auditur. Sic enim exhibere proximis nostris odii discretionem debemus; ut in eis et diligamus quod sunt, et habeamus odio quod in Dei nobis itinere obsistunt. Quisquis enim jam æterna concupiscit, in eam quam aggreditur causam Dei, extra patrem, extra matrem, extra uxorem, extra filios, extra cognatos, extra semetipsum fieri debet, ut eo verius cognoscat Deum, quo in ejus causa neminem cognoscit. Manifestum namque est quod carnales affectus intentionem mentis diverberant, ejusque aciem obscurant. » Inter cæteras autem proximorum necessitudines maxime affectu conjugali humanus animus irretitur; intantum quod, sicut dicitur Gen., II, 24, ex ore primi parentis : *relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ;* et ideo ad perfectionem tendentibus maxime vinculum conjugale est vitandum, quia per hoc homo maxime sæcularibus implicatur. Et hanc causam Apostolus assignat sui consilii, quod dederat de continentia servanda, dicens I ad Corinth., VII, 32 : *Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo; qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi.* Ut ergo homo liberius Deo vacet, eique perfectius inhæreat, secunda ad perfectionem via est perpetua castitatis observatio. Habet autem et hoc continentiæ bonum aliquam idoneitatem ad perfectionem adipiscendam. Impeditur enim animus hominis ne libere possit Deo vacare, non solum ex amore exteriorum rerum, sed multo magis ex interiorum passionum impulsu. Inter omnes autem interiores passiones maxime rationem absorbet concupiscentia carnis, et venereorum usus; unde Augustinus dicit in I lib. *Soliloquiorum :* « Nihil esse sentio quod magis ex arce virtutis dejiciat animum virilem, quam blandimenta feminæ corporumque ille contractus, sine quo uxor haberi non potest. » Et ideo continentiæ via est maxime necessaria ad perfectionem consequendam; quam quidem viam Apostolus consulit I ad Corinth., VII, 25 : *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do tanquam misericordiam consecutus ..., ut sim fidelis.* Hujus autem viæ utilitas ostenditur Matth., XIX, 12, ubi cum discipuli Christo dicerent : *Si ista est causa hominis cum uxore, non expedit nubere,* Dominus respondit : *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est.* In quo arduitatem hujus viæ ostendit, et quia ab ejus consecutione deficit hominum virtus communis, et quia non nisi dono Dei ad eam pervenitur; unde dicitur Sap., VIII, 21 : *Scivi, quoniam aliter non possum esse continens, nisi Deus det; et hoc ipsum erat summa sapientia scire cujus hoc esset donum;* cui consonat quod Apostolus dicit I Corinth., VII, 7 : *Volo omnes homines esse sicut meipsum,* scilicet qui continentiam servo, *sed unusquisque proprium habet donum ex Deo, alius quidem sic, alius vero sic;* ubi aperte continentiæ bonum dono Dei adscribitur. Sed ne rursus ad hoc aliquis donum consequendum secundum suas vires conari negligat, Dominus ad hoc hortatur communiter; et primo quidem exemplo, cum dicit : *Sunt eunuchi qui seipsos castraverunt,* non membrorum abscissione, ut Chrysostomus dicit, sed malarum cogitationum interemptione; et deinde invitat proponens præmium, cum subdit : *Propter regnum cœlorum;* unde dicitur Sap., IV, 2 : *Casta generatio ... in perpetuum coronata triomphat, incoinquinatorum certaminum præmium vincens;* et ultimo hortatur verbo, cum dicit : *Qui potest capere capiat;* quæ, ut Hieronymus dicit : « hortantis Domini vox est, et milites suos ad pudicitiæ præmium concitantis, quasi, qui potest pugnare, pugnet et superet ac triumphet. »

Si quis autem objectionem moveat de Abraham qui perfectus fuit, et aliis justis antiquis a matrimonio non abstinentibus, patet responsio per hoc quod Augustinus dicit in lib. *De bono conjugali :* « Continentia non corporis, sed animi virtus est. Virtutes autem animi aliquando in opere manifestantur, aliquando in habitu latent. Quocirca sicut non est impar meritum patientiæ in Petro, qui passus est, et in Joanne, qui passus non est, sic non impar meritum est continentiæ in Joanne, qui nullas expertus est nuptias, et in Abraham qui filios generavit. Et illius enim cæliba-

tus et istius connubium per temporem distributionem Christos militaverunt. Dicat ergo fidelis continens : Ego quidem non sum melior quam Abraham ; sed meliores castitas cælibum quam castitas nuptiarum; quarum Abraham unam habuit in usu, alteram in habitu. Caste quippe conjugaliter vixit. Esse autem castus sine conjugio potuit, sed tunc non oportuit. Ego vero facilius non utor nuptiis, quibus usus est Abraham, quam si uterer nuptiis, quemadmodum usus est Abraham; et ideo melior sum illis qui per animi continentiam non possunt quod ego; non illis qui propter temporis differentiam non fecerunt quod ego. Quod enim nunc ego, melius illi egissent, si tunc agendum esset; quod autem illi egerunt, sic ego non agerem, etiamsi nunc agendum esset. » Hæc autem Augustini solutio concordat cum eo quod supra dictum est de observantia paupertatis. Tantam enim perfectionis virtutem habebat in mente, ut nec propter temporalium possessionem, nec propter usum conjugii, mens ejus deficeret a perfecta dilectione ad Deum. Si quis tamen eamdem mentis virtutem non habens, cum possessione divitiarum et usu conjugii ad perfectionem pervenire contenderet, præsumptuose convinceretur errare, consilia Domini parvipendens.

CAPUT IX.

De his quibus homo juvatur ad continentiam servandam.

Quia igitur per continentiæ viam incedere tam arduum est, ut juxta verbum Domini, non omnes hoc capiant, sed Dei dono habeatur; per hanc viam incedere volentibus sic agere oportet ut vitent ea quibus a prosecutione hujus itineris impediri possint. Tria autem esse impedimenta continentiæ apparet. Primum quidem ex parte corporis, secundum ex parte animæ, tertium ex parte exteriorum personarum vel rerum.

Ex parte quidem proprii corporis, quia, sicut Apostolus dicit ad Galat., v, 17, *caro concupiscit adversus spiritum*. Cujus carnis opera ibidem esse dicuntur fornicatio, immunditia, impudicitia et cætera hujusmodi. Hæc autem concupiscentia carnis est lex de qua dicit Apostolus ad Roman., VII, 23 : *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*. Quanto autem caro magis fovetur per ciborum affluentiam et deliciarum molitiem, tanto hujusmodi concupiscentia magis crescit; unde Hieronymus dicit : « Venter mero æstuans cito despumat in libidinem ; » et Proverb., XX, 1 : *Luxuriosa res vinum;* et Job, XL, 16, dicitur de Behemoth per quem diabolus significatur : *Sub umbra dormit in secreto calami in locis humentibus*, quod exponens Gregorius, XXXIII *Moral.*, dicit : « Loca humentia sunt opera voluptuosa. Pes quippe in arida terra non labitur, fixus vero in lubrica vix tenetur. In locis ergo humentibus iter vitæ præsentis faciunt qui in hac ad justitiam recti stare non possunt. » Oportet igitur continentiæ viam assumentibus, carnem propriam, abstractis deliciis, vigiliis et jejuniis et hujusmodi exercitiis castigare. Cujus rei exemplum Apostolus nobis ostendit, I ad Corinth., IX, 25, dicens : *Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet;* et post modica subdit : *Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar;* et quod opere perfecit, verbo docuit; dicit enim ad Rom., XIII, 14, cum præmisisset : *Non in cubilibus et impudicitiis. Et carnis,* inquit, *curam ne feceritis in desideriis*. Recte autem dicit *in desideriis,* id est ad voluptatem, quia ad necessitatem naturæ carni cura est impendenda; unde idem dicit ad Ephes., V, 29 : *Nemo carnem suam unquam odio habuit, sed nutrit, et fovet eam.*

Ex parte autem animæ propositum continentiæ impeditur, dum lascivis cogitationibus immoratur; unde Dominus per prophetam dicit, Isa., I, 16 : *Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis*. Malæ enim cogitationes plerumque ad malum faciendum inducunt ; unde dicit Mich., II, 1 : *Væ qui cogitatis inutile;* et statim subditur : *Et operamini malum in cubilibus vestris*. Inter cæteras autem cogitationes malas magis ad peccatum inclinant cogitationes de delectationibus carnis. Cujus ratio etiam secundum philosophorum doctrinam dupliciter assignari potest. Una quidem, quia cum ipsa delectatio sit homini connaturalis, et a juventute connutrita, facile in ipsam appetitus fertur, cum eam cogitatio proponit. Unde Philosophus dicit, II *Ethicor.*, quod « delectationem judicare non possumus de facili,

quando accipiamus eam. » Secunda ratio est, quia, ut idem dicit in III *Ethicor.*, delectabilia in particulari sunt magis voluntaria quam in universali. Manifestum est autem quod per moram cogitationis ad particularia quæque descendimus; unde per cogitationem diutinam maxime libido provocatur, et propter hoc Apostolus I ad Corinth., VI, 18, dicit : *Fugite fornicationem,* quia, ut *Glossa* ibidem dicit : « cum aliis vitiis potest expectari conflictus; sed hanc fugite, ne approximet, quia non aliter hoc malum potest vinci. » Contra igitur hujusmodi continentiæ[1] impedimentum multiplex remedium invenitur. Quorum primum et præcipuum est ut mens circa contemplationem divinorum et orationem occupetur; unde dicit Apostolus ad Ephes., V, 18 : *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria; sed implemini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis, hymnis et canticis spiritualibus;* quod ad contemplationem pertinere videtur, *cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino;* quod ad orationem pertinere videtur. Hinc etiam Dominus per prophetam dicit, Isa., XLVIII, 9 : *Laude mea infrenabo te, ne intereas.* Est enim quoddam frenum animam ab interitu peccati retrahens laus divina. Secundum remedium est studium Scripturarum, secundum illud Hieronymi *Ad Rusticum monachum* : « Ama Scripturarum studia, et carnis vitia non amabis. » Unde Apostolus, cum dixisset I ad Timoth., IV, 12 : *Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate;* statim subdit : *Dum venio, attende lectioni.* Tertium remedium est quibuscumque bonis cogitationibus animum occupare; unde Chrysostomus *Super Matth.* dicit quod abscissio membri non ita comprimit tentationes et tranquillitatem facit, ut cogitationis frenum; unde Apostolus ad Philipp., IV, 8, dicit : *De cætero, fratres, quæcumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque justa, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ; si qua virtus, si qua laus disciplinæ; hæc cogitate.* Quartum remedium est ut homo ab otio desistens, etiam in corporalibus laboribus seipsum exerceat; dicitur enim Eccl., XXXIII, 29 : *Multam malitiam docuit otiositas.* Et specialiter otium est vitiorum carnalium incentivum; unde dicitur Ezech., XVI, 49 : *Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis et abundantia et otium ipsius.* Et ideo Hieronymus, *Ad Rusticum monachum* scribens, dicit : « Facito aliquid operis, ut semper te diabolus inveniat occupatum. » Quintum remedium adhibetur contra carnis concupiscentiam etiam per aliquas animi perturbationes; unde Hieronymus refert in eadem epistola, quod in quodam cœnobio erat quidam adolescens, qui nulla abstinentia, nulla operis magnitudine flammam poterat carnis extinguere; unde eum periclitantem pater monasterii hac arte servavit. Imperavit enim cuidam viro gravi ut jurgiis atque conviciis eum insectaretur, et post irrogatam injuriam primus veniret ad conquerendum; vocati etiam testes pro eo loquebantur qui contumeliam fecerat. Solus pater monasterii defensionem suam opponebat, ne abundanti tristitia frater absorberetur. Ita annus ductus est, quo expleto interrogatus adolescens super cogitationibus pristinis, respondit : Prope vivere mihi non licet, et fornicari liberet[2]?

Ex parte autem exteriorum rerum propositum continentiæ impeditur per aspectum et frequentia colloquia mulierum et earum consortia; unde dicitur Eccl., IX, 9 : *Propter speciem mulieris multi perierunt : et ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit;* et postea subditur : *Colloquium ipsius quasi ignis exardescit.* Et ideo contra hoc est adhibendum remedium quod ibidem dicitur : *Ne respicias mulierem multivolam ne forte incidas in laqueos illius : cum saltatrice ne assiduus sis, nec audias illam, ne forte pereas in efficacia illius;* et Eccli., XLII, 12, dicitur : *Omni homini noli intendere in specie, et in medio mulierum noli commorari. De vestimentis enim procedit tinea, et a muliere iniquitas viri.* Unde Hieronymus, *Contra Vigilantium* scribens, dicit quod monachus sciens imbecillitatem suam et vas fragile quod portat, timet offendere ne impingat et corruat, atque frangatur; unde et mulierum,

[1] Sic cod. 15812; sed in cod. 15813 et in Parm. : « incontinentiæ. » Parm. tamen habet in notula : « Numquid continentiæ? » — [2] Sic cod. 15813. Sed cod. 15812 : « Pap... vivere me non licet, et fornicari libet. » Parm. autem : « Papæ, vivere mihi non licet, et fornicari libet? »

maxime adolescentularum, vitat aspectum, ne eum capiat oculus meretricis, ne forma pulcherrima ad illicitos ducat amplexus. Ex quo patet quod, sicut abbas Moyses dicit in *Collationibus Patrum*, « pro puritate cordis servanda, solitudo sectanda est, ac jejuniorum inediam, vigilias, labores corporis, nuditatem, lectionem, cæterasque virtutes debere nos suscipere novimus, ut scilicet per illas ab universis passionibus noxiis illæsum parare cor nostrum, et conservare possimus, et ad perfectionem caritatis istis gradibus innitendo ascendere. » Ob hoc igitur in religionibus sunt hujusmodi opera instituta, non quia in ipsis principaliter consistat perfectio, sed quia his quasi quibusdam instrumentis ad perfectionem pervenitur. Unde post pauca subditur ibidem : « Igitur jejunia, vigiliæ, inedia, meditatio Scripturarum, nuditas, ac privatio omnium facultatum, non perfectio, sed instrumenta perfectionis sunt : quia non in ipsis consistit disciplinæ finis, sed per illa pervenitur ad finem. »

Si quis autem objiciat quod absque jejunio, vigiliis et aliis hujusmodi exercitiis potest homo perfectionem acquirere, præsertim cum de Domino legatur Matth., XI, 19 : *Venit filius hominis manducans et bibens ;* sui quoque discipuli non jejunarent quemadmodum discipuli Joannis et pharisæi ; ad hoc in *Glossa* respondetur quod « Joannes vinum et siceram non bibit, quia abstinentia meritum auget, cui nulla est potentia naturæ. Dominus autem, qui peccatum potest condonare, cur a peccatoribus manducantibus declinaret, quos abstinentibus poterat facere justiores ? » Discipuli ergo Christi non habebant opus jejunio, quia præsentia sponsi illis fortitudinem dabat majorem quam discipuli Joannis per jejunium haberent : unde Dominus ibidem dicit : *Venient dies quando auferetur ab eis sponsus, et tunc jejunabunt ;* quod exponens Chrysostomus dicit : « Jejunium triste est non naturaliter, sed illis qui imbecillius adhuc dispositi sunt : his enim qui sapientiam contemplari desiderant, delectabile est. Quod ergo discipuli imbecilles erant, non erat tempus tristitiam introducendi quousque firmarentur. Per hoc monstrat quod non gulæ erat quod fiebat, sed dispensationis cujusdam. » Quod autem hujusmodi exercitia expediant ad vitanda peccata et perfectionem consequendam, Apostolus expresse ostendit II ad Corinth., VI, 3, dicens : *Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum; sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis et castitate.*

CAPUT X.

De tertia via perfectionis, quæ est per abjectionem propriæ voluntatis.

Non solum autem necessarium est ad perfectionem caritatis consequendam, quod homo exteriora abjiciat ; sed etiam quod homo quodam modo seipsum derelinquat. Dicit enim Dionysius, IV cap. *De divinis nominibus*, quod « divinus amor est extasim faciens, id est extra seipsum ponens ; non sinens hominem suiipsius esse, sed ejus quod amatur ; » cujus rei exemplum in seipso demonstravit Apostolus dicens ad Galat., II, 20 : *Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus;* quasi suam vitam non suam existimans, sed Christi : quia quod proprium sibi erat contemnens, totus Christo inhærebat. Et hoc etiam in quibusdam esse completum ostendit, cum dicit ad Coloss., III, 3 : *Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Exhortatur etiam alios ut ad hoc perveniant, cum dicit II ad Corinth., V, 15. *Pro omnibus mortuus est Christus : ut et qui vivunt jam non sibi vivant sed ei qui pro ipsis mortuus est et resurrexit.* Et ideo, ut habetur Luc., XIV, 26, postquam dixerat : *Si quis venit ad me et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores*, tanquam aliquid majus addens subdit : *adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus.* Hoc etiam idem Dominus docet Matth., XVI, 24, dicens : *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.*

Hujus autem salubris abnegationis et caritativi odii observantia partim quidem necessaria est ad salutem et omnibus qui salvantur communis, partim autem ad perfectionis pertinet complementum. Ut enim ex supraposita Dionysii auctoritate apparet, de ratione divini amoris est ut

amans non suiipsius remaneat, sed amati. Secundum igitur divini amoris gradum necesse est et odium et abnegationem prædictam distingui. Est autem necessarium ad salutem ut homo sic Deum diligat ut in eo finem suæ intentionis ponat, nihilque admittat quod contrarium divinæ dilectioni existimat; et ideo consequenter et odium et abnegatio suiipsius est de necessitate salutis; unde Gregorius dicit in *Homilia* : « Tunc nosmetipsos relinquimus et abnegamus, cum vitamus quod per vetustatem fuimus, et ad hoc nitimur quod per novitatem vocamur; » et sicut in *Homilia* alia dicit : « Tunc bene animam nostram odimus, cum ejus carnalibus desideriis non acquiescimus; cum ejus appetitus frangimus, et ejus voluptatibus reluctamur. » Ad perfectionem vero pertinet ut homo propter intensionem amoris Dei etiam ea abjiciat quibus licite uti posset, ut per hoc liberius Deo vacet. Secundum hunc ergo modum consequens est ut et odium et abnegatio suiipsius ad perfectionem pertineant. Unde ex ipso modo loquendi apparet hæc a Domino proposita esse quasi ad perfectionem pertineant. Sicut enim dicit Matth., XIX, 21 : *Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quæ habes, et da pauperibus*, non necessitatem imponens, sed voluntati relinquens; ita dicit (Matth., XVI, 24) : *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me*. Quod Chrysostomus exponit dicens : « Non coactivum facit sermonem; non enim dicit : Si vos volueritis et nolueritis, oportet hæc vos pati. » Similiter cum dixisset : *Si quis venit ad me, et non odit patrem suum*, etc., postmodum subdit (Luc., XIV, 28) : *Quis enim ex vobis volens turrim ædificare, nonne prius sedens computat sumptus qui necessarii sunt, si habeat ad perficiendum?* quod exponens Gregorius in *Homil.* dicit : « Quia sublimia præcepta data sunt, protinus comparatio ædificandæ sublimitatis adjungitur; » et post pauca dicit : « Istos sumptus dives ille habere non potuit qui cum post servata præcepta, relinquenda omnia audisset, tristis abscessit. » Ex quibus patet hæc ad perfectionis consilium secundum aliquem modum pertinere.

Hoc autem consilium perfectissime martyres impleverunt, de quibus Augustinus dicit in *Sermone de martyribus*, quod « nulli tantum impendunt, quantum qui seipsos impendunt. » Martyres autem Christi sunt qui vitam præsentem propter Christum quodam modo habuerunt odio, abnegantes seipsos; quia, ut Chrysostomus dicit *Super Matth.*, « qui negat alium, vel fratrem, vel famulum, vel quemcumque, et si flagellatum viderit et quæcumque patientem, non assistit, non adjuvat, ita vult corpori nostro nos non ignoscere, ut, etsi flagellaverint, vel quodcumque aliud fecerint, corpori non parcamus. » Et ne existimes quod usque ad verba tantum et contumelias oportet abnegare seipsum, ostendit quod oportet abnegare seipsum usque ad mortem etiam turpissimam, scilicet crucis : quod significat in hoc quod dicit : *Et tollat crucem suam, et sequatur me*. Hoc autem ideo perfectissimum dicimus, quia martyres illud propter Deum contemnunt, scilicet propriam vitam, propter quam omnia temporalia quæruntur, et ejus conservatio etiam cum omnium aliorum amissione aliis omnibus præfertur. Magis enim homo vult et divitias perdere et amicos, adhuc etiam corporis infirmitati succumbere, et in servitutem redigi, quam vita privari; unde hoc beneficium victis et victoribus præstatur, ut vitæ parcentes conservent servituti subjectos. Unde Satan ad Dominum dixit, ut habetur Job, II, 4 : *Pellem pro pelle, et cuncta quæ habet homo dabit pro anima sua*, id est pro corporali vita servanda.

Inter alia autem quanto aliquid magis naturaliter amatur, tanto perfectius contemnitur propter Christum. Nihil enim est homini amabilius libertate propriæ voluntatis. Per hanc enim homo est etiam aliorum dominus; per hanc aliis uti vel frui potest; per hanc etiam actibus suis dominatur. Unde, sicut homo dimittens divitias, vel personas conjunctas, eas abnegat; ita deserens propriæ voluntatis arbitrium, per quod ipse suiipsius dominus est, seipsum abnegare invenitur. Nihil est etiam quod homo naturali affectu magis refugiat quam servitutem; unde et nihil posset homo pro alio amplius impendere post hoc quod seipsum in mortem pro eo traderet, quam quod se servituti ejus subjugaret : unde, ut dicitur Tobiæ, IX, 2, Tobias junior dixit ad angelum : *Si meipsum tradam tibi servum, non ero condignus providentiæ tuæ*.

Hujus autem voluntatis libertatem aliqui

sibi propter Deum particulariter adimunt, dum quodcumque particulare votum emittunt de quocumque faciendo vel non faciendo. Per votum enim necessitas quædam imponitur voventi, ut de cætero non liceat quod prius licebat; sed quadam necessitate constringitur ad reddendum quod vovit; unde in Psalm. LXV, 13, dicitur : *Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea;* et Eccl., V, 3 : *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere; displicet enim ei infidelis et stulta promissio.* Alicui vero libertati propriæ voluntatis totaliter abrenuntiant, se propter Deum aliis subjicientes per obedientiæ votum. Cujus quidem obedientiæ exemplum præcipuum habuimus in Christo, de quo Apostolus dicit Rom., V, 19 : *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obedientiam justi constituentur multi.* Quam quidem obedientiam Apostolus manifestat ad Philipp., II, 8, dicens : *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem.* Hæc autem obedientia in abrenuntiatione propriæ voluntatis consistit; unde ipse dicebat, Matth., XXVI, 39 : *Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste; verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu;* et Joan., VI, 38, dicit : *Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.* In quo nobis dedit exemplum, ut sicut ipse suam voluntatem humanam abnegabat supponendo eam divinæ, ita et nos nostram voluntatem Deo totaliter supponamus, et hominibus qui nobis præponuntur tanquam Dei ministri. Unde Apostolus ait ad Hebr., ult., 17 : *Obedite præpositis vestris, et subjacete eis.*

CAPUT XI.

Quod tres viæ prædictæ perfectionis proprie ad statum religionis pertinent.

Secundum autem triplicem viam perfectionis assignatam, in religionibus triplex commune votum invenitur : scilicet votum paupertatis, continentiæ et obedientiæ usque ad mortem. Per votum paupertatis, primam perfectionis viam religiosi assumunt, proprietati abrenuntiantes. Per votum autem continentiæ, aggrediuntur viam secundam, matrimonio perpetuo abrenuntiantes. Per votum autem obedientiæ, maxime viam tertiam assumunt, voluntatem propriam abnegando. Hoc etiam triplex votum congrue religioni adaptatur. Nam, sicut dicit Augustinus, X *De civit. Dei,* « religio non quemlibet, sed Dei cultum significare videtur. » Unde et Tullius dicit in *Rhetorica* quod religio est « virtus quæ cuidam superiori naturæ, quam divinam vocant, cultum cæremoniamque affert. » Cultus autem soli Deo debitus in sacrificii oblatione ostenditur. Offertur autem Deo sacrificium de exterioribus rebus, quando eas aliquis propter Deum largitur, secundum illud Hebr., ult., 16 : *Beneficentiæ et communionis nolite oblivisci, talibus enim hostiis promeretur Deus.* Offertur etiam Deo sacrificium de proprio corpore, quando scilicet qui Christi sunt, carnem suam crucifigunt cum vitiis et concupiscentiis, ut dicit Apostolus Galat., V. Unde et ipse dicit Rom., XII, 1 : *Exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem.* Est etiam sacrificium tertium Deo acceptissimum, quando aliquis spiritum suum offert Deo, secundum illud Psalm. L, 19 : *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.*

Sed sciendum quod, sicut Gregorius dicit, *Super Ezech.,* hoc inter sacrificium et holocaustum distat, quod omne holocaustum est sacrificium, et non omne sacrificium holocaustum. In sacrificio enim pars pecudis, in holocausto vero totum pecus offerri consueverat. « Cum ergo aliquis suum aliquid Deo vovet, et aliquid non vovet, sacrificium est. Cum vero omne quod habet, omne quod vivit, omne quod sapit, omnipotenti Deo voverit, holocaustum est. » Quod quidem impletur per tria vota prædicta. Unde manifestum est eos qui hujusmodi vota Deo emittunt, quasi propter holocausti excellentiam antonomastice religiosos vocari. Per sacrificii autem oblationem secundum legis mandatum pro peccatis satisfacere oportet, ut in Levitico expresse jubetur. Unde Psal. IV, cum dixisset : *Quæ dicitis in cordibus vestris, et in cubilibus vestris compungimini,* statim de sacrificatione scribens, dixit : *Sacrificate sacrificium justitiæ;* id est, opera facite justa post pœnitentiæ lamenta, ut *Glossa* exponit. Sicut ergo holocaustum sacrificium est perfectum, ita per vota præmissa perfecte homo Deo satisfacit, cum et de exterioribus rebus et de proprio spiritu holocaustum offert.

Ex quo patet quod religionis status non solum perfectionem caritatis, sed etiam perfectionem pœnitentiæ continet; intantum quod nulla sunt peccata tam gravia pro quibus possit homini imponi pro satisfactione religionis assumptio, quasi religionis statu omnem satisfactionem transcendente. Unde, ut habetur XXXIII, q. II, cap. *Admonere,* Astulpho, qui uxorem occiderat, consulitur ut monasterium ingrediatur quasi melius et levius, alioquin ei durissimam pœnitentiam injungit.

Inter hæc autem tria quæ ad religionis statum diximus pertinere, præcipuum est obedientiæ votum, quod quidem multipliciter apparet. Primo quidem, quia per obedientiæ votum homo Deo propriam voluntatem offert; per votum autem continentiæ offert ei sacrificium de proprio corpore; per votum vero paupertatis offert de exterioribus. Sicut ergo inter bona hominis corpus præfertur exterioribus rebus, et anima corpori, ita votum continentiæ voto paupertatis præfertur, votum autem obedientiæ utrique. Secundo, quia propter propriam voluntatem homo et exterioribus rebus utitur et proprio corpore. Sic igitur qui propriam voluntatem dat, totum dedisse videtur. Universalius igitur est obedientiæ votum quam continentiæ et paupertatis; et quodammodo includit utrumque. Hinc est quod Samuel obedientiam omnibus sacrificiis præfert, dicens I Reg., XV, 22 : *Melior est obedientia quam victimæ.*

CAPUT XII.

Contra errores illorum qui præsumpserunt diminuere meritum obedientiæ vel voti.

Humanæ autem [1] perfectioni diabolus invidens, diversos vaniloquos et seductionis magistros suscitavit qui prædictas perfectionis vias impugnarent.

Primam enim perfectionis viam Vigilantius impugnavit, contra quem Hieronymus loquens ait : « Quod autem asserit eos melius facere qui utuntur rebus suis et paulatim fructus possessionum pauperibus dividunt, quam illos qui possessionibus venumdatis, semel omnia largiantur, non a me ei, sed a Domino respondebitur. Si vis esse perfectus, vade et vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et veni, sequere me. Ad eum loquitur qui vult esse perfectus, qui cum apostolis patrem, naviculam et rete dimittit. Iste quem tu laudas, secundus aut tertius gradus est, quem et nos recipimus, dummodo sciamus prima secundis et tertiis præferenda. » Et ideo ad excludendum hunc errorem dicitur in lib. *De ecclesiasticis dogmatibus :* « Bonum est facultates cum dispensatione pauperibus erogare, melius est pro intentione sequendi Dominum, insimul omnia donare, et absolutum sollicitudine cum Christo agere. »

Secundam perfectionis viam impugnavit Jovinianus, matrimonium virginitati adæquans, cujus errorem B. Hieronymus evidentissime confutat in libro quem contra eum scripsit, de quo etiam errore Augustinus in libro *Retractationum* sic dicit : « Joviniani hæresis, sacrarum virginum meritum æquare pudicitiæ conjugali voluit. Unde in urbe romana nonnullas etiam sanctimoniales, de quarum impudicitia suspicio nulla præcesserat, dejecisse in nuptias dicitur. Huic nostra sancta mater Ecclesia per omnia fidelissime ac fortissime resistit. » Unde in lib. *De eccl. dogmatib.* dicitur : « Sacratæ Deo virginitati nuptias coæquare, aut pro amore castigandi corporis abstinentibus a vino vel carnibus nihil credere meriti accrescere, non est christiani, sed Joviniani. »

His autem antiquis insidiis diabolus non contentus, temporibus nostris quosdam dicitur incitasse, votum obedientiæ ac alia vota communiter impugnantes, dicendo laudabilius esse bona opera virtutum facere sine voto vel obedientia, quasi ad hæc facienda homo per votum vel obedientiam constringatur. Quorum alicui dicuntur in tantam vesaniam prosilire, quod asserant votum quod aliquis emisit de religione intranda, posse prætermitti absque detrimento salutis.

Hunc autem errorem quibusdam vanis et frivolis rationibus confirmare dicuntur.

Dicunt enim quod tanto aliquid est laudabilius et magis meritorium, quanto est magis voluntarium. Sed quanto aliquid est magis necessarium, tanto videtur minus voluntarium. Laudabilius ergo et magis meritorium videtur esse quod quis opera virtutum exerceat proprio arbitrio, et absque necessitate voti vel obedientiæ, quam

[1] Sic cod.; Parm. : « igitur. »

quod ex voto vel obedientia hoc facere compellatur.

Dicunt etiam ad hoc inducere quod Prosper dicit in II lib. *De vita contemplativa;* dicit enim : « Sic abstinere vel jejunare debemus, ut non nos necessitati jejunandi subdamus ne jam non devoti, sed inviti rem non voluntarie faciamus. »

Possent etiam ad hoc inducere quod dicit Apostolus II Cor., IX, 7 : *Unusquisque prout destinavit in corde suo, non ex tristitia aut ex necessitate, hilarem enim datorem diligit Deus.*

Oportet ergo manifeste ostendere et hoc falsum esse quod dicunt, et eorum frivolas rationes elidere.

Ad ostendendum autem hujus erroris falsitatem, primo assumendum est quod in Psalm. LXXV, 12, dicitur : *Vovete, et reddite Domino Deo vestro,* ubi dicit *Glossa :* « Notandum quod alia sunt communia vota Dei, scilicet sine quibus non est salus, ut vovere fidem in baptismo et hujusmodi, quæ etiam si non promittimus, solvere debemus, et de his præcipitur omnibus : *Vovete et reddite.* Alia sunt vota propria singulorum, ut castitas, virginitas et hujusmodi. Ad hæc ergo vovenda nos invitat, non præcipit ut voveamus, sed ut vota reddamus. Vovere enim voluntati consulitur, sed post voti emissionem redditio exigitur necessario. » Votum ergo quoddam est in præcepto, quoddam in consilio. Ex utroque autem ex necessitate concluditur, quod melius est aliquod bonum facere ex voto quam sine voto. Manifestum est enim quod ad ea quæ sunt de necessitate salutis, omnes tenentur ex Dei præcepto, nec est fas æstimare aliquod Dei præceptum in vacuum dari. *Finis* autem cujuslibet *præcepti est caritas,* ut dicit Apostolus I Tim., I. Frustra ergo daretur aliquod præceptum de aliquo faciendo, si non magis ad caritatem pertineret illud facere quam non facere. Datur autem præceptum non solum de credendo vel de non furando, sed etiam ut hæc voveamus. Credere igitur ex voto, et abstinere a furto ex voto, et cætera hujusmodi, magis ad caritatem pertinent quam si sine voto fiant. Quod autem magis ad caritatem pertinet, magis est laudabile et magis meritorium. Magis ergo est laudabile et meritorium facere aliquid ex voto quam sine voto.

Rursus. Consilium datur non solum de virginitate vel castitate servanda, sed etiam de vovendo, ut patet ex *Glossa* supra inducta. Sed consilium non datur nisi de meliori bono, ut supra dictum est. Melius ergo est servare virginitatem cum voto quam sine voto, et simile est in aliis.

Item. Inter alia bona opera maxime observatio virginitatis commendari solet, ad quam Dominus invitat dicens Matth., XIX, 12 : *Qui potest capere, capiat.* Sed ipsa virginitas ex voto commendabilis redditur; dicit enim Augustinus in lib. *De virginitate :* « Neque virginitas, quia virginitas est, sed quia Deo dicata est, honoratur, quam vovet et servat continentia pietatis; » et infra : « Nec nos in virginibus quod virgines sunt prædicamus, sed quod Deo dicatæ sunt pia continentia virginitatis. » Multo igitur magis aliqua opera laudabiliora redduntur ex hoc quod per votum Deo dicantur.

Iterum. Quodlibet bonum finitum cum enumeratione alterius boni melius est. Nulli autem dubium esse potest quin ipsa promissio boni sit aliquod bonum; unde et qui homini aliquid promittit, bonum aliquod ei videtur jam impendere, unde et quibus aliquid promittitur, gratias agunt. Votum autem est quædam promissio Deo facta, ut patet per illud quod dicitur Eccl., V, 3 : *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere; displicet enim ei infidelis et stulta promissio.* Melius est igitur aliquid facere et vovere, quam facere simpliciter absque voto.

Adhuc. Quanto aliquis plus dat alicui, tanto majus aliquid ab eo meretur. Qui autem facit aliquid sine voto, dat ei solum quod facit propter ejus amorem; qui autem non solum facit, sed etiam vovet, non solum dat ei quod facit, sed etiam potentiam qua facit; facit enim se non posse quin faciat quod prius non facere licite poterat. Majus igitur aliquid meretur apud Deum qui ex voto aliquid facit, quam qui illud facit sine voto.

Amplius. Ad laudem boni operis pertinet quod voluntas firmetur in bono, sicut ad aggravationem culpæ pertinet quod voluntas sit obstinata in malo. Manifestum est autem quod qui aliquid vovet, voluntatem suam firmat ad id quod vovet; et sic cum implet quod voverat, opus bonum ex voluntate firmata procedit. Sicut igitur ad gravamen culpæ pertinet quod ex propo-

sito firmato aliquis malum operetur, hoc enim est ex malitia peccare, ita ad augmentum meriti pertinet quod aliquis bonum opus operetur ex voto.

Item. Quanto aliquis actus ab excellentiori virtute progreditur, tanto laudabilior est, cum tota laus operis ex virtute procedat. Contingit autem quandoque actum inferioris virtutis a superiori virtute imperari; puta cum aliquis actum justitiæ ex caritate facit. Multo igitur melius est opus virtutis inferioris facere ex imperio superioris virtutis, sicut melius est opus justitiæ, si ex caritate fiat. Manifestum est autem quod particularia bona opera quæ facimus, pertinent ad aliquas inferiores virtutes : puta jejunare, ad abstinentiam; continere, ad castitatem; et sic de aliis. Vovere autem est proprie latriæ actus, quam nulli dubium esse debet esse potiorem vel abstinentia vel castitate, vel quacumque alia hujusmodi virtute, majus enim est colere Deum quam recte se habere erga proximum aut seipsum. Opus igitur abstinentiæ vel castitatis vel cujuscumque talium virtutum, quæ sunt infra latriam, laudabilius est, si ex voto fiant.

Huic etiam suffragatur pium Ecclesiæ studium, quæ homines ad vovendum invitans et voventibus ire in subsidium terræ sanctæ vel alias in defensionem Ecclesiæ, indulgentias et privilegia largitur. Non autem invitaret ad vovendum, si melius bona opera esset facere sine voto; hoc enim esset contra exhortationem Apostoli I Cor., XII, 31 : *Æmulamini charismata meliora.* Unde, si melius esset bona opera facere absque voto, non invitaret ad vovendum, sed etiam a vovendo retraheret vel prohibendo, vel etiam dissuadendo. Similiter etiam cum Ecclesiæ intentio sit homines fideles ad meliorem statum reducere, omnes a votis factis absolveret, ut sic eorum bona opera laudabiliora existerent. Patet igitur hujusmodi positionem repugnare ei quod communiter Ecclesia tenet et sentit; unde et tanquam hæretica reprobanda est.

Ad ea vero quæ pro se objiciunt, facile est multipliciter respondere.

Primo enim quod dicunt quod opus bonum ex voto factum est minus voluntarium, non est universaliter et in omnibus verum. Multi enim sunt qui ea quæ voverunt, tam prompta voluntate faciunt, ut etiam si non vovissent, non solum facerent, sed voverent. Secundo, detur quod aliquod bonum opus quod quis facit ex voto vel obedientia, simpliciter consideratum, sit involuntarium; sed tamen facit hoc ex necessitate voti vel obedientiæ, quam non vult præterire; adhuc dum hoc facit, laudabilius operatur et magis meritorie quam si prompta voluntate illud faceret sine voto. Etsi enim non habeat voluntatem propriam illud faciendi, puta jejunandi; habet tamen voluntatem promptam votum implendi, vel obediendi; quod est multo laudabilius et magis meritorium quam jejunare; unde plus meretur quam ille qui sua voluntate jejunat; tantoque voluntas votum implendi aut obediendi promptior judicatur, quanto id quod aliquis facit propter obedientiam vel votum, magis in se consideratum voluntati repugnat. Unde Hieronymus *Ad Rusticum monachum* dicit : « Per hæc omnia ad illud tendit oratio, ut doceam te non tuo arbitrio dimittendum; » et post pauca dicit : « Non facias quod vis, comedas quod juberis, habeas quantum acceperis, vestiaris quod datur, operis tui pensum persolvas, subjiciaris cui non vis, lassus ad stratum venias, ambulansque dormites, et necdum expleto somno surgere compellaris. » Ex quo patet quod ad meritum boni operis pertinet ut quæ aliquis propter seipsa non vellet, propter Deum faciat aut patiatur, quia tanto invenitur voluntas promptior ad fervorem divini amoris, quanto magis ea quæ propter ipsum facimus aut patimur, nostræ voluntati repugnant. Unde et martyres maxime commendantur, quanto plura sustinuerunt propter Dei amorem contra voluntatem humanam; unde II Mac., VI, 30, Eleazarus dum torqueretur dixit : *Diros corporis sustineo dolores; secundum animam vero propter timorem Dei libenter hæc patior.* Tertio detur quod nec etiam aliquis ipsam voluntatem retineat votum servandi aut obediendi, manifestum est quod cum Deus judex sit cordium, apud Deum talis habetur quasi voti fractor, aut obedientiæ prævaricator. Si tamen impleat quod vovit, vel quod ei præcipitur, solo humano timore, vel pudore, non est ei meritorium apud Deum, quia non facit voluntate Deo placendi, sed humana necessitate coactus. Nec tamen inutiliter vovit, si ex caritate vovit, nam plus meruit in

vovendo quam alius simpliciter jejunando, quod meritum ei reservatur, si de prævaricatione cordis pœniteat.

Per hoc etiam patet responsio ad auctoritates inductas, quæ loquuntur de necessitate humana, cum aliquis scilicet ex pudore vel timore humano facit quod juravit vel vovit; non autem loquuntur de necessitate quæ est ex fine dilectionis divinæ; puta, cum aliquis facit vel patitur ea quæ alias nollet, ut impleat voluntatem divinam. Et hoc patet ex verbis Apostoli, qui dicit II ad Cor., IX, 7 : *Non ex tristitia aut necessitate*. Tristitiam enim humanam necessitas inducit; necessitas autem dilectionis divinæ tristitiam tollit vel minuit.

Patet etiam hoc ex verbis Prosperi dicentis : « Ne non devoti, sed inviti rem non voluntarie faciamus. » Non enim necessitas quæ ex divina dilectione procedit minuit dilectionem, sed auget. Et quod talis necessitas sit laudanda et appetenda, patet per hoc quod Augustinus dicit in *Epistola ad Armentarium et Paulinam* : « Quia jam vovisti, jam te obstrinxisti, aliud tibi facere non licet. Priusquam esses voti reus, liberum fuit quod velles, facere; sed tunc esses inferior, quamvis non sit gratulanda libertas, qua fit ut non debeatur quod cum lucro redditur. Nunc vero quia tenetur apud Deum sponsio tua, non te ad magnam justitiam invito » (scilicet ad continentiam quam jam voveras, ut per superiora apparet), « sed a magna iniquitate deterreo. Non enim talis eris, si non feceris quod vovisti, qualis mansisses, si nihil tale vovisses, minor enim tunc esses, non pejor; modo autem tanto (quod absit) miserior, si fidem Deo fregeris, quanto beatior, si persolveris. Nec ideo te vovisse pœniteat; imo gaude jam tibi non sic licere quod cum tuo detrimento licuisset. Aggredere itaque intrepidus, et dicta imple factis; ipse adjuvabit qui vota tua expetit. Felix est necessitas quæ ad meliora compellit. » Patet etiam ex his verbis erroneum esse quod dicunt quod aliquis non tenetur de implendo votum de religione intranda.

CAPUT XIII.

De perfectione dilectionis proximi, quæ est necessaria ad salutem.

His autem consideratis de perfectione caritatis quantum pertinet ad dilectionem Dei, considerandum relinquitur de caritatis perfectione quantum pertinet ad dilectionem proximi. Est autem considerandus multiplex gradus perfectionis circa dilectionem proximi, sicut et circa dilectionem Dei. Est enim quædam perfectio quæ requiritur ad salutem, quæ cadit sub necessitate præcepti, est etiam quædam ulterior perfectio superabundans, quæ sub consilio cadit. Perfectio autem dilectionis proximi necessaria ad salutem consideranda est ex ipso modo diligendi, qui nobis præscribitur in præcepto de proximi dilectione, cum dicitur : *Diliges proximum tuum sicut teipsum*. Quod vero Deus est universale bonum supra nos existens; ad perfectionem dilectionis divinæ requiritur ut totum cor hominis secundum aliquem modum convertatur in Deum, sicut ex supra dictis patet. Et ideo modus divinæ dilectionis convenienter exprimitur per hoc quod dicitur : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*. Proximus autem noster non est universale bonum supra nos existens, sed particulare infra nos constitutum; et ideo non determinatur nobis modus ut aliquis diligat proximum ex toto corde, sed sicut seipsum.

Ex hoc autem modo circa dilectionem proximi tria consequuntur. Primo quidem ut sit vera dilectio, cum enim de ratione dilectionis sive amoris hoc esse videatur ut aliquis bonum velit ei quem amat; manifestum est quod motus amoris sive dilectionis in duo tendit, scilicet in eum cui aliquis vult bonum et in bonum quod optat eidem. Et quamvis utrumque amari dicatur, tamen illud vere amatur cui aliquis bonum optat. Bonum vero quod quis optat alicui, quasi per accidens dicitur amari, prout ex consequenti sub actu amoris cadit. Inconveniens enim est dicere quod illud vere et proprie ametur cujus destructionem aliquis optat. Multa autem sunt bona quæ dum in nostrum usum vertimus, consumuntur, sicut vinum dum bibitur, et equus dum exponitur pugnæ; unde mani-

festum est quod dum res aliquas in nostrum usum vertere cupimus, vere quidem et proprie nosipsos amamus; res autem illæ per accidens et quasi abusive a nobis amari dicuntur. Manifestum est autem quod unusquisque naturaliter sic vere se amat, ut sibiipsi bona optet, puta felicitatem, virtutem, scientiam et quæ ad sustentationem vitæ requiruntur. Quæcumque vero aliquis in suum usum assumit, non vere illa amat, sed usum, et magis seipsum. Sicut autem alias res assumimus in nostrum usum, ita etiam et homines ipsos. Si igitur proximos eo tantum modo diligamus inquantum in nostrum usum venire possunt, manifestum est quod eos non vere diligimus, nec sicut nosipsos, et hoc quidem apparet in amicitia utilis et delectabilis. Qui enim amat aliquem quia est ad suam utilitatem vel delectationem, seipsum amare convincitur, cum ex altero bonum delectabile vel utile quærit; non illum ex quo quærit, nisi sicut dicitur amari vinum vel equus, quæ non diligimus sicut nosipsos, ut eis bona optemus, sed magis ut ipsa bona existentia nobis cupiamus. Primo ergo ex hoc quod præcipitur quod homo proximum tanquam seipsum diligat, dilectionis veritas demonstratur, quam necesse est caritati adesse. Procedit enim caritas de corde puro et conscientia bona et fide non ficta, ut Apostolus dicit I Tim., I. Ideo, ut ipse dicit I Corinth., XIII, caritas *non quærit quæ sua sunt,* sed optat bona eis quos amat. Et hujus rei seipsum exemplum dat cum dicit I Corinth., X, 33 : *Non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant.* Secundo ex prædeterminato modo nobis indicitur ut dilectio proximi sit justa et recta. Est enim justa et recta dilectio, cum majus bonum minori bono præponitur. Manifestum est autem quod inter omnia humana bona bonum animæ præcipuum locum tenet, post hoc autem ordinatur bonum corporis; ultimum autem bonum est quod consistit in rebus exterioribus. Unde et hunc ordinem diligendi seipsum, videmus homini naturaliter inditum. Nullus enim est qui non mallet se corporis oculo privari quam usu rationis, quæ est oculus mentis. Rursusque pro vita corporali tuenda vel conservanda, homo omnia sua bona exteriora largitur, secundum illud Job, II, 4 : *Pellem pro pelle, et cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua.* Et hic quidem naturalis ordo dilectionis suiipsius in paucis vel nullis deficit quantum ad naturalia bona, de quibus exemplum posuimus. Sed inveniuntur nonnulli qui quantum ad superaddita hunc ordinem dilectionis pervertunt; sicut cum propter salutem vel delectationem corporis, bonum virtutis aut scientiæ multi abjiciunt, rursusque propter exteriora bona conquirenda, corpus suum periculis et laboribus immoderatis exponunt, quorum non est recta dilectio; imo, ut amplius dicam, nec vere isti seipsos diligere comprobantur. Hoc enim maxime videtur esse unumquodque quod est in ipso præcipuum; unde et civitatem aliquid facere dicimus, quando id faciunt principes civitatis. Manifestum est enim quod præcipuum in homine est anima, et inter animæ partes sive potestates, ratio sive intellectus. Qui ergo bonum rationalis animæ contemnit, inhærens bonis corporis vel animæ sensitivæ, manifestum est quod non vere seipsum diligit; unde et in Ps. X, 6, dicitur: *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam.* Sic ergo rectitudo circa dilectionem proximi instituitur, cum præcipitur alicui quod proximum diligat sicut seipsum, ut scilicet eo ordine bona proximis optet quo sibi optare debet, præcipue quidem spiritualia bona, deinde bona corporis, etiam quæ in exterioribus bonis consistunt. Si quis vero proximo bona exteriora optet contra salutem corporis, aut bona corporis contra salutem animæ, non eum diligit sicut seipsum. Tertio vero ex prædicto modo præcipitur ut sit sancta proximi dilectio. Dicitur enim aliquid sanctum ex eo quod ordinatur ad Deum; unde et altare sanctum dicitur, quia Deo est dicatum, et alia hujusmodi quæ divino ministerio mancipantur. Quod autem aliquis alium diligat sicut seipsum, ex hoc contingit quod communionem aliquam ad invicem habent; inquantum enim aliqua duo simul conveniunt, considerantur quasi unum; et sic unum eorum se habet ad alterum sicut ad seipsum. Contingit enim aliquos duos multipliciter convenire. Conveniunt enim aliqui naturali convenientia secundum generationem carnalem, puta quia ex eisdem parentibus oriuntur; alii vero conveniunt convenientia quadam civili, puta quia sunt ejusdem civitatis municipes, et sub eodem principe, et eisdem legibus gubernantur,

et secundum unumquodque officium vel negotiationem aliqua convenientia vel communicatio invenitur, sicut qui sunt socii in negotiando vel militando, vel in fabrili officio seu artificio, aut in quocumque hujusmodi. Et hujusmodi quidem proximorum dilectiones honestæ quidem et rectæ possunt esse, sed non ex hoc sanctæ dicuntur, sed solum ex hoc quod dilectio proximi ordinatur in Deum; sicut enim homines qui sunt unius civitatis consortes, in hoc conveniunt quod uni subduntur principi, cujus legibus gubernantur, ita et omnes homines, inquantum naturaliter in beatitudinem tendunt, habent quamdam generalem convenientiam in ordine ad Deum sicut ad summum omnium principem et beatitudinis fontem, et totius justitiæ legislatorem. Considerandum est autem quod bonum commune secundum rectam rationem est bono proprio præferendum, unde unaquæque pars naturali quodam instinctu ordinatur ad bonum totius. Cujus signum est, quod aliquis percussioni manum exponit, ut cor vel caput conservet, ex quibus totius hominis vita dependet. In prædicta autem communitate qua omnes homines in beatitudinis fine conveniunt, unusquisque homo ut pars quædam consideratur; bonum autem commune totius est ipse Deus, in quo omnium beatitudo consistit. Sic igitur secundum rectam rationem et naturæ instinctum unusquisque seipsum in Deum ordinat, sicut pars ordinatur ad bonum totius, quod quidem per caritatem perficitur, qua homo seipsum propter Deum amat. Cum igitur aliquis etiam proximum propter Deum amat, diligit eum sicut seipsum, et per hoc dilectio sancta efficitur; unde dicitur I Joan., IV, 21 : *Hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum.* Quarto ex prædicto modo dilectionis instruimur ut proximi dilectio sit efficax et operosa. Manifestum est enim quod unusquisque sic seipsum diligit ut non solum velit sibiipsi bonum advenire et malum abesse; sed unusquisque pro posse bona sibi procurat et mala repellit. Tunc ergo homo proximum diligit sicut seipsum, quando non solum affectum ad proximum habet quo ei bona cupit advenire et mala repelli, sed etiam affectum ostendit opere adimplendo ; unde Joan., III, 18, dicitur : *Filioli mei, non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate.*

CAPUT XIV.

De perfectione dilectionis proximi, quæ cadit sub consilio

Consideratis igitur his quibus dilectio proximi perficitur perfectione necessaria ad salutem, considerandum est de perfectione dilectionis proximi quæ communem perfectionem excedit, et sub consilio cadit. Hæc autem perfectio secundum tria attenditur. Primo quidem secundum extensionem. Quanto enim ad plures dilectio extenditur, tanto videtur dilectio proximi esse magis perfecta. In hac autem dilectionis extensione triplex gradus considerandus occurrit. Sunt enim quidam qui alios homines diligunt vel propter beneficia sibi impensa, vel propter naturalis cognationis vinculum, aut civilis; et iste dilectionis gradus terminis civilis amicitiæ coarctatur; unde dicit Dominus Matth., v, 46 : *Si diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne et publicani hoc faciunt? Et si salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? Nonne et ethnici hoc faciunt?* Sunt autem alii qui dilectionis affectum etiam ad extraneos extendunt, dum tamen in eis non inveniatur aliquid quod eis adversetur, et hic quidem dilectionis gradus quodammodo sub naturæ limitibus coarctatur, quia enim omnes homines conveniunt in natura speciei : omnis homo est naturaliter omni homini amicus. Et hoc maxime ostenditur in hoc quod homo alium errantem in via dirigit, et a casu sublevat, et alios hujusmodi dilectionis effectus impendit. Sed quia homo naturaliter seipsum magis quam alium diligit, ex eadem autem radice procedit ut aliquid diligatur et ejus contrarium odio habeatur; consequens est ut infra naturalis dilectionis limites inimicorum dilectio non comprehendatur. Tertius autem dilectionis gradus est ut dilectio proximi etiam ad inimicos extendatur, quem quidem dilectionis gradum Dominus docet Matth., v, 44, dicens : *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos,* et in hoc dilectionis perfectionem esse demonstrat; unde concludit subdens : *Estote igitur vos perfecti sicut et Pater vester perfectus est.* Quod autem sit ultra perfec-

tionem communem, patet per Augustinum in *Enchiridio*, qui dicit quod « ista sunt perfectorum filiorum Dei, ad quæ quidem se debet omnis fidelis extendere, et humanum animum ad hunc affectum orando Deum secumque luctando perducere. Tamen hoc tam magnum bonum tantæ multitudinis non est, quam tamen credimus exaudiri, cum in oratione dicimus : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.*

Hic tamen considerandum videtur quod cum nomine proximi omnis homo intelligatur, in hoc autem quod dicitur : *Diliges proximum tuum sicut teipsum,* nulla fiat exceptio ; videtur ad necessitatem præcepti pertinere quod etiam inimici diligantur. Sed hoc de facili solvitur, si hoc quod supra dictum est de perfectione divini amoris, ad memoriam revocetur. Dictum est enim supra, quod in hoc quod dicitur : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo,* potest intelligi quod est de necessitate præcepti, et quod est de perfectione consilii, et ulterius quod est de perfectione comprehensoris. Si enim sic intelligatur : *Dilige Dominum tuum ex toto corde tuo,* ut semper cor hominis actu feratur in Deum, sic pertinet ad perfectionem comprehensoris. Si autem sic intelligatur, ut cor hominis nihil acceptet quod sit divinæ dilectioni contrarium, sic est de necessitate præcepti. Quod vero homo etiam ea abjiciat quibus potest licite uti, ut liberius Deo vacet, hoc est de perfectione consilii. Sic igitur et hic dicendum est quod de necessitate præcepti est ut a communitate dilectionis qua quis proximos tenetur diligere, inimicum non excludat, nec aliquid contrarium hujus dilectionis in corde suo recipiat. Sed quod actu feratur mens hominis in dilectionem inimici, etiam cum non adest necessitas, pertinet ad perfectionem consilii. In casu enim alicujus necessitatis etiam in speciali actu inimicos diligere et eis benefacere tenemur ex necessitate præcepti : puta si fame morerentur, vel in alio hujusmodi articulo essent. Extra hos autem necessitatis articulos inimicis specialem affectum et effectum impendere ex necessitate præcepti non tenemur; cum nec etiam teneamur ex necessitate præcepti hæc in speciali omnibus exhibere.

Hujusmodi autem inimicorum dilectio directe ex sola divina dilectione derivatur. In aliis autem dilectionibus movet ad diligendum aliquod aliud bonum, puta vel beneficium exhibitum, vel communicatio sanguinis, vel unitas civitatis, aut aliquid hujusmodi. Sed ad diligendum inimicos nihil movere potest nisi solus Deus. Diliguntur enim inquantum sunt creaturæ Dei, quasi ad ejus imaginem facti, et ipsius capaces. Et quia Deum omnibus aliis bonis caritas præfert, considerat cujuscumque boni detrimentum quod ab hostibus patitur, ad hoc quod eos odiat; sed magis considerat divinum bonum, ut eos diligat. Unde, quanto perfectius viget in homine caritas Dei, tanto facilius animus ejus flectitur ut diligat inimicum.

CAPUT XV.

De perfectione dilectionis proximi quantum ad intentionem.

Consideratur autem secundo perfectio dilectionis proximi secundum intentionem amoris. Manifestum est enim quod quanto aliquis intensius amatur, tanto facilius alia propter ipsum contemnuntur. Ex his ergo quæ homo propter dilectionem proximi contemnit, considerari potest an sit perfecta dilectio proximi. Hujus autem perfectionis triplex gradus invenitur. Sunt enim aliqui qui exteriora bona contemnunt propter dilectionem proximorum, dum vel ea particulariter proximis administrant, vel totaliter omnia necessitatibus erogant proximorum, quod videtur Apostolus tangere cum dicit, I Cor., XIII, 3 : *Si distribuero in cibos pauperum omnem substantiam;* et Cantic., VIII, 7, dicitur : *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.* Unde et Dominus hoc comprehendere videtur, dum consilium de perfectione sectanda quidam daret, dicens Matth., XIX, 21 : *Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo, et veni, sequere me,* ubi omnium bonorum exteriorum abdicationem ad duo videtur ordinare, scilicet ad dilectionem proximi, cum dicit : *et da pauperibus;* et ad dilectionem Dei, cum dicit : *sequere me.* Ad idem etiam pertinet, si quis damnum in exterioribus rebus pati non recuset propter dilectionem Dei vel proximi; unde

Apostolus commendat quosdam, dicens ad Hebr., x, 34 : *Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis;* et Prov., xii, 26, dicitur : *Qui negligit damnum propter amicum, justus est.* Ab hoc autem dilectionis gradu deficiunt qui de bonis quæ habent, proximis necessitatem habentibus subvenire non curant ; unde dicitur I Joan., iii, 17 : *Qui habuerit substantiam mundi hujus, et viderit fratrem suum necesse habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in illo?*

Secundus autem gradus dilectionis est ut aliquis corpus suum laboribus exponat propter proximorum amorem, cujus rei exemplum Apostolus in seipso ostendit, cum dicit, II Thess., iii, 8 : *In labore et fatigatione nocte et die operantes, ne quem vestrum gravaremus.* Et ad idem refertur, si quis tribulationes et persecutiones propter proximorum amorem pati non recuset; unde et Apostolus dicit, II Cor., i, 6 : *Sive tribulamur, pro vestra exhortatione et salute;* et II Tim., ii, 9, dicit : *Laboro usque ad vincula, quasi male operans : sed verbum Dei non est alligatum. Ideo omnia sustineo propter electos, ut et ipsi salutem consequantur.* Ab hoc autem gradu deficiunt qui de deliciis nihil omitterent, nec aliquid incommodi sustinerent pro aliorum amore, contra quos dicitur Amos, vi, 4 : *Qui dormitis in lectis eburneis, et lascivitis in stratis vestris; qui comeditis agnum de grege, et vitulos de medio armenti; qui canitis ad vocem psalterii, sicut David, putaverunt se habere vasa cantici; bibentes vinum in phialis, et optimo unguento delibuti, et nihil patiebantur super contritione Joseph.* Et Ezech., xiii, 5, dicitur : *Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis vos murum pro domo Israel, ut staretis in prelio in die Domini.*

Tertius autem gradus dilectionis est ut aliquis animam suam pro fratribus ponat; unde dicitur I Joan., iii, 16 : *In hoc cognovimus caritatem Dei, quoniam ille pro nobis animam suam posuit, et nos debemus pro fratribus animas ponere.* Ultra autem hunc gradum dilectio intendi non potest. Dicit enim Dominus Joan., xv, 13 : *Majorem hac dilectionem nemo habet ut animam suam ponat quis pro amicis suis;* unde in hoc perfectio fraternæ dilectionis consistit.

Pertinent autem ad animam duo. Unum quidem secundum quod vivificatur a Deo, et quantum ad hoc pro fratribus animam ponere non debet. Tantum enim quis diligit vitam animæ, quantum diligit Deum, plus enim debet unusquisque Deum diligere quam proximum. Non debet ergo aliquis peccando vitam animæ suæ contemnere, ut proximum salvet. Aliud autem consideratur in anima secundum quod vivificat corpus, et est principium vitæ humanæ; et secundum hoc pro fratribus animam ponere debemus. Plus enim debemus proximum diligere quam corpora nostra. Unde vitam corporalem pro salute spirituali proximorum ponere convenit. Et hoc cadit sub necessitate præcepti in necessitatis articulo : puta, si aliquis videret aliquem ab infidelibus seduci, deberet se mortis periculo exponere, ut eum a seductione liberaret. Sed quod aliquis extra hos necessitatis casus pro salute eorum mortis periculis se exponat, pertinet ad perfectionem justitiæ, vel ad perfectionem consilii, cujus exemplum ab Apostolo accipere possumus, qui dicit II Cor., xii, 15 : *Ego autem libentissime impendam, et superimpendar ipse pro animabus vestris;* ubi dicit *Glossa :* « Perfecta caritas hæc est ut quis paratus sit etiam pro fratribus mori. » Habet autem quamdam mortis similitudinem conditio servitutis; unde et mors civilis dicitur. Vita enim in hoc maxime manifestatur quod aliquis movet ipsum; quod autem non potest moveri nisi ab alio, quasi mortuum esse videtur. Manifestum est autem quod servus non a seipso movetur, sed per imperium domini. Unde homo inquantum servituti subjicitur, quamdam mortis similitudinem habet. Unde ad eamdem perfectionem dilectionis pertinere videtur quod aliquis seipsum servituti subjiciat propter amorem proximi, et quod se periculo mortis exponit, licet hoc perfectius esse videatur, quia homines naturaliter magis mortem refugiunt quam servitutem.

CAPUT XVI.

Perfectione dilectionis proximi quantum ad effectum.

Tertio vero considerantur fraternæ dilectionis perfectio ex effectu. Quanto enim majora bona proximis impendimus, tanto perfectior dilectio videtur. Sunt autem

circa hoc tres gradus considerandi. Sunt enim quidam qui proximis obsequuntur in corporalibus bonis : puta qui vestiunt nudos, pascunt famelicos, et infirmis ministrant, et alia hujusmodi faciunt, quæ sibi Dominus reputat exhiberi, ut patet Matth., xxv. Sunt autem aliqui qui spiritualia bona largiuntur, quæ tamen non excedunt conditionem humanam, sicut qui docet ignorantem, consulit dubitanti et revocat errantem ; de quo commendatur Job, iv, 3 : *Ecce docuisti multos, et manus lassas roborasti, vacillantes confirmaverunt sermones tui, et genua trementia confortasti.* Sunt autem alii qui spiritualia bona et divina supra naturam et rationem existentia proximis largiuntur : scilicet doctrinam divinorum, manuductionem ad Deum, et spiritualem sacramentorum communicationem ; et de his donis Apostolus mentionem facit ad Galat., iii, 5, dicens : *Qui tribuit vobis spiritum, et operatur in vobis virtutes;* et I Thess., ii, 13 : *Cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, ecce accepistis illud non ut verbum hominum, sed ut est vere verbum Dei ;* et II Cor., xi, 2 *: Despondi vos uni viro;* et postmodum subdit : *Nam si is qui venit, alium Christum prædicat quem non prædicavimus, aut alium spiritum accipitis quem non accepistis, aut aliud Evangelium quod non recepistis, recte pateremini.* Hujusmodi autem bonorum collatio ad singularem quamdam perfectionem pertinet fraternæ dilectionis, quia per hæc bona homo ultimo fini conjungitur, in quo summa hominis perfectio consistit ; unde ad hanc perfectionem ostendendam dicitur Job, xxxvii, 16 : *Numquid nosti semitas nubium, magnas et perfectas scientias?* Per nubes autem, secundum Gregorium, sancti prædicatores intelliguntur. Habent autem istæ nubes semitas subtilissimas, scilicet prædicationis sanctæ vias, et perfectas scientias, dum de suis meritis se nihil esse sciunt, quia ea quæ proximis impendunt, supra ipsos existunt. Additur autem ad hanc perfectionem, si hujusmodi spiritualia bona non uni tantum vel duobus, sed toti multitudini exhibeantur : quia etiam, secundum Philosophum, bonum gentis perfectius est et divinius quam bonum unius. Unde et Apostolus dicit Ephes., iv, 11 : *Alios autem pastores et doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi,* scilicet totius Ecclesiæ ; et I Corinth., xiv, 12, dicit : *Quoniam æmulatores estis spirituum, ad ædificationem Ecclesiæ quærite ut abundetis.*

CAPUT XVII.

Quod requiratur ad statum perfectionis.

Est autem considerandum quod, sicut supra præmisimus, perfectionis est non solum aliquod opus perfectum facere, sed etiam opus perfectum vovere : de utroque enim consilium datur, ut supra dictum est. Qui ergo aliquod opus perfectum ex voto facit, ad duplicem perfectionem attingit : sicut qui continentiam servat, unam perfectionem habet ; qui autem ex voto se obligat ad continentiam servandam et eam servat, habet et continentiæ perfectionem et voti. Perfectio autem quæ est ex voto, conditionem mutat et statum, secundum quod libertas et servitus diversæ conditiones vel status esse dicuntur. Sic enim accipitur status II, quæst. ix, ubi Adrianus Papa ait : « Si quando in causa capitali vel causa status interpellatum fuerit, non per exploratores, sed per seipsos est agendum. » Nam dum aliquis vovet continentiam servare, adimit sibi libertatem ducendi uxorem ; qui autem simpliciter continet absque voto, prædicta libertate non privatur. Non ergo in aliquo mutatur ejus conditio, sicut mutatur conditio ejus qui vovet. Nam et apud homines, si quis alicui obsequatur, non ex hoc conditionem mutat ; sed si obligat se ad serviendum, jam alterius conditionis efficitur.

Sed considerandum est quod potest aliquis sibi libertatem adimere vel simpliciter, vel secundum quid. Si enim aliquis se Deo vel homini obliget ad aliquid faciendum speciale, et pro aliquo tempore, non simpliciter libertatem amisit, sed solum secundum illud ad quod se obligavit. Si autem se totaliter in potestate alicujus ponat, ita quod nihil sibi libertatis retineat, simpliciter conditionem mutavit factus simpliciter servus. Sic ergo dum aliquis Deo vovet aliquod particulare opus, puta peregrinationem, aut jejunium, aut aliquod hujusmodi, non simpliciter conditionem vel statum mutavit, sed secundum aliquid tantum. Si vero totam vitam suam voto Deo obligavit, ut in operibus perfectionis ei deserviat, jam

simpliciter conditionem vel statum perfectionis assumpsit. Contingit autem aliquos opera perfectionis facere non voventes; aliquos vero totam vitam suam voto obligantes ad perfectionis opera, quæ non implent. Unde patet quosdam perfectos quidem esse, qui tamen perfectionis statum non habent; aliquos vero perfectionis statum habere, sed perfectos non esse.

CAPUT XVIII.

Quod esse in statu perfectionis convenit episcopis et religiosis.

Ex his autem quæ dicta sunt supra, manifeste apparet quibus competat in perfectionis statu esse. Dictum est enim supra quod ad perfectionem divinæ dilectionis triplici via proceditur : scilicet abrenuntiando exterioribus bonis, relinquendo uxorem, et alias cogitationes carnales, et abnegando seipsum, vel per mortem quam pro Christo patitur, vel quia abnegat propriam voluntatem. Qui ergo ad hæc opera perfectionis totam vitam suam voto obligant a Deo, manifestum est eos perfectionis statum assumere. Et quia in omni religione hæc tria voventur, manifestum est omnem religionem perfectionis statum esse. Rursus autem ostensum est tria pertinere ad perfectionem fraternæ dilectionis : ut scilicet inimici diligantur, eisque serviatur, et ut aliquis animam suam pro fratribus ponat, vel exponendo se periculis mortis, vel etiam vitam suam totaliter ordinando in utilitatem proximorum, et quod proximis spiritualia impendantur. Ad hæc autem tria manifestum est teneri episcopos. Cum enim Ecclesiæ universam curam susceperint, in qua plerumque inveniuntur aliqui eos odientes, persequentes et blasphemantes, necesse habent inimicis et persequentibus dilectionis et beneficentiæ vicem rependere; cujus exemplum in apostolis apparet, quorum sunt episcopi successores : in medio enim persecutorum commorantes, salutem eorum procurabant. Unde et Dominus eis mandat Matth., x, 16 : *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum :* ut scilicet plurimos morsus ab eis accipientes, non solum non consumantur, sed et illos convertant. Et Augustinus in lib. *De sermone Domini in monte,* exponens illud quod habetur Matth., v, 39 : *Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi et alteram,* sic dicit : « Hæc ad misericordiam pertinere hi maxime sentiunt qui eis quos multum diligunt, serviunt, vel pueris vel phreneticis, a quibus multa sæpe patiuntur; et si eorum salus illud exigat, præbent se etiam ut plura patiantur. Docet ergo medicus et Dominus animarum, ut discipuli sui eorum quorum saluti consulere volunt, imbecillitates æquo animo tolerarent. Omnis namque improbitas ex imbecillitate animi venit : quia nihil innocentius est eo qui est in virtute perfectus. » Hinc est quod Apostolus I Cor., IV, 12, dicit : *Maledicimur, et benedicimus; persecutionem patimur, et sustinemus; blasphemamur, et obsecramus.* Tenentur etiam episcopi ut pro salute suorum subditorum animam suam ponant. Dicit enim Dominus, Joan., x, 11 : *Ego sum pastor bonus : bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis;* quod exponens beatus Gregorius dicit : « Audistis, fratres carissimi, ex lectione evangelica eruditionem vestram; audistis et periculum nostrum; » et postea subdit : » Ostensa nobis est igitur de contemptu mortis via quam sequamur, apposita est forma cui imprimamur. Primum nobis est exteriora nostra misericorditer ovibus ejus impendere; postremum vero, si necesse sit, etiam mortem nostram pro eis debemus ministrare; » et postea subdit : « Lupus etenim super oves venit, cum quilibet injustus et raptor fideles quosque atque humiles opprimit. Sed is qui pastor videbatur esse et non erat, relinquit oves et fugit : quia dum sibi ab eo periculum metuit, resistere ejus injustitiæ non præsumit. » Ex quibus verbis patet quod de necessitate pastoralis officii est ut periculum mortis non refugiat propter gregis sibi commissi salutem. Obligatur ergo ex ipso officio sibi commisso ad hanc perfectionem dilectionis, ut pro fratribus animam ponat. Similiter etiam ex officio pontifex obligatur ad hoc quod bona spiritualia proximis administret, quasi quidam mediator inter Deum et hominem constitutus, vicem ejus agens qui est mediator Dei et hominum Jesus Christus, ut dicitur I Timoth., II, cujus figuram Moyses gerens dicebat Deut., v, 5 : *Ego sequester et medius fui inter Deum et vos in tempore illo.* Et ideo preces et obsecrationes Deo in persona populi offert : quia, ut dicitur

Hebr., v, 1 : *Omnis pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis.* Sed rursus personam Dei gerit in comparatione ad populum, dum populo quasi virtute Domini judicia, documenta, exempla et sacramenta ministrat. Unde Apostolus dicit II Corinth., II, 10 : *Ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi;* et in eadem epistola (cap. XIII, 3,) dicit : *An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus?* et I Cor., IX, 11 : *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus?* Ad hujusmodi autem perfectionem episcopi in sua ordinatione vel consecratione se obligant, sicut et religiosi in sua professione. Unde dicit Apostolus, I ad Tim., ult., 12 : *Certa bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam, in quam vocatus es et confessus bonam confessionem coram multis testibus;* scilicet in tua ordinatione, ut *Glossa* ibidem exponit. Et ideo episcopi statum perfectionis habent, sicut et religiosi. Sicut autem in humanis contractibus aliquæ solemnitates secundum humana jura adhibentur, ut contractus firmior habeatur; ita cum quadam solemnitate et benedictione status pontificalis assumitur, et etiam religionis professio celebratur. Unde Dionysius dicit, VI cap. *Eccles. hierar.*, de monachis loquens : « Propter quod et perfectum ipsis donavit gratiam sancta legislatio, et quadam ipsos dignata est sanctificativa invocatione. »

CAPUT XXIX.

Quod status pontificalis est perfectior quam status religionis.

Posset autem alicui minus circumspecto videri quod status perfectionis religionis esset sublimior quam status pontificalis perfectionis; sicut dilectio Dei, ad cujus perfectionem ordinatur religionis status, præeminet dilectioni proximi, ad cujus perfectionem ordinatur pontificalis status; et sicut vita activa, cui pontifices inserviunt, minor est quam vita contemplativa, ad quam religionis status ordinari videtur. Dicit enim Dionysius VI cap. *Ecclesiastic. hierarch.*, quod « religiosos alii quidem famulos, alii autem ipsos monachos nominantes, ex Dei puro servitio et famulatu et indivisibili et singulari vita tanquam uniente ipsos indivisibilium sanctis convolutionibus, » id est contemplationibus, « ad deiformem unitatem, et amabilem Deo perfectionem. »

Potest etiam aliquibus videri quod status prælationis non sit perfectus, quia divitias eis possidere licet; cum tamen Dominus dicat Matthæi, XIX, 21 : *Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quæ habes, et da pauperibus.*

Sed hoc dictum veritati repugnat. Dionysius enim dicit, V cap. *Eccles. hierar.*, quod « ordo episcoporum est perfectivus; » et in VI cap. dicit ordinem monachorum esse ordinem perfectorum. » Manifestum est autem majorem perfectionem requiri ad hoc quod aliquis perfectionem aliis tribuat, quam ad hoc quod aliquis in seipso perfectus sit; sicut majus est posse facere aliquem talem quam esse talem; et omnis causa potior est suo effectu. Relinquitur ergo episcopalem statum majoris perfectionis esse quam sit status cujuscumque religionis.

Idem autem apparet, si quis consideret ea ad quæ utrique obligantur. Obligantur enim religiosi ad hoc quod temporalia deserant, quod castimoniam servent, et quod sub obedientia vivant; quibus multo est amplius et difficilius pro salute aliorum vitam ponere, ad quod, ut dictum est, episcopi obligatur. Unde manifestum est graviorem esse episcopalem obligationem obligatione religionis.

Amplius. In his ipsis ad quæ religiosi obligantur, episcopi quodammodo obligari videntur. Tenentur enim episcopi bona temporalia quæ habent, in necessitate suis subditis exhibere, quos pascere debent non solum verbo et exemplo, sed etiam temporali subsidio. Unde Petro, Joan., ult., ter dictum est a Domino ut ejus gregem pasceret : quod ipse retinens, alios ad hoc ipsum exhortatur dicens, I Petr., ult., 2 : *Pascite, qui in vobis est, gregem Domini.* Et Gregorius dicit in auctoritate supra inducta, ex persona episcoporum loquens : « Exteriora nostra misericorditer ovibus ejus debemus impendere; » et postea subdit : « Quis non dat pro ovibus substantiam suam, quando pro his daturus est animam suam? » Ipsi etiam episcopi ad castitatem obligantur. Nam cum alios

mundare debeant, ipsos præcipue convenit esse mundos. Unde Dionysius dicit, III cap. *Cœlest. hierar.*, quod purgativos ordines oportet ex abundantia purgationis aliis tradere de propria castitate. Et quidem religiosi per votum obedientiæ se uni prælato subjiciunt; episcopus vero servum se constituit omnium quorum curam assumit; dum tenetur non quod suum est quærere, sed quod multis prodest[1], ut salvi fiant, ut dicit Apostolus I Cor., X. Unde ipse de seipso dicit, IX cap., vers. 19, ejusdem epistolæ : *Cum liber essem ex omnibus, omnium me servum feci;* et II Corinth., IV, 5 : *Non nosmetipsos prædicamus, sed Jesum Christum Dominum nostrum; nos autem servos vestros per Jesum.* Unde et consuetudo inolevit ut Summus Pontifex se scribat servum servorum Dei. Unde patet episcopalem statum majoris perfectionis esse quam statum religionis.

Iterum. Dionysius dicit, VI cap. *Eccles. hierarchiæ,* monachorum ordinem non esse adductivum aliorum, sed in seipso stantem in singulari et sancta statione. Ad episcopos autem ex obligatione voti pertinet alios ad Deum adducere. Dicit enim Gregorius *Super Ezech.,* quod nullum sacrificium est magis Deo acceptum quam zelus animarum. Ordo igitur episcoporum perfectissimus est.

Hoc autem evidenter ostenditur ex Ecclesiæ consuetudine, per quam religiosi a suorum prælatorum obedientia absoluti, ad episcopatus ordinem assumuntur. Quod quidem licitum non esset, nisi episcopalis status esset perfectior. Sequitur enim Ecclesia Dei Pauli sententiam, qui dicit I ad Corinth., XII, 31 : *Æmulamini charismata meliora.*

CAPUT XX.

Solutio rationum quibus impugnari videbatur perfectio pontificalis status.

Ea vero quæ in contrarium objiciuntur, non est difficile solvere. Perfectio enim dilectionis proximi, ut supra dictum est, ex perfectione divinæ dilectionis derivatur; quæ quidem tantum in cordibus aliquorum prævalet ut non solum Deo frui velint et ei servire, sed etiam proximis propter Deum. Unde Apostolus dicit II Corinth., V, 13 : *Sive enim mente excedimus,* scilicet per contemplationem, hoc est *Deo,* id est ad honorem *Dei; sive sobrii sumus,* quasi vobis condescendentes, hoc est *vobis,* id est ad utilitatem vestram. *Caritas enim Christi urget nos,* ut scilicet pro vobis omnia faciamus, sicut *Glossa* exponit. Manifestum est autem quod majoris dilectionis signum est ut homo propter amicum etiam alii serviat, quam si soli amico servire velit.

Quod etiam dicitur de contemplativæ vitæ perfectione, non videtur ad propositum pertinere. Cum enim episcopus mediator inter Deum et homines constituatur, oportet ipsum et in actione præcellere, inquantum minister hominum constituitur, et in contemplatione præcipuum esse, ut ex Deo hauriat quod hominibus tradat. Unde dicit Gregorius in *Pastorali :* « Sit præsul actione præcipuus, præ cunctis contemplatione suspensus, rector internorum curam in exteriorum occupatione non minuens, exteriorum providentiam in interiorum sollicitudine non relinquens. » Sed etsi detrimentum aliquod in dulcedine contemplationis patiuntur propter exteriorum occupationem qua proximis serviunt, hoc ipsum perfectionem divinæ dilectionis attestatur. Magis enim aliquem amare convincitur qui propter ejus amorem jucunditate præsentiæ ejus ad tempus carere desiderat in ejus servitiis occupatus, quam si ejus præsentia semper frui vellet. Unde Apostolus ad Rom., IX, 3, postquam dixerat : *Neque mors neque vita separabit me a caritate Dei;* postmodum subjungit : *Optabam ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis;* quod exponens Chrysostomus dicit in lib. *De compunctione cordis :* « Ita enim totam ejus mentem devinxit amor Christi, ut etiam hoc quod ei præ cæteris omnibus amabilius erat, esse cum Christo, rursus idipsum, quia ita placeret Christo, contemneret. »

Tertiæ vero objectioni dupliciter respondetur. Primo quidem, quia episcopi divitias Ecclesiæ quas habent non quasi suas possident, sed quasi communes dispensant; quod evangelicæ perfectioni non derogat. Unde Prosper dicit, et habetur XII, quæst. I : « Expedit facultates Ecclesiæ

[1] Al. deest « prodest. »

possideri, et proprias amore perfectionis contemni; » et postea, introducto sancti Paulini exemplo, sujungit : « Quo facto satis ostenditur et propria debere propter perfectionem contemni, et sine impedimento perfectionis Ecclesiæ facultates, quæ sunt profecto communes, possideri. »

Circa quod tamen considerandum est quod Ecclesiæ facultates, si sic ab aliquo possideantur quod eorum fructus non lucrifaciat, sed solum dispenset, evangelicæ perfectioni non derogat; alioquin abbates et præpositi monasteriorum a religionis perfectione deciderent contra votum paupertatis agentes : quod est omnino absurdum. Si vero aliquis ex communibus Ecclesiæ facultatibus non solum dispensator fructuum, sed Dominus fiat eos lucrifaciens, manifestum est eum aliquid proprium possidere; et ita deficit a perfectione eorum qui omnibus abrenuntiantes sine proprio vivunt. Sed quia episcopi non solum facultates Ecclesiæ possidere possunt, sed etiam patrimonialia bona, de quibus etiam eis testamentum condere licet, videtur quod ab evangelica perfectione deficiant, ad quam invitat Dominus Matth., XIX, 21, dicens : *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus.*

Sed hæc quæstio de facili solvitur, si prædicta ad memoriam revocentur. Dictum est enim supra quod abdicatio propriarum divitiarum non est perfectio, sed quoddam perfectionis instrumentum. Possibile autem est aliquem perfectionem acquirere sine propriarum divitiarum abjectione actuali. Hoc autem sic potest manifestari. Cum enim Dominus perfectionis documenta tradens, dicat, Matth., V, 39 : *Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi et alteram; et ei qui vult tecum in judicio contendere et tunicam tollere, dimitte ei et pallium; et quicumque te angariaverit mille passus, vade cum illo et alia duo;* non semper perfecti hoc actu complent; alioquin Dominus ab hac perfectione defecit, quia in maxilla alapa suscepta non præbuit ei alteram, sed dixit : *Si male locutus sum, perhibe testimonium de malo; si autem bene, cur me sedis?* ut dicitur Joan., XVIII, 23. Sed nec Paulus cum percuteretur, maxillam præbuit; sed, sicut dicitur Act., XXIII, 3, dixit : *Percutiat te Deus, paries dealbate.* Non est ergo de necessitate perfectionis ut hujusmodi opere compleantur; sed hæc intelligenda sunt secundum animi præparationem, ut Augustinus dicit in libro *De sermone Domini in monte.* In hoc enim perfectio hominis consistit ut homo habeat animum paratum ad hæc facienda quotiescumque fuerit opus. Similiter etiam, ut Augustinus dicit in libro *Quæstionum Evangelii,* et habetur in *Decretis,* XLI dist., « quod Dominus dicit in Evangelio : *Justificata est sapientia ab omnibus filiis suis;* ostendit filios sapientiæ intelligere non in manducando nec in abstinendo esse justitiam, sed in æquanimitate tolerandi inopiam. » Unde et Apostolus dicit, Phil., IV, 12 : *Scio ... abundare et penuriam pati.* Ad hanc autem æquanimitatem inopiam tolerandi religiosi perveniunt per exercitium nihil habendi, sed episcopi ad eam perduci possunt per exercitium circa curam Ecclesiæ et dilectionem fraternam; ex qua non solum propter divitias pro salute proximorum exponere vel contemnere debent esse parati, quando fuerit opportunum; sed etiam propria corpora, ut supra dictum est. Unde Chrysostomus dicit in *Dialogo* suo : « Magnum certe monachorum certamen; » et postea subdit : « Ibi, » scilicet in monastico statu, « jejunium est durum, et vigiliæ, et reliqua quæ ad afflictionem corporis concurrunt; hic vero, » scilicet in statu pontificali, « erga animam ars tota versatur. » Et postea ponit exemplum, sicut hi qui arte mechanica quædam stupenda faciunt, ad quæ utuntur pluribus instrumentis; philosophus autem nihil de his requirens, omnem artem suam operibus solius mentis ostendit.

Posset autem alicui videri quod episcopi teneantur ut hanc perfectionem de abjiciendis divitiis habeant non solum in præparatione animi, sed etiam in exercitio actus. Dominus enim apostolis mandavit, ut dicitur Matth., X, 9 : *Nolite possidere aurum neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris; non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam.* Episcopi autem successores apostolorum sunt. Tenentur ergo ad hæc mandata apostolis facta.

Sed manifestum est id quod concluditur, verum non esse. Fuerunt enim plurimi in Ecclesia Dei episcopi de quorum sanctitate dubitari non potest, qui hoc non observaverunt, sicut Athanasius, Hilarius et alii

plurimi successores. Unde Augustinus dicit in lib. *Contra mendacium :* « Non oportet tantum præcepta Dei retinere, sed etiam vitam moresque justorum. » Itaque plura in verbis intelligere non valentes, in factis sanctorum colligimus, quemadmodum oportet ea accipi. Et hujus ratio est, quia idem Spiritus sanctus qui loquitur in Scripturis, movet sanctos ad operandum, secundum illud Roman., VIII, 14 : *Quicumque spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt.* Et ideo non est credendum id quod a sanctis viris communiter agitur, contra divinum præceptum esse. Ut ergo ibidem dicitur, et etiam in lib. *De consensu evangelistarum,* cur Dominus dixerit apostolis ut nihil possiderent, nec aliquid secum in via portarent, satis ipse significavit cum addidit : *Dignus est enim operarius mercede sua.* Unde satis ostendit hoc esse permissum, non jussum; unde qui permissione uti non vult ut ab aliis accipiat unde vivat, sed sua defert ad vivendum, non contra Domini præceptum facit. Aliud est enim permissione non uti, quod et Paulus fecit; et aliud agere contra præceptum. Potest etiam et aliter solvi, ut intelligatur hoc Dominum præcepisse quantum ad primam missionem, qua mittebantur apostoli ad prædicandum Judæis, apud quos consuetum erat ut doctores viverent de stipendiis eorum quos docebant. Voluit enim Dominus, sicut dicit Chrysostomus primo quidem discipulos per hoc facere non suspectos, quasi causa quæstus prædicarent. Secundo ut a sollicitudine liberarentur. Tertio ut virtutis ejus experimentum sumerent, qui sine hujusmodi poterat eis in necessariis providere. Sed postmodum imminente passione, quando jam ad gentes mittendi erant, aliud eis præcepit, ut habetur Luc., XXII. Quæsivit enim ab eis : *Quando misi vos sine sacculo et pera et calceamentis, numquid aliquid defuit vobis?* Qui cum dixissent : *Nihil*, subjunxit : *Sed nunc qui habet sacculum, tollat similiter et peram.* Unde ob hoc non tenentur episcopi apostolorum successores ut nihil possideant, nec aliquid secum in via deferant.

CAPUT XXI.

Quod status episcopalis, quamvis sit perfectior quam status religionis, non tamen est ambiendus.

Sed cum Apostolus dicat, I Corinth., XII, 31 : *Æmulamini charismata meliora;* si pontificalis status est perfectior quam status religionis, magis deberet sibi aliquis statum prælationis procurare quam quod ad statum religionis accederet.

Sed si quis diligenter consideret, evidens ratio invenitur quare religionis status meritorie appetitur; status autem pontificalis non absque vitio ambitionis desideratur. Qui enim statum religionis assumit, se et sua abnegans alii se subjicit propter Christum; qui vero ad statum pontificalem promovetur, quemdam sublimitatis honorem in his quæ sunt Christi, consequitur; quem appetere præsumptuosum videtur, cum major honor et potestas non nisi melioribus debeatur. Unde Augustinus, XIX *De civ. Dei* (cap XIX), dicit : « Exponere voluit apostolus quid sit episcopatus, quia nomen est operis, non honoris. Græcum est enim atque inde ductum vocabulum, quod ille qui præficitur, superintendit, curam scilicet eorum gerens; *epi* quippe *super, scopos* vero *intentio* est. Ergo *episcopin* græce, latine *superintendere* possumus dicere; ut intelligat non esse episcopum qui præesse dilexerit, non prodesse. Itaque a studio cognoscendæ veritatis nemo prohibet, quod ad laudabile pertinet otium; locus vero superior, sine quo populus regi non potest, et si ita teneatur atque administretur ut decet, tamen indecenter appetitur. Quamobrem otium sanctum quærit caritas veritatis, negotium justum suscipit necessitas caritatis; quam sarcinam si nullus imponit, percipiendæ atque intuendæ vacandum est veritati. Si autem imponitur, suscipienda est propter caritatis necessitatem. » Chrysostomus autem *Super Matthæum,* exponens illud : *Principes gentium dominantur eorum*, sic dicit : « Opus quidem desiderare bonum, bonum est, quia nostræ voluntatis est, et nostra est merces; primatum autem honoris concupiscere vanitas est. Neque enim apostolus laudem habebit apud Deum quia apostolus fuit, sed quia opus apostolatus sui bene

implevit. Conversatio ergo desideranda, non dignior gradus. »

Est etiam et aliud advertendum; quod religionis status perfectionem non præsupponit, sed ad perfectionem inducit; pontificalis autem dignitas perfectionem præsupponit; qui enim pontificatus honorem suscipit spirituale magisterium assumit. Unde Apostolus dicebat I Tim., II, 17 : *Positus sum ego prædicator et apostolus (veritatem dico, non mentior) doctor gentium in fide et veritate.* Ridiculum autem est perfectionis magistrum fieri qui perfectionem per experimentum non novit. Et, sicut dicit Gregorius in *Pastorali,* « tantum debet actionem populi actio transcendere præsulis, quantum distare solet a grege vita pastoris. » Quæ quidem differentia ex verbis Domini manifeste colligitur. Cum enim Dominus paupertatis consilium daret, his verbis est usus : *Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quæ habes, et da pauperibus.* Unde manifeste apparet quod paupertatis assumptio perfectionem non præexigit, sed ad eam ducit. Cum vero prælationis officium Petro committeret, quæsivit : *Simon Joannis, diligis me plus his?* Qui cum responderet : *Tu scis quia amo te;* subjecit : *Pasce oves meas.* Per quod manifeste datur intelligi quod perfectionem caritatis præexigit assumptio prælationis. Præsumptuosum autem esse videtur ut quis se æstimet esse perfectum; unde Apostolus dicit, Phil., III, 12 : *Non quod jam acceperim, aut jam perfectus sim,* et postea subdit : *Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus.* Quod autem aliquis perfectionem desideret, et eam assequi velit, non præsumptionis, sed sanctæ æmulationis esse videtur, ad quam Apostolus hortatur I Corinth., XXIII, 31 : *Æmulamini charismata meliora.* Et ideo religionis statum assumere, laudabile est; ad prælationis autem fastigium anhelare nimiæ præsumptionis est. Unde Gregorius dicit in *Pastorali :* « Is qui recusavit prælationis officium, plene non restitit; et is qui mitti voluit, ante se per altaris calculum purgatum vidit. » Per quod datur intelligi quod vocatus ad prælationis officium nec omnino resistat, nec ad ipsum anhelet, nisi se prius purgatum videat, ne aut non purgatus adire quisquam sacra mysteria audeat, aut quem superna gratia elegit, sub humilitatis specie superbe contradicat. Quia ergo valde difficile est purgatum se quemlibet posse cognoscere, prælationis officium tutius declinatur.

Est autem et aliud considerandum, scilicet quod statum religionis rerum temporalium abjectio comitatur; e contrario vero statui prælationis multa bona temporalia adjunguntur. Qui ergo religionis statum assumunt, manifeste demonstrant se temporalia bona non quærere, sed quod per eorum abjectionem ad bona spiritualia tendunt; qui vero pontificalem dignitatem assumunt, plerumque magis temporalia bona considerant quam æterna. Unde Gregorius dicit in *Pastorali :* « Tunc fuit laudabile episcopatum quærere quando per hunc quemque dubium non erat ad supplicia graviora pervenire; » et postea subdit : « Sanctum quippe officium non diligit omnino, sed nescit, qui ad culmen regiminis anhelat, in occulta meditatione cogitationis cæterorum subjectione pascitur, laude propria lætatur, ad honorem cor elevat, rerum affluentiam abundantia exultat. Mundi ergo lucrum quæritur sub ejus honoris specie quo mundi destrui lucra debuerunt. »

Est et aliud advertendum quod qui prælationis statum assumit, multis periculis se exponit. Dicit enim Gregorius in *Pastorali :* « Plerumque in occupatione regiminis ipse quoque boni operis usus perditur, qui in tranquillitate tenebatur, quia quieto mari recte navim etiam imperitus dirigit, perturbato autem tempestatis fluctibus etiam peritus se nauta confundit. Quid namque est potestas culminis nisi tempestas mentis, in qua cogitationum semper procellis navis cordis quatitur, et huc illucque incessanter impellitur, ut per repentinos excessus oris et operis quasi per obviantia saxa frangatur? » Hujus periculi exemplum in David apparet, quia, ut dicit Gregorius, « David auctoris judicio pene in cunctis actibus placens, ut principatus pondere claruit, in tumorem vulneris erupit, factusque est in morte viri crudeliter rigidus qui in appetitu feminæ fuit enerviter fluxus; prius ferire comprehensum persecutorem noluit, et post cum damno exercitus devotum militem sub studio fraudis extinxit. » Qui autem statum religionis assumit, pericula peccati vitat. Unde Hieronymus ex persona monachi loquens in *Epistola contra Vigilantium* dicit : « Ego cum fugero, scilicet mundum, non vincor

in eo quod fugio, sed ideo fugio ne vincar. Nulla securitas cum vicino serpente dormire; potest fieri ut aliquando me mordeat. Quod ergo aliquis pericula peccati evitans religionis statum assumat, prudentiæ est. Quod vero sponte ad prælationis statum aspiret, vel nimiæ præsumptionis est, si se tam fortem existimet esse ut inter pericula possit manere securus, vel omnino suæ salutis curam non habens, si peccata vitare non curat. » Ex his ergo apparet quod prælationis status, etsi perfectus sit, tamen absque vitio concupiscentiæ appeti non potest.

CAPUT XXII.

Rationes quorumdam qui astruere conantur, quod presbyteri curati et archidiaconi sunt in statu perfectiori quam religiosi, et earum solutiones.

Sunt autem quidam qui non solum episcoporum statum præferre religiosorum statui sunt contenti, sed et decanorum, plebanorum et archidiaconorum et quorumcumque curam habentium animarum. Quod multipliciter asserere conantur. Dicit enim Chrysostomus in VI libro sui *Dialogi:* « Si aliquem mihi talem adducas monachum, qualis, ut secundum exaggerationem dicam, fuit Elias; tamen quamdiu solus est, si non perturbatur neque graviter peccat, quippe non habet quibus stimuletur atque exasperetur; non tamen illi comparandus est qui traditus populis, et multorum ferre peccata compulsus, immobilis perseveravit et fortis. » Ex quo manifeste videtur quod monachus, quantumcumque perfectus, adæquari non possit cuicumque curam animarum habenti, si eam bene exerceat.

Adhuc. Ibidem postmodum subditur : « Si quis mihi proponeret optionem ubi mallem placere, in officio sacerdotali, an in solitudine monachorum; sine comparatione eligerem illud quod prius dixi. » Incomparabiliter igitur præferendus est status curam animarum habentium quam vivere etiam in solitudine monachorum, quod genus religionis perfectissimum reputatur.

Item. Augustinus dicit in *Epistola ad Valerium :* « Cogitet religiosa prudentia tua nihil esse in hac vita, et maxime hoc tempore, facilius et levius et hominibus acceptabilius episcopi aut presbyteri aut diaconi officio, si perfunctorie atque adulatorie res agatur; sed nihil apud Deum miserabilius et tristius et damnabilius. » Item. « Nihil est in hac vita, maxime hoc tempore, difficilius et laboriosius et periculosius episcopi aut presbyteri aut diaconi officio; sed apud Deum nihil beatius, si eo modo militetur quo noster imperator jubet. » Non ergo religionis status est perfectior statu presbyterorum aut diaconorum, qui curas animarum habent, ad quorum officium pertinet conversari cum hominibus.

Præterea Augustinus dicit *Ad Aurelium :* « Nimis dolendum est, si ad tam ruinosam superbiam monachos subigimus, et tam gravi contumelia clericos dignos putamus, in quorum numero nos sumus, si scilicet vulgares de nobis jocabuntur, dicentes : Malus monachus, bonus clericus est, cum aliquando bonus etiam monachus vix bonum clericum faciat. » Major ergo est perfectio boni clerici quam boni monachi.

Item. Paulo ante dicit : « Non est via danda servis Dei, » id est monachis, « ut se facilius putent eligi ad aliquod melius, » id est ad officium clericatus, « si facti fuerint deteriores, » monasterium scilicet deserendo. Melius est ergo officium clericatus quam status monasticus.

Item. Hieronymus dicit *Ad Rusticum monachum :* « Sic vive in monasterio ut clericus esse merearis. » Majus est ergo clericatus officium quam monachi conversatio.

Præterea. Non licet de majori ad minus transire. De statu monastico licet transire ad officium presbyteri curam habentis, sicut dicit Gelasius Papa, et habetur XVI, quæst. I : « Si quis monachus fuerit qui venerabilis vitæ merito sacerdotio dignus prævideatur; et abbas, sub cujus imperio regi Christo militat, illum fieri presbyterum petierit ab episcopo, debet eligi, et in loco quo judicaverit, ordinari, ea omnia quæ ad sacerdotii officium pertinent, vel populi vel episcopi electione provide ac juste acturus. » Et plura alia capitula ibidem ponuntur, et dist. XLVII. Ex his ergo omnibus videtur quod status quorumcumque clericorum, et maxime curam animarum habentium, religionis statui præferatur.

Horum autem dictorum ratio de facili percipi potest, si ea quæ dicta sunt ad

memoriam revocentur. Jam enim supra dictum est, aliud esse perfectionis actum, atque aliud perfectionis statum. Nam perfectionis statum non efficit nisi perpetua obligatio ad ea quæ ad perfectionem spectant, sine qua obligatione plurimi perfectionis opera exequuntur; puta qui nullo voto continentiam servant, aut in paupertate vivunt.

Rursum considerandum est quod in presbyteris et diaconibus curam animarum habentibus duo consideranda sunt, scilicet officium curæ et dignitas ordinis. Manifestum est autem quod officium curæ suscipientes perpetuam obligationem non habent; cum multotiens curam dimittant susceptam, sicut patet de illis qui dimittunt parochias vel archidiaconatus, et religionem intrant. Patet etiam ex supra dictis quod status perfectionis non habetur nisi cum perpetua obligatione. Manifestum est autem quod archidiaconi et parochiales sacerdotes, et etiam electi, ante consecrationem statum perfectionis nondum adepti sunt, sicut nec novitii in religionibus ante professionem. Contingit autem, ut supra dictum est, aliquem non in perfectionis statu existentem opera perfectionis agere, et perfectum esse secundum habitum caritatis.

Si igitur contingit archidiaconos et parochianos presbyteros perfectos esse secundum habitum caritatis, et participare in aliquo perfectionis officio, statum tamen perfectionis non assequuntur. Hujus autem evidens signum est, quia his qui perpetuo ad aliquid deputantur vel obligantur, aliqua ecclesiastica solemnitas in tali obligatione adhibetur: puta qui in episcopos consecrantur vel qui in professione religionis benedicuntur, etiam secundum antiquum ritum Ecclesiæ, ut patet per Dionysium in lib. *De ecclesiast. hierarch.*, cap. VI. Manifestum est autem quod nihil horum fit in commissione archidiaconatus vel parochiæ; sed simpliciter investiuntur, vel per annulum, vel per aliquid tale. Unde manifestum est quod ex hoc quod aliquis archidiaconatum vel parochiæ curam accipit, non sortitur perpetuæ obligationis statum.

His autem visis, facile est objecta in contrarium solvere.

Quod enim Chrysostomus dicit : « Si talem aliquem adducas monachum, qualis fuit Elias, non tamen illi comparandus est qui multorum peccata ferre compellitur, » manifeste apparet per ea quæ dicit quod non intendit statum statui comparare, sed ostendere difficultatem bene persistendi majorem esse in eo qui præest populis, quam in eo qui solitariam vitam ducit, quod patet, si integre verba accipiantur. Non enim simpliciter dicit quod monachus non sit comparandus illi qui compellitur peccata populi ferre, sed quod monachus, si non perturbatur, nec graviter peccat quamdiu solus est, non comparatur illi qui perseverat immobilis et fortis in multitudine populi, quia majoris virtutis est illæsum se conservare ubi plura pericula imminent. Unde et ante hæc verba dicit : « Cum aliquis fuerit in mediis fluctibus, et de tempestate navem liberare potuerit, tunc merito testimonium perfecti gubernatoris ab omnibus promeretur. » Sic etiam dici posset, quod ille qui inter malos bene conversatur, majoris virtutis esse ostenditur quam qui bene conversatur inter homines bonos. Unde in laudem Lot dicitur II Petr., II, 8, quod *aspectu et auditu justus erat, habitans apud eos qui de die in diem animam justam iniquis operibus cruciabant.* Nec tamen dici potest quod conversari inter malos ad statum perfectionis pertineat, cum hoc secundum sacræ Scripturæ documenta prudentius declinetur. Ex his igitur verbis non ostenditur quod status curam animarum habentium sit perfectior quam status religiosorum, sed quod sit periculosior.

Per hoc etiam patet responsio ad verba ejusdem, quæ postmodum subduntur : « Si quis, » inquit, « mihi proponeret optionem, ubi mallem placere, in officio sacerdotali, an in solitudine monachorum, sine comparatione eligerem illud quod prius dixi, » scilicet placere Deo in officio sacerdotali. Ubi considerandum est quod non dicit quod mallet esse in officio sacerdotali quam in solitudine monachorum, sed quod mallet ibi quam hic placere Deo, quia in sacerdotali officio absque peccato manere difficilius est quam manere absque peccato in solitudine monachorum, sicut jam supra dixerat. Ubi autem est majus periculum, ibi major virtus ostenditur, si periculum evitetur, sicut jam dictum est. Et quamvis quilibet sapiens magis eligeret esse tantæ virtutis ut etiam inter pericula quæcumque illæsus posset persistere, nullus tamen nisi

insipiens statum periculosiorem ex hoc ipso statui securiori præferret.

Ex hoc etiam apparet solutio ad verba Augustini quibus asseritur, nihil esse periculosius et laboriosius officio episcopi et sacerdotis et diaconi, si bene exerceatur, et nihil esse Deo acceptabilius. Ex hoc enim ipso quod est laboriosum et difficile, immunem se a peccato conservare in hujus officii executione majoris virtutis esse ostenditur, et secundum hoc Deo acceptabilius. Non tamen ex hoc sequitur quod status sacerdotum parochialium aut archidiaconorum sit majoris perfectionis quam status religionis.

Ad omnia vero quæ subsequuntur et similia, est una eademque responsio. Nam in omnibus illis auctoritatibus non comparatur status religionis statui curatorum; sed status monachorum, inquantum sunt monachi, statui clericorum. Non enim monachi, in eo quod sunt monachi, sunt clerici, cum multi sint monachi laici; et antiquis temporibus fere omnes monachi laici erant, ut habetur XVI, quæst. I. Manifestum est autem clericos in Ecclesia Dei majorem gradum obtinere quam laicos. Unde laici promoventur ad clericatum tanquam ad aliquid majus; et sicut major gradus, ita et amplior virtus requiritur ad bonum clericum quam ad bonum laicum, quamvis sit monachus. Sed in monacho clerico duo concurrunt, et clericatus et status religionis; similiter in clerico habente curam animarum, scilicet cura animarum et clericatus. Quod ergo clerici præferuntur monachis, nihil pertinet ad hoc quod curati inquantum curati monachis præferuntur; sed verum est quod si bene officium suum exequantur et absque peccato, majoris esse virtutis demonstrantur quam si monachus immunis a peccato permaneat, ut supra dictum est. Quod autem monachus assumitur ad curam animarum in parochialibus ecclesiis, non ostendit statum curati, ex hoc quod est curatus, esse perfectiorem; quia religiosus parochiam adeptus statum pristinum non amittit. Dicitur enim XIV, quæst. I : « De monachis qui diu morantes in monasteriis, si postea ad clericatus ordinem pervenerint, statuimus non debere eos a priori proposito discedere. » Sic ergo non ostenditur quod status clerici habentis curam animarum sit perfectior quam status religionis, quamvis religiosi curam animarum accipere possint in priori statu et proposito permanentes. Ad episcopatum autem promoti, statum altiorem assumunt.

CAPUT XXIII.

Rationes quorumdam destruere volentium immediate determinatam veritatem.

Verum quidam contentionis studio exagitati, neque quæ dicunt neque quæ audiunt debite ponderantes, adhuc conantur prædictis contradicentes obviare : quorum obviationes postquam præmissa conscripseram, ad me pervenerunt. Ad quorum confutationem necesse est aliqua ex supra positis replicare[1].

Primo igitur multipliciter nituntur ostendere archidiaconos et parochiales presbyteros in statu perfectionis esse, et majoris quam religiosi. Presbyter enim, si delinquat, jubetur ejici de statu suo secundum canones, ut habetur LXXXI distinct. : « Si quis amodo episcopus, » et XIV, quæst. IV : « Si quis oblitus. » Ergo erat in statu; alioquin a statu ejici non posset.

Item. Invenitur status tripliciter dici. Importat enim rectitudinem, nam homo erectus dicitur stare. Unde Gregorius dicit in VII *Moral.* : « Ab omni rectitudinis statu depereunt qui per noxia verba dilabuntur. » Importat etiam permanentiam et fixionem, secundum illud Gregorii in VIII *Moral.* : « Conditoris protectio et custodia est, quod in statu permanemus. » Et in IX *Homil secundæ partis super Ezech.* : « Lapis quadrus est, et quasi ex omni latere statum habet, qui casum in qualibet permutatione non habet. » Importat etiam magnitudinem vel longitudinem; dicitur enim a stando. Cum autem archidiaconi et parochiales presbyteri habeant magnitudinem spiritualem, cum propter animarum zelum curam suscipiunt, habeant etiam permanentiam, qui inter pericula immobiles perseverant et fortes, habeant etiam rectitudinem intentionis et justitiæ; non est dicendum hujusmodi in statu perfectionis non esse.

Præterea. Religionis institutio præjudicare non potuit diaconibus et presbyteris

[1] Al. : « respicere. »

curam animarum habentibus. Sed ante institutas religiones prædicti curam animarum habentes statum perfectionis tenebant; dicitur enim I Tim., v, 17: *Qui bene præsunt presbyteri*, scilicet vita et doctrina, *digni habeantur* a subditis *duplici honore;* ut scilicet eis spiritualiter obediant, et exteriora ministrent. Ergo etiam post religiones institutas habent statum perfectionis.

Item. Dicunt quod, tempore Hieronymi, presbyter et episcopus erant nomina synonima, ut patet per illud quod dicit Hieronymus *Super epistolam ad Titum:* « Olim idem presbyter qui et episcopus. » Sed postea in toto orbe decretum est ut unus presbyteris præponeretur, ut schismatum semina tollerentur. Si ergo episcopi sint in statu perfectiori quam religiosi, etiam presbyteri in statu perfectiori erunt.

Item. Qui ad majus et dignius et fructuosius officium Ecclesiæ assumitur, in majori statu esse videtur. Sed archidiaconi et presbyteri curati assumuntur ad dignius officium quam religiosi: quia licet vita contemplativa sit magis secura, tamen vita activa est magis fructifera, ut habetur *Extra.*, de renuntiatione *Nisi cum pridem.* Presbyteri igitur curati sunt in majori statu perfectionis quam religiosi.

Item. Nulla major caritas esse potest quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis, ut dicitur Joan., xv. Boni autem curati animam suam ponunt pro suis subditis, quorum etiam se servos constituunt, secundum illud I Corinth., ix, 19: *Dum liber essem ex omnibus, omnium me servum feci.* Videntur etiam plus mereri, cum plus laborent, secundum illud Apostoli I Corinth., xv, 10: *Plus omnibus laboravi;* et I Corinth., iii, 8: *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.* Videtur igitur quod curati presbyteri sint in perfectiori statu quam religiosi.

Item. Videtur hoc idem de archidiaconis. Septem enim diacones quos elegerunt apostoli erant in excellenti statu perfectionis. Dicitur enim Act., vi, 3: *Considerate, fratres, viros ex vobis boni testimonii septem plenos Spiritu sancto et sapientia, quos constituamus super hoc opus;* ubi dicit *Glossa* Bedæ: « Hic decernebant apostoli per Ecclesias constitui septem diacones, qui essent sublimioris gradus cæteris, et proximi circa aram quasi columnæ assisterent. » Videtur autem eos in statu perfectionis fuisse qui sublimioris gradus erant cæteris, et quasi columnæ Ecclesiæ onera supportantes. Horum autem gradum repræsentant in Ecclesia archidiaconi, qui ministrant et præsunt ministrantibus, secundum *Glossam* ibidem. Videtur ergo quod archidiaconi sint in majori statu perfectionis quam presbyteri curati, quibus præficiuntur; et ita per consequens etiam quam religiosi.

Item. Insanum videtur esse dicere beatos Stephanum, Laurentium et Vincentium archidiaconos in statu perfectionis non fuisse, qui meruerunt ad palmam martyrii pervenire.

Item. Presbyteri curati et archidiaconi similiores sunt episcopis quam monachi, et quicumque religiosi, qui tenent infimum subjectionis gradum; intantum quod presbyteri episcopi nominantur, secundum illud Act., xx, 28: *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei;* quod exponit *Glossa* de presbyteris Ephesi. Multo igitur magis presbyteri curati sunt in statu perfectionis.

Item. Administratio facultatum Ecclesiæ statum perfectionis non minuit, cum sint bona communia, ut habetur XII, quæst. i, cap. *Expedit.* Non ergo presbyteri curati vel archidiaconi deficiunt a statu perfectionis propter administrationem rerum Ecclesiæ.

Item presbyteri curati et archidiaconi de bonis temporalibus tenentur facere hospitalitatem, ut xlii dist. habetur, cap. i. Hoc autem monachus non potest facere, quia non habet proprium. Majoris ergo meriti est presbyter curatus quam monachus.

Item. Gregorius dicit quod nullum sacrificium est quod ita placeat Deo sicut zelus animarum; et Bernardus dicit in lib. *De amore Dei*, quod ille major est in amore Dei qui plures ad amorem Dei trahit. Hoc autem convenit archidiacono et presbytero curato, non autem monacho, cujus non est officium ut aliquem trahat ad Deum.

Item. Sicut patriarcha præsidet in suo patriarchatu et episcopus in suo episcopatu, ita et archidiaconus in suo archidiaconatu et presbyter curatus in sua parochia. Quid enim facit episcopus, excepta ordinatione, quod presbyter curatus non facit? ut habetur dist. xciii, cap. *Legimus.*

Et quæcumque dicuntur de episcopo, seu ordinando in episcopum, secundum quatuordecim capitula apostolicæ regulæ omnia debent intelligi de quolibet electo ad quamlibet prælationem, ut presbytero curato et archidiacono, ut habetur LXXXI dist., cap. I. Si ergo episcopus est in perfectiori statu quam monachus, pari ratione et presbyter curatus, et archidiaconus.

Item. Presbyter vel diaconus propter delictum jubetur ejici de statu, et recludi in monasterium ad agendum pœnitentiam, ut habetur LXXXI distinct., cap. *Dictum est* et cap. *Si quis clericus*. Ex quo videtur quod status archidiaconatus, sive curæ parochiæ, vere status est. Sed ingressus religionis non est status, sed potius casus, vel descensus.

Hæc igitur sunt quæ ex eorum scriptis colligi possunt, quamvis non eodem ordine ponantur ibidem.

Et quia supra ostensum est archidiaconos et presbyteros curatos in statu perfectionis non esse, restat videre qualiter ipsas probationes conentur elidere. Dictum est enim supra quod quilibet status perfectionis in Ecclesia, cum aliqua solemni consecratione vel benedictione confertur, quod non fit in commissione parochialis Ecclesiæ vel archidiaconatus.

Quam probationem quidam excludere conantur multipliciter. Primo, quia in consecratione tam episcopi quam sacerdotis, verba sunt communia, ut « Consecrentur et sanctificentur, Domine, manus istæ, » etc.

Item. Si dicatur quod unctio capitis datur episcopo et non sacerdoti, hoc non videtur ad propositum pertinere, quia etiam reges olim in capite ungebantur, qui tamen non possunt sibi statum perfectionis vindicare. Non ergo per hoc potest dici episcopus esse in statu perfectiori supra presbyterum curatum, quia in capite ungitur.

Item. Quia meritum non acquiritur per consecrationem, sed per bona opera mentis. Aliquando enim etiam malus in episcopum consecratur, et in hoc maxime demeretur. Non enim qui major fuerit in honore, justior est, sed qui fuerit justior major est, ut habetur XL dist., cap. *Multi;* et in eadem distinctione dicitur quod « non loca vel ordines Creatori nostro nos proximos faciunt, sed nos aut merita bona ei jungunt aut mala disjungunt; et non sanctorum filii sunt qui tenent loca sanctorum, sed qui exercent opera eorum. » Non ergo propter hoc episcopi sunt in statu magis perfecto quam presbyteri curati, quia majorem consecrationem habent.

Item. Consecratio capitis magis pertinet ad signum et gradum sacerdotii; episcopatus enim non est novus ordo, sed gradus in ordine; alioquin essent plures ordines quam septem. Perfectio autem caritatis pertinet ad meritum sanctitatis, non ad gradum ordinis. Non ergo episcopi, qui per unctionem capitis obtinent majorem gradum sacerdotii, sunt in perfectiori statu.

Item. Episcopus instituit archidiaconum vel plebanum vel curatum, per librum vel per annulum, ut habetur *Extra.,* de sententia et re judicata; velut cum Papa mandat aliquem institui in Ecclesia aliqua in canonicum et in fratrem, seu in plebanum vel curatum, mandat eum institui cum plenitudine honoris, ut habetur *Extra.* de concessione Ecclesiæ, cap. *Proposuit.* Videtur ergo status curatorum et archidiaconorum esse status, ex quo statu quis ejici potest.

CAPUT XIV.

Rationes ad ostendendum quod dimissio curæ non sufficit ad probandum quod presbyteri curati vel archidiaconi non sint in statu perfectionis.

Similiter etiam contra id quod dictum est, quod archidiaconi vel presbyteri curati non sunt in statu perfectionis, quia possunt sine peccato ab hoc recedere, multipliciter objiciunt.

Primo quidem, quia dicunt quod propter hoc curatus presbyter ad religionem transire potest, quamvis status curati sit perfectior et fructuosior, quia status religionis est securior. Et ad hoc probandum inducunt quod dicitur *Extra.*, de renunt., c. *Nisi cum pridem.*

Item. Vir uxorem suam non potest dimittere ea invita, et ad religionem transire, ut dicitur *Extra.,* de conversione conjugatorum, cap. *Uxoratus.* Sed hoc non est ideo quia status conjugii majoris perfectionis sit quam status religionis, vel æquetur ei; sed quia se uxori suæ per matrimonium insolubiliter obligavit. Ergo similiter presbyter curatus, licet possit transire ad religionem, non propter hoc

sequitur quod status religionis sit perfectior, vel æque perfectus. Inducunt etiam ad hoc exemplum David, qui, ut habetur I Reg., XVII, cum non posset pugnare in armis Saulis, quæ requirebant majorem fortitudinem, contulit se ad arma majoris humilitatis, licet minoris roboris vel fortitudinis, scilicet ad fundam et ad lapides, quibus gigantem Philistæum virum ab adolescentia sua bellatorem puer dejecit et prostravit. Potest ergo curator, exemplo David, ad arma majoris humilitatis, scilicet religionis, se transferre, licet esset in statu perfectiori.

Item. Si inseparabilitas esset causa status, sequeretur quod non liceret alicui se transferre de statu in statum. Hoc autem licet. Ergo inseparabilitas non est de ratione status.

Item. Secundum jura scripta prælatus posset curatum sibi subditum de religione ad ecclesiam suam revocare, si sciret eum esse utilem aut proficuum ecclesiæ suæ; imo curatus non debet ecclesiam suam dimittere sine consensu et auctoritate episcopi; quod si fecerit, potest episcopus in eum exercere canonicam ultionem, ut habetur *Extra.*, de renuntiatione, cap. *Amovet;* et de privilegiis et exces. privilegiatorum, can. *Cum et plantare*, § *In ecclesiis;* et VII, quæst. I, cap. *Episcopus de loco.* Sic ergo non videtur verum quod status religionis sit perfectior propter hoc quod curati presbyteri possunt religionem intrare.

Item. Etiam e converso monachus pro necessitate Ecclesiæ et cura animarum potest transire de religione ad ecclesiam sæcularem cum cura, ut habetur XVI, quæst. I, cap. *Vos autem,* et cap. *Monachos.* Nam unius utilitati præferenda est utilitas plurimorum, ut habetur VII, quæst. I, cap. *Scias.*

Item. Non sequitur quod si aliquis cadere potest a perfectione caritatis, quod nunquam fuerit in perfectione caritatis, sed magis e converso quod fuerit. Licet ergo presbyter curatus discedat a suo regimine ex aliqua causa, non sequitur quod non fuerit in statu perfectionis.

Item. Quod majores prælati Ecclesiæ, scilicet episcopi, non possunt transire ad religionem sine licentia Summi Pontificis, hoc est de constitutione Ecclesiæ promulgata tempore Innocentii, sicut patet per illam decretalem *Extra.*, de renuntiatione, can. *Nisi cum pridem.* Ergo ante constitutionem licebat majoribus sicut et minoribus, et tamen majores sunt in perfectiori statu. Non ergo hoc impedit presbyteros curatos esse in perfectiori statu quam religiosos, licet sine licentia Summi Pontificis possint ad religionem transire.

Item. Nullus debet in episcopum eligi, nisi fuerit in sacris ordinibus constitutus, ut habetur LX distinct. *Nullus in episcopum.* Sed in sacris ordinibus constitutus non potest uxorem ducere. Non est ergo verum quod electus possit docere uxorem.

CAPUT XXV.

Solutio rationum præmissarum, in quibus probari videbatur quod curati vel archidiaconi sunt magis in statu perfectionis quam religiosi.

Hæc autem quæ posita sunt, quam sint frivola, derisibilia et in multis erronea, demonstrandum est, singulorum efficaciam diligenter ponderando.

Quod enim primo inducunt quosdam canones ad probandum presbyteros curatos et archidiaconos in statu esse, nihil ad propositum facit. Nam in capitulis inductis nulla fit mentio de statu, sed de gradu. Sic enim habetur LXXXI dist. : « Si quis amodo episcopus, presbyter aut diaconus feminam acceperit, vel acceptam retinuerit, a proprio gradu decidet. » Item XIV, quæst. IV, cap. *Si quis,* dicitur : « Si quis oblitus timorem Domini, et sanctarum Scripturarum, quæ dicunt : Qui pecuniam suam non dedit ad usuram; et post hanc constitutionem magni concilii feneraverit, vel centesimam exegerit, aut ex quolibet negotio inhonesto turpe lucrum quæsierit, aut per diversas species vini vel fragias, vel cujuslibet rei, emendo vel vendendo, aliqua incrementa susceperit, de gradu suo dejectus, alienus habeatur a clero. » Non ergo per hoc probari potest a contrario sensu, quod habeat statum, sed gradum. Et hoc necesse est, quia ubicumque est ordo vel superioritas aliqua, ibi est aliquis gradus.

Quod vero secundo est propositum, quam sit frivolum, quilibet intelligens advertere potest. Nulli enim dubium est statum multipliciter dici. Nam ille qui erigitur, stare dicitur : et magnitudo statum

facit, secundum quod distinguitur status incipientium, proficientium et perfectorum. Stare etiam firmitatem importat, secundum illud Apostoli I Cor., xv, 58 : *Stabiles estote et immobiles, abundantes in omni opere Domini.* Non autem sic loquitur de statu; sed secundum quod dicitur status libertatis vel servitutis, sicut accipitur II, quæst. vi : « Si quando in causa capitali vel causa status interpellatum fuerit, non per exploratores, sed per seipsos est agendum. » Et sic accipiendo statum, illi statum perfectionis accipiunt qui se servos constituunt ad opera perfectionis implenda, ut supra dictum est. Hoc autem non contingit nisi per votum obligationis perpetuæ, quia servitus libertati opponitur. Quamdiu igitur in sua libertate aliquis habet recedere a perfectionis opere, statum perfectionis non habet, sicut et supra ostensum est.

Quod vero tertio propositum fuit, tam frivolum esse videtur, ut responsione non egeat. In hoc enim quod dicitur : *Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur,* nec de perfectione, nec de statu fit mentio. Præesse enim non constituit statum, sed gradum; nec honor debetur soli perfectioni, sed universaliter omnibus qui bene operantur; quod designatur in hoc quod dicitur : *Bene præsunt.* Dicitur enim Rom., ii, 10 : *Gloria, et honor, et pax omni operanti bonum.*

In hoc vero quod quarto propositum est, manifeste falsitas continetur; ubi dicitur quod tempore Hieronymi et Augustini non erat aliud presbyter et episcopus. Hujus enim contrarium expresse dicit Augustinus in *Epistola ad Hieronymum,* dicens : « Quamvis secundum honorum vocabula, quæ jam Ecclesiæ usus obtinuit, episcopatus presbyterio major sit, tamen in multis rebus minor est. » Sed ne aliquis calumnietur hoc circa tempus Hieronymi in usum venisse, ut episcopus presbytero major sit; accipienda est auctoritas Dionysii, qui scripsit ordinem ecclesiasticæ hierarchiæ secundum quod erat in Ecclesia primitiva. Dicit enim in v cap. *Ecclesiasticæ hierarch.,* tres esse ordines ecclesiasticæ hierarchiæ : scilicet episcoporum, presbyterorum et diaconorum. Ubi notandum est quod ordinem diaconorum dicit esse purgativum, ordinem autem sacerdotum illuminativum, ordinem vero episcoporum perfectivum, et, sicut ipse dicit in vi cap. ejusdem libri, his tribus ordinibus tres ordines alii respondent : nam ordini diaconorum subjicitur ordo immundorum qui purgatione indigent; ordini vero presbyterorum subjicitur ordo illuminandorum, scilicet sacer populus, qui a presbyteris illuminatur per sacramentorum susceptionem; ordini vero episcoporum subjicitur ordo perfectorum, scilicet monachorum, qui per eorum traditiones edocetur ad perfectissimam perfectionem sursum actus. Ex quo patet, secundum Dionysium, quod perfectio attribuitur solis episcopis et monachis : episcopis tanquam perfectioribus, monachis autem tanquam perfectis. Sed ne aliquis dicat quod Dionysius tradit ordinem ecclesiasticæ hierarchiæ ab apostolis institutum, cum tamen ex Domini institutione idem essent episcopi et presbyteri, hoc manifeste falsum apparet ex hoc quod dicitur Luc., x, 1 : *Post hæc autem designavit Dominus alios septuaginta duos;* ubi dicit *Glossa :* « Sicut in apostolis est forma episcoporum, sic in septuaginta duobus forma est presbyterorum secundi ordinis. » Et mirum est cum hoc ipsi introducant, qualiter propriam vocem ignorent, statim postmodum asserentes, solum citra tempora Hieronymi episcopos a presbyteris esse distinctos; et si quis ad anteriora tempora progredi voluerit, inveniet etiam in veteri lege distinctos pontifices a minoribus sacerdotibus, inquantum erat sacerdotium illud nostri sacerdotii figurale. Dicitur enim dist. xxi, cap. *De quibus :* « Summi pontifices et minores sacerdotes a Deo sunt instituti per Moysen, qui ex præcepto Domini Aaron in summum pontificem, filios vero ejus unxit in minores sacerdotes. » Ex quo patet quod falsum intellectum concipiunt ex verbis Hieronymi. Non enim intendit Hieronymus dicere quod in primitiva Ecclesia esset idem ordo vel status episcoporum et presbyterorum, sed quod vocabulorum istorum erat promiscuus usus, quia et presbyteri dicebantur episcopi quasi intendentes, et episcopi presbyteri propter dignitatem; unde Isidorus dicit, et habetur dist. xxi, cap. *Cleros,* quod « presbyteri minores, licet sint sacerdotes, tamen pontificatus apicem non habent, quia nec chrismate frontem signant, nec Spiritum paraclytum dant, quod solum deberi episcopis lectio Actuum apostolorum demonstrat; » et concludit : « Unde et apud veteres

idem episcopi et presbyteri fuerunt, quia illud nomen est dignitatis, non ætatis. » Ubi ostenditur differentiam esse in re, sed convenientiam in nomine, propter dignitatem, quam importat nomen presbyteratus. Fuit autem postmodum necessarium ad vitandum schismatis errorem, qui ex indifferentia nominis oriebatur, ut etiam nomina distinguerentur : ut scilicet soli majores presbyteri episcopi dicerentur, minores vero solum presbyteri dicerentur.

Quod vero quinto propositum est, non habet efficaciam. Vita enim contemplativa non solum præfertur activæ, quia est securior, ut proponitur, sed quia est simpliciter melior, secundum quod Dominus dicit Luc., x, 43 : *Optimam partem elegit sibi Maria.* Et quanto contemplatio melior est actione, tanto plus pro Deo videtur facere qui dilectæ contemplationis aliquod detrimentum patitur, ut saluti proximorum propter Deum intendat. Intendere ergo saluti proximorum cum aliquo detrimento contemplationis propter amorem Dei et proximi, ad majorem perfectionem caritatis videtur pertinere quam si aliquis intantum dulcedini contemplationis inhæreret, quod nullo modo eam deserere vellet, etiam propter salutem aliorum, propter quam Apostolus non solum prolongationem præsentis vitæ, sed etiam a contemplationis cœlestis patriæ retardari ad tempus voluit propter proximorum salutem, ut patet per illud quod dicitur Phil., I, 23 : *Coarctor e duobus desiderium habens dissolvi et esse cum Christo, multo enim melius est; permanere autem in carne, necessarium propter vos.* Sed si de perfectione caritatis agitur, quæ in animi præparatione plurimum consistit, ut supra ex verbis Augustini probatum est, multi contemplativam vitam agentes, etiam hanc perfectionem habent, ut cum animo sint parati secundum Dei beneplacitum etiam a dilectæ contemplationis otio suspendi ad tempus, ut proximorum saluti vacent. Quæ tamen perfectio caritatis in plerisque proximorum utilitati vacantibus non invenitur, quos magis contemplativæ vitæ tædium ad exteriora deducit quam in desiderio habeatur, ut sic in eis ad perfectionem dilectionis pertineat quod eam tanquam bonum dilectum ad tempus postponant. Sed quorumdam defectus statui vel officio præjudicium afferre non potest ; hoc enim ipsum quod est aliorum proximorum curam gerere, perfectionis actus censeri debet, cum ad perfectam dilectionem Dei et proximi pertineat.

Sed hic considerandum est quod non quicumque actu habet quod est perfectius, in perfectiori statu constituitur. Nullus enim dubitat quin virginitatem servare ad perfectionem pertineat, quia de hoc Dominus dicit : *Qui potest capere, capiat,* Matth., XIX, 12; et Apostolus dicit I Cor., VII, 25 : *De virginibus præceptum Domini non habeo : consilium autem do.* Sunt autem consilia de operibus perfectionis, et tamen virginitas conservata absque voto, perfectionis statum non habet. Dicit enim Augustinus in libro *De virginibus :* « Neque enim ipsa, scilicet virginitas, quia virginitas est, sed quia Deo dicata est, honoratur; quæ licet in carne servetur, at per hoc etiam virginitas corporis spiritualis est, quam vovet et servat continentia pietatis; » et infra : « Honoratius in animi bonis illa continentia numeranda est qua integritas carnis ipsi Creatori animæ et carnis vovetur, consecratur, servatur. » Manifestum est autem quod archidiaconi et curati presbyteri, etsi curam animarum habeant, non tamen se voto astringunt ad hujusmodi curam habendam; alioquin non possent absque auctoritate ejus qui in voto perpetuo dispensare posset, archidiaconatus parochiæve curam dimittere. Etsi igitur archidiaconus vel presbyter curatus aliquem perfectionis actum exerceat, vel officium accipiat, non tamen perfectionis statum habet. Et si quis recte consideret, hujus perfectionis statum magis habent religiosi, qui ex voto sui ordinis obligantur ad hoc quod episcopis subministrent in his quæ ad curam animarum pertinent, prædicando et audiendo confessiones, quam ipsi archidiaconi curati.

Jam vero quod sexto proponitur, quod augmentum vel perfectio caritatis non potest esse in persona quæ non sit in statu, patet secundum prædicta omnino esse falsum. Sunt enim aliqui in statu perfectionis imperfectam caritatem vel omnino nullam habentes, sicut multi episcopi et religiosi in peccato mortali existentes. Quamvis igitur multi boni curati perfectam caritatem habeant, ut sint parati animam suam ponere pro aliis, non tamen propter hoc sunt in statu perfectionis, quia non desunt multi laici, etiam conjugati, eam-

dem caritatis perfectionem habentes, ut pro salute proximorum parati sint animas ponere, nec tamen in statu perfectionis esse dicuntur.

Quod vero septimo proponitur, septem diaconos ab apostolis institutos perfectionis statum habuisse, hoc nec ex textu nec ex *Glossa* haberi potest. Quod enim eos dicitur fuisse plenos Spiritu sancto et sapientia, ostendit eos gratiæ perfectionem habuisse, quæ potest esse etiam in his qui statum perfectionis non habent. Quod vero in *Glossa* Bedæ dicitur, quod erant sublimioris gradus et proximi circa aram, designat eminentiam gradus vel officii. Aliud autem est esse in gradu, et aliud esse in statu, ut supra jam dictum est. Et tamen verum est illos septem diaconos etiam in statu perfectionis fuisse, illius, inquam, perfectionis de qua Dominus dicit : *Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quæ habes ..., et veni, sequere me;* Matth., XIX, 21. Nam, relictis omnibus, secuti fuerat Christum, nihil proprium possidentes ; sed erant illis omnia communia, ut dicitur Act., IV, a quorum exemplo omnes religiones derivatæ sunt.

Quod vero octavo proponitur, beatos Stephanum, Laurentium et Vincentium archidiaconos in statu perfectionis fuisse, concedimus quidem, sed non propter archidiaconatum, sed propter martyrium, quod omni perfectioni religionis præfertur. Unde dicit Augustinus in lib. *De virginibus :* « Perhibet hujus rei præclarissimum testimonium ecclesiastica auctoritas, in qua fidelibus notum est quo loco martyres, et quo defunctæ sanctimoniales ad altaris sacramenta recitentur. » Sic enim dico et Sebastianum in statu perfectionis fuisse, et Georgium ; nec tamen propter hoc dicemus milites statum perfectionis habere.

Quod autem nono objicitur, quod presbyteri curati et archidiaconi sunt similiores episcopis quam religiosi, verum est quantum ad aliquid, scilicet quantum ad curam subditorum; sed quantum ad perpetuam obligationem, quæ requiritur ad statum perfectionis, similiores sunt episcopo religiosi quam archidiaconi et presbyteri curati, ut ex prædictis patet.

Quod vero decimo proponitur, quod administratio facultatum Ecclesiæ statum perfectionis non minuit, indubitanter concedimus, alioquin in ipsis religionibus prælati et alii officiales temporalia dispensantes a gradu perfectionis deciderent. Sed hoc in eis perfectionis cujusdam statum diminuit, quod propriis non abrenuntiant, sua omnia propter Christum relinquentes ; quinimo Ecclesiarum fructus tanquam proprios lucrifaciunt.

In eo vero quod undecimo proponitur, manifeste inveniuntur desipere, Vigilantii errorem sequentes, contra quem Hieronymus scribens dicit : « Quod autem asserit eos melius facere qui utantur rebus suis, et paulatim fructus possessionum pauperibus dividant, quam illos qui possessionibus venumdatis semel omnia largiuntur, non a me ei, sed a Domino respondebitur : *Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et veni, sequere me.* Ad eum loquitur qui vult perfectus esse, qui cum apostolis patrem, naviculam, et rete dimittit. Iste quem tu laudas, secundus aut tertius gradus est. » Non ergo propter hoc archidiaconi, vel presbyteri curati sunt perfectiores, quia servant hospitalitatem, quam monachi, qui proprium non habentes, eam servare non possunt.

Quod vero duodecimo proponitur, quod nullum sacrificium est Deo magis acceptum quam zelus animarum, absque dubitatione concedimus. Sed animarum hic ordo servandus est, ut primo homo zelum animæ suæ habeat, eam ab omni affectu terrenorum absolvens, secundum illud Sapientis Eccl., XXX, 24 : *Miserere animæ tuæ, placens Deo,* ut patet per Augustinum, XXI *De civit. Dei.* Sic ergo si aliquis post contemptum terrenorum et suiipsius in hoc procedat ulterius ut etiam aliarum animarum zelum habeat, erit perfectius sacrificium. Sed tunc perfectissimum est quando ad zelum animarum habendum voto seu professione obligatur, sicut episcopus, vel etiam religiosi ad hoc per votum obligati.

Quod vero tertio decimo proponitur quod sicut patriarcha præsidet in suo patriarchatu, et episcopus in suo episcopatu, ita archidiaconus in suo archidiaconatu, et presbyter curatus in sua parochia, est manifeste falsum. Nam episcopi principaliter curam habent omnium suæ diœcesis ; presbyteri autem curati, vel etiam archidiaconi, habent aliquas administrationes sub episcopis, sic enim se habent ad episcopum sicut balivi vel præpositi ad regem; unde super illud I Cor., XII, 28 : *Alii opitulationes, alii*

gubernationes, dicit *Glossa :* « *Opitulationes,* id est eos qui majoribus ferunt opes, ut Titus Apostolo, vel archidiaconi episcopis; *gubernationes,* scilicet minorum personarum prælationes, ut sunt presbyteri qui documento sunt. » Unde et hoc ipsum ostenditur in ordinatione sacerdotum, de quibus episcopus dicit : « Quanto fragiliores sumus, » scilicet apostolis, « tanto magis his auxiliis indigemus. » Unde XVI, quæst. I, c. *Cunctis,* dicitur : « Omnibus presbyteris, diaconibus et reliquis clericis attendendum est ut nihil absque proprii episcopi licentia agant. Non utique missas sine suo jussu quisquam presbyterorum in sua parochia agat, non baptizet, nec quidquam absque ejus permissu faciat, » et similiter LXXX dist., cap *Non debere,* « presbyteri nihil sine præcepto et consilio episcopi agant. »

Quod vero quarto decimo proponitur de clericis qui propter enormia delicta in monasterio retruduntur, satis eorum animum et intentionem declarat. Nam, sicut Gregorius dicit X *Moral.,* « pravi cum recta prædicant, valde difficile est ut ad hoc quod taciti ambiunt, non erumpant. » Arbitrantur enim clericos esse in statu perfectionis, non tamen monachos, propter pœnitentiæ altitudinem, quam monachi voluntarie suscipiunt innocentes, ad quam coguntur clerici delinquentes. Qui quidem status tanto est apud Deum altior, quanto in mundo fuerit abjectior; secundum illud Luc., XIV, 11 : *Qui se humiliat, exaltabitur;* et Jacob., II, 5, dicitur : *Elegit Deus pauperes in hoc mundo, divites in fide, et hæredes regni.* Sed mundanam gloriam ambientes, illa stare reputant quæ ad gloriam pertinent, atque illa esse dejecta quæ videntur humilia.

CAPUT XXVI.

Solutio rationum quæ inducebantur ad probandum quare defectus solemnis benedictionis vel consecrationis non derogat statui perfectionis presbyteri curati vel archidiaconi.

Ostenso igitur quam frivolæ sunt rationes quas inducunt ad ostendendum quod archidiaconi et presbyteri curati sunt in statu perfectiori quam religiosi, ostendendum est quam frivolum sit quod objiciunt contra hoc quod dictum est, quod in statu perfectionis quis ponitur per solemnem benedictionem aut consecrationem.

Ubi primum considerandum est quod solemnis consecratio aut benedictio non est causa quod homo sit in statu perfectionis, sed inducitur quasi signum. Non enim adhibetur nisi illis qui in aliquo statu ponuntur; non quidem semper in statu perfectionis existentibus, sed statum quemcumque adipiscentibus. Hi enim qui matrimonio junguntur, in statu aliquo ponuntur, quia ex tunc vir non habet potestatem sui corporis, similiter neque mulier, ut dicitur I Corinth., VII; est enim in matrimonio perpetua obligatio unius ad alterum, ad quam significandam ab Ecclesia solemnis benedictio nuptiarum exhibetur; non tamen in statu perfectionis ponitur, sed in statu matrimonii. Unde et his qui in statu perfectionis ponuntur, in signum perpetuæ obligationis, solemnis benedictio aut consecratio exhibetur; sicut etiam cum civiliter aliquis statum mutat, sicut cum servus manumittitur, aliqua civilis solemnitas exhibetur. Hoc autem non frivole dicitur, sed auctoritate Dionysii confirmatur, qui dicit, VI cap. *Eccles. hierarch.,* quod « divini duces nostri, » scilicet apostoli, « nominationibus sanctis ipsos dignati sunt, » scilicet qui sunt in statu perfectorum, « alii quidem famulos, alii autem ipsos monachos nominantes ex Dei puro servitio et famulatu, et indivisibili et singulari vita, tanquam unientes ipsos indivisibilium sanctis convolutionibus ad deiformem unitatem, et amabilem Deo perfectionem. Propter quod et perfectam ipsis donavit gratiam sancta legislatio, et quadam ipsos dignata est sanctificativa invocatione. » Ubi expresse habetur quod quia monachi perfectionis statum assumunt, ideo eis solemnis benedictio secundum traditiones apostolorum datur.

Quod ergo primo proponitur, quod in consecratione tam episcopi quam sacerdotis verba communia proferuntur, sicut hæc, « consecrentur et sanctificentur manus istæ, » etc., non facit ad propositum; non enim nunc agimus de sacerdote inquantum sacerdos est, sic enim in statu ponitur per solemnem consecrationem; non quidem in statu perfectionis activo vel passivo, sed in statu illuminativo, secundum Dionysium, scilicet inquantum curam accipit; tunc enim ei nulla solemnis benedictio adhibetur; unde tunc nullum statum

suscipit; sed fit ei quædam officii commissio. Episcopus autem ad ipsam curam pastoralem consecratur propter perpetuam obligationem qua se ad pastoralem curam obligat, sicut ex supra dictis apparet.

Quod vero secundo proponitur, dicendum quod unctio capitis quæ regibus exhibebatur, signum erat status habentis principalem curam regni; alii autem qui sunt officiales in regno, tanquam non habentes perfectam regiminis rationem, non ungebantur. Ita etiam in regno Ecclesiæ episcopus ungitur tanquam principaliter habens curam regiminis; archidiaconi vero et presbyteri curati non unguntur in susceptione curæ, quia non suscipiunt principaliter curam, sed quamdam subministrationem sub episcopali regimine, sicut balivi vel præpositi sub rege. Nec propter hoc sequitur quod rex habeat statum perfectionis, quia cura ejus se extendit ad temporalia, non ad spiritualia, sicut cura episcopalis. Caritas autem, in qua perfectio consistit, per se respicit spirituale bonum; unde et cura spiritualis ad perfectionem pertinet, non autem cura temporalis, licet ex perfecta caritate possit exerceri.

Quod vero tertio proponitur, longe est a proposito, non enim nunc agimus de perfectione meriti quod potest esse interdum perfectius non solum in curato presbytero quam episcopo vel religioso, sed etiam in laico conjugato, sed loquimur de perfectionis statu; unde etiam in hoc videtur objiciens suam vocem ignorare. Nam secundum quod objicit, nec etiam ipsi episcopi essent in majori statu quam religiosi, cum interdum sint minoris meriti.

Quod vero quarto proponitur quod episcopatus non est ordo, hoc manifeste continet falsitatem, si absolute intelligatur. Expresse enim dicit Dionysius esse tres ordines ecclesiasticæ hierarchiæ, scilicet episcoporum, presbyterorum et diaconorum, et XXI dist., cap. *Cleros,* habetur quod ordo episcoporum quadripartitus est. Habet enim ordinem episcopus per comparationem ad corpus Christi mysticum, quod est Ecclesia, super quam principalem accipit curam et quasi regalem. Sed quantum ad corpus Christi verum, quod in sacramento continetur, non habet ordinem supra presbyterum. Quod autem habeat aliquem ordinem et non jurisdictionem solam, sicut archidiaconus vel curatus presbyter, patet ex hoc quod episcopus potest multa facere quæ non potest committere; sicut confirmare, ordinare et consecrare basilicas, et hujusmodi; quæ vero jurisdictionis sunt, potest aliis committere. Idem etiam patet ex hoc quod si episcopus depositus restituatur, non iterum consecratur tanquam potestate ordinis remanente, sicut et in aliis contingit ordinibus.

Quod vero quinto proponitur quod solemniter instituitur archidiaconus vel plebanus, quia investitur per annulum vel aliquid hujusmodi, omnino ridiculosum est. Ista enim solemnitas est magis similis civilibus solemnitatibus (secundum quas aliqui investiuntur de feudo per baculum vel per annulum) quam solemnitatibus Ecclesiæ, quæ in quadam consecratione vel benedictione consistunt.

CAPUT XXVII.

Solutio rationum quæ inducebantur ad probandum quod non derogat statui perfectionis presbyteri vel archidiaconi quod curam dimittere possunt.

Nunc ostendendum est tertio quomodo sit frivolum id quod objicitur contra id quod dictum est quod presbyteri vel archidiaconi possunt dimittere curam, non autem episcopus episcopatum, vel religiosus religionem.

Circa quod primo considerandum est quod quicumque a perfectiori statu transit ad statum qui non est perfectionis, censetur apostata, secundum illud Apostoli I Tim., v, 11, de viduis cum luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volentibus: *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt;* ubi dicit *Glossa* quod in hoc damnatur propositi fraus, damnatur fracti voti fides, damnantur tales qui continentiæ primam fidem irritam fecere, et omnes hujusmodi sunt similes uxori Lot, quæ retro respexit; et hoc est apostatare. Unde si archidiaconi vel plebani in statu perfectionis essent, dimittentes archidiaconatum vel parochiæ curam, damnarentur, cum apostatæ essent.

Quod vero primo proponitur quod archidiaconi vel plebani possunt transire ad religionem, non propter hoc quod status religionis sit perfectior, sed quia securior, patet expresse falsum esse. Dicitur enim

XIX, quæst. I : « Clerici qui monachorum propositum appetunt, quia meliorem vitam sequi cupiunt, liberos eis ab episcopis in monasteria largiri oportet ingressus. » Ex quo habetur quod ideo licet eis transire, quia melius est, et non solum quia securius. Et præterea archidiaconi et habentes curam parochiæ, non solum possunt, cura archidiaconatus et parochiæ dimissa, religionem intrare, sed etiam in sæculo remanere, sicut patet de illis qui dimittunt parochiam, et accipiunt præbendam in ecclesia cathedrali. Possunt etiam conjugem accipere, si non fuerint in sacris ordinibus constituti. Ex quibus omnibus patet quod statum perfectionis non habent.

Quod vero secundo proponitur, quod religiosus non est propter hoc perfectioris status, quia non potest religionem dimittere, quia etiam ille qui est uxoratus, non potest uxorem dimittere, qui tamen non est in statu perfectionis, ex prædictis patet omnino frivolum esse. Uterque enim status, scilicet religionis et matrimonii, aliquid simile habet, scilicet perpetuam obligationem; et ideo uterque status est quasi alicujus servitutis. Sed obligatio matrimonii non est ad opus perfectionis, sed ad reddendum carnale debitum; et ideo est quidem status, sed non perfectionis. Status autem religionis habet obligationem ad opera perfectionis, quæ sunt paupertas, continentia et obedientia; et ideo est status perfectionis.

Quod vero tertio proponitur, quod propter humilitatem et infirmitatem virium potest aliquis a perfectiori statu discedere ad minorem, sicut David dimissis armis Saulis, accepit fundam et lapidem, secundum aliquid verum est, et secundum aliquid falsum est. Potest enim aliquis propter infirmitatem ab altiori religione ad minorem transire, non tamen sine dispensatione. A religione vero ad statum sæcularem etiam presbyteri curati vel archidiaconi transire non possunt; nullo enim modo in hoc dispensat Ecclesia. Ex quo manifeste apparet quod multo plus excedit status religionis cujuscumque statum archidiaconi vel plebani (si tamen status dicendus est) quam status altissimæ religionis cujuscumque infimæ.

Quod vero quarto proponitur, quod si immutabilitas esset de ratione status, nunquam liceret de statu ad statum transire, omnino frivolum est. Licet enim transire ad statum majorem, non tamen ad minorem, sicut habetur *Extra.*, de regularibus. In majori enim intelligitur esse etiam id quod est minus, sed non e converso; et qui obligat se ad dandum aliquid minus, non reputatur reus, si dederit majus.

Quod vero quinto proponitur, quod prælatus potest curatum sibi subditum de religione ad ecclesiam suam revocare, est omnino falsum et sacris canonibus contrarium. Dicitur enim *Extra.*, de renuntiatione, cap. *Admonet :* « Universis presbyteris tui episcopatus sub districtione prohibeas ne ecclesias tuæ diœcesis ad ordinationem tuam pertinentes absque tuo assensu intrare audeant, aut detinere aut dimittere te inconsulto. Quod si quis contra prohibitionem tuam venire præsumpserit, in eum canonicam exerceas ultionem. » Et de privileg. *Cum et plantare,* § *In ecclesiis,* dicitur, quod « religiosi in ecclesiis suis, quæ ad ipsos pleno jure non pertinent, instituendos presbyteros episcopis repræsentent, ut eis de plebis cura respondeant, ipsis vero pro rebus temporalibus rationem exhibeant competentem; institutos etiam inconsultis episcopis non audeant removere. » Ex quibus non plus habetur nisi quod presbyteri curati non possunt dimittere Ecclesias episcopo inconsulto, et si dimiserint, puniri possunt. Sed hoc generale imprudenter applicant ad hoc speciale, ut non possint sine licentia episcopi dimissa cura religionem intrare. Dicitur enim expresse XIX, quæst. I, cap. *Duæ,* quod, etiam contradicente episcopo, possunt clerici sæculares ecclesiis suis dimissis religionem intrare. Quod vero habetur VII, quæst. I : *Episcopus de loco,* etc., manifeste dicitur de transitu ad aliam ecclesiam, non autem de transitu ad religionem.

Quod vero sexto objicitur, quod monachi etiam possunt transire de religione ad ecclesiam sæcularem cum cura, uon est simile, quia non transeunt statu religionis dimisso. Dicitur enim XVI, quæst. I, de monachis : « Qui diu morantes in monasteriis, si postea ad clericatus ordines pervenerint, statuimus non debere eos a priori proposito discedere. » Sed archidiaconus vel curatus dimissa cura potest religionem intrare tanquam transiens de statu imperfectiori ad perfectiorem, spiritu Dei ductus, ut habetur XIX, quæst. I, *Duæ.*

Quod vero septimo proponitur, quod aliquis qui fuit in caritate, potest recedere a caritate, igitur non sequitur quod qui recedit a statu perfectionis, non fuerit in statu perfectionis, tam frivolum est, ut responsione non indigeat. A caritate enim nullus discedit nisi peccando, et similiter a statu perfectionis aliquis peccando recedit; quia sicut ad caritatis dilectionem aliquis obligatur ex lege communi, ita ad statum perfectionis aliquis obligatur ex voto speciali.

Quod vero octavo proponitur, quod episcopi non possint transire ad religionem sine licentia Papæ, hoc est ex constitutione Ecclesiæ, patet esse falsum; imo est ex ipsa obligatione qua se episcopi obligant ad perpetuam curam plebis habendam; unde Apostolus dicit I Cor., IX, 16 : *Necessitas mihi incumbit; væ enim mihi est, si non evangelizavero*. Et causam necessitatis subdit, dicens : *Cum liber essem ex omnibus, omnium me servum feci,* scilicet per perpetuam obligationem. Unde et in *Decretal.*, non inducitur quasi statutum, sed quasi ratione probatum.

Quod vero nono proponitur, nullam efficaciam habet. Certum est enim quod de jure communi non debet aliquis eligi ad episcopatum, nec debet suscipere archidiaconatum vel parochiæ curam, nisi sit in sacris ordinibus constitutus secundum ecclesiastica statuta. Sed in his Papa potest dispensare, et aliquando dispensat; et tunc habentes curam archidiaconatus vel parochiæ, vel etiam si in episcopos sint electi, possunt relicta cura contrahere matrimonium, ita quod non dirimitur jam contractum; quod de religiosis dici non potest.

CAPUT XXVIII.

Quæ opera ad religiosos pertinere possunt.

Restat igitur dicendum quæ opera ad eos pertineant qui in religionis statu sunt. Sed quia de his plene alibi tractavimus, sufficit hic propter calumniatores pauca quædam inserere.

Inducunt enim verbum Hieronymi, quod habetur in *Decretis,* dist. LXV, cap. *Olim :* « Antequam diaboli instinctu studia in religione fierint; ubi miror, si hoc introducant, quasi religiosi studere non debeant, cum studium, et sacræ Scripturæ præcipue, ad eos maxime pertineat qui vitam contemplativam elegerunt; præsertim cum Augustinus dicat XIX *De civ. Dei,* quod « a studio cognoscendæ veritatis nemo prohibetur, quod ad laudabile pertinet otium. » Si enim hoc intenderent per hæc verba Hieronymi probare, convincerentur per id quod sequitur in eodem capite : « Et diceretur in populis : Ego sum Pauli, ego sum Apollo. » Unde manifestum est hunc esse intellectum verbi præmissi. « Antequam diaboli instinctu studia, » id est depressiones, « in religione, » scilicet christiana, « fierent. »

Item inducunt quod potestas ligandi atque solvendi quantum ad executionem vel executionis rationem sacerdotibus religiosis non tribuitur. Miror autem ad quid tendant. Si enim sic intelligunt quod monachi non habent[1] ex hoc ipso quod ordinantur in sacerdotes, executionem clavium; verum est quidem, sed hoc idem de sæcularibus dici potest; non enim ex hoc ipso quod sæcularis ordinatur in sacerdotem, suscipit executionem clavium, sed ex hoc quod aliquam suscipit curam. Si vero intendunt quod ex hoc ipso quod est religiosus, non possit habere executionem clavium; manifeste falsum est, et contra id quod dicitur XVI, quæst. I : « Sunt nonnulli nullo dogmate fulti, audacissimo quidem zelo magis amaritudinis quam dilectionis inflammati, asserentes monachos, quia mundo mortui sunt et Deo vivunt, sacerdotalis officii potentia indignos; neque pœnitentiam neque christianitatem largiri, nec absolvere posse per sacerdotalis officii divinitus sibi injunctam potestatem. Sed omnino labuntur. Neque enim beatus Benedictus, monachorum præceptor almificus, hujusmodi rei aliquo modo extitit interdictor. » In quo etiam notandum est id solum religiosis esse illicitum quod eis est secundum statuta suæ regulæ interdictum.

Item inducunt quod habetur XVI, q. I : Monachus non doctoris, sed plangentis habet officium. Quod si ideo inducunt ut probent quod non convenit monacho, ex hoc quod est monachus, quod sit doctor, verum est; alioquin omnis monachus doc-

[1] Al. : « si habent. »

tor esset. Si vero intelligant quod monachus habet aliquid repugnans doctoris officio, manifeste falsum est; quinimo convenientissimum est religiosis docere, præcipuæ sacram Scripturam; unde super illud Joan., IV : *Reliquit ergo mulier hydriam,* etc., *Glossa* dicit, et est Augustini : « Hinc discant evangelizaturi prius deponere curam et onus sæculi; unde et Dominus illis universalis doctrinæ commisit officium qui eum fuerant omnibus relictis secuti, dicens Matth., ult., discipulis suis : *Euntes docete omnes gentes.*

Et similis responsio est ad omnia similia, sicut ad illud : « Alia est causa clerici, alia monachi. Clericus, » scilicet habens curam, « dicit : Ego pasco; monachus : Ego pascor. » Et iterum : « Monachus sedeat solitarius, et taceat. » Per hæc enim et similia, declaratur quid monacho conveniat ex hoc quod est monachus; non autem per hæc ei interdicitur alia majora assumere, si ei fuerint commissa; sicut clericus non potest excommunicare ex hoc quod est clericus; potest tamen, si hoc ei ab episcopo committatur.

Item quod inducunt non amplius quam duos esse ordines a Domino institutos, scilicet duodecim apostolorum, quorum formam tenent episcopi, et septuaginta duorum discipulorum, quorum formam tenent curati presbyteri; si ad hoc inducitur quod religiosi non habent ordinariam curam, si non fuerint vel episcopi vel curati, nullus potest negare. Si autem hoc intendant quod religiosi non possunt prædicare vel confessiones audire ex superiorum prælatorum commissione, patet hoc esse falsum : quia quanto quis est celsior, tanto et illis erit potentior, ut habetur XVI, quæst. I : *Sunt nonnulli.* Unde si sæculares sacerdotes non curati possunt hujusmodi facere ex commissione prælatorum, multo magis hoc possunt religiosi, si eis committatur.

Hæc respondenda occurrunt his qui perfectioni religionis derogare videntur vel nituntur, a contumeliis abstinendo, quia, sicut scriptum est Prov., X, 18 : *Qui profert contumeliam, insipiens est;* et XX, 3 : *Omnes stulti miscentur contumeliis.*

Si quidam vero contra hæc scribere voluerint, mihi acceptissimum erit. Nullo enim modo melius quam contradicentibus resistendo, aperitur veritas et falsitas confutatur, secundum illud Salomonis (Proverb., XXVII, 17) : *Ferrum ferro acuitur, et homo exacuit faciem amici sui.* Ipse[1] autem Deus judicet inter nos et eos, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Hæc ultima verba desiderantur in cod. 15813. Utrum autem etiam omissa fuerant in cod. 15812, nescimus; mutilus enim est codex ille post hæc verba : « Si autem hoc intendant, quod religiosi non possunt prædicare vel confessiones audire. »

OPUSCULUM III.

CONTRA

PESTIFERAM DOCTRINAM RETRAHENTIUM HOMINES

A RELIGIONIS INGRESSU[1].

(EDIT. ROM. XVII.)

CAPUT I.

Auctoris intentio.

Christianæ religionis propositum in hoc præcipue videtur consistere, ut a terrenis homines abstrahat[2], et spiritualibus faciat esse intentos. Hinc est quod auctor fidei et consummator Jesus, in hunc mundum veniens, sæcularium rerum contemptum et facto et verbo suis fidelibus demonstravit. Facto siquidem : quia, sicut dicit Augustinus in lib. *De catechizandis rudibus,* omnia bona terrena contempsit homo factus Dominus Jesus, ut contemnenda monstraret, et omnia terrena mala sustinuit quæ sustinenda præcipiebat, ut neque in illis quæreretur felicitas, neque in istis infelicitas timeretur. Natus enim de matre, quæ quamvis a viro intacta conceperit, semperque intacta permanserit, tamen fabro desponsata erat, omnem typum carnalis nobilitatis[3] extinxit. Natus in civitate Bethlehem, quæ inter omnes Judæ civitates erat exigua, noluit quemquam terrenæ civitatis sublimitate gloriari. Pauper factus est, cujus sunt omnia, et per quem facta sunt omnia : ne quisquam cum in eum crederet, de terrenis divitiis auderet extolli. Noluit rex ab hominibus fieri, quia humilitatis ostendebat viam. Esurivit qui omnes pascit; sitivit per quem omnis potus creatur; ab itinere fatigatus est qui seipsum nobis viam fecit in cœlum ; crucifixus est qui cruciatus nostros finivit; mortuus est qui mortuos suscitavit. Hoc idem in verbis ostendit, nam in suæ prædicationis exordio non aliqua regna terrena, sicut in Veteri Testamento, sed regnum cœlorum pœnitentibus repromisit. Discipulis primam beatitudinem in spiritus paupertate constituit, in qua etiam perfectionis iter esse monstravit, dicens quærenti juveni (Matth., XIX, 21) : *Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et veni, sequere me.* Hanc viam ejus discipuli sunt secuti, tanquam temporaliter nihil habentes, sed spirituali virtute omnia possidentes. Habentes enim alimenta et quibus tegebantur, his erant contenti. Hoc autem tam pium tamque salubre studium diabolus, humanæ salutis æmulus, per homines carnales inimicos crucis Christi, terrena sapientes, ab antiquis temporibus impedire non cessat. Dicit enim Augustinus in lib. *De agone christiano :* « Masculi et feminæ, et omnis ætas, et omnis sæculi dignitas, ad speciem vitæ æternæ commutata est. Alii neglectis temporalibus bonis, convolant ad divina; alii

[1] Cod. reg. 15960 quoddam opusculum characteribus XIII sæculi exaratum continet, cui titulus : *Responsio ad quæstionem fratris Thomæ de Alquino.* — Nil aliud est opusculum istud quam elucubratio cujusdam Nicolaï Lexoviensis thesaurarii, in qua confutare præsumit insigne D. Thomæ opus *Contra pestiferam doctrinam retrahentium homines a religionis ingressu.*

[2] Cod. Victor. : « revocet. » — [3] Cod. Victor. : « nobilitatis. »

cedunt eorum virtutibus qui hæc faciunt, et laudant quod imitari non audent. Pauci autem adhuc murmurant, et inani livore torquentur, aut qui sua quærunt in Ecclesia quamvis catholici videantur, aut ex ipso Christi nomine gloriam quærentes hæretici. » Ex horum siquidem numero insurrexerunt ab olim diversis quidem locis, sed pari vesania, Jovinianus Romæ, Vigilantius in Gallia, quæ antea errorum monstris caruerat[1], quorum primus virginitati matrimonium, secundus paupertati divitum statum præsumpserunt æquare manifesta perfidia; evangelica et apostolica consilia, quantum in ipsis est, reddentes inania. Si enim divitiæ paupertati, virginitati matrimonium comparantur ex æquo, frustra vel Dominus de paupertate servanda, vel ejus Apostolus de virginitate custodienda dedit consilium. Unde insignis doctor Hieronymus utrumque eorum efficaciter confutavit. Sed, sicut in Apocalypsi legitur, unum de capitibus bestiæ, quod quasi occisum fuerat, a plaga suæ mortis curatur. Insurgunt enim iterato in Gallia novi Vigilantii, a consiliorum observantia multipliciter et astute homines retrahentes. Primo namque proponunt nullos consiliorum observantiam per religionis introitum debere assumere, nisi prius in mandatorum observantia exercitos ; per quorum dictum et pueris et peccatoribus, et noviter conversis ad fidem, arripiendæ perfectionis via præcluditur. Addunt insuper, quod consiliorum viam nullus debeat assumere, nisi prius multorum consilio requisito. Per quod quantum impedimentum assumendæ perfectioni paretur hominibus, nullus sanæ mentis ignorat ; dum carnalium hominum consilia, quorum major est numerus, facilius a spiritualibus homines retrahunt quam inducant. Conantur insuper impedire obligationem hominum ad religionis ingressum, per quam firmatur animus ad perfectionis viam assumendam. Demum paupertatis perfectioni derogare multipliciter non verentur.

Horum autem conatum nefarium præfiguravit Pharao, qui, ut legitur Exod., v, 4, objurgans Moysen et Aaron volentes populum Dei de Ægypto educere : *Quare*, inquit, *Moyses et Aaron, sollicitatis populum ab operibus suis?* Ubi dicit *Glossa* Origenis : « Hodie quoque si Moyses et Aaron, id est propheticus et sacerdotalis sermo, animam sollicitet ad servitium Dei, exire de sæculo, renuntiare omnibus quæ possidet, attendere legi et verbo Dei ; continuo audies unanimes et amicos Pharaonis dicentes : Videte quomodo seducuntur homines et pervertuntur adolescentes. » Et postea subdit : « Hæc erant tunc verba Pharaonis, hæc nunc amici ejus loquuntur. » Hæc igitur sunt eorum consilia quibus impedire conantur tendentium ad perfectionem profectum. Sed secundum Salomonis sententiam, non est consilium contra Dominum : de cujus confisi auxilio, spiritualibus armis, quæ sunt potentia Deo, prædicta consilia nitemur destruere, et præsumptionis altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei.

De singulis igitur præmissorum hoc ordine prosequemur : ut primo ponamus ea quibus suam intentionem fundare nituntur ; post hæc ostendere conabimur secundum quid et quomodo singulum prædictorum repugnat veritati, quæ secundum pietatem est ; deinde ostendemus ea quibus utuntur ad suæ opinionis assertionem inania et frivola esse.

CAPUT II.

Rationes quibus astruere quidam nituntur non deberi aliquos ad religionem admitti antequam fuerint in præceptis exercitati.

Nituntur autem ostendere multipliciter quod consiliorum viam non debent arripere, nisi prius fuerint in observantia mandatorum exercitati. Salvator enim noster, ubi consilium de paupertate sectanda dedit, primo adolescenti proposuit, ut si vellet vitam ingredi, servaret mandata ; et tunc profitenti se a juventute mandata servasse, consilium sectandæ[2] paupertatis dedit. Videtur igitur quod observantia mandatorum viam consiliorum præcedere debeat.

Item inducunt quod Matth., ult., super illud : *Docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis,* dicit *Glossa* Bedæ : « Congruus ordo. Primo enim docendus est auditor, deinde fidei sacramentis im-

[1] Parm. : « caruerant. » — [2] Parm. : « servandæ. »

buendus, tunc ad servanda mandata instruendus. » Ex quo volunt accipere quod observantia mandatorum præcedere debeat consiliorum assumptionem.

Adhuc. In Psalm. CXVIII, 104, legitur : *A mandatis tuis intellexi,* ubi dicit *Glossa :* « Non mandata ipsa dico me intellexisse, sed *a mandatis :* quia ea faciendo venit iste ad latitudinem[1] sapientiæ. » Ex quo etiam idem quod prius volunt concludere.

Item inducunt quod alibi, in Psalm. CXXX, super illud : *Sicut ablactatus est super matre sua,* dicit *Glossa :* « Sicut quinque tempora notantur in carnali procreatione et alitione[2], ita et in spirituali. Prius enim concipimur in utero; deinde ibidem alimur, donec in lucem edamur; deinde manibus matris gestamur et lacte nutrimur quousque ablactati ad mensam patris accedamus. » Et postea subdit : « Hæc quinque tempora sancta servat Ecclesia. » In quarta enim feria quartæ hebdomadæ quasi Ecclesiæ infantia concipitur; tunc enim per exorcismum et catechismum rudimentis christianitatis imbuuntur. Deinde quasi in utero Ecclesiæ aluntur usque ad sabbatum sanctum, in quo per baptismum ad lucem generantur. Deinde quasi manibus Ecclesiæ gestantur, et lacte nutriuntur usque ad Pentecosten; quo tempore nulla difficilia inducuntur, non media nocte surgitur, non jejunatur. Postea Spiritu paraclyto confirmati, quasi ablactati incipiunt jejunare, et alia difficilia servare. Multi vero hunc ordinem pervertunt, ut hæretici et schismatici, se ante tempus a lacte separantes, unde extinguuntur. Cum ergo observatio consiliorum sit difficilior quam observatio mandatorum, videtur perversus esse ordo, et ad hæresim vel schisma pertinere quod aliquis accedat ad observandum consilia prius in præceptis observandis non exercitatus.

Hoc etiam idem probare nituntur per ordinem miraculorum, quibus Salvator turbas pavit. Primo enim, ut legitur Matth., XIV, satiavit quinque millia hominum ex quinque panibus et duobus piscibus. Postea vero satiavit quatuor millia hominum de septem panibus et paucis[3] pisciculis, ut habetur Matth., XV. Significantur autem per quinque millia hi qui in sæculari habitu exterioribus uti recte noverunt. Nam qui mundo integre renuntiant, quatuor millia sunt, et septem panibus, id est evangelica perfectione sublimes, et spirituali gratia reficiuntur. Ex quo volunt accipere quod prius debent aliqui nutriri in observantia mandatorum, et postmodum perduci ad perfectionem consiliorum.

Item inducunt quod Hieronymus dicit *Super Matth.,* in principio : « Quatuor, inquit, sunt qualitates de quibus sancta Evangelia contexuntur : præcepta, mandata, testimonia, exempla. In præceptis justitia, in mandatis caritas, in testimoniis fides, in exemplis perfectio. » Volunt igitur concludere quod a justitia præceptorum sit procedendum ad perfectionem exemplorum, quæ in consiliis videtur consistere.

Inducunt etiam quod Gregorius dicit in VI *Moralium :* « Post Liæ amplexus ad Rachelem Jacob pervenit : quia perfectus quisque ad fecunditatem activæ vitæ ante jungitur, et post ad requiem contemplativæ copulatur. » Status autem religionis, qui consiliorum observantiam profitetur, pertinet ad vitam contemplativam; præcepta autem dirigunt nos ad vitam activam : quia Matthæi, XIX, ubi enumerantur præcepta legis, dicit *Glossa :* « Ecce vita activa; » ubi autem postea subjicitur : *Si vis perfectus esse,* etc., dicit *Glossa :* « Ecce vita contemplativa. » Non videtur ergo esse transeundum ad religionis statum, nisi prius aliquis fuerit in vita activa exercitatus per observantiam præceptorum.

Assumunt etiam quod Gregorius dicit *Super Ezech. :* « Nemo repente fit summus; sed in bona conversione a minimis quis inchoat, ut ad magna perveniat. » Minima autem videntur esse præcepta Decalogi; magna autem videntur esse consilia, quæ pertinent ad perfectionem vitæ. Dicit enim Augustinus in lib. *De sermone Domini in monte :* « Illa quæ præcepta sunt in lege, dicuntur minima; quæ autem Christus dicturus est, sunt maxima. » Nullus ergo debet ad observantiam majorum, id est consiliorum, accedere, nisi prius in minoribus, hoc est in præceptis, exercitatus.

Item. Gregorius dicit, et habetur in *Decretis,* dist. XLVIII, cap. *Sicut :* « Scimus

[1] Parm. : « altitudinem. » — [2] Cod. Vict. : « ablactatione. » — [3] Parm. : « septem. »

quod ædificati parietes non prius tignorum pondus accipiunt, nisi a novitatis suæ humore siccentur; ne si ante pondera quam solidentur, accipiant, cunctam simul ad terram fabricam deponant. » Ibidem etiam habetur ex dictis Gregorii : « Casum appetit qui ad summi loci fastigia postpositis gradibus per abrupta quærit ascensum. » Unde concludunt periculosum esse quod aliquis summam perfectionem consiliorum attingere præsumat, nisi prius in minoribus, hoc est in mandatis, fuerit exercitatus.

Adjiciunt etiam quod naturæ ordine mandata præcedunt consilia, utpote magis communia, a quibus non convertitur consequentia essendi. Possunt enim præcepta sine consiliis observari, consilia vero sine præceptis nequaquam. Unde inordinatum esse concludunt ad consilia tendere, non præmisso exercitio mandatorum.

Addunt etiam quod si consilia præcepta præcederent, salus esse non posset his qui consilia non observant, quia secundum hoc nec præcepta observare valerent.

Hæc igitur sunt quibus maxime utuntur ad ostendendum quod statum perfectionis per religionis ingressum assumere non debent nisi qui sunt in observantia mandatorum exercitati.

CAPUT III.

Quod prædicta assertio locum non habet in pueris.

Et quia præsens questio ad mores pertinet, in quibus præcipue considerandum est, utrum quod dicitur, operibus congruat; ostendamus primo, hoc quod asserere nituntur, a rectis operibus discordare.

Sunt autem tria genera hominum, qui præceptorum exercitationem non habent. Primo quidem pueri, qui propter defectum temporis mandatorum exercitium non potuerunt habere. Secundo sunt nuper ad fidem conversi, antequam nullum in præceptorum observantia exercitium esse potest, *quia omne quod non est ex fide peccatum est,* ut Apostolus dicit ad Rom., XIV. 23, *et sine fide impossibile est placere Deo,* ut dicitur ad Hebr., XI, 6. Tertio peccatores, qui in peccatis vitam duxerunt. In singulis autem præmissorum generibus manifeste apparet falsum esse quod dicitur.

Si enim ex necessitate præceptorum exercitium viam consiliorum præcederet, quam quis arripit per religionis ingressum, inordinatum valde esset, nec ab Ecclesia sustinendum, quod parentes pueros in annis minoribus constitutos offerant Deo in religione nutriendos sub consiliorum observantia, antequam in præceptis exercitari potuerint; cujus contrarium et Ecclesiæ consuetudo habet, quæ maximum habet auctoritatis pondus, et multipliciter Scripturarum auctoritatibus comprobatur. Dicit enim Gregorius, et habetur XX, quæst. I, c. *Addidistis :* « Si pater vel mater filium filiamve intra septa monasterii in infantiæ annis sub regulari tradiderunt disciplina, utrum liceat eis postquam pubertatis annos impleverint, egredi et matrimonio copulari, hoc omnino devitamus. » Nec refert, quantum ad propositum pertinet, utrum sint obligati ad regularem observantiam perpetuo tenendam, quia si præceptorum exercitium ex necessitate observantiam consiliorum præcederet, nullo modo liceret regulari consiliorum observantiæ aliquos applicare qui nondum essent in præceptis exercitati. Hæc autem consuetudo pueros religioni tradendi, non solum ecclesiasticis statutis quampluribus, sed etiam sanctorum exemplis comprobatur. Narrat enim Gregorius in II *Dialogorum* lib. quod « cœperunt ad beatum Benedictum romanæ urbis nobiles et religiosi concurrere, suosque eis filios omnipotenti Deo nutriendos dare. Tunc quoque bonæ spei suas soboles Eutichius Maurum, Tertullus vero Patricius Placidum tradidit; ex quibus Maurus junior cum bonis polleret moribus, magistri adjutor cœpit existere; Placidus vero puerilis adhuc indolis annos gerebat. » Ipse etiam beatus Benedictus adhuc puer existens, despectis litterarum studiis, relicta domo rebusque patris, soli Deo placere desiderans, sanctæ conversationis habitum quæsivit, ut Gregorius in *eodem* libro narrat. Hic etiam mos ab ipsis apostolis sumpsisse invenitur exordium. Dicit enim Dionysius in fine *Eccles. hierarch. :* « Sursum acti infantes ad habitum sanctum habebunt consuetudinem, ab omni semoti errore, et immundæ vitæ expertes. Hoc divinis nostris ducibus ad mentem venit, et visum est suscipere infantes. » Et quamvis ibi loquatur Dionysius de susceptione infantium ad christianam religionem in baptismo assumendam; tamen ratio ibi inducta etiam

proposito competit, quia utrobique pueros expedit nutriri in his quæ postmodum sunt observaturi, ut ad hoc eorum[1] habitus informentur. Et ut ulterius procedatur, hoc etiam ipsius Domini auctoritate firmatur. Legitur enim Matth., XIX, 13, quod *oblati sunt Christo parvuli, ut manus eis imponeret, et oraret; disciputi autem increpabant eos. Jesus autem ait eis : Sinite parvulos et nolite eos prohibere ad me venire; talium est enim regnum cœlorum.* Ubi dicit Chrysostomus : « Quis mereatur appropinquare Christo, si repellitur ab eo simplex infantia? Nam si sancti futuri sunt, qui negatis filios ad patrem venire? Si autem peccatores futuri sunt, ut quid sententiam condemnationis profertis antequam culpam videatis? » Manifestum est autem quod maxime appropinquat homo Christo per viam consiliorum, secundum illud Matth., XIX, 21 : *Vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et sequere me.* Non sunt igitur pueri retrahendi, ne per observantiam consiliorum Christo appropinquent. Sed, sicut Origenes ibidem dicit, « quidam priusquam discant rationem justitiæ de pueris, reprehendunt eos qui per simplicem doctrinam pueros et infantes, id est minus adhuc eruditos, offerunt Christo. Dominus autem hortans discipulos suos, viros jam constitutos condescendere utilitatibus puerorum, ut fiant pueris quasi pueri ut pueros lucrentur dicit : *Talium est regnum cœlorum.* Nam et ipse cum in forma Dei esset, factus est puer. Hoc ergo debemus attendere, ne æstimatione sapientiæ excellentioris contemnamus quasi magni pusillos Ecclesiæ, prohibentes pueros venire ad Jesum. » Et ut adhuc ad priora nos extendamus, de Joanne Baptista legitur Luc., I, 80 : *Puer crescebat, et confortabatur spiritu et erat in desertis usque ad diem ostensionis suæ ad Israel.* Ubi dicit Beda : « Prædicator pœnitentiæ futurus, ut liberius auditores suos a mundi illecebris erudiendo subtollat, primævam in desertis transegit vitam; ne, ut Gregorius Nyssenus dicit, hujusmodi fallaciis quæ per sensus ingeruntur, assuetus, quamdam confusionem ac errorem incurreret erga veri boni discretionem. Ideo ad tantum divinarum gratiarum elevatus est apicem, ut plusquam prophetis sibi gratia infunderetur, quia mundus expers cujuslibet passionis, desiderium suum a principio usque ad finem divinis aspectibus obtulit. » Non solum igitur licitum est, sed etiam valde expediens ad majorem gratiam optime promerendam, ut aliqui a pueritia sæculum deserentes, in deserto religionis vivant. Unde Threnorum, III, 27, dicitur : *Bonum est viro cum portaverit jugum ab adolescentia sua.* Et causa videtur assignari, cum subditur : *Sedebit solitarius et tacebit, quia levavit se super se;* per quod datur intelligi quod qui ab adolescentia sua jugum religionis portando se super se levant, ad observantias religionis, quæ in quiete consistit a mundanis curis, et silentio a turbarum tumultibus, magis redduntur idonei, secundum illud Proverb., XXII, 6 : *Adolescens juxta viam suam; etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* Et inde est quod Anselmus in libro *De similitudinibus,* eos qui sunt a pueritia in monasteriis nutriti, angelis comparat; eos vero qui postmodum in perfecta ætate convertuntur, hominibus.

Hoc etiam non solum sacræ Scripturæ auctoritatibus, sed etiam philosophorum sententiis confirmatur. Dicit enim Philosophus in II *Ethic.* : « Non parum differt sic vel sic ex juvene confestim assuefieri; sed multo magis, aut omne, id est totum, in hoc consistit quod aliqui a pueritia erudiantur in hoc quod per totam vitam debent servare. Et in VIII *Politicorum* dicit idem Philosophus quod « legislatori maxime negotiandum est circa juvenum disciplinam, quos oportet erudire secundum quod convenit ad unamquamque qualitatem. »

Hoc etiam ex communi hominum consuetudine manifeste apparet, secundum quam homines a pueritia applicantur illis officiis vel artibus in quibus vitam sunt acturi; sicut qui futuri sunt clerici, mox a pueritia in clericatu erudiuntur; qui futuri sunt milites, oportet quod a pueritia in militaribus exercitiis nutriantur, sicut Vegetius dicit in lib. *De re militari;* qui futuri sunt fabri, fabrilem artem a pueritia discunt. Cur igitur in hoc solo regula fallet, ut qui futuri sunt religiosi, non a pueritia in religione exerceantur? Quinimo necesse est ut quanto aliquid est difficilius, tanto ad illud portandum magis homo a pueritia consuescat.

[1] Parm. : « ut ad horum. »

Sic igitur manifeste apparet quod in pueris locum non habet quod dicunt oportere aliquem prius in mandatis exerceri quam ad consilia transeat, religionem intrando.

CAPUT IV.

Quod prædicta assertio locum non habet in his qui de novo convertuntur ad fidem.

Nunc videre oportet utrum hoc locum habere possit in his qui nuper ad fidem sunt conversi; quibus si quis religionis habitum interdicat tanquam in præceptis non exercitatis, primo aspectu absurdum apparet, cum constet Christi discipulos statim in sua conversione ad fidem, esse assumptos ad Christi collegium, in quo primum exemplar consiliorum perfectionis apparuit, et absque dubio cujuscumque religionis statum excessit. Ipse quoque Paulus inter apostolos conversione novissimus, prædicatione primus, statim ad fidem conversus, viam perfectionis evangelicæ sumpsit; dicit enim ad Galat., I, 15 : *Cum autem placuit eis qui me segregavit ex utero matris meæ ut vocaret per gratiam suam, ut revelaret Filium suum in me, ut evangelizarem illum in gentibus; continuo non acquievi carni et sanguini.* Hoc etiam ex ipsius Christi exemplo nobis ostenditur; legitur enim Matth., IV, post baptismum Christi, quod *tunc Jesus ductus est in desertum a Spiritu;* ubi dicit *Glossa :* Tunc, id est post baptismum, docent baptizatos de mundo exire, et in quiete Deo vacare. Hoc etiam ex multorum laudabili consuetudine approbatur, qui ab infidelitate quacumque ad fidem Christi conversi statim habitum religionis assumunt. Quis autem erit tam improbus disputator qui audeat eis consulere ut potius in sæculo remaneant, quam in religione perceptam baptismi gratiam studeant conservare? Quis sanæ mentis ab hoc proposito eum impediat, ne Christum quem per sacramentum baptismi jam induit, perfecta imitatione induere mereatur?

Apparet igitur et in hoc secundo hominum genere derisibile, imo abominabile videtur[1] omnino esse quod dicunt homines ab ingressu religionis arcentes[2] ante exercitium præceptorum.

CAPUT V.

Quod prædicta assertio locum non habet in peccatoribus per pœnitentiam conversis.

Denique videamus, an in tertio genere hominum, scilicet de peccatis pœnitentium, nondum in præceptis exercitatorum, conveniens esse possit quod dicunt. Ubi assumendum videtur quod in Evangelio legitur de conversione Matthæi, quem Dominus de telonei lucris ad sui sequelam vocavit, et quamvis non statim sit in apostolatum assumptus, statim tamen consiliorum perfectionem assumpsit. Dicitur enim Luc., V, 28, quod, *relictis omnibus, surgens secutus est eum;* et sicut Ambrosius ibidem dicit : « propria dereliquit qui rapiebat aliena. » Ex quo manifeste apparet quod statim pœnitentes post quamcumque immanitatem peccatorum, viam consiliorum possunt arripere. Quinimo, ut verius dicatur, eis maxime competit perfectiorem[3] viam consiliorum assumere. Gregorius enim in *quadam homilia,* exponens illud quod habetur Luc., III : *Facite dignos fructus pœnitentiæ,* dicit : « Quisquis illicita nulla commisit, huic jure conceditur ut licitis utatur. At si quis in culpam lapsus est, tanto licita debet abscindere, quanto se meminit illicita perpetrasse. » Et postmodum subdit : « Per hoc ergo cujuslibet conscientia convenitur, ut tanto majora quærat bonorum operum lucra per pœnitentiam, quanto graviora sibi intulit damna per culpam. Quia igitur in statu religionis homines etiam a licitis abstinent, et perfectorum operum lucra quærunt, manifestum est quod a peccatis recedentes, non in observantia præceptorum, sed potius in eorum transgressione exercitati, debent viam consiliorum assumere, religionem intrando, quæ est perfectæ pœnitentiæ status. Unde, ut habetur XXXIII, quæst. II, cap. *Admonere,* Stephanus papa Astulphum quemdam, qui gravia peccata perpetraverat[4], admonet dicens : « Placeat tibi consilium nostrum. Ingredere monasterium, humiliare sub manu abbatis, et multorum fratrum precibus adjutus observa cuncta simplici animo quæ tibi fuerint imperata; » et postea subdit : « Sin autem pœnitentiam publicam permanens

[1] Parm. omittit : « imo abominabile videtur. » — [2] Parm. : « arcendos. » — [3] Parm. : « ad perfectionem viam. » — [4] Parm. : « portaverat. »

in domo tua vel in hoc mundo vis agere (quod pejus tibi et durius et gravius esse non dubites), ita ut agere debeas exhortamur. » Et subjungit quædam gravissima, quibus tamen omnibus et utilius et melius esse dicit religionis ingressum.

Sic igitur patet quod non exercitati in præceptis, sed potius in peccatis conversati, salubriter admonentur ad religionis ingressum, qui tamen per horum admirabilem sapientiam a consiliis assumendis arcentur. Quorum in hoc sententia, Apostoli sententia confutatur, qui dicit Rom., VI, 19 : *Humanum dico, propter infirmitatem carnis vestræ. Sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem : ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem;* ubi dicit *Glossa :* « Humanum dico, quia plus servitutis debetis justitiæ quam peccato. » Et Baruch, IV, 28, dicit : *Sicut fuit sensus vester ut erraretis a Deo decies; tantum iterum convertentes requiretis eum;* quia videlicet post peccata, quibus homo a Deo recessit ejus præcepta transgrediens, ad majora debet manum extendere, et non esse mediocribus contentus.

Huic etiam rei multa exempla sanctorum suffragantur. Plurimi enim utriusque sexus post gravia facinora et flagitia perpetrata, in quibus totam vitam suam consumpserant, statim consiliorum viam assumentes, nullo præmisso præceptorum exercitio, religioni arctissimæ se dederunt.

Nec solum hoc autoritatibus sanctorum et exemplis, sed etiam philosophicis documentis comprobatur. Dicit enim Philosophus in II *Ethic. :* « Multum enim abducentes a peccato, in medium veniemus, quod tortuosa lignorum dirigentes faciunt.» Oportet igitur eos qui per peccata sunt distorti, ad rectitudinem deduci, perfectiora virtutis opera observando.

Patet igitur ex præmissis quod in nullo genere hominum locum habere potest quod dicunt, non debere aliquos ad religionem transire, nisi prius fuerint in præceptis exercitati.

CAPUT VI.

Destructio radicis erroris præmissi.

Ad hunc autem errorem radicitus extirpandum, oportet ejus radicem sive originem invenire. Videtur autem ex hoc prædictus error procedere, quod existimant in consiliis principaliter perfectionem existere, et præcepta ad consilia ordinari sicut imperfectum ordinatur ad perfectum; et sic necesse sit a præceptis ad consilia transire, sicut ab imperfecto ad perfectum pervenitur. Cum autem hoc simpliciter de præceptis enuntient, falluntur. Manifestum est enim præcipua præcepta esse de dilectione Dei et proximi, secundum quod Dominus dicit Matth., XXII, 37, quod primum et maximum mandatum legis est : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Secundum autem simile est huic : Diliges proximum tuum sicut teipsum.* In his autem duobus præceptis essentialiter consistit vitæ christianæ perfectio. Unde Apostolus dicit ad Coloss., III, 14 : *Super omnia autem hæc caritatem habete, quod est vinculum perfectionis;* ubi dicit *Glossa,* quod cætera[1] perfectum faciunt, inquantum scilicet ad caritatem ordinantur, caritas autem omnia ligat. Et inde est quod cum Dominus Matth., V, 48, præcepta de proximi dilectione dedisset, subjungit : *Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est.* Et Matth., XIX, 27, super illud : *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te,* dicit Hieronymus : « Quia non sufficit tantum relinquere, jungit quod perfectum est : *Et secuti sumus te.* » Sequebantur autem apostoli Dominum non tam passibus corporis, quam affectibus mentis. Unde super illud Luc., V : *Ait illi : Sequere me,* dicit Ambrosius : « Sequi jubet non corporis gressu, sed mentis affectu. » Patet igitur quod præcipue in affectu caritatis ad Deum perfectio christianæ vitæ consistit. Et hoc rationabiliter. Cujuslibet enim rei perfectio in assecutione sui finis consistit. Finis autem christianæ vitæ est caritas, ad quam sunt omnia ordinanda, secundum illud I ad Timoth., I, 5 : *Finis præcepti caritas est;* ubi dicit *Glossa :* « *Caritas est finis,* id est perfectio; *præcepti,* id est præceptorum omnium, quorum impletio est dilectio Dei et proximi. »

Oportet autem considerare quod aliter judicandum est de fine, et de his quæ sunt ad finem. In his enim quæ sunt ad finem, præfigenda est quædam mensura secundum quod congruit fini. Sed circa ipsum finem nulla mensura adhibetur, sed unus-

[1] Cod. Vict. : « cætera præcepta. »

quisque ipsum assequitur quantum potest, sicut medicus medicinam quidem moderatur ne superexcedat; sanitatem autem inducit quanto perfectius potest. Sic igitur præceptum dilectionis Dei, quod est ultimus finis christianæ vitæ, nullis terminis coarctatur; ut possit dici quod tanta dilectio Dei cadat sub præcepto; major autem dilectio limites præcepti excedens sub consilio cadat; sed unicuique præcipitur ut Deum diligat quantum potest, quod ex ipsa forma præcepti apparet, cum dicitur : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Unusquisque autem hoc observat secundum suam mensuram, unus quidem perfectius, alius autem minus perfecte. Ille autem totaliter ab observantia hujus præcepti deficit qui Deum in suo amore non omnibus præfert. Qui vero ipsum præfert omnibus ut ultimum finem, implet quidem præceptum vel perfectius vel minus perfecte, secundum quod magis vel minus detinetur aliarum rerum amore. Unde Augustinus dicit in lib. *LXXXIII Quæst. :* « Caritatis venenum est spes adipiscendorum aut retinendorum temporalium, » quod est intelligendum, si sperentur tanquam ultimus finis, « nutrimentum ejus est imminutio cupiditatis, perfectio, nulla cupiditas. »

Est autem et alius modus perfectus observantiæ hujus præcepti, qui non potest observari in via. Dicit enim Augustinus in lib. *De perfectione justitiæ,* quod « in illa plenitudine caritatis quæ erit in patria, caritatis præceptum illud implebitur : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo,* etc.; » et postea subdit : « Cur ergo non præciperetur homini ista perfectio, quamvis eam in hac vita non habeat? Non enim recte curritur, si quo currendum est nesciatur. Quomodo autem sciretur si nullis præceptis ostenderetur? » Ad hæc igitur præcepta dilectionis Dei et proximi omnia alia præcepta et consilia ordinantur sicut ad finem; unde Augustinus dicit in *Ench. :* « Quæcumque mandat Deus, ex quibus unum est : *Non mœchaberis ;* et quæcumque non jubentur, sed speciali consilio monentur, ex quibus unum est : *Bonum homini est mulierem non tangere ;* tunc recte fiunt cum referuntur ad diligendum Deum, et proximum propter Deum. »

Aliter tamen ad præcepta caritatis ordinantur alia præcepta legis, aliter autem consilia. Ad finem enim aliquid ordinatur ut sine quo finis haberi non potest, sicut cibus ad vitam conservandam, aliquid vero ordinatur in finem sicut per quod et facilius et securius et perfectius finis obtinetur; sicut ad vitam corporis conservandam ordinatur cibus ex necessitate; medicina vero conservativa sanitatis, ut perfectius et securius sanitas habeatur. Primo ergo modo ad caritatem ordinantur alia legis præcepta. Nullo enim modo potest præcepta caritatis implere qui vel alios deos colit, per quod disceditur a Dei dilectione; vel qui homicidium aut furtum committit, quæ dilectioni proximi adversantur. Secundo autem modo ordinantur ad caritatem consilia. Et de consilio quidem virginitatis expressa est Apostoli sententia ostendentis quod ad dilectionem Dei ordinatur; dicit enim I ad Cor., VII, 32 : *Qui sine uxore est, sollicitus est quæ sunt Dei, quomodo placeat Deo; qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori.* De consilio vero paupertatis ipse Salvator dicit quod ad sui sequelam ordinatur, ut patet Matthæi, XIX. Quæ quidem sequela in affectu caritatis consistit, ut ostensum est. Caritas autem per cupiditatis diminutionem perficitur; cupiditas vero et divitiarum amor per abjectionem earum diminuitur, vel etiam totaliter aufertur. Dicit enim Augustinus, in *Epistola ad Paulinum et Therasiam,* quod « terrena diliguntur arctius adepta, quam concupita constringunt. Aliud est enim jam nolle incorporare quæ desunt, aliud jam incorporata divellere. » Utrumque etiam consilium ad dilectionem proximi ordinatur. Cum enim ea quæ Dominus præcipit Matth., V, ad dilectionem proximi pertinentia, sint in præparatione animi observanda; manifestum est quod magis ad horum observantiam præparatur animus qui circa propria non sollicitatur; facilius enim tollenti tunicam, et pallium dimittere est paratus, si necesse fuerit, qui nihil habere in suo animo destinavit, quam qui habet animum aliquid in hoc sæculo possidendi.

Quia vero caritas non solum finis est, sed etiam radix omnium virtutum et præceptorum quæ de actibus virtutum dantur; consequens est ut sicut per consilia homo proficit ad perfectius diligendum Deum et proximum, ita etiam proficiat ad perfectius observanda quæ de necessitate ad carita-

tem ordinantur. Qui enim continentiam aut paupertatem servare proposuit propter Christum, longius ab adulterio et furto recessit. Adduntur etiam in religionis statu multæ observantiæ, puta vigiliarum, jejuniorum et sequestrationis a sæcularium vita, per quæ homines magis a vitiis arceantur, et ad virtutis perfectionem facilius promoventur, et sic consiliorum observatio ad aliorum observantiam præceptorum ordinatur; non tamen ordinatur ad ea sicut ad finem : non enim aliquis virginitatem servat ut adulterium vitet, vel paupertatem, ut a furto desistat, sed ut in Dei dilectione proficiat; majora enim non ordinantur ad minora sicut ad finem.

Sic igitur patet quod consilia ad vitæ perfectionem pertinent, non quia in eis principaliter consistat perfectio, sed quia sunt via quædam vel instrumenta ad perfectionem caritatis habendam. Unde Augustinus dicit in lib. *De moribus Ecclesiæ,* de vita religiosorum loquens : « Concupiscentiæ domandæ et dilectioni fratrum retinendæ, invigilat omnis intentio. » Et ibidem dicit : « Caritas præcipue custoditur, caritati virtus, caritati sermo, caritati habitus, caritati vultus aptatur. » Et in *Collationibus Patrum* dicit abbas Moyses : « Pro hac, scilicet puritate cordis et caritate, universa agimus atque toleramus, pro hac parentes, patria, dignitates, divitiæ, deliciæ mundi hujus, et voluptas universa contemnitur, pro hac jejuniorum inediam, vigilias, labores, corporis nuditatem, lectiones, cæterasque virtutes suscipimus, ut per ista ab universis cogitationibus noxiis illæsum præparare cor nostrum et conservare possimus, et ad perfectionem caritatis istis gradibus innitendo conscendere. » Sic igitur, cum duplex sit modus observandi præcepta, perfectus scilicet et imperfectus; est etiam duplex exercitium præceptorum, unum quidem quo aliquis exercitatur in perfecta observantia præceptorum; et hoc idem exercitium fit per consilia, sicut ex præmissis patet, aliud autem est exercitium in imperfecta observantia præceptorum, quod fit in vita sæculari absque consiliis. Cum ergo dicitur quod oportet aliquem prius exercitari in præceptis quam ad consilia transeat, idem est ac si dicatur : oportet prius hominem exercitari in imperfecta observantia præceptorum quam exercitari in perfecta observantia eorumdem, quod valde inepte dicitur, sive ad ipsa præcepta respiciamus, sive ad ipsa exercitia. Quis enim tam insanæ mentis esse poterit qui aliquem volentem perfecte diligere Deum et proximum, retrahat, cogens ipsum prius diligere imperfecte? Nonne hoc formæ dilectionis contradicit, quæ nobis traditur in præceptis caritatis divinæ, cum dicitur : *Diliges Dominum Deum ex toto corde tuo?* Numquid timendum est ne nimis cito homo incipiat Deum perfecte diligere, quasi possit in diligendo Deum modum præterire? Dicitur Eccl., XLIII, 32 : *Glorificantes Dominum quantumcumque potueritis, supervalebit adhuc,* etc. Unde Apostolus I ad Corinth., IX, 24, monet : *Sic currite ut comprehendatis;* et ad Hebr., IV, 11, dicit : *Festinemus ingredi in illam requiem,* quia quantumcumque homo tempestive viam perfectionis incipiat, semper sibi remanet quo possit proficere, quousque ultimam perfectionem homo consequatur in patria. Si vero ad ipsa exercitia inspiciamus, major apparebit absurditas. Quis enim dicat volenti continentiam vel virginitatem servare, ut prius in matrimonio caste vivat? Quis dicat paupertatem pro Christo volenti subire, ut prius in divitiis juste vivat? quasi per divitias animus hominis ad paupertatem præparetur, et non magis propositum paupertatis impediant. Quod manifeste apparet Matth., XIX, de adolescente qui paupertatis consilium a Domino non suscepit, sed abiit tristis propter divitias quas habebat. Et hæc quidem dicta sunt, si comparentur consilia ad præcepta caritatis. Si vero comparemus ea ad alia legis præcepta; quis non videat quanta sequatur absurditas? Si enim per consilia et religionis observantias tolluntur occasiones peccatorum per quæ sunt præceptorum transgressiones, quis non videat aliquem tanto magis indigere ut occasiones peccatorum evitet? Numquid ergo dicendum erit juveni : Vivas interim inter mulieres et lascivorum consortia, ut sic in castitate exercitatus, postmodum in religione castitatem observes? tanquam facilius sit in sæculo quam in religione castitatem servare. Idem etiam de aliis virtutibus et peccatis apparet.

Similes sunt igitur hujusmodi doctrinam promulgantes bellorum ducibus, qui milites in suo tirocinii exordio acrioribus bellis exponerent. Fatemur autem quod si

qui sunt in vita sæculari exercitium præceptorum habentes, melius possunt in religione proficere. Sed sicut ex una parte præceptorum exercitium in vita sæculari præparat hominem ad consilia melius observanda, ita ex alia parte sæcularis vitæ consuetudo consiliis observandis impedimentum præstat. Unde Gregorius dicit in principio *Moral.* : « Cum adhuc me cogeret animus præsenti mundo quasi specie tenus deservire, cœperunt multa contra me ex ejusdem mundi cura succrescere; ut in eo jam non specie, sed quod est gravius, mente retinerer. Quæ tandem cuncta sollicite fugiens, portum monasterii petii. »

CAPUT VII.

Solutio rationum adversariorum.

His igitur visis, facile est ea quibus innituntur, refellere.

Quod enim primo inducunt de adolescente cui Dominus consilium perfectionis dedit, utpote jam in mandatis exercitato, quia dixerat : *Hæc omnia servavi a juventute mea,* manifestum est, secundum Hieronymum, efficaciam non habere; dicit enim *Super Matth.* : «Mentitur adolescens. Si enim quod positum est in mandatis : *Diliges proximum tuum sicut teipsum,* opere complesset, quomodo postea audiens : *Vade, et vende omnia quæ habes, et da pauperibus,* tristis recessit? » Et, sicut Origenes, *Super Matth.*, narrat, scriptum est in Evangelio secundum Hebræos quod cum Dominus dixisset ei : *Vade, et vende omnia quæ habes,* « cœpit dives scalpere caput suum, et dixit ad eum Dominus : Quomodo dixis : Feci legem et prophetas? Scriptum est in lege : *Diliges proximum tuum sicut teipsum;* et ecce multi fratres tui filii Abrahæ amicti sunt stercore, morientes præ fame; et domus tua plena est multis bonis, et non egreditur aliquid omnino ex ea ad eos. » Itaque Dominus redarguens eum, dicit : *Si vis perfectus esse,* etc. Impossibile est enim implere mandatum quod dicit : *Diliges proximum tuum sicut teipsum,* et esse divitem, et maxime tantas habere possessiones. Sed hæc intelligenda sunt quantum ad perfectum modum observantiæ hujus præcepti. Nihil autem prohibet dicere eum prius imperfecte præcepta observasse, et quantum ad hoc eum non fuisse mentitum, sicut Chrysostomus et alii expositores dicunt. Nec tamen quia exercitato aliqualiter in observantia mandatorum Dominus perfectionis consilium dedit, ideo necessaria forma præscribitur ut solis talibus aditus ad consilia pateat : quia etiam Matthæum non exercitatum in præceptis, sed potius in peccatis conversatum, ad consilia sequenda vocavit; ut sic nec peccatoribus, nec etiam innocentibus perfectionis viam præcluderet.

Quod vero secundo inductum est quod post sacramenta ad mandata servanda auditor est instruendus, hoc nihil ad propositum facit, quia instructio in mandatis omnibus necessaria est sive in sæculo remanentibus, sive etiam assumentibus perfectionis viam per religionis ingressum; sicut etiam doctrina fidei et sacramenta, de quibus præmittitur, sunt utrisque communia.

Similiter quod tertio est inductum, quod faciendo mandata homo venit ad latitudinem sapientiæ, nihil aliud indicat nisi quod per observantiam mandatorum homo meretur sapientiam occultorum; unde ibidem inducitur illud quod habetur Eccli., I, 33, secundum aliam litteram : *Concupisce sapientiam, serva mandata, et Dominus præbebit illam tibi;* quod manifestum est nihil ad propositum pertinere.

Jam vero quod quarto propositum est de *Glossa* super illud Psalm. CXXX : *Sicut ablactatus super matre sua,* diligentius discutiamus : quia quamvis sit frivolum, multum tamen hoc jactant, et inaniter innituntur eidem. Patet autem ex ipso progressu *Glossæ* inductæ quod agit de nutritione noviter ad fidem conversorum. Sic enim præmittitur quod « post baptismum bonis operibus informamur, et lacte simplicis doctrinæ nutrimur proficiendo a lacte, donec jam grandiusculi a lacte matris accedamus ad mensam patris, id est a simpliciori doctrina, ubi præstatur : *Verbum caro factum est,* accedamus ad Verbum Patris *in principio apud Deum,* » quod manifestum est ad doctrinæ ordinem pertinere. Postmodum vero ecclesiastica observatio in exemplum inducitur, quæ quinque tempora observat. In quorum primo per exorcismum et catechismum nuper conversi ad fidem rudimentis christianitatis imbuuntur. Secundum tempus

est quando in utero Ecclesiæ aluntur, usque ad sabbatum sanctum : et tunc est tertium tempus, in quo per baptismum ad lucem generantur. Quartum tempus est in quo manibus Ecclesiæ gestantur et lacte nutriuntur usque ad Pentecosten ; quo tempore nulla difficilia inducuntur, non jejunatur, non media nocte surgitur. Quintum est tempus in quo Spiritu paraclyto confirmati, quasi ablactati, incipiunt jejunare, et alia difficilia facere et servare : quod videtur ad horum propositum pertinere, quia manifeste agitur de ordine transeundi a facilioribus operibus ad difficiliora.

Hic autem eorum processus tripliciter deficit. Primo quidem, quia alia est ratio in his quæ sponte assumuntur, alia in his quæ ex necessitate inducuntur. Item est alia ratio de nuper conversis ad fidem, qui sunt quasi pueri nutriendi ; atque alia de pœnitentibus, qui sunt quasi infirmi sanandi. Si igitur aliqui fuerint de novo ad fidem conversi, non sunt eis ex necessitate a principio difficilia imponenda ; sed primum in levioribus exercitandi, postmodum vero sunt eis arctiora imponenda ; sicut pueri prius nutriuntur lacte, postmodum vero durioribus cibis : et in hoc casu loquitur *Glossa*. Si tamen mox conversi ad fidem sponte propria voluerint manum mittere ad altiora, quis eos audebit arcere? Et ut ab exemplo *Glossæ* non recedamus : sicut post solemnem baptismum, qui fit in vigilia Paschæ, quædam requies a laboriosis operibus indulgetur propter infirmos ; ita post solemnem baptismum, qui in vigilia Pentecostes celebratur, statim Ecclesia indicit jejunia, ad significandum eos qui ex fervore spiritus in baptismo suscepti statim se arctiori vitæ subjiciunt. De pœnitentibus autem est alia ratio : quia eis a principio injungitur pœnitentia arctior, postmodum vero paulatim levigatur ; sicut etiam infirmis cum sanari inceperint, arctior diæta imponitur, quæ postmodum cum in valetudine profecerint, remittitur. Secundum hoc ergo Ecclesia innocentibus a principio leviora imponit onera præceptorum, quæ ex necessitate servantur ; consilia vero ex necessitate eis Ecclesia non imponit, nec tamen prohibet, si ea velint propria voluntate assumere ; pœnitentibus autem secundum statuta canonum in primis annis arctiores observantiæ injunguntur.

Secundus defectus est, quia in quolibet officio vel statu a facilioribus ad difficiliora transitur. Nec tamen oportet quod quicumque altiorem statum recipit, in leviori prius exerceatur. Non enim necesse est ut qui in aliquo artificio exerceri voluerit, prius in aliquo leviori exerceatur ; sed in eodem artificio a levioribus ad majora perducitur. Unde non oportet ut qui in statu religionis per consiliorum observantiam exerceri voluerint, prius exerceantur in sæculo in observantia præceptorum ; sed quod de his quæ ad religionem pertinent, a principio minora eis imponantnr : sicut nec oportet quod qui volunt clericale officium assumere, prius in vita laicali exerceantur ; aut qui volunt continenter vivere, non prius oportet eos in continentia conjugali exerceri.

Tertius defectus est, quia duplex est operis difficultas. Quædam ex sola magnitudine operum ; et talis difficultas, quia requirit perfectionem virtutis, non imponitur imperfectis ; quædam vero est difficultas cohibitionis, qua magis indigent qui sunt imperfectæ virtutis. Unde pueris arctior adhibetur custodia dum sub pædagogis educantur, quam postmodum cum pervenerint ad ætatem perfectam. Status autem religionis est quædam disciplina cohibens a peccatis, et facilius ad perfectionem inducens, sicut ex prædictis apparet. Et ideo, qui sunt imperfectæ virtutis, puta nondum in præceptis exercitati, magis indigent tali custodia, quia facilius est eos peccatis abstinere tali disciplinæ subjectos, quam si liberius in sæculo nutriantur. Quod vero in *Glossa* subditur : « Multi hunc ordinem pervertunt, ut hæretici et schismatici ; » manifeste apparet per sequentia ad ordinem doctrinæ pertinere ; sequitur enim : « Hic vero servasse dicit, obstringens se maledicto sic, quasi non modo in aliis suis humilis, sed etiam in scientia : quia ego humiliter sentiebam prius nutritus in lacte, quod est *Verbum caro factum,* ut succrescerem ad panem angelorum, scilicet ad Verbum quod est *in principio apud Deum;* » et sic redit ad id quod prius dixerat. Unde quod in medio positum est, causa exempli inducitur.

Quod vero quinto inductum est de quinque panibus prius pavit, et postmodum quatuor millia de septem panibus ; tam frivolum est, ut responsione non egeat.

Nec enim oportet secundum ordinem figurarum et ordinem rerum esse quæ figurantur : quia quandoque per priora figurantur posteriora, et e converso. Nec ab hujusmodi figuris efficax argumentatio trahitur, ut Augustinus dicit in quadam *Epistola contra Donatistas*. Et Dionysius dicit in *Epistola ad Titum*, quod symbolica theologia non est argumentativa. Hoc autem non obstante dicamus, quod per istum ordinem miraculorum designatur ordo præceptorum ad consilia quantum ad statum totius humani generis. Non enim consilia fuerunt data in Veteri Testamento, sed in Novo : quia *nihil ad perfectum adduxit lex;* et hoc patet per *Glossam* quæ quinque panes dicit esse legalia præcepta, septem autem panes evangelicam perfectionem. Non autem propter hoc oportet quod iidem homines prius exerceantur in præceptis legalibus in sæculari vita, et postmodum in consiliis in vita religiosa. Non enim legitur quod iidem homines fuerint inter quinque millia, et postmodum inter quatuor millia.

Similiter vero quod sexto proponitur de illis quatuor ex quibus sancta Evangelia contexuntur, non facit ad propositum : quia quod dicitur in exemplis, perfectio, non refertur ad consilia, sed ad perfectum modum observandi præcepta, quæ sunt de actibus virtutum, sicut Christus observavit. Unde subduntur in *Glossa* exempla, ut hoc : *Discite a me, quia mitis sum,* etc.; et : *Estote perfecti, sicut et Pater vester perfectus est;* et alibi : *Exemplum enim dedi vobis,* etc.

Jam vero quod septimo proponitur de ordine vitæ activæ ad contemplativam, diligentius considerandum est, quia hoc ab eis frequentius inculcatur. Verum quidem igitur est quod activa vita contemplativam præcedit; sed ignorare videntur quid sit vita activa. Primo quidem quia credunt vitam activam in sola dispensatione rerum temporalium existere : ita quod asserunt, religiosos, qui nihil possident nec proprium nec commune, activæ vitæ principes esse non posse; quod manifeste falsum ostenditur in hoc quod Gregorius dicit in II *Homilia secundæ partis super Ezechielem :* « Activa vita est panem esurienti tribuere, verbo sapientiæ nescientem docere, errantem corrigere, ad humilitatis viam superbum proximum revocare, infirmantis curam gerere, quæ singulis quibusque expediunt dispensare, et commissis nobis qualiter subsistere valeant, providere. » Ex quo patet quod ad activam pertinet non solum in temporalibus, sed etiam in spiritualibus docendo vel corrigendo aliis providere : ad quæ magis homines redduntur idonei nihil penitus in hoc sæculo habentes. Unde et Dominus apostolos orbis doctores futuros omnibus hujus mundi bonis spoliavit, ut habetur Matth., x. Est autem quærendum ulterius, utrum exercitium moralium virtutum hominis ad seipsum, ad vitam activam pertineat. Et si quidem doctrinam sequamur philosophi, morales virtutes omnes pertinent ad vitam activam, ut patet in X *Ethic.;* intellectuales vero ad vitam contemplativam; cui etiam Augustinus attestatur XII *De Trin.*, ubi rationem inferiorem, quæ temporalia dispensat sive ad se sive ad alium pertinentia, deputat actioni; superiorem vero rationem, quæ rationibus æternis inhæret, deputat contemplationi. Hoc ergo habito, in promptu est ratio quare vita activa præcedat contemplativam : quia nisi homo per virtutes morales habeat animam a passionibus depuratam, quod pertinet ad vitam activam, non est idoneus ad divinam veritatem contemplandam; secundum illud Matth., v, 8 : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt,* et hic imperfecta, et in futuro contemplatione perfecta. Sic igitur exercitium vitæ activæ est non solum in sæcularibus, sed etiam in religiosis. Primo quidem inquantum per virtutes morales in eis animæ passiones refrenantur. Secundo, quia ipsi etiam in alios possunt misericordiæ officia exhibere, vel docendo, vel corrigendo, vel saltem infirmos visitando, mœstos consolando, vel in sæculo existentes, vel secum in monasterio viventes. Unde quantum ad hæc duo dicitur Jacobi, I, 27 : *Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem hæc est, visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum, et immaculatum se custodire ab hoc sæculo.* Tertio, quia in ipso religionis ingressu etiam temporalia dispensaverunt quæ habebant, pauperibus largientes. Non ergo propter hoc *Glossa* inducta, præcepta dicit ad vitam activam pertinere, consilia vero ad contemplativam, quia præcepta ad solam vitam activam pertineant; dicit enim ibidem Gregorius : « Contemplativa

vita est caritatem Dei et proximi tota mente retinere, quæ sunt magna præcepta in lege, » ut dicitur Matth., XXII; neque ita quod consilia pertineant ad solam contemplativam, sicut ostensum est, sed quia consilia principaliter disponunt ad vitam contemplativam; præcepta autem sine consiliis observata, non sufficienter disponunt ad vitam contemplativam, ad quam requiritur major perfectio. Non ergo propter hoc oportet aliquem in sæculo remanere ut ibi exercitetur in vita activa, quia etiam in statu religionis potest homo habere exercitium tantum vitæ activæ, quantum necesse est ad hoc quod homo promoveatur ad contemplationem.

Quod vero octavo propositum est : « Nemo repente fit summus, » non multum ad propositum facit, quamvis etiam super hoc multum innitantur. Est enim summum et infimum accipere in eodem statu et in eodem homine, aut in diversis statibus et in diversis hominibus. Si quidem igitur utrumque accipiatur in eodem statu et in eodem homine, manifestum est quod nemo repente fit summus : quia unusquisque recte vivens, toto tempore vitæ suæ proficit ut ad summum perveniat. Si vero hoc referatur ad diversos status, non oportet ut quicumque vult ad superiorem statum pervenire, a minori statu incipiat; sicut non oportet ut qui vult esse clericus, prius in laicali vita exerceatur; sed statim a puerilibus annis aliqui clericali militiæ adscribuntur. Similiter etiam nec hoc oportet quantum ad diversas personas. Unus enim ab altiori sanctitatis gradu incipit quam sit summum alterius, ad quod per totam vitam suam alter perveniet. Unde Gregorius dicit in II *Dialogorum* : « Quatenus præsentes et futuri omnes cognoscerent, Benedictus puer conversionis gratiam a quanta perfectione cœpisset. »

Quod vero nono proponitur de parietibus recentibus, quibus non sunt tignorum onera imponenda, et quod decimo proponitur : « Casum quærit qui postpositis gradibus per abrupta quærit ascensum, » non sunt ad propositum, quia auctoritates illæ loquuntur de honore prælationis, qui requirit perfectam virtutem; et ideo non est imperfectis imponendum. Sed consilia sunt promotiones quædam ad perfectionem, et cohibitiones a peccatis, quibus novi parietes indigent, ut exsiccentur ab humore vitiorum, et quibus quasi per debitos gradus ad perfectionem pervenitur.

Quod vero undecimo proponitur, priora esse naturæ ordine præcepta consiliis, patet ex prædictis qualiter habeat veritatem. Si enim loquamur de præceptis finalibus, quæ sunt dilectio Dei et proximi, manifestum est quod consilia ordinantur ad ea sicut ad finem. Talis est ergo ordo consiliorum ad præcepta hujusmodi, qualis eorum quæ sunt ad finem, respectu finis. Finis autem est prior in intentione, posterior vero est in executione. Et sic si consilia ordinarentur ad prædicta præcepta, sicut quæ sine eis nullatenus possent servari, sequeretur quod necesse esset prius observari consilia quam aliquis diligat Deum vel proximum, quod est manifeste falsum. Sed quia hoc modo consilia ordinantur ad prædicta præcepta, ut per ea facilius et perfectius custodiantur, consequens est quod per hujusmodi consilia perveniatur ad perfectam dilectionem Dei et proximi, quæ intentione præcedit consilia, sequitur autem secundum operis executionem. Si autem comparemus consilia ad alia præcepta, quæ ordinantur ad dilectionem Dei et proximi, inter ea duplex comparatio potest attendi. Quod enim consilia sine præceptis observari non possunt, præcepta vero a multis observantur sine consiliis; poterunt comparari consilia ad præcepta communiter considerata; et sic erit ordo consiliorum ad præcepta sicut ordo proprii ad commune, quod est quodammodo naturæ ordine prius, non tamen oportet quod tempore. Et secundum hoc non oportebit quod aliquis prius exercitetur in præceptis, et sic ad consilia transeat. Alia vero comparatio potest attendi consiliorum ad præcepta hujusmodi, secundum quod sine consiliis observantur; et sic est comparatio consiliorum ad præcepta sicut unius speciei perfectæ ad aliam speciem imperfectam, sicut animal rationale comparatum ad animal ratione carens; et sic consilia naturæ ordine sunt priora præceptis, quia perfectum in quolibet genere naturaliter prius est; natura enim, ut Boetius dicit, a perfectis sumit initium. Nec tamen oportet quod præcepta sic considerata sint tempore priora consiliis; non enim oportet ut aliquid sit primo in specie imperfecta ad hoc quod transeat ad perfectam; sed necesse est quod infra limites ejusdem speciei

aliquid de imperfecto transeat ad perfectum.

Quod vero ultimo propositum est, quod non esset salus sine consiliis, si consilia præcepta præcederent, manifestum est ex præmissis quod procedit ex falso intellectu eorum quæ dicuntur. Non enim sic dicimus consilia ordinari ad præcepta ut sine quibus præcepta servari non possunt, sed sicut ea per quæ præcepta perfectius et melius servantur.

CAPUT VIII.

Rationes inductæ ad astruendum quod, ante religionis ingressum, debet quis diu et cum multis deliberare.

His igitur petractatis, inquirendum est an oporteat volentes religionem intrare cum multis ante consilium habere, ut dicunt. Et hoc quidem nituntur astruere per hoc quod de arduis ad totam vitam pertinentibus maxime sunt a pluribus requirenda consilia. Nihil autem videtur esse magis arduum et difficile in rebus humanis quam semetipsum abnegare et mundum deserere, religionem intrando, in qua necesse sit per totam vitam morari. In hoc igitur maxime sunt multorum consilia requirenda, et diutina deliberatione pensandum. Hoc etiam ostendere nituntur ex voti definitione. Dicitur enim votum esse « sponsio melioris boni, deliberatione firmata animi. » Ex deliberatione igitur dependet firmitas voti. Sed votum religionis est firmissimum, utpote quod nullo snperveniente potest infringi. Ergo præexigit maximam deliberationem.

Item hoc nituntur ostendere per hoc quod dicitur I Joan., IV, 1 : *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint;* quod in religionis introitu locum habet; ut patet per hoc quod beatus Benedictus in *Regula,* et Innocentius in *Decretali,* in hoc casu hanc auctoritatem inducunt. Sed hujusmodi probatio indiget diligenti examine, quod plenius fit per deliberationem cum multis. Oportet igitur volentem religionem intrare, primo deliberare cum multis.

Addunt etiam quod ibi est consilium requirendum ubi deceptionis periculum imminet. Hoc autem contingit in religionis ingressu, quia, ut dicitur II Cor., XI, 14 : *Ipse Satanas transfigurat se in angelum lucis;* unde sub specie boni decipit incautos. Oportet igitur cum multis deliberatione habita religionem intrare.

Item. Ea quæ possunt habere malum exitum, sunt diligenti consilio prius examinanda. Religionis autem introitus in plerisque malum exitum habet, qui apostatæ et desperati fiunt. Oportet igitur maxima deliberatione præmissa religionem intrare.

Denique ponendum est quod maxime replicant. Dicitur enim Act., V, 39 : *Si ex Deo consilium est hoc aut opus, non poteritis dissolvere illud.* Dissolvitur autem propositum religionis intrandæ in multis per apostasiam. Non igitur hoc propositum fuit a Deo. Oportet igitur magna deliberatione cum multis habita prius considerare, an quis debeat religionem intrare.

Hæc igitur sunt quibus necessitatem magnæ deliberationis et cum multis habendæ nituntur imponere his qui sunt in religionem intraturi, ut multiplicatis consiliis, ex aliqua parte impedimentum paretur.

CAPUT IX.

Reprobatio prædictæ positionis.

Ad hujus autem falsitatem assertionis ostendendam, primo quidem assumamus quod habetur Matth., IV, quod Petrus et Andreas continuo vocati a Domino, relictis retibus secuti sunt eum. In quorum commendationem Chrysostomus dicit : « In mediis operibus existentes, audientes jubentem, non distulerunt. Non dixerunt : Revertentes domum, loquamur amicis; sed omnia dimittentes, secuti sunt eum, sicut Elias fecit. Talem enim obedientiam Christus quærit a nobis ut neque in instanti tempore remoremur. » Deinde sequitur de Jacobo et Joanne, qui vocati a Deo, *statim relictis retibus et patre secuti sunt eum.* Et, sicut Hilarius dicit *Super Matth.* : « Eis artem et patriam domum relinquentibus, docemur Jesum secuturi, et sæcularis vitæ sollicitudine, et paternæ domus consuetudine non teneri. » Postea vero Matth., IX, de Matthæo subditur, quod ad vocationem Domini surgens secutus est eum; ubi Chrysostomus dicit : « Disce vocati obedientiam : neque enim restitit, neque domum abire rogavit, et suis hoc communicare. »

Humana etiam pericula, quæ ei a principibus accidere poterant, parvipendit, dum officii sui rationes imperfectas reliquit, ut Remigius dicit ibidem. Ex quo evidenter accipitur quod nihil humanum nos debet retardare a servitio Dei. Rursus Matth., VIII, 21, et Luc., IX, 59, legitur, quod quidam discipulus Christi dixit ad eum : *Domine, permitte me primum ire, et sepelire patrem meum,* cui Dominus respondit : *Sequere me, et dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* Quod exponens Chrysostomus *Super Matth.* dicit : « Hoc dixit non jubens contemnere amorem qui est ad parentes, sed monstrans quoniam nihil cœlestibus negotiis nobis magis necessarium esse oportet, et quoniam cum toto studio his jungi debemus, et neque parum tardare, etiam si valde inevitabilia et incitantia fuerint quæ attrahunt. Quid enim magis necessarium erat quam sepeliendum patrem? Quid etiam facilius? Neque enim multum tempus consumendum erat. Sed diabolus instat ardentius volens aliquem aditum invenire ; et si modicam sumat negligentiam magnam operatur pusillanimitatem. Propter quod Sapiens admonet dicens : *Ne differas de die in diem.* Nihil igitur aliud inde docemur, nisi quod nec minimum temporis frustra ducere decet, etiam si mille cogentia sint, imo præferre spiritualia cunctis, et admodum necessariis. » Et Augustinus dicit in lib. *De verbis Domini :* « Honorandus est pater, sed obediendum est Deo. Ego, inquit, ad Evangelium te voco, ad illud opus mihi necessarius es. Majus est hoc quam quod vis facere; sunt alii qui sepeliant mortuos suos, non licet anteriora posterioribus subdere. Amate parentes, et præponite Deum parentibus. » Si ergo propter rem tam necessariam Dominus modici temporis inducias petentem redarguit, qua fronte diutinam deliberationem quidam asserunt præmittendam esse Christi consiliis? Deinde Luc., IX, 61, sequitur : *Et ait alter : Sequar te, Domine; sed primum permitte mihi renunciare his qui domi sunt.* Quod exponens Cyrillus insignis Græcorum doctor dicit : « Imitanda promissio et omni laude plena. Sed quærere renunciare his qui domi sunt, licentiando se ab eis, ostendit quod utcumque divisus sit a Domino, dum hoc perfecte adire proposuerit mente. Nam velle consulere proximos non consensuros huic proposito, indicat se utcumque labentem; propter quod Dominus improbat. Sequitur enim : *Ait ad illum Jesus : Nemo mittens manum suam in aratrum et respiciens retro, aptus est regno Dei.* Apposuit manum aratro qui affectuosus est ad sequendum; tamen respicit retro qui dilationem petit occasione redeundi ad domum, et cum propinquis conferendi. Non hoc invenimus fecisse sacros apostolos, qui protinus omissa navicula et parente secuti sunt Christum. Sed et Paulus statim non acquievit carni et sanguini. Tales esse decet volentes sequi Christum. » Et Augustiuus hoc exponens in lib. *De verbis Domini* dicit : *Vocat te oriens, et tu attendis occidentem?* Oriens quidem Christus est, secundum illud Zach., VI, 12 : *Ecce vir, oriens nomen ejus.* Occidens autem est quilibet homo in mortem cadens, et in tenebras peccati vel ignorantiæ cadere valens. Injuriam ergo facit Christo, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ Dei absconditi* (Coloss., II, 3), si ejus audito consilio, adhuc ad mortalis hominis consilium aliquis existimet recurrendum.

Sed derisibili quadam tergiversatione, prædicta conantur evadere. Dicunt enim quod prædicta locum non habent nisi aliquis ipsius Domini voce vocaretur; tunc enim confitentur differendum non esse, nec ad aliud consilium recurrendum. Sed quando homo interius vocatur ad religionis ingressum, tunc opus habet deliberatione magna et multorum consilio, ut discernere possit, si hoc sit ex instinctu divino.

Sed hæc responsio errore plena est. Sic enim verba Christi quæ in Scripturis dicuntur, debemus accipere, ac si ab ipsius Domini ore audiremus. Dicit enim ipse Marc., XIII, 37 : *Quod vobis dico, omnibus dico : Vigilate;* et Rom., XV, 4, dicitur : *Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.* Et Chrysostomus dicit : « Si tantum propter illos dicta fuissent, scripta non essent ; nunc autem dicta quidem sunt propter illos, scripta vero sunt propter nos. » Unde et Apostolus inducens auctoritatem Veteris Testamenti, dicit Hebr., XII, 5 : *Obliti estis consolationis, quæ vobis tanquam filiis loquitur dicens : Fili mi, noli negligere disciplinam.* Ex quo patet quod verba sacræ Scripturæ non solis

præsentibus, sed futuris loquuntur. Specialiter autem videamus, an consilium quod Dominus dedit adolescenti, Matth., XIX, 21 : *Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quæ habes, et da pauperibus,* illi soli sit datum, vel etiam universis, quod considerare possumus ex his quæ sequuntur. Cum enim Petrus dixisset ei : *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te,* universaliter præmium omnibus statuit, dicens : *Omnis qui reliquerit domum vel fratres,* etc., *propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit.* Non minus ergo sequendum est hoc consilium ab unoquoque, quam si unicuique singulariter ex ipsius ore dominico proferretur. Unde Hieronymus dicit *Ad Paulinum presbyterum :* « Tu audita sententia Salvatoris : *Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et veni, sequere me,* verba vertis in opera, et nudam crucem nudus sequens, expeditior et levior ascendis scalam Jacob. » Quamvis etiam adolescenti loquens, singulariter ad ipsum verba protulerit, alibi tamen idem consilium universaliter protulit, dicens (Matth., XVI, 24) : *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me;* ubi dicit Chrysostomus quod « commune hoc dogma orbi terrarum proponit dicens : *Si quis vult,* id est si vir, si mulier, si rex, si liber, si servus. » Abnegatio autem suiipsius, secundum Basilium, est totalis præteritorum oblivio, et recessus a propriis voluntatibus. Et sic patet quod in hac abnegatione suiipsius intelligitur etiam depositio divitiarum, quæ per voluntatem propriam possidentur. Sic igitur consilium adolescenti a Domino datum, sic est accipiendum ac si omnibus ex ore Domini proponeretur.

Sed in responsione præmissa adhuc aliud considerari oportet. Jam enim ostensum est quod locutio qua nobis Dominus loquitur in Scripturis, idem habet auctoritatis pondus, ac si verba ab ipso Salvatoris ore proferrentur. Est autem et alius modus quo Deus interius homini loquitur; secundum illud Ps. LXXXIV, 9 : *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus,* quæ quidem locutio cuilibet locutioni exteriori præponitur. Dicit enim Gregorius in *Homil. Pentecostes :* « Ipse Conditor, non ad eruditionem hominis loquitur, si eidem homini per unctionem Spiritus non loquatur. Certe Cain, priusquam fratricidium opere perpetraret, audivit : *Peccasti quiesce.* Sed quia culpis suis exigentibus sola voce est admonitus, non unctione Spiritus, audire verba Dei potuit, sed servare contempsit. » Si igitur voci Conditoris exterius prolatæ statim obediendum esset, ut dicunt, multo magis interiori locutioni, qua Spiritus sanctus mentem immutat, resistere nullus debet, sed absque dubitatione obedire. Unde Isa., L, 5, dicitur ex ore prophetæ, vel ipsius potius Christi : *Dominus Deus aperuit mihi aurem,* scilicet interius inspirando, *ego autem non contradico : retrorsum non abii,* quasi præteritorum oblitus ad anteriora me extendens, ut dicitur ad Philip., III. Dicit etiam Apostolus ad Rom., VIII, 14 : *Quicumque Spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt;* ubi dicit *Glossa* Augustini : « Non quia nihil agant, sed quia impetu gratiæ aguntur. » Non autem agitur impetu Spiritus sancti qui resistit vel tardat. Est ergo proprium filiorum Dei ut impetu gratiæ agantur ad meliora, non expectato consilio. De quo etiam impetu dicitur Isa., LIX, 19 : *Cum venerit quasi fluvius violentus, quem spiritus Domini cogit.* Hunc autem impetum sequendum esse Apostolus docet ad Galat., V, 16, ubi dicit : *Spiritu ambulate;* et iterum : *Si spiritu ducimini, non estis sub lege;* et iterum : *Si spiritu vivimus, spiritu et ambulemus.* Pro magna autem culpa quibusdam improperatur a Stephano, Act., VII, 51 : *Vos semper Spiritui sancto restitistis.* Unde et Apostolus, I ad Thessal., V, 19, dicit : *Spiritum nolite extinguere,* ubi dicit *Glossa :* « Si cui Spiritus sanctus ad horam aliquid revelet, nolite prohibere eum loqui quod sentit. » Spiritus autem sanctus revelat non solum docendo quid homo debeat loqui, sed etiam suggerendo quid homo debeat facere, ut dicitur Joan., XIV. Cum igitur homo instinctu Spiritus sancti movetur ad religionis ingressum, non est ei differendum, ut humanum requirat consilium; sed statim homo impetum Spiritus sancti sequi debet. Unde et Ezechiel., I, 20, dicitur : *Quocumque ibat spiritus, illuc eunte spiritu et rotæ pariter levabantur sequentes eum.*

Nec solum hoc Scripturæ auctoritatibus, sed etiam sanctorum exemplis manifestatur. Narrat enim Augustinus in VIII *Conf.,* de duobus militibus, quorum unus lecta vita Antonii subito repletus amore sancto,

ait amico suo : « Ego Deo servire statui, et hoc ex hac hora, in hoc loco aggredior, te si piget imitari, noli adversari. » Respondit ille adhærere se socio tantæ mercedis, tantæque militiæ. « Et ambo jam tui ædificabant turrim sumptu idoneo relinquendi omnia sua, et sequendi te. » In quo etiam libro Augustinus seipsum reprehendit de hoc quod retardabat suam conversionem, ubi dicit : « Non erat omnino quid responderem veritate convictus, nisi tantum verba lenta et somnolenta : modo, ecce modo, sine paululum. Sed modo et modo non habebat modum, et sine paululum in longum ibat. » Et in eodem libro dicit : « Erubescebam nimis, quia illarum nugarum murmur, scilicet sæcularium et carnalium, adhuc audiebam, et cunctabundus pendebam. » Non est ergo laudabile, sed magis vituperabile, post vocationem interiorem vel exteriorem, vel verbo, vel scripturis factam differre, et quasi in dubiis consilium quærere.

Hoc etiam ad interioris inspirationis efficaciam pertinet ut homines inspirati subito ad majora provehantur, quod significatur per hoc quod congregatis in unum discipulis, ut legitur Act., II, repente Spiritus sanctus super eos veniens eos fecit magnalia Dei loqui; ubi dicit *Glossa :* « Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia. » Et Eccli., XI, 23, dicitur : *Facile est in oculis Dei subito honestare pauperem.* Hanc etiam efficaciam Dei intrinsecus inspirantis Augustinus ostendit in lib. *De prædestinatione sanctorum,* inducens quod habetur Joan., VI : *Omnis qui audivit a Patre et didicit, venit ad me.* « Valde (inquit) remota est a sensibus carnis hæc schola, in qua Pater auditur, et docet, ut veniatur ad Filium, nec agit hoc cum carnis aure, sed cordis; » et postea subdit : « Itaque gratia quæ occulte humanis cordibus divina largitate tribuitur, a nullo corde duro respuitur; ideo quippe tribuitur ut cordis duritia penitus auferatur. » Hanc etiam efficaciam inspirationis internæ Gregorius in *Homilia Pentecostes* commendat dicens : « O qualis artifex est iste spiritus! Nulla ad docendum mora agitur; ita omne quod voluerit, mox ut tetigerit, mentem docet; solumque tetigisse docuisse est. Nam humanum animum subito ut illustrat immutat. Abnegat hoc repente quod erat, et exhibet repente quod non erat. » Virtutem igitur Spiritus sancti vel ignorat vel ei resistere nititur qui a Spiritu sancto motum diuturnitate consilii detinere contendit.

Nec solum sacrorum doctorum auctoritatibus assertionis eorum convincitur falsitas, sed etiam physicis documentis. Dicit enim Aristoteles in quodam cap. *Eudymite Ethic.,* quod intitulatur De bona fortuna : « Quod autem quæritur quid est motus principium in anima, palam quemadmodum in toto Deus; rationis enim principium non ratio, sed aliquid melius. Quid igitur utique erit melius scientia et intellectu, nisi Deus? » Et postea subdit de his qui a Deo moventur quod consiliari non expedit eis; habent enim principium tale quod melius est intellectu et consilio. Erubescat igitur qui se dicit catholicum, divinitus inspiratos ad humana transmittens consilia, quibus eos philosophus ethnicus asserit non egere.

Videamus autem ulterius ad quid consilio indigeant hi quibus est sacræ religionis propositum inspiratum. Et primo quidem [1] dubitare, an id quod Christus consuluit, melius sit, sacrilegium est. Dubitare vero an propter contristationem amicorum, vel quodcumque temporalium detrimentum homo debeat religionis propositum prætermittere, est animi adhuc carnali amore irretiti. Unde Hieronymus dicit in *Epistola ad Eliodorum :* « Licet parvulus a collo pendeat nepos; licet sparso crine et scissis vestibus ubera, quibus te nutrierat, mater ostendat; licet in limine pater jaceat, per [2] calcatum perge patrem, siccis oculis ad vexillum crucis evola. Solum pietatis genus est in hac re esse crudelem. » Et postea subdit : « Gladium tenet hostis ut me perimat, et ego de matris lacrymis cogitabo? Propter patrem militiam deseram, cui sepulturam Christi causa non debeo? » Et ad hoc plura alia sunt inducta.

Forte autem aliquis inducetur ad consilium requirendum, an possit implere quod in proposito gerit. Sed etiam huic dubitationi occurrit Augustinus VIII *Confess.,* de seipso loquens, qui consilium continentiæ assumere formidabat : « Aperiebatur, inquit, ab ea parte qua intenderam faciem, et quo transire trepidabam, casta dignitas

[1] Sic cod. Vict.; Parm. : « occurrit dubitare. » —

[2] Al. : « percalcato perge patre. »

continentiæ, serena, et non dissolute hilaris; honeste blandiens, ut venirem, neque dubitarem; et extendens ad me suscipiendum et amplectendum pias manus plenas gregibus bonorum exemplorum. Ibi tot pueri et puellæ, ibi juventus multa, omnis ætas, et graves viduæ et virgines anus. » Et post pauca : « Et irredebat me irrisione exhortatoria, quasi diceret : Tu non poteris quod isti et istæ? An vero isti et istæ ex semetipsis possunt, et non in Deo suo? Dominus Deus eorum me dedit eis. Quid in te stas, et non stas? Projicere te in eum, noli metuere, non se subtrahet ut cadas. Projice te securus, excipiet te et sanabit te. »

Restant autem duo de quibus consiliari relinquitur his qui religionis assumendæ propositum gerunt, quorum unum est de modo religionem intrandi; aliud autem est, si aliquod speciale impedimentum habeant, per quod impediantur a religionis ingressu; puta, si sint servi, vel matrimonio juncti, vel aliquid hujusmodi. Sed ab hoc consilio primo quidem amovendi sunt carnis propinqui. Dicitur enim Prov., xxv, 9 : *Causam tuam tracta cum amico tuo, et secretum extraneo non reveles*. Propinqui autem carnis in hoc proposito amici non sunt, sed potius inimici, secundum illud quod habetur Michææ, VII, 6 : *Inimici hominis domestici ejus,* quod etiam Dominus introducit Matth., x, 36. In hoc igitur casu sunt præcipue vitanda carnalium propinquorum consilia. Hinc etiam est quod Hieronymus in *Epistola ad Heliodorum* impedimenta religiosi propositi, quæ a propinquis carnalibus ingeruntur, enumerat, dicens : « Nunc tibi blandis vidua soror hæret lacertis, nunc illi cum quibus adolevisti, vernaculi aiunt : Cui nos servituros relinquis? Nunc et gerula quondam, jam anus, et nutritius secundus post naturalem pietate pater clamitant : Morituros expecta paulisper, et sepeli. » Et Gregorius dicit III *Moralium :* « Callidus adversarius cum a bonorum cordibus repelli se conspicit, eos qui ab illis valde diliguntur, exquirit, et per eorum verba blandiens loquitur, quia plus cæteris amantur; ut dum vis amoris cor perforat, facile persuasionis ejus gladius ad intima rectitudinis munimina irrumpat. » Hinc est quod beatus Benedictus, ut Gregorius refert in II *Dialogorum*, nutricem suam occulte fugiens, deserti loci secessum petiit; sed Romano monacho propositum suum aperuit qui ejus desiderium secretum tenuit, et adjutorium impendit. Arcendi sunt etiam ab hoc consilio carnales homines, apud quos Dei sapientia stultitia reputatur; unde Eccl., XXXVII, 12, irrisorie dicitur : *Cum viro irreligioso tracta de sanctitate, cum injusto de justitia;* et postea subdit : *Non attendas his in omni consilio, sed cum viro sancto assiduus esto;* a quo est petendum consilium, si de aliquibus in hoc casu consiliari oporteat.

CAPUT X.

Solutio rationum contra veritatem supra inductarum.

Ea vero quibus innituntur contrarium asserentes, de facili refelluntur.

Quod enim primo inductum est quod in arduis et difficilibus sunt maxime consilia requirenda; verum est, ubi non est veritas manifesta. Sed quando id quod est melius, est altiori consilio definitum, injuriosum est iterum id in dubium revocare, iterato consilia requirendo.

Quod vero secundo propositum est, quod votum animi deliberatione firmatur, ad propositum non facit. Hæc enim deliberatio in interiori consistit proposito, quo quis eligit majus bonum, cui se obligare intendit vovendo[1]. Omne autem quod ex electione agitur, ex deliberatione sive consilio agitur, quia electio est appetitus præconsiliati, ut dicitur in III *Ethic.* Et sicut a Spiritu sancto, qui est spiritus fortitudinis et pietatis, hoc propositum homini inspiratur; ita etiam ab eodem, qui est consilii et scientiæ spiritus, deliberatio interius ministratur.

Quod etiam tertio inducitur : *Probate spiritus si ex Deo sunt,* ad propositum non facit. Ibi enim necessaria est probatio ubi non est certitudo; unde super illud I ad Thessalon., ultim. : *Omnia probate,* dicit *Glossa :* « Certa non egent discussione. » Incertum autem potest esse his quibus alios ad religionem recipere incumbit, quo spiritu ad religionem veniant; utrum scilicet desiderio spiritualis profectus; an

[1] Parm. omittit : « vovendo. »

etiam, sicut quandoque accidit, ad explorandum vel ad malefaciendum; vel etiam utrum sint ad religionem apti qui veniunt. Et ideo indicitur eis tam per statutum Ecclesiæ quam per regulare edictum, eorum qui sunt recipiendi, probatio. Sed his qui propositum religionis assumendæ gerunt, dubium esse non potest qua intentione id faciant. Unde eis deliberandi necessitas non incumbit; præcipue si de suis corporalibus viribus non diffidant; ad quas examinandas religionem intrantibus annus probationis conceditur.

Quod vero quarto proponitur, quod *Satanas transfigurat se in angelum lucis,* et multoties bona suggerit intentione fallendi, verum est; sed, sicut *Glossa* ibidem dicit, quando diabolus sensus corporis fallit, mentem vero non movet a vera rectaque sententia, qua quisque vitam fidelem gerit, nullum est in religione periculum; vel cum se bonum fingens ea vel facit vel dicit quæ bonis angelis congruunt, etiam si credatur bonus, non est error periculosus aut morbidus. Cum vero per hæc aliena bona a sua ducere incipit, ne quis post eum eat, opus est magna vigilantia. Detur ergo quod diabolus aliquem incitet ad religionem intrandum; hoc opus bonum est, et bonis angelis congruum; unde non est periculum, si quis ei in hoc consentiat, sed vigilandum erit, ut ei resistatur cum ad superbiam vel alia vitia inceperit ducere. Frequenter enim contingit quod Deus utitur malitia dæmonum in bonum sanctorum, quibus præparat coronas invictis; et sic ei a sanctis illuditur. Sciendum tamen quod sicut a diabolo suggeritur vel etiam ab homine religionis introitus, per quem aliquis accedit ad Christum sequendum, talis suggestio efficaciam non habet, nisi interius attrahatur a Deo. Dicit enim Augustinus in libro *De prædestinatione sanctorum,* quod omnes sancti sunt docibiles Dei, non quia omnes ad Christum veniant, sed quia nemo aliter venit; et sic religionis propositum a quocumque suggeratur, a Deo est.

Quod vero quinto proponitur quod in his est requirendum consilium quæ malum exitum possunt sortiri, distinctione indiget. Aut enim malus exitus potest contingere ex parte ipsius rei quæ assumenda imminet, aut ex parte hominis assumentis. Si ex parte rei quæ assumenda est, periculum imminet, et hoc quidem frequenter accidat, magna deliberatione opus est, ut periculis obvietur, vel res totaliter relinquaquatur. Si vero ut in paucioribus periculum accidat, non est magna deliberatione opus, sed vigilantia et cautela, ne aliquo casu in periculum incidatur; alioquin daretur occasio omnia humana studia prætermittendi, secundum illud Eccl., XI, 4 : *Qui observat ventum, non seminat; et qui considerat nubes, nunquam metet;* et Prov., XXVI, 13, dicitur : *Dicit piger : Leo est in via, leæna in itineribus;* ubi dicit *Glossa :* Multi cum verba exhortationis audiunt, dicunt se velle viam justitiæ incipere, sed a Satana retrahi ne perficiant. » Quandoque vero res ipsa in se secura est, habet tamen malum exitum, propter hoc quod homo mutat propositum; et ex ista causa non debet homo retrahi, vel differre sub specie majoris deliberationis religionis ingressum, quamvis aliqui mutato proposito a religione apostatantes deteriores fiant; alioquin etiam similis ratio esset de accessu ad fidem et fidei sacramenta; quia dicitur II Petr., II, 21 : *Melius erat viam veritatis non cognoscere, quam post agnitam retroire.* Et Apostolus ad Hebr., X, 29 : *Deteriora meretur supplicia qui sanguinem testamenti pollutum duxerit, et spiritui gratiæ contumeliam fecerit.* Non esset etiam passim ad justitiæ opera procedendum, quia scriptum est Eccli., XXVI, 27 : *Qui transgreditur a justitia ad peccatum, Deus paravit eum ad rhompheam.*

Jam vero quod sexto propositum est : « Si est ex Deo consilium hoc aut opus, non poteritis id dissolvere; » diligentius considerandum est : tum quia hoc ab eis frequentius inculcatur, tum quia latet ibi virus hæreticæ pravitatis. Ex hoc enim verbo prave intellecto, nostri temporis hæretici duo erronea concludere nituntur. Quorum primum est, quod corpora quæ corrumpuntur, a Deo non sunt; secundum est, quod si aliquis gratiam habet vel caritatem a Deo, amitti non potest. Assumamus etiam alia : si diabolus peccavit, opus Dei non fuit; si Judas a choro apostolorum decidit, ejus electio a Deo non fuit; si Simon Magus post baptismum in hæresim decidit, a Deo non fuit quod eum Philippus baptizavit. Cum quibus omnibus addamus et horum argumentum mirabile, consimilem virtutem habens cum prædictis. Si ille

qui religionem intravit, ab ea egreditur; propositum quo intravit, a Deo non fuit; vel studium eorum a Deo non fuit qui eum ad religionem attraxerunt. Contra quos utamur verbis Augustini in I lib. *Contra Julianum,* qui dicebat : « Non potest mali radix in eo quod donum est Dei, locari; » contra quem Augustinus dicit : « Erit profecto Manichæus victor, nisi et illi resistatur, et tibi..... Veritas ergo fidei catholicæ ideo vincit Manichæum, quia vincit teipsum. » Ut ergo ipsi pariter cum manichæis vincantur, dicamus quod consilium Dei nunquam dissolvitur, secundum illud Isa., XLVI, 10 : *Consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet.* Ex hoc tamen consilio immutabili, sicut dat rebus corruptibilibus esse temporale, quibus sempiternitatem non tribuit; ita quibusdam dat justitiam temporalem, quibus non largitur perseverantiæ donum, ut Augustinus dicit in lib. *De perseverantia.* Et sic vincuntur manichæi, quia æterno Dei consilio corruptibilia instituuntur, ut temporaliter sint; vincuntur autem isti, quia ex immobili Dei consilio quibusdam datur secundum æternum Dei consilium propositum religionem intrandi, quibus in ea perseverandi donum non datur.

CAPUT XI.

Rationes quibus astruere nituntur quod homines non debent se ad religionem obligare per votum.

Nunc inquirendum est de hoc quod impedire nituntur obligationem qua aliqui voto se ad ingressum religionis astringunt.

Et primo quidem aliqui sunt qui nituntur cuilibet voto derogare, dicentes melius esse quod absque voto aliquis virtutum opera exequatur, quam quod ad ea observanda voto se obliget; inducentes ad hoc quod Prosper (*a*) dicit II lib. *De vita contemplativa :* « Sic abstinere, vel jejunare debemus, ut non nos necessitati jejunandi subdamus; ne jam non devoti sed inviti rem non voluntarie faciamus. » Qui autem vovet se jejunaturum necessitati jejunandi se subjicit; est eadem ratio est in aliis operibus virtuosis. Non igitur videtur esse laudabile quod aliquis voveat vel jejunare vel religionem intrare, vel quodcumque aliud opus virtutis explere.

Addunt etiam ad hoc rationem, quia quanto aliquid est magis necessarium, tanto fit minus meritorium. Cum autem aliquis jam vovit vel religionem intrare vel quodcumque aliud opus explere, necessitas ei incumbit ut impleat quod promisit. Laudabilius igitur erit et magis meritorium, si aliquis absque voto faciat aliqua opera virtuosa, quam si ea expleta voto præmisso.

Specialiter autem ostendere nituntur quod ad religionis ingressum non debent aliqui per obligationem voti vel juramenti induci; inducentes statutum concilii Toletani, quod habetur in *Decretis,* dist. XLV, cap. *De Judæis,* ubi dicitur : « Non enim tales inviti salvandi sunt, sed volentes, ut integra sit forma justitiæ; sicut enim homo proprii arbitrii voluntate serpenti obediens periit, sic vocante se gratia Dei, propriæ mentis conversione quisque credendo salvatur. Ergo non vi sed libera animi voluntats et facultate, ut convertantur suadendi sunt. » Quod multo magis observandum videtur circa religionis ingressum, qui est minus necessarius ad salutem. Illi autem qui obligantur juramento vel voto ad religionis ingressum, non proprii arbitrii voluntate, sed necessitate cogente convertuntur. Non igitur videtur obligatio talis esse conveniens.

Inducunt etiam decretum Urbani papæ, quod habetur XIX, quæst. IX, cap. *Duæ sunt,* ubi dicitur quod illi qui religionem ingrediuntur, ducuntur lege privata, quæ est lex Spiritus sancti. *Ubi* autem *Spiritus Domini, ibi libertas,* secundum Apostolum II ad Corinth., III. Libertati autem opponitur necessitas, quam inducit obligatio juramenti vel voti. Inconveniens igitur est aliquos ad religionis ingressum voto vel juramento constringere. Idem etiam arguunt ex eventu qui videtur in pluribus, qui post hujusmodi obligationem ad religionem attracti, in ea non perseverant, sed redeuntes ad sæculum, desperantes seipsos, omni iniquitati perversitatis se tradunt. Et sic impleri videtur quod Dominus scribis et pharisæis dicit Matth., XV, 23 : *Circuitis mare et aridam ut faciatis unum proselytum; et cum feceritis, facitis eum filium gehennæ duplo quam vos.*

(*a*) Julianus Pomerius.

Dicunt etiam quod aliqui sic obligati aliquando votum suum non implent; [et tamen postea facti sunt boni episcopi vel archidiaconi, a quo per obligationem præmissam[1] revocati impediti fuissent.

Addunt etiam quod nec beneficiis temporalibus, puta per exhibitionem munerum sunt aliqui ad religionem inducendi; et ad hoc inducunt decretum Bonifacii papæ, quod habetur I, quæst. II, cap. *Quam pio,* ubi dicitur : « Nunquam legimus Domini discipulos, vel eorum ministerio conversos, quempiam ad Dei cultum aliquo muneris interventu provocasse. »

Adjiciunt etiam hoc contra fidelitatem esse, dum inexperti ad graviora religionis onera vel ad longas matutinas, graves vigilias, jejunia et disciplinas et alias hujusmodi asperitates obligantur, et ducuntur sicut bos ad victimam; et ita, dum non implent quod voverunt, paratur eis laqueus ad mortem æternam.

Dicunt etiam hujusmodi obligationem esse illicitam, utpote factam contra statutum Innocentii IV, qui mandavit annum probationis concedi volentibus religionem intrare, et prohibuit ante quartum decimum annum eos per votum religioni astringi. Quod etiam consonat *Regulæ* beati Benedicti, in qua conceditur probationis annus nuper ad religionem conversis.

Ulterius autem procedunt, dicentes specialiter esse illicitum ut pueri ante annos pubertatis prædicto modo ad religionis ingressum obligentur. Illicitum enim videtur esse quod aliquis obligetur tali obligatione quæ juste possit ab alio irritari. Si autem aliqui impuberes se ad religionem obligaverint, possunt retrahi a parentibus vel a tutoribus, ut probatur per id quod habetur XX, quæst. II, ubi dicitur : « Puella si ante duodecim ætatis annos sponte sua sacrum velamen sibi assumpserit, possunt statim parentes ejus vel tutores id factum irritum facere si voluerint. » Illicitum est ergo impuberes ad religionem obligare juramento vel voto.

Inducunt etiam ulterius quod aliquis infra annos pubertatis constitutus, etiam si sit doli capax, ad religionem obligari non potest. Et inducunt ad hoc illud quod dicit Bernardus in apparatu de regularibus et transeuntibus ad religionem, super illam decretalem Innocentii III quæ incipit : *Postulati;* et sunt hæc verba apparatus : « Si vis intelligere quod essent infra tertium et quartum decimum annum, hæc potuit esse dubitatio, quia forte erant doli capaces; et sic videbatur quod malitia suppleret ætatem, sicut in matrimonio carnali, ut habetur *Extra.,* de despon. impub., cap. *A nobis,* et cap. *Tuæ,* quia sicut potuerunt se obligare diabolo, sic et Deo. Sed Papa respondet quod libere possunt ministrare in Ecclesiis postea receptis; et sic non obligantur ante quartum decimum annum. Hugutio vero dicebat quod bene obligatur doli capax; et tenebat monachatus, quia poterat se obligare diabolo. Et Innocentius III fuit in eadem opinione; qui in *Decretali* ista respondet, quod ingressus tenuit, si malitia supplebat ætatem, sicut in antiqua *Decretali* patet; sed hodie non prodest. Et ad hoc etiam inducunt quod Raymundus et Goffredus in suis *Summis* dicunt idem.

Inducunt etiam quod pueri ante quatuordecim annos non debent obligari juramento, ut habetur XXII, quæst. V, cap. *Pueri,* et cap. *Honestum.* Pari igitur ratione, nec voto sunt obligandi pueri ante quartum decimum annum ad religionis ingressum.

Dicunt etiam quod religio dicitur a religando, vel reeligendo, ut Augustinus dicit X *De civit. Dei.* Unde concludunt quod pueri qui non sunt ligati, non debent religari, et qui non elegerunt, non debent reeligere per religionis ingressum. Ex quibus omnibus concludunt pueros esse miseros et insensatos, qui religionem ingrediuntur, vel ad religionis ingressum se obligant.

CAPUT XII.

Improbatio erroris præmissi, et ostensio quod opus virtutis factum cum voto, magis est meritorium.

Ut autem in singulis præmissorum veritas possit manifeste videri, seriatim quæ præmissa sunt, investigare oportet, a communibus ad specialia descendendo.

Et primo consideremus an verum sit quod dicunt : scilicet magis esse merito-

[1] Parm. omittit : « revocati. »

rium opus virtutis absque voti obligatione factum, quam si ex voto id aliquis impleat. Et quamvis de hoc plura sint dicta in alio nostro libello quem *De perfectione* conscripsimus, hic tamen aliqua iterare[1] non pigeat.

Primo igitur considerandum est quod cum laus operis ex radice voluntatis dependeat, tanto exterius opus laudabilius redditur, quanto ex meliori voluntate procedit. Inter alias autem conditiones bonæ voluntatis una est ut sit voluntas firma et stabilis; unde in vituperium pigrorum inducitur quod habetur Proverb., IV, 13 : *Vult et non vult piger.* Tanto igitur opus exterius laudabilius redditur et magis meritorium, quanto voluntas ejus magis stabilitur in bono. Unde et Apostolus monet I ad Cor., XV, 58 : *Stabiles estote et immobiles;* et secundum Philosophum, ad virtutem requiritur ut aliquis firmiter et immobiliter operetur. Sed et justitam jurisperiti definiunt, quod est constans et perpetua voluntas. Sicut et e contrario patet quod tanto peccatum est detestabilius, quanto voluntas hominis magis fuerit obstinata in malo; unde et obstinatio ponitur peccatum in Spiritum sanctum. Manifestum est autem quod voluntas firmatur ad aliquid faciendum per juramentum; unde et Psalmista dicebat Ps. CXVIII, 106 : *Juravi, et statui custodire judicia justitiæ tuæ.* Confirmatur etiam similiter et voto, cum votum sit promissio quædam. Qui autem promittit se aliquid facturum, firmat propositum suum ad illud implendum. Laudabilius igitur est virtutis opus, et magis meritorium, si fiat voluntate firmata per votum. Hoc etiam apparet ex consuetudine vitæ humanæ. Quia enim voluntas humana mutabilis est, ad hoc ut verbis hominum fides adhibeatur, intantum inolevit consuetudo ut hoc quod aliquis alteri vult facere, promissione confirmet; et ulterius promissionem roboret legitimis munimentis. Plus autem debet unusquisque sibi quam proximo, præcipue in his quæ pertinent ad spiritualem salutem, secundum illud Eccl., XXX, 24 : *Miserere animæ tuæ placens Deo.* Potest autem homo propter voluntatis mutabilitatem prætermittere id quod proposuit, pro commodo temporali alterius. Si igitur aliquis utiliter providet proximo, vallando promissionem suam juramento, fidejussione vel pignore; multo magis utiliter et laudabiliter sibi providet, si bonum propositum quod concepit, vel voto vel juramento, vel quocumque alio modo firmare studuerit. Unde Augustinus dicit in *Epistola ad Paulinam et Armentarium :* « Quia vovisti jam te astrinxisti, aliud tibi facere non licet; et postea subdit : Nec ideo tamen te vovisse pœniteat; imo gaude jam tibi non licere quod cum tuo detrimento licuisset. »

Amplius considerandum est quod opus inferioris virtutis laudabilius redditur et magis meritorium, si ad superiorem virtutem ordinetur; sicut opus abstinentiæ, si ordinetur ad caritatem. Pari ergo ratione, et si ordinetur ad latriam, quæ est abstinentia potior. Votum autem est latriæ actus : est enim promisso Deo facta de his quæ pertinent ad Dei obsequium; unde Isa., XIX, 21, dicitur : *Cognoscent Ægyptii Dominum in die illa, et colent eum in hostiis et muneribus, et vota vovebunt Domino, et solvent.* Jejunium igitur laudabilius erit et magis meritorium, si fiat ex voto. Hinc est quod in Psalm. LXXV, 12, vel consulitur vel mandatur : *Vovete, et reddite Domino Deo vestro;* quod frustra mandaretur vel consuleretur, nisi opus bonum ex voto facere melius esset.

Hoc autem habito, dubitare ulterius, utrum alicui liceat se obligare voto ad religionis ingressum[1] erroneum est. Si enim virtuosum est religionis statum assumere, virtuosos autem actus ex voto facere laudabilius est; laudabiliter agunt illi qui statim religionem ingredi non valentes, se ad ingressum religionis voto astringunt. Nisi forte quis secundum Vigilantium dicat quod status sæcularis vitæ statui religionis æquatur; vel majori vesania in tantum erroris prorumpat, quod præsumat asserere statum religionum quas Ecclesia approbavit, non esse statum salutis; in quo jam Vigilantii hæresim superabunt, non solum inania reddentes Christi consilia, sed ea penitus evacuantes, necnon et ordinationi Ecclesiæ repugnantes quod est schismaticum esse. Si autem laudabiliter faciunt et a spiritu Dei moventur qui se obligant voto ad religionis ingressum; consequens est eos laudabiliter facere qui

[1] Sic cod. Vict.; Parm. : « dubitatur ulterius, ... vel erroneum, » et in notula : Forte ita supplendum : « quod quidem negare de iis qui pubertatis annos excedunt, vel hæreticum vel erroneum est. »

alios suis exhortationibus ad hoc inducunt, in hoc Spiritui sancto cooperantes, dum satagunt id ministerio exteriori suadere ad quod Spiritus sanctus instigat interius. Unde et Apostolus dicit, I ad Corinth., III, 9 : *Dei enim adjutores sumus,* forinsecus scilicet ministrando.

Sed quia quantum ad eos qui pubertatis annos excedunt, contrarium sapere nefarium est; restat considerandum utrum pueri vel puellæ ante pubertatis annos completos valeant se voto religionis astringere. Ubi oportet distinguere duplex esse votum : unum quidem simplex, aliud autem solemne. Simplex quidem votum in sola promissione consistit; solemne autem votum cum promissione habet exteriorem exhibitionem; dum scilicet homo actualiter se offert Deo, vel per ordinis sacri susceptionem, vel per professionem certæ religionis in manu prælati, quibus duobus modis votum solemnizatur; vel etiam per susceptionem habitus professorum, quæ est quædam interpretativa professio. Utriusque autem voti circa matrimonium est diversus effectus. Nam votum solemne impedit matrimonium contrahendum, et dirimit jam contractum; votum autem simplex, etsi contrahendum impediat, contractum tamen non dirimit. Est autem et contrarius et diversus effectus utriusque voti circa religionem. Nam votum solemne, quod fit per expressam aut præsumptam professionem, jam monachum facit, vel cujuscumque alterius ordinis fratrem; votum vero simplex monachum non facit, cum adhuc dominus rerum suarum remaneat, et adhuc si contrahat, possit esse maritus. Quia igitur simplex votum consistit in sola promissione Deo facta, quæ ex interiore mentis deliberatione procedit; votum simplex ex jure divino efficaciam habet, quod nullo humano jure tolli potest. Hujus autem voti efficacia dupliciter tolli potest. Uno quidem modo per defectum deliberationis, quæ promissioni firmitatem præstat; et ideo furiosorum et aliorum amentium vota vim obligationis non habent, ut habetur *Extra.,* de regul. et transeuntibus ad religionem, *Sicut tenor;* et eadem ratio est de pueris qui non sunt doli capaces, nec habent debitum rationis usum : qui in quibusdam anticipatur, in quibusdam tardatur secundum diversam dispositionem naturæ; unde ad hoc non potest certum tempus præfigi. Alio modo impeditur efficacia simplicis voti, si aliquis Deo voveat qui non est propriæ potestatis; puta, si servus voveret se religionem intrare, haberet quidem efficaciam quantum ad ipsum, qui usum rationis habet, si dominus ejus permitteret; si tamen dominus hoc votum ratum non habeat, absque peccato poterit revocare, ut habetur in *Decretis,* distinct. XLIV, *Si servus,* ubi dicitur quod « si, domino ignorante, servus fuerit ordinatus, licet ei infra spatium unius anni et servilem fortunam probare et servum suum recipere. » Et quia puer vel puella infra pueriles annos etiam ex naturali jure in potestate patris constituitur, poterit pater votum ab eis emissum, si voluerit, acceptare secundum ordinationem juris divini; dicitur enim Num., XXX, 4 : *Mulier si quippiam voverit, et se astrinxerit juramento, quæ est in domo patris sui, et in ætate adhuc puellari : si cognoverit pater votum quod pollicita est, et juramentum quo obligavit animam suam, et tacuerit, voti rea erit; quidquid pollicita est et juravit, opere complebit. Sin autem, statim ut audierit, contradixerit pater : et vota et juramenta ejus irrita erunt, nec obnoxia tenebitur sponsioni, eo quod contradixerit pater.* Ex quo patet quod puella vel puer, de quo est eadem ratio, infra pueritiæ annos, quantum in ipsis est, voto se obligare possunt, nisi impediat rationis defectus, ut dictum est; sed quia potestati alterius subjiciuntur, potest votum revocari a patre. Quod etiam patet per hoc quod subditur de muliere adulta, cujus votum a viro revocari potest. Et licet jus positivum determinare non possit tempus quo homo habere incipiat usum rationis, per quem Deo se valeat obligare, potest tamen determinare tempus obligationis vel subjectionis unius personæ ad aliam. Determinatur autem hoc tempus in puella quidem usque ad duodecim annos completos, in mare autem usque ad quartuordecim, quia hoc communiter consuevit esse tempus pubertatis, ut habetur XX, quæst. II, cap. *Puella,* et cap. *Si in qualibet.* Sic igitur quantum ad votum simplex, quo quis obligatur ad religionis ingressum, potest aliquis obligari, quantum in ipso est, ante completos pubertatis annos, cum sit doli capax, habens debitum rationis usum ad discernendum quod

facit; potest tamen hoc votum revocari a patre, vel tutore, qui est loco patris. Quia vero solemne votum religionis, quod fit per professionem tacitam vel expressam, habet quasdam exteriores solemnitates, quæ ordinationi subduntur Ecclesiæ, sicut et solemnitas ordinis sacri; secundum Ecclesiæ determinationem exigitur ad hujusmodi votum completum pubertatis tempus, id est in puero quatuordecim annorum, et in puella duodecim; ita quod professio ante hoc tempus facta, quantumcumque aliquis sit doli capax, non facit profitentem esse monachum, vel cujuscumque ordinis fratrem. Hoc enim communiter tenet Ecclesia, licet Innocentius III aliter sensisse dicatur.

CAPUT XIII.

Solutio rationum inductarum.

His igitur visis, facile est ad omnia objecta respondere.

Quod enim primo inducitur de verbis Prosperi : « Sic jejunare debemus, ut non nos necessitati jejunandi subdamus; » intelligitur de necessitate coactionis, quæ voluntario repugnat : unde subdit : « Ne jam non devoti, sed inviti rem non voluntarie faciamus. » Non autem loquitur de necessitate voti, per quam magis augetur devotio, quæ a devovendo nominatur.

Quod vero secundo propositum est, quod necessarium est minus meritorium, intelligendum est de necessitate quæ ab aliquo imponitur contra voluntatem ipsius. Sed cum aliquis sibiipsi necessitatem imponit bene faciendi, ex hoc laudabilior redditur, quia per hoc se facit quodammodo servum justitiæ, ut Apostolus monet ad Rom., vi. Unde et Augustinus dicit in *Epistola ad Paulinam et Armentarium* : « Felix necessitas quæ ad meliora compellit. »

Quod vero tertio propositum est de Judæis convertendis libera voluntate, patet ad propositum non pertinere. Libertati enim voluntatis non opponitur confirmatio voluntatis in bono; alioquin nec Deus nec beati liberam voluntatem haberent. Opponitur autem ei necessitas coactionis ex violentia vel metu procedens. Et ideo signanter dicit canon de Judæis : « Præcepit sancta synodus nemini deinceps ad credendum vim inferre. » Per votum autem aut juramentum non infertur homini vis, sed ex eis voluntas hominis confirmatur in bonum; unde per hoc non redditur homo invitus, sed magis firmiter volens; et jam incipit homo quodammodo facere, inquantum se obligat ad faciendum. Et per hunc etiam modum nullus sanæ mentis diceret esse illicitum inducere Judæos ut se propria voluntate obligarent vel juramento vel voto ad accipiendum baptismum.

Quod autem quarto propositum est, quod aliquando voto aut juramento se ad religionem obligantes retrocedunt, et in desperationem incidentes tradunt se omni iniquitati, et sic fiunt filii gehennæ duplo quam illi qui eos inducunt, refellitur per verbum Apostoli quod dicit Rom., iii, 3 : *Numquid incredulitas illorum fidem Dei evacuavit?* Ex quo accipere possumus, quod per hoc quod quidam bonis abutuntur, nullum fit præjudicium illis qui perseverant in bono. Sicut etiam *Glossa* dicit ibidem, quod non ideo quia aliqui Judæorum credere noluerunt, idcirco præjudicabitur[1] cæteris Judæis, ne digni dicantur accipere quod Deus promisit fidelibus; similiter etiam nec ideo quia aliqui voventes vel jurantes religionem intrare, post votum pœnitent, et deteriores fiunt, idcirco aliquid prejudicatur illis qui voventes in voto perseverant. Et ideo, qui homines inducunt ad vovendum religionis ingressum, non faciunt filios eos gehennæ, quantum in eis est, sed potius filios regni; præsertim cum plures ex talibus proficiant, votum implentes, quam deficiant a voto recedentes : nisi forte, quod absit, pravis exemplis eos ad peccandum inducerent, ut patet per expositionem Hieronymi et Chrysostomi. Videtur tamen huic rationi suffragari quod Apostolus dicit I ad Timoth., v, 11 : *Adolescentiores viduas devita;* et rationem assignat, cum subdit : *Habentes damnationem, quod primam fidem irritam fecerunt,* qua scilicet Deo continentiam promiserunt. Sed, sicut Hieronymus dicit in *Epist. de monogamia ad Ageruchiam,* propter has quæ fornicatæ sunt in injuriam viri sui Christi[2] vult Apostolus alterum matrimonium, præferens bigamiam fornicationi, secundum indulgentiam dumtaxat, non

[1] Al. : « prædicabitur. » — [2] Al. redundat : « fecerunt. »

secundum imperium : quia multo tolerabilius est bigamam esse quam scortum, secundum habere virum quam plures habere adulteros. Non ergo Apostolus prohibet simpliciter adolescentes viduas continentiam vovere, cum I ad Cor., vii, 8, dicat quod *bonum est eis, si sic* in viduitate *permanserint;* sed eas prohibet recipi ad stipendia Ecclesiæ, quæ in lascivia vivunt; unde dicit : *Adolescentiores viduas devita, quæ cum luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt.*

Quod vero sexto proponunt quod aliqui post votum de ingressu religionis emissum, in sæculo remanentes facti sunt boni episcopi; manifeste veritati contrariatur, ut patet per *Decretalem* Innocentii, quæ habetur de voto et voti redemptione, quæ sic dicit : « Per tuas nobis litteras intimasti, te in Gratianopolitana Ecclesia suscipiendi habitum regularem votum solemniter emisisse, et postea promisisse in manibus prælati ejusdem Ecclesiæ, te infra duos menses, postquam ab apostolica Sede rediisses, votum quod emiseras, impleturum. Cumque termino ipso transacto non curasses quod voveras adimplere, tandem existens voti transgressor, vocatus fuisti ad regimen Ecclesiæ Gebenensis. » Et infra : « Nos igitur tuæ discretioni[1] consulimus, ut si tuam sanare desideras conscientiam, regimen resignes Ecclesiæ memoratæ, ac reddas Altissimo vota tua. » Ex quo patet manifeste quod non possunt bona conscientia vel episcopatum vel archidiaconatum retinere qui voverunt religionem intrare; et ita, si retinent, non sunt boni episcopi vel archidiaconi, cum sint voti transgressores.

Quod autem septimo propositum est, quod non sunt aliqui ad Dei cultum muneris interventu provocandi, solvitur per idem cap., quod ad hoc inducunt; sequitur enim post præmissa : « Nisi forte de pauperum alimento quis in commune proponat, quorum nulli, cujuscumque professionis esset victualia negabuntur. » Ex quo patet quod inconvenienter redarguunt eos qui pauperibus scholaribus bursas procurant, et eos in studio nutriunt, ut postmodum sint religioni aptiores. Sed et si qua alia beneficia terrena alicui conferantur, ut ex hoc ejus familiaritate captata provocetur ad melius, non est illicitum; esset autem illicitum si aliqua pactio vel conventio interveniret. Unde et in eodem capite subditur : « Dum tamen omnis absit pactio, et omnis cesset conventio. » Alioquin, si non liceret aliquem per temporalia beneficia provocare ad aliquod spirituale bonum, illicitum esset quod in quibusdam Ecclesiis quædam distribuuntur his qui ad officium divinum accedunt.

Quod vero octavo propositum est, contra fidelitatem esse quod juvenes inducantur ad graviora onera, scilicet jejunia, vigilias et hujusmodi, manifestam continet falsitatem. His enim qui in religione recipiuntur, vel ad eam obligantur, in principio graviora religionis onera manifestantur. Nec tamen est contra fidelitatem, si ad provocandos aliquos ad religionem, cujus asperitates sunt manifestæ, spirituales eis animi consolationes repromittant, exemplo Domini, qui dicebat Matth., xi, 29 : *Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum et humilis corde; et invenietis requiem animabus vestris.* In quibus verbis et corporale onus significatur per hoc quod jugum nominat, et spiritualis consolatio in hoc quod quietem promittit. Unde Augustinus dicit in lib. *De verbis Domini* : « Qui jugum Domini intrepida cervice subierunt, tam difficilia pericula patiuntur, ut non a laboribus ad quietem, sed a quiete ad laborem vocari videantur. Sed profecto adest Spiritus sanctus, qui in affluentia deliciarum Dei, in spe futuræ beatitudinis omnia præsentia deliniret, aspera et omnia gravia relevaret. » Satis ergo spiritualium deliciarum inexpertos se indicant, eos decipi arbitrantes qui ea quæ sunt corpori gravia, propter Christum suscipiunt.

Quod vero nono propositum est de statuto Innocentii Papæ, ad propositum non facit : quia statutum illud est editum de voto solemni quod per professionem emittitur, non autem de voto simplici, quo aliqui ad religionem ex devotione se obligant.

Quod vero decimo propositum est, posse parentes hujusmodi vota impuberum retractare, efficaciam non habet; non enim omne id quod revocari potest, illicite committitur; alioquin oporteret dicere quod

[1] Al. : « descriptioni. »

minores vigintiquinque annis peccarent in omnibus quæ cum suo damno facerent, quia possunt in integrum restitui. Sic igitur impuberes non peccant, si votum religionis emittant, vel si etiam habitum religionis assumant absque parentum licentia, quamvis hoc possit per parentes revocari ; alioquin si hoc esset peccatum, prohiberetur per canones, per quos parentibus revocandi facultas conceditur.

Ea vero quæ undecimo de apparatu *Decretalium* et summis juristarum[1] proponuntur, ad propositum non faciunt : quia loquuntur de voto solemni, quod monachum facit, vel cujuscumque religionis professum, de quo fuerunt inter doctores juris canonici opiniones diversæ, quamvis inconsonum et derisibile videatur quod sacræ doctrinæ professores juristarum glossulas in auctoritatem inducant, vel de eis disceptent.

Illud etiam quod duodecimo de juramento proponitur, ad propositum non facit, quia non prohibent canones pueros jurare, sed decernunt[2] quod jurare non cogantur.

Quod vero tertiodecimo proponitur, falsitatem continet. Pueri enim ligati sunt professione fidei christianæ, quam etiam in baptismo sacramentaliter elegerunt. Unde possunt iterato ligari et eligere perfectionis statum. Quamvis et propter aliud hoc incongrue dicatur : quia et in ipso sacramento baptismi pueri christianam religionem suscipiunt, et religantur Deo, ipsum iterum eligentes, a quo per peccatum primi parentis fuerunt separati.

Demum profanam conclusionem pueros stultitiæ arguentem, piorum aures ferre non valent. Quis enim puerum Benedictum stultitiæ argui patiatur, quod relicta domo rebusque patris, soli Deo placere desiderans, sanctæ conversationis habitum et desertum quæsivit? Quis nisi hæreticus blasphemet Joannem Baptistam, de quo legitur Lucæ, I, 80, quod *puer crescebat et confortabatur spiritu, et erat in desertis usque ad diem ostensionis suæ ad Israel?* Manifeste tales insultatores animales se esse demonstrant, dum stultitiam reputant ea quæ sunt spiritus Dei; qui sicut Ambrosius dicit *Super Lucam,* « non coercetur ætatibus, non obitu extinguitur, non alvo matris excluditur; » et sicut Gregorius dicit in *Homilia Pentecostes,* « qui implet cytharedum puerum et Psalmistam facit, implet pastorem armentarium sycomoros vellicantem, et prophetam facit ; implet puerum abstinentem, et judicem senum facit; implet piscatorem, et prædicatorem facit ; implet persecutorem, et doctorem gentium facit; implet publicanum, et Evangelistam facit. » Utar ergo e contrario verbis Apostoli dicentis, I ad Cor., III, 18 : *Si quis inter vos videtur sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sapiens.* Stultus quidem secundum sapientiam mundi, quæ stultitia est apud Deum; non autem secundum sapientiam Dei, quæ, sicut legitur Proverb., I, 22, parvulos alloquitur dicens : *Usquequo parvuli diligitis infantiam?* et post : *Convertimini ad correptionem meam, en proferam vobis spiritum meum.*

[1] Cod. Vict. : « sententiis imperatorum. » — [2] Al. : « discernunt. »

CAPUT XIV.

Rationes contra perfectionem religiosorum non habentium possessiones in communi.

Nunc restat considerandum quomodo homines a religione retrahere conantur religionis perfectioni derogando, maxime eorum qui in communi possessiones non habent.

Inducunt enim illud quod dicit Prosper (*a*) in lib. *De vita contemplativa*, et habetur XII, quæst. I : « Expedit facultates Ecclesiæ possideri, et proprias perfectionis amore contemni : non enim propriæ sunt, sed communes Ecclesiæ facultates. Et ideo quisquis omnibus quæ habuit, dimissis aut venditis, fit rei suæ contemptor ; cum præpositus factus fuerit Ecclesiæ, omnium quæ habet Ecclesia, efficitur dispensator. Denique sanctus Paulinus, ut ipsi melius nostis, ingentia prædia quæ fuerunt sua, vendita, pauperibus erogavit. Sed cum factus esset episcopus, non contempsit Ecclesiæ facultates, sed fidelissime dispensavit. Quo facto, satis ostenditur et propria debere propter perfectionem contemni, et sine impedimento perfectionis posse Ecclesiæ facultates (quæ sunt profecto communes) possideri. » Ex hoc accipere volunt non pertinere ad perfectionem, non habere possessiones communes.

(*a*) Non Prosper, sed Pomarius.

Inducunt etiam ad hoc aliorum sanctorum exempla. Nam B. Gregorius de facultatibus suis, intra urbis romanæ mœnia unum monasterium, in Sicilia vero sex legitur construxisse. Beatus etiam Benedictus, monachorum præceptor almificus, amplas possessiones pro suo monasterio recepit. Quod tanti viri, evangelicæ perfectionis æmulatores, nullo modo fecissent, si possessiones communes in aliquo apostolicæ et evangelicæ perfectioni derogarent. Et ex hoc concludere volunt, non pertinere ad majorem perfectionem quod aliqui possessionibus careant.

Addunt etiam quod apostoli, quibus Dominus mandaverat ut nihil possiderent nec aliquid deferrent in via, tempore necessitatis aliqua possidebant. Unde super illud Luc., XII : *Sed nunc qui habet sacculum, tollat similiter et peram,* dicit *Glossa,* quod, « instante mortis articulo, et tota illa gente pastorem simul et gregem persequente, congruam tempori regulam decernit, permittens ut tollant victui necessaria. » Non autem persecutionis tempore apostoli minoris perfectionis fuerunt. Igitur possidere communia perfectionem non diminuit.

Dicunt insuper quod Christus ordinem discipulorum instituit, quibus succedunt episcopi et clerici possessiones habentes; ordines autem religiosorum absque possessionibus in paupertate viventium postea ab aliis sunt instituti. Quod autem Christus instituit, perfectius est. Perfectius igitur esse videtur communes possessiones habere, quam absque possessionibus vivere.

Arguunt insuper quod non est credibile quod perfectio quam Christus instituit, obdormisset intermissa a tempore apostolorum usque ad hæc tempora, in quibus aliqui ordines inceperunt sine communibus possessionibus vivere. Unde concludere volunt quod communibus possessionibus carere ad perfectionem evangelicam non pertineat.

Dicunt etiam quod si qui post apostolorum tempora communis possessionibus caruerunt, vivebant de opere manuali, sicut legitur de sanctis Patribus in Ægypto. Unde illi qui possessionibus communibus carent, et tamen de opere manuali non vivunt, videntur omnino ab evangelica perfectione deficere.

Inducunt etiam quod divitiarum abrenuntiatio introducta est ad tollendam sollicitudinem temporalium rerum, secundum illud Luc., XII, 22 : *Nolite solliciti esse animæ vestræ quid manducetis, neque corpori quid induamini;* et I Corinth., VII, 32 : *Volo vos sine sollicitudine esse.* Sed major his qui possessiones non habent sollicitudo imminet victus quærendi quam his qui sufficientiam victus jam habent per possessiones communes. Ergo communibus possessionibus carere diminuit evangelicam perfectionem.

Circa hoc etiam addunt, quod tales religiosi necesse habent de negotiis multorum se intromittere, qui eis necessaria victus ministrant; et sic multiplicantur in eis temporalium sollicitudines, evangelicæ perfectioni adversantes. Videntur igitur ex hoc ipso quod possessionibus communibus carent, detrimentum perfectionis pati.

Dicunt denique, hoc esse impossibile quod aliquis nihil in communi vel proprio possideat, quia necesse est quod comedant et bibant et induantur, quod facere non possunt, si nihil haberent.

Ex his igitur derogare nituntur perfectioni possessiones non habentium in communi.

CAPUT XV.

Confutatio erroris præmissi.

Oportet autem attendere quod prædicti paupertatis impugnatores, doctrinæ Christi, nec non et vitæ ipsius non modicum adversantur, qui in omnibus paupertatem et servandam verbo docuit, et exemplo monstravit. Dicit enim de ipso Apostolus II Cor., VIII, 9 : *Quod propter nos egenus factus est, cum dives esset.* « Paupertatem enim assumpsit (ut *Glossa* ibidem dicit) et divitias non amisit, intus dives, foris pauper, latens in divitiis, apparens homo in paupertate. » Ex quo his qui Christi paupertatem sequuntur, magna dignitas accrescit. Unde post pauca ibidem concluditur : « Nemo igitur se contemnat, pauper in cella, dives in conscientia. Et ut ab exordio introitus ejus in mundum incipiamus, pauperculam elegit matrem, pauperiorem patrem [1] eligens fit pecuniis egens, et hæc tibi exponat præsepe, ut legitur in quodam synodali

[1] Al. : « patriam. »

sermone Ephesini concilii. » Et post pauca subditur : « Respice pauperrimum habitaculum ejus qui ditat cœlum. Vide præsepe sedentis super cherubim, vide pannis obsitum eum qui pelagus arenæ junxit, vide deorsum paupertatem, divitias ejus sursum considerans. » Si autem non propter se, sed propter nos egenus factus est, secundum Apostolum, numquid non poterat matrem multas possessiones habentem eligere, atque in domo propria nasci, si nihil ad perfectionem christianæ vitæ pertineret terrenas possessiones non habere, quinimo propria domo carere? Confundantur igitur paupertatis detractores, cujus gloria in ipsis Christi cunabulis præclare refulget. Et ne putetur paupertatem, quam in infantia sustinuit, in perfecta deseruisse ætate; videamus quid ipse de se dicat Matth., VIII, 20 : *Filius,* inquit, *hominis non habet ubi caput* suum *reclinet;* quasi dicat, ut Hieronymus exponit : « Quid me propter divitias et sæculi lucra cupis sequi, cum tantæ sim paupertatis, ut nec hospitiolum quidem habeam, et tecto utar non meo ? » Et Chrysostomus idem exponens dicit : « Aspice qualiter paupertatem, quam Dominus docuerat, per opera demonstravit. Non erat ei mensa, non candelabrum, non domus, nec quidquam aliud talium. » Hæc autem paupertas ad perfectionem pertinet, quam Dominus et verbo docuit, et per opera demonstravit. Pertinet igitur ad perfectionem christianæ vitæ terrenis possessionibus omnino carere.

Rursus ulterius procedentes, invenimus testimonium paupertatis Christi ex hoc quod cum ab eo tributum requireretur, dixit Petro (Matth., XVII, 26) : *Vade ad mare, et mitte hamum, et eum piscem qui primo ascenderit, tolles, et aperto ore ejus inveniens staterem, illum sumens da eis pro me et te.* In cujus expositione Hieronymus dicit : « Hoc etiam simpliciter intellectum ædificat auditorem, dum audit Dominum tantæ fuisse paupertatis, ut unde tributa pro se et apostolo redderet, non habuerit. Quod si quis objicere voluerit, quomodo Judas in loculis portabat pecuniam? respondebimus. Rem pauperum in usus suos convertere nefas putavit, nobisque idem tribuit exemplum. » Manifestum est autem, nec alicui christiano debet venire in dubium, quod Christus summam perfectionem in sua conversatione servavit; unde et paupertatis perfectionem docebat (Matth., XIX, 21) : *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et veni, sequere me,* in quo est perfectionis summa, ut Hieronymus dicit. Est igitur summa paupertatis perfectio ut ad exemplum Christi aliqui homines possessionibus careant, etsi aliqua reservent ad pauperum usum, præsertim quorum eis cura incumbit; sic ut Dominus præcipue suos discipulos propter ipsum pauperes effectos, de his quæ sibi dabantur reservans, sustentabat. Inter cætera vero quæ Christus in mortali vita vel fecit[1] vel passus est, præcipue christianis imitandum proponitur venerandæ crucis exemplum; unde et ipse Dominus dicebat Matth., XVI, 24 : *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me;* unde et Apostolus quasi simul cum Christo crucifixus, et in sola Christi cruce gloriam habens dicebat, Galat., VI, 17 : *Ego stigmata Domini in corpore meo porto,* exemplum crucis diligenter secutus. Inter alia vero crucis insignia apparet omnimoda paupertas, in qua exterioribus rebus privatus est usque ad corporis nuditatem; unde ex persona ejus in Ps. XXI, 19, dicitur : *Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.* Hanc autem crucis nuditatem per voluntariam paupertatem homines sequuntur, et præcipue qui possessionum reditibus carent; unde dicit Hieronymus *Ad Paulinum presbyterum :* « Tu audita sententia Salvatoris : *Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et veni, sequere me,* verba vertis in opera, et nudam crucem nudus sequens, expeditior et levior ascendis scalam Jacob; » et post pauca subdit : « Nihil enim est grande tristi et livida facie vel simulare vel ostentare jejunia, possessionum reditibus abundare, et vile jactare palliolum. » Sic igitur patet inimicos esse crucis Christi prædictos adversarios paupertatis, qui terrena sapientes, terrenas possessiones ad perfectionem christianam pertinere arbitrantur per quorum abjectionem fiat minor perfectio.

His igitur circa viam Christi consideratis tam in ejus ortu, quam in ejus progressu,

[1] Parm. omittit : « vel fecit. »

quam etiam in ipso crucis occasu; ad Christi doctrinam accedamus, qui discipulos simul et turbas instruens, a paupertate principium sumpsit, Matth., v, 3, ubi dicit : *Beati pauperes spiritu,* quod Hieronymus exponens dicit : « Qui scilicet propter Spiritum sanctum voluntate sunt pauperes; » et, sicut Ambrosius dicit *Super Lucam,* « primam beatitudinem paupertatis uterque Evangelista posuit, ordine enim prima est, et parens quædam generatrixque virtutum, quia qui contempserit sæcularia, ipse merebitur sempiterna, nec potest quisque meritum regni cœlestis adipisci, qui mundi cupiditate possessus[1] est. » Qualis autem pauper spiritus præcipue sit, B. Basilius ostendit, dicens : « Beatus pauper, quasi Christi discipulus qui pro nobis paupertatem sustinuit, nam ipse Dominus quodlibet opus implevit quod ad beatitudinem ducit, se præbens exemplar discentibus. » Nusquam autem Dominus legitur possessiones habuisse. Non igitur beatitudinis detrimentum habet paupertas eorum qui possessionibus carere volunt propter Christum, sed magis beatitudinis augmentum. Deinde Dominus electis duodecim apostolis, ad prædicandum eos mittens, concessa eis miraculorum potestate, inter cætera vitæ documenta, primo inducit paupertatis doctrinam, dicens Matth., x, 9 : *Nolite possidere aurum nec argentum in zonis vestris, non peram in via;* quod exponens Eusebius Cæsariensis dicit : « Prohibebat eis auri et argenti et æris possessionem, præcognitione futurorum. Contemplabatur enim quod qui sanandi erant per eos, et ab incurabilibus passionibus liberandi, vellent eis cedere in omnibus bonis suis; » et post aliquid subdit : « Putabat oportere conductos arrha regni Dei, terrena despicere, ut nec aurum nec argentum nec possessiones nec quidquam eorum quæ mortales appretiantur, condignum existiment datis sibi cœlestibus opibus; nec non cum milites eos faceret regni Dei, monebat eos colere paupertatem. Nullus enim militans Deo implicat se hujus vitæ negotiis, ut placeat Deo. » Et sic Hieronymus dicit *Super Matth. :* « Qui divitias detruncaverat (scilicet in verbis præmissis) propemodum etiam vitæ necessaria amputat; ut apostoli doctores veræ religionis, qui instituebantur omnia Dei providentia gubernari, seipsos ostenderent nihil cogitare de crastino. » Et, sicut Chrysostomus dicit *Super Matth. :* « Per hoc præceptum primo quidem Dominus discipulos facit non esse subjectos; secundo, ab omni eos liberat sollicitudine, ut vacationem omnem tribuant verbo Dei; tertio, docet eos suam virtutem. Qualis ergo esse debeat qui evangelizat regnum Dei, præceptis evangelicis designatur, hoc est ut subsidii sæcularis adminicula non requirat; fideique totus inhærens, putet quominus ista requirat, magis posse suppetere, » ut Ambrosius dicit *Super Lucam.* Manifestum est autem quod si apostoli possessionem suscepissent, non minus, sed multo magis suspecti fuissent quod propter quæstum prædicarent, quam si aurum vel argentum possiderent. Multo etiam majori sollicitudine circa agrorum culturam occuparentur, multoque majus est sæculare adminiculum ex agris vel vineis possessis, quam si bona mobilia habeantur. Manifestum est igitur secundum expositiones præmissas apostolis interdictum fuisse ne agros vel vineas, vel alia hujusmodi bona immobilia possiderent. Quis autem dicat, nisi hæreticus, primam discipulorum instructionem a Christo perfectioni evangelicæ derogare? Mentiuntur ergo in doctrina fidei, dicentes, minoris esse perfectionis eos qui communibus possessionibus carent.

Est autem ulterius considerandum qualiter præcepta Domini præmissa fuerunt ab apostolis observata. Quia, ut Augustinus dicit in lib. *Contra mendacium,* divinæ Scripturæ non solum præcepta Dei retinent, sed etiam vitam moresque justorum; ut si forte occultum est quemadmodum accipiendum sit quod præcipitur, in factis justorum intelligatur. Quod autem nihil temporalium possiderent, aut etiam in via deferrent ante tempus passionis, aperte ostenditur ex hoc quod legitur Luc., xxii, 35, ubi Dominus discipulis dixit : *Quando misi vos sine sacculo et pera et calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt, nihil.* Sed quia ibi subditur : *Dixit ergo eis : Sed nunc qui habet sacculum, tollat similiter et peram,* posset alicui videri quod Dominus totaliter priora præcepta relaxaverit. Sed hanc relaxationem quantum

[1] Ambrosii textus : « pressus, emergendi non habet facultatem »

ad personas apostolorum, ad solum tempus imminentis persecutionis esse referendam, apparet ex verbis Bedæ, qui dicit : « Non eadem vivendi regula persecutionis tempore qua pacis, discipulos informat. Missis quidem discipulis ad prædicandum, ne quid tollerent in via præcepit, ordinans scilicet ut qui Evangelium nuntiant, de Evangelio vivant. Mortis vero instante periculo, et tota simul gente pastorem pariter gregemque persequente, congruam temporis regulam decernit, permittens ut tollant victui necessaria, donec sopita insania persecutorum, tempus evangelizandi redeat. Ubi nobis quoque dat exemplum, ex justa nonnunquam causa instante quædam de nostri propositi rigore posse sine culpa intermitti. » Ex quo etiam apparet ad rigorem evangelicæ disciplinæ pertinere quod aliquis careat omni terrena possessione. Quid autem super hoc Apostoli post passionem servaverunt, et servandum tradiderunt, aperte in Actis apostolorum docetur; legitur enim Act., IV, 32, quod *multitudinis credentium erat cor unum et anima una, nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.* Et ne aliquis dicat eos habuisse possessiones communes, puta agros vel vineas, vel aliquid hujusmodi, hoc per sequentia excluditur; sequitur enim : *Quotquot possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, et ponebant ante pedes apostolorum.* Ex quo patet hanc esse evangelicæ vitæ observantiam, ut ea quæ ad necessitatem vitæ pertinent, possideantur communiter, possessionibus omnino a possessoribus abdicatis. Quod autem hoc ad abundantiorem perfectionem pertineat, apparet per Augustinum in lib. *De doctrina christiana,* ubi dicit : « Qui crediderunt ex Judæis, ex quibus facta est prima Ecclesia Hierosolymis, satis ostenderunt quanta utilitas fuerit sub pædagogo, id est sub lege, custodiri. Namque tam capaces extiterunt Spiritus sancti ut omnia sua venderent eorumque pretium indigentibus distribuendum ante apostolorum pedes ponerent. » Et postea subdit : « Non enim hoc ullas Ecclesias gentium fecisse scriptum est, quia non tam prope inventi erant qui simulacra manufacta deos habebant. » Videtur tamen hujus rei aliam rationem assignare Melchiades papa, qui, ut habetur XIII, quæst. I, dicit : « Futuram Ecclesiam in gentibus apostoli præviderant, idcirco prædia in Judæa minime sunt adepti, sed pretia [1] tantummodo ad fovendos egentes. At vero cum inter turbines et adversa mundi succresceret Ecclesia, ad hoc usque pervenit ut non solum gentes, sed etiam romani principes, qui totius orbis monarchiam tenebant, ad fidem Christi et baptismi sacramenta concurrerent [2]. Ex quibus vir religiosissimus Constantinus primus licentiam dedit non solum fieri christianos, sed etiam fabricandi ecclesias et prædia constituit tribuenda. » Et in sequenti cap. dicit Urbanus papa : « Videntes summi sacerdotes, et alii, atque levitæ et reliqui fideles plus utilitatis posse conferre, si hæreditates et agros quos vendebant, Ecclesiis quibus præsidebant episcopi, traderentur, eo quod ex sumptibus eorum tam præsentibus quam futuris temporibus plura et electiora possent ministrare fidelibus communem vitam ducentibus, quam ex pretio eorum, cœperunt prædia et agros, quos vendere solebant, matricibus Ecclesiis tradere, et ex sumptibus eorum vivere. » Ex his ergo videtur quod melius sit possessiones in communi habere quam alia mobilia ad victum pertinentia ; et quod in primitiva Ecclesia prædia vendebantur, non quia hoc esset melius, sed quia prævidebant apostoli quod apud Judæos Ecclesia duratura non erat, partim propter infidelitatem, partim propter excidium quod eis imminebat.

Sed si quis recte consideret, hæc præmissis non contrariantur. Ecclesia enim in sui primordio in omnibus suis membris talis fuit, qualis postmodum fuisse apud perfectos quoscumque invenitur; sicut enim natura, sic et gratia debuit a perfectis initium assumere. Et ideo apostoli secundum illum statum fidelium vitam ordinaverunt perfectioni convenientem; unde dicit Hieronymus in lib. *De illustribus viris :* « Apparet talem primam Christo credentium fuisse Ecclesiam, quales nunc monachi esse nituntur et cupiunt, ut nihil cujusquam proprium sit, nullus inter eos dives, nullus pauper; patrimonia egentibus dividantur, orationi vacetur et psalmis, doctrinæ quoque et continentiæ. » Hic

[1] Al. : « præmia. » — [2] Al. : « occurrerent. »

autem modus vivendi perfectioni congruus fuit apud primos credentes, non solum in Judæa sub apostolis, sed etiam apud Ægyptum sub Marco Evangelista, ut ibidem Hieronymus dicit, et sicut in II lib. *Ecclesiasticæ historiæ* narratur. Processu vero temporis, multi in Ecclesiam erant intraturi, qui ab hac perfectione deficerent; quod non erat futurum ante Judæorum excidium, sed Ecclesia apud gentes multiplicata. Quod postquam contigit, utile judicaverunt Ecclesiarum prælati ut prædia et agri Ecclesiis conferantur, non propter perfectiores quosque, sed propter infirmiores, qui ad primorum fidelium perfectionem attingere non valerent. Fuerunt tamen et aliqui postmodum primæ perfectionis æmuli, qui in congregationibus viventes, his caruerunt, sicut plurima monachorum collegia in Ægypto. Narrat etiam Gregorius in III *Dialogorum* de quodam sanctissimo viro, nomine Isaac, qui de Syriæ partibus in Italiam veniens, perfectionis formam quam in oriente didicerat in occidente observavit. Cum enim crebro ei discipuli humiliter innuerent, ut pro usu monasterii possessiones quæ offerebantur, acciperet; ille sollicitus suæ paupertatis custos, fortem sententiam tenebat, dicens : « Monachus qui in terra possessiones quærit, monachus non est; » quod non potest intelligi de acquisitione possessionum per modum proprietatis habendarum; non enim præmissum est, quod ei possessiones offerentur nisi pro monasterii usu. Nec tamen ejus sententia sic intelligenda est, quasi possessiones communes habentes, omnino a monachorum perfectione deficiant, sed hoc dicebat propter periculum paupertatis amittendæ, quod imminet plerisque monachorum communes possessiones habentium. Dicit enim Hieronymus in *Epitaphio Nepotiani ad Heliodorum episcopum :* « Sint ditiores monachi quam fuerant sæculares. Possideant opes sub paupere Christo, quas sub locuplete diabolo non habuerant; et suspiret eos Ecclesia divites, quos tenuit mundus ante mendicos. » Et ideo signanter Gregorius de S. Isaac subdit : « Sic quippe metuebat paupertatis suæ securitatem perdere, sicut avari divites solent perituras divitias custodire. » Unde ad ejus sanctitatem ostendendam, Dominus eum clarificavit; subdit enim Gregorius de eo, ibi : « Itaque prophetiæ spiritu magnisque miraculis cunctis longe lateque habitantibus vita ejus inclaruit. » Manifestum est igitur ad cumulum perfectionis pertinere quod aliqui possessiones non habeant nec proprias nec communes.

Adhuc potest hoc evidenter ostendi, si ratio consiliorum ad evangelicam perfectionem pertinentium consideretur. Ad hoc enim introducuntur ut homines curis mundi expediti, liberius Deo vacent. Unde Apostolus proposito consilio de virginitate servanda dicit (I Cor., VII, 32) : *Qui sine uxore est, sollicitus est quæ sunt Domini, quomodo placeat Deo; qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori; et divisus est.* Ex quo patet, tanto aliqua magis ad consiliorum perfectionem pertinere, quanto magis hominem a sollicitudine mundi absolvunt. Manifestum est autem quod divitiarum et possessionum cura impedit animum a rebus divinis. Dicitur enim Matth., XIII, 22 : *Qui seminatus est in spinis, hic est qui verbum audit, et sollicitudo sæculi istius et fallacia divitiarum suffocant verbum, et sine fructu efficitur;* quod exponens Hieronymus dicit : « Blandæ sunt divitiæ, aliud agentes et aliud pollicentes. Lubrica est earum possessio; dum huc illucque circumferuntur, et instabili gradu vel habentes deserunt, vel non habentes reficiunt. » Hoc etiam evidenter ostenditur Luc., XIV, 18, ubi unus de his qui sunt vocati ad cœnam se excusavit dicens : *Villam emi, et necesse ab eo ire, et videre illam.* Et, sicut Gregorius dicit, « quid per villam nisi terrena substantia designatur? Exit ergo videre villam qui sola exteriora cogitat. » In fine autem parabolæ subditur : *Pauperes et debiles introduc huc;* quod, exponens Ambrosius, dicit quod « rarius delinquit cui deest illecebra peccandi, et citius ad Deum convertitur qui non habet in mundo unde delectetur. » Sic igitur patet quod possessiones et quascumque divitias omnino non habere, magis ad evangelicam pertineat perfectionem. Item Augustinus dicit in lib. *De verbis Domini :* « Minimi Christi sunt illi qui omnia sua dimiserunt, et secuti sunt eum, et quidquid habuerunt, pauperibus distribuerunt, ut Deo sine sæculari compede expediti servirent, et ab oneribus mundi liberatos, velut pennatos, sursum humeros tollerent. Hi sunt minimi,

quia humiles. Appende minimos istos, et grave pondus invenies. » Nullus autem sani capitis dicet, ad mundi onera non pertinere communium possessionum curam. Pertinet igitur ad perfectionis pondus ut etiam ab hujusmodi compedibus expediti homines serviant Deo.

Sic igitur patet vanam esse doctrinam, imo pestiferam, et christianæ doctrinæ contrariam, illorum qui dicunt quod possessionibus communibus carere propter Christum ad perfectionem non pertineat; de quibus super illud Psal. VI : *Convertantur et erubescant valde velociter,* dicit *Glossa :* « Hoc non est hic, ubi potius iniqui rident eos qui eos relinquunt, et suis irrisionibus infirmos Christi nomine erubescere faciunt. » Ad eos etiam pertinere videtur quod alibi in Psal. XIII, 6, dicitur : *Concilium inopis confudistis, quoniam Dominus spes ejus est;* ubi dicit *Glossa :* « Inopis cujuslibet, qui est membrum Christi, et hoc ideo fecistis, *quoniam Dominus spes ejus.* Unde ergo magis reverendus erat, inde magis contemnitur. » Quid enim aliud isti faciunt nisi quod contemnere nituntur eos qui christianæ paupertatis consilium perfecte sectantur; et hoc ideo quia non in terrenis possessionibus, sed in Deo spem habent?

CAPUT XVI.

Solutio rationum contra prædictam perfectionem inductarum.

His igitur visis, facile est respondere ad ea quæ in contrarium proponuntur.

Quod enim primo inductum est quod expedit possessiones communes possideri, jam patet quod expedit propter eos qui non sunt summæ perfectionis capaces, qualis in primis credentibus fuit, qui tamen imperfectiores omnino negligendi non erant. Unde et apud illos qui illam summam perfectionem sectabantur, possessiones non erant. Sicut etiam Dominus, cui angeli ministrabant, loculos habuit propter necessitatem aliorum, quia scilicet ejus Ecclesia loculos erat habitura, sicut Augustinus dicit *Super Joan.* Unde si qua sit congregatio, in qua omnes ad majorem perfectionem tendant, expedit eis communes possessiones non habere.

Quod vero secundo proponitur, quod beatus Benedictus in vita sua amplas possessiones recepit, hoc sufficit ad ostendendum quod communes possessiones non totaliter monasticam perfectionem excludunt; non autem ex hoc haberi potest quod majoris perfectionis non sit possessionibus communibus carere; præsertim cum idem beatus Benedictus in sua *Regula* dicat se aliquid remisisse de rigore monasticæ vitæ a prioribus institutæ, condescendendo infirmitatibus sui temporis monachorum. Et eadem ratio est de beato Gregorio, qui monasteria construxit secundum regulam a beato Benedicto institutam.

Quod vero tertio propositum est, quod apostolis persecutionis tempore permisit Dominus ut peram et sacculum tollerent, magis contra eos facit, sicut ex præmissis apparet. Si enim persecutionis causa rigor prioris disciplinæ remittitur, consequens est quod ad rigorem disciplinæ pertinebat ut peram et sacculum non haberent. Nec tamen legitur quod illo persecutionis tempore procuraverunt sibi aliquas possessiones communes. Et sic patet, quod inducitur, ad propositum non pertinere.

Quod vero quarto inducitur, quod Dominus non instituit ordinem non habentium possessiones, sed ordinem prælatorum, qui possessiones habent, in altero quidem est apertum mendacium. Cum enim Dominus discipulos instituit, quod nec argentum nec aurum possideant, et quod corda eorum non graventur curis hujus mundi, et dimittentibus agros et domos propter nomen suum præmia repromittit non solum in futuro, sed in hoc sæculo ; ut scilicet sint cum apostolis, nihil in hoc mundo habentes, et omnia possidentes ; manifestum est quod omnes quicumque hanc regulam secuti fuerint, institutionem Christi sequuntur; nec enim illi qui sanctos sequuntur, per quos sunt ordines instituti, ad ipsos accedunt, sed ad Christum, cujus documenta proponunt; quia nec illi seipsos prædicaverunt, sed cum Apostolo Jesum Christum, ejus documenta proponentes. In altero falluntur, vel fallere volunt per fallaciam accidentis. Instituit enim Christus episcoporum ordinem et aliorum clericorum, qui possessiones communes habent vel proprias. Sed hoc Christus in eis non instituit, sed magis instituit eorum ordinem in perfecta paupertate, sicut ex præ-

dictis apparet. Postmodum vero dispensative sunt in Ecclesia communes possessiones acceptæ propter rationem prædictam.

Quod etiam quinto propositum est, quod christiana perfectio non dormitavit a tempore apostolorum usque ad præsentia tempora; certum est eam non dormitasse, sed in plurimis viguit et in Ægypto et in aliis partibus mundi. Numquid tamen aliquis Deo modum imponere potest, ut omnes in omni tempore et in omnibus locis homines eodem modo ad se trahat? Quinimo secundum suæ sapientiæ ordinem, quo suaviter universa disponit, singulis temporibus congruentia adminicula providet humanæ saluti. Quid enim si quæratur : Numquid dormitavit doctrina christiana a temporibus magistrorum doctorum Athanasii, Basilii, Ambrosii, Augustini et aliorum qui circa illud tempus fuerunt usque ad hæc nostra tempora, in quibus magis in doctrina christiana homines exercentur? Numquid secundum mirabilem eorum rationem, quidquid boni tempore aliquo intermissum fuit, illicitum erit resumi? Sic enim et martyrium illicitum erit subire et miracula facere, quia multo tempore sunt hujusmodi intermissa.

Quod vero sexto proponunt, quod illi qui possessionibus communibus carebant, vivebant de operibus manuum, hoc non minorem calumniam aliis quam religiosis ingerit, quia etiam apostolus, qui evangelium prædicabat, vivebat de opere manuali. Numquid ergo episcopi, archidiaconi et quibuscumque ex officio competit Evangelium prædicare, peccant, si non vivant de opere manuali? Si autem ad hoc non tenentur, quia Paulus hoc non ex necessitate, sed supererogando faciebat, quid imponunt religiosis quidquid sancti Patres supererogando fecerunt? Nullus enim est qui omnes supererogationes possit implere; cum unus in uno et alius superabundet in alio. Si vero non supererogationis sed necessitatis esse dicitur eos qui possessionibus communibus carent, de labore manuum vivere; fateor quidem quantum ad hoc necessitatis esse ut non otiose vivant. Sed otium non solum per laborem manuum tollitur, sed multo melius per sacræ Scripturæ studium, quod otium habet magnum negotium, sicut Augustinus dicit; unde super illud Psal. LXVIII : *Defecerunt oculi mei,* etc., dicit *Glossa :* « Non est otiosus qui verbo Dei tantum studet; nec pluris est qui extra operatur, quam qui studium cognoscendæ divinitatis exercet. Ipsa etiam sapientia maximum opus est. » Tollitur etiam otium per laborem doctrinæ, quo contra hostes fidei dimicatur, secundum illud Apostoli : *Labora sicut bonus miles Christi Jesu,* II ad Timoth., II, 3, ubi dicit *Glossa :* « In prædicando Evangelium contra hostes fidei. » Fateor etiam hoc necessitatis esse his qui aliunde non habent de quo licite vivant. Licitum est autem evangelistis, etiam monachis, ut de Evangelio vivant, et de altaris ministerio, sicut Augustinus dicit in lib. *De opere monachorum;* alioquin numquid illas solas possessiones communes monachis licet habere quas possunt lucrari de opere manuali? Nonne autem derisibilis est, si quis dicat licere religiosis in eleemosynam amplas possessiones accipere, non autem eis licere accipere de fidelium eleemosynis ea quæ pertinent ad quotidianum et simplicem victum? Sic igitur nulla necessitas imminet his qui communes possessiones non habent, manibus operari. De hoc tamen diffusius alibi a nobis dictum est.

Jam vero quod septimo propositum est, magis derisione quam responsione dignum est. Quis enim non videat in immensum majoris sollicitudinis esse possessionibus procurandis curam impendere, ad quod vix sæculares sufficiunt, quam acquirere simplicem victum ex fidelium pietate collatum, et clementia divina provisum?

Quod vero octavo propositum est de hoc quod religiosi necesse habent circa eorum negotia sollicitari a quibus pascuntur; fateor quod habent quidem, sed circa spiritualem eorum salutem, vel ut tribulatos consolentur; quæ quidem sollicitudo est caritatis, unde religioni non repugnat; quinimo, ut dicitur Jacob., I, 27 : *Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem hæc est, visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum.*

Quod autem ultimo propositum est, omnino est frivolum, quia ea quibus utuntur religiosi ad sustentationem vitæ, non sunt eorum quantum ad proprietatem dominii, sed dispensantur ad usum necessitatis eorum ab his qui harum rerum dominium habent, quicumque sint illi.

Hæc igitur sunt quæ ad præsens scri-

benda occurrunt contra erroneam et pestiferam doctrinam avertentium homines a religionis ingressu. Si quis autem his contradicere voluerit, non coram pueris garriat, sed scribat et scripturam proponat in publico, ut ab intelligentibus dijudicari possit quid verum sit, et si quid[1] erroneum est, auctoritate veritatis confutetur.

[1] Parm. : « et ut quod. »

OPUSCULUM IV.

SERMONES

PRO DOMINICIS DIEBUS ET PRO SANCTORUM SOLEMNITATIBUS.

(IN EDIT. ROM. EXSTANT IN CALCE COMM. IN EPIST. PAULI APOST.)

SERMONES DOMINICALES.

SERMO I.

Dominicæ primæ in adventu Domini, ex Epistola.

Dies autem appropinquavit, Rom., XIII. Potest intelligi hoc verbum de quadruplici die. Quadruplex enim dies appropinquavit : dies misericordiæ, dies gratiæ, dies justitiæ et dies gloriæ. Hos quatuor dies facit Sol iste, cujus adventum sancta modo colit Ecclesia. Dies misericordiæ est dies natalis Domini, in quo ortus est nobis Sol justitiæ, vel verius qui fecit tam gloriosum diem; dies gratiæ est tempus gratiæ ; dies justitiæ est dies judicii; dies gloriæ est dies æternitatis. De primo dicitur Joel., III : *In illa die stillabunt montes dulcedinem.* De secundo, II Cor., VI : *Ecce nunc dies salutis.* De tertio, Soph., I : *Dies iræ, dies illa, dies tribulationis.* De quarto, Zach., I, 4 : *Erit dies una, quæ nota est Domino ;* Psal. LXXIII : *Melior est dies una in atriis tuis super millia.* Dies natalis appropinquavit, ut devote celebretur vel colatur; dies gratiæ, ut suscipiatur; dies judicii, ut timeatur; dies gloriæ, ut ad eum curratur. Propter primum frequentat Ecclesia : *Dominus prope est,* Phil., IV; Isa., LVI : *Juxta est salus mea ut veniat.* De secundo, II Cor., VI : *Ecce nunc tempus acceptabile.* De tertio, Jac., V : *Ecce judex ante januam assistit.* De quarto, Apoc., ult. : *Ecce venio cito, et merces mea mecum est,* etc. Diei natalis Domini debemus occurrere cum misericordia et veritate. His duabus viis venit Christus ad nos, et nos debemus ire ad eum. Psal. XXIV : *Universæ viæ Domini misericordia et veritas.* Diei gratiæ cum puritate et humilitate; hæc enim duo maxime faciunt susceptibilem gratiam. De primo, Prov., XXII : *Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum suorum habebit amicum regem.* De secundo, Jac., IV : *Humilibus autem dat gratiam.* Diei judicii cum cogitatione et timore. Hieronymus : « Sive comedam, sive bibam, illa vox in auribus meis semper videtur sonare : *Surgite, mortui, venite ad judicium.* » Dicitur e contra de malis : *Viri mali non cogitant judicium,* Prov., XXVIII. Diei gloriæ debemus occurrere cum justitia et festinatione. Hebr., IV : *Festinemus ingredi in illam requiem.* Ad ista quatuor hortatur nos Apostolus in epistola ista. Ad misericordiam et veritatem, ibi : *Induamur arma lucis.* Arma lucis sunt misericordia et veritas. Misericordia enim est scutum, quo ab hostibus defendimur; veritas est virtus, qua omnia vincimus. De

Signaculum.

primo, Ecclesiastic., XXIX : *Eleemosyna viri quasi sacculus* cum ipso, et gratiam hominis quasi pupillam conservabit;* et postea : *Resurget, et retribuet illis retributionem unicuique in caput illorum. Super scutum potentis et super lanceam pugnabit adversus inimicum tuum.* De secundo, III Esdr., IV : *Magna est veritas, et prævalet; magna est, et fortior præ omnibus. Omnis terra veritatem invocat; cœlum etiam ipsam benedicit et omnia opera moventur et tremunt propter eam, et non est cum ea quicquam iniquum. Vinum iniquum, iniquus rex, iniquæ mulieres, iniqui omnes filii hominum, et iniqua omnia illorum opera, et non est in ipsis veritas, et in sua iniquitate peribunt; et veritas manet.* Et puritatem et humilitatem, ibi : *Non in cubilibus et impudicitiis, non in contentione et æmulatione.* Cubilia et impudicitiæ sunt actus luxuriæ, qui immundum faciunt. Contentio et æmulatio procedunt a superbia. Prohibendo impudicitiam, suadet puritatem ; prohibendo superbiam, suadet humilitatem. Ad cogitationem et timorem judicii, ibi : *Sicut in die honeste ambulemus;* hoc est, ita vivamus sicut condecet in die judicii. Et homo in judicio, cogitando judicium, honeste vivit judicium formidando. Ad justitiam et festinationem, ibi : *Hora est jam nos de somno surgere;* et ideo festinemus a somno peccati surgere ad justitiam faciendam; et reddit ibi rationem : *Nunc enim propior est nostra salus,* ad quam nos conducat, etc.

SERMO II.

De eadem, de quadruplici die.

Dies autem appropinquavit, Rom., XIII. Est enim quadruplex dies : scilicet dies misericordiæ, dies gratiæ, dies judicii et dies gloriæ. Primus dies admirabilis, secundus acceptabilis, tertius formidabilis, quartus desiderabilis. Dies misericordiæ, id est dies natalis Domini, admirabilis est, quia Deus humanatur, homo deificatur, virgo prole fecundatur. De primo, Phil., II : *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo : sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens; in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo.* De secundo, Rom., IX : *Ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.* De quibus duobus Augustinus : « Hodie Deus factus est homo, ut homo fieret Deus. » De tertio, Isa., VI : *Ecce virgo concipiet, et pariet filium.* Dies gratiæ est acceptabilis, quia abunde Dei gratia diffunditur, potestas diaboli tollitur, et virtus peccati extinguitur ; et ideo patet quod homo facile et sine impedimento potest servire Deo. De primo, Tit., II : *Apparuit gratia Salvatoris nostri Dei.* De secundo, Hebr., II : *Ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, id est diabolum.* De tertio, Rom., VI : *Vetus homo noster crucifixus est, ut destruatur corpus peccati.* Dies judicii est formidabilis malis, quia districte a justo judice judicabuntur, quia ab omni creatura impugnabuntur, et quia æterno supplicio damnabuntur. De primo, Prov., VI : *Zelus et furor viri non parcet in die vindictæ.* De secundo, Sapient., V : *Armabit creaturam ad ultionem inimicorum,* etc. De tertio, Judith, XVI : *Visitabit eos, et dabit ignes et vermes in carnes eorum.* Matth., XXV : *Et dicet his qui a sinistris ejus erunt : Discedite a me maledicti in ignem æternum.* Dies gloriæ est desiderabilis, quia cœlum restauratur, homo beatificatur, et omnis creatura propter impios renovabitur. De primo, Ephes., I : *In quo proposuit restaurare universa, sive quæ in cœlis, sive quæ in terra sunt, in ipso,* id est in Christo. Ps. CIX : *Judicabit in nationibus, implebit ruinas,* etc. De secundo, Phil., III : *Salvatorem expectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corporis claritatis suæ.* De tertio, Apoc., XXI : *Et dixit qui sedebat in throno : Ecce nova facio omnia.* Est ergo dies ille disiderabilis angelis et hominibus et omnibus creaturis, ad quam diem nos perducat qui vivit in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO III.

De eadem, ex Evangelio.

Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, Matth., XXI. Prophetia est de adventu Domini nostri Jesu Christi. Et nota hic circa adventum tria. Primo, est dignitas advenientis ; secundo, utilitas adventus ; tertio, modus adveniendi. Primum ibi, *rex tuus,* rex clemens, rex justus, rex sapiens, rex terribilis, rex omnipotens, rex æternus. Rex clemens in parcendo, justus in judi-

cando, bonus in retribuendo, sapiens in gubernando, omnipotens in bonos protegendo, terribilis in malos puniendo, æternus æternaliter regnando, et regnum æternum conferendo. De primo, Isa., XVI : *Et præparabitur in misericordia solium ejus.* De secundo, Isa., XXXIV : *Ecce in justitia regnabit rex.* Idem, XVI : *Sededit super solium excelsum David in veritate.* De tertio, Psal. LXXII : *Quam bonus Israel Deus iis qui recto sunt corde!* Dionysius : « Optimi est optima adducere. » Unde optimitas ejus apparet, quia optima adduxit. De quarto, Jer., XXIII : *Suscitabo David germen justum, et regnabit rex, et sapiens erit.* De quinto, Esth., XIII : *Domine Deus rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita.* De sexto, Sap., X : *Illos autem tanquam durus rex interrogans condemnasti.* De septimo, Jer., X : *Dominus autem Deus ipse est Deus vivens, et rex sempiternus.* Luc., I : *Et regni ejus non erit finis.* Ideo optimum est subesse tali regi. De his septem, II Mach., I : *Domine Deus, omnium creator, terribilis et misericors; solus bonus, rex justus, omnipotens et æternus.* In creatore sapientia, in misericorde clementia, in bono bonitas, in justo justitia, in terribili severitas, in potente potentia, in æterno æternitas. Hic rex est qui venit tibi, id est ad utilitatem tuam. Utilitas ergo adventus notatur hic : *Venit tibi.* Fuit autem utilitas adventus septuplex ad præsens. Prima, mundi illuminatio; secunda, inferni expoliatio; tertia, cœli reparatio; quarta, peccati destructio; quinta, diaboli superatio; sexta, hominis cum Deo reconciliatio; septima, hominis beatificatio. De primo, Joan., VIII : *Ego sum lux mundi.* Idem, I : *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* De secundo, Oseæ, XIII : *Ero morsus tuus, o inferne.* Zach., IX : *Tu autem in sanguine testamenti tui eduxisti vinctos tuos de lacu, in quo non erat aqua.* De tertio, Ephes., I : *In quo proposuit restaurare universa, sive quæ in cœlis sunt, sive quæ in terra.* De quarto, Hebr., I : *Ut destrueret eum qui habebat mortis imperium, id est diabolum, et liberaret eos qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti.* De quinto, Rom., X : *Vetus homo noster crucifixus est, ut destruatur corpus peccati,* etc. De sexto, Rom., V : *Si cum adhuc inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus; multo magis reconciliati salvi erimus in vita per ipsum,* etc. De septimo, Joan., III : *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret : ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Propter hæc bona quæ futura in ejus adventu videbant sancti Patres, cum tanto desiderio clamabant : *Utinam disrumperes cœlos et descenderes.* De his septem, Isa., LXI, 1 : *Spiritus Domini super me, ad annuntiandum misit me :* ecce mundi illuminatio, prædicando enim mundum pro nobis illuminavit; *ut mederer contristis corde*, peccata destruendo, sic enim medetur contritis peccata destruendo; *prædicare captivis indulgentiam :* ecce inferni expoliatio, expoliando enim infernum captivam duxit captivitatem; *clausis apertionem :* ecce cœli restauratio, prædicare scilicet apertionem cœli; *ut prædicarem annum placabilem :* ecce hominum cum Deo reconciliatio; *diem ultionis :* ecce diaboli destructio, sic enim fecit ultionem de omnibus injuriis quas fecerat diabolus sanctis; *dare coronam :* ecce hominum beatificatio. Modus veniendi notatur ibi : *Mansuetis;* in mansuetudine enim voluit venire Dominus Jesus Christus; voluit autem venire mansuetus propter quatuor. Primo, ut malos facilius corrigeret. Ps. LXXXIX : *Quoniam superveniet mansuetudo et corripiemur.* Secundo, ut omnibus se amabilem exhiberet. Eccl., II : *Fili, in mansuetudine opera tua perfice, et super hominum gloriam diligeris.* Tertio, ut omnes ad se traheret, et populum sibi multiplicaret. II Reg., XX : *Mansuetudo tua multiplicabit te,* etc. Bernardus : « Omnino currimus post te, bone Jesu, propter mansuetudinem tuam. » Quarto, ut mansuetudinem doceret. Matth., II : *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.* Et sunt quatuor quæ maxime debent suadere mansuetudinem. Primum est, quia a malo liberat; secundum, quia gratiam impetrat; tertium, quia animam servat; quartum, quia meretur terram viventium. De primo, Sapiens : *Mansuetus est qui nullam animi amaritudinem sentit.* De secundo, Prov., I : *Mansuetis dabit gratiam.* De tertio, Eccli., II : *In mansuetudine serva animam tuam.* De quarto, Matth., V : *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Rogemus ergo Dominum, etc.

SERMO IV.

De eadem materia, ex Epistola.

Induamur arma lucis, Rom., XIII. Dominus noster Jesus Christus assumpsit arma sua, et venit in mundum pugnaturus pro nobis contra aeras potestates. Isa., LIX : *Indutus est justitia ut lorica.* Et quia indecorum est rege armato milites remanere inermes, Apostolus monet ut armemur. *Induamur*, inquit, *arma lucis.* Facit autem tria in his verbis Apostolus. Primo, ut induamur præcipit; secundo, quid debeamus induere ostendit; tertio, motivum subjungit. Primum, ibi : *Induamur;* secundum, ibi : *arma;* tertium, ibi : *lucis.* Circa primum sciendum est quod debemus nos induere propter quinque. Primo, ne perpetuo frigore affligamur; secundo, ne turpitudinis ostensione confundamur; tertio, ne ab æternis nuptiis excludamur; quarto, ut ab ictibus diaboli protegamur; quinto, ut a Domini exercitu cognoscamur. Istæ rationes redduntur in textu. De primo et secundo, Apoc., XVI : *Beatus qui custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet,* quoad primum; *et videant turpitudinem ejus*, quoad secundum. De tertio, Matth., XXII : *Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?* De quarto, Ephes., VI : *Accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, et in omnibus perfecti stare. State ergo succincti lumbos vestros in veritate, induti loricam justitiæ, et calceati pedes in præparatione Evangelii pacis, in omnibus sumentes scutum fidei; et galeam salutis assumite, et gladium spiritus, quod est verbum Dei.* De quinto, Col., III : *Induite vos, sicut electi Dei sancti et dilecti, viscera misericordiæ,* etc. Circa secundum sciendum est quod plura Scriptura docet nos induere. Primo, vestimentum innocentiæ. Apoc., III : *Vestimentis albis induemur,* id est innocentia. Secundo, viscera misericordiæ. Col., III : *Induite viscera misericordiæ benignitatem*, etc. Tertio, Christi conformitatem, Rom., XIII : *Induimini Dominum Jesum Christum.* Quarto, conversationis novitatem. Ephes., IV : *Induite novum hominem,* id est novam conversationem. Quinto, cilicii asperitatem quoad carnis macerationem. Ps. XXXIV : *Induebar cilicio.* Sexto, debemus indui subtilibus per humilitatem. Ezech., XVI : *Induite subtilibus.* I Reg., XVIII : *Ego sum vir pauper et tenuis.* Septimo, saccum per habitus vilitatem. Isa., L : *Induam cœlos tenebris, et ponam saccum operimentum eorum.* Octavo, armorum speciositatem, de quo hic : *Induamur arma lucis.* Circa arma ista sciendum quod, sicut dicit Scriptura, debemus indui loricam caritatis, scutum fidei, galeam spei, thoracem justitiæ. Fide debemus indui ad munimentum rationalis, spe ad munimentum irascibilis, caritate ad protectionem concupiscibilis, justitia ad protectionem totius animæ. De primis tribus armis, I Tim., IV : *Induti lorica justitiæ.* I Mach., III : *Induit se loricam sicut gigas, et succinxit se arma bellica.* Sap., V : *Induet pro thorace justitiam.* Ostendit ergo hic quid induere debeamus. Motivum ad hoc ponit ibi : *lucis,* id est Christi. Quis non libenter indueret arma domini sui? quanto magis debemus induere arma cœlestis et æterni Regis? Dicitur autem Christus lux propter sex effectus lucis : quorum primus est illuminatio, secundus fecundatio, tertius conservatio : est enim lux conservativa; quartus ornatio, quintus ordinatio. De his duobus Dionysius : « Corpus inordinatum ordinat et ornat. » Sextus sui effusio : lux enim est sui diffusiva per radios. Hæc omnia fecit nobis Christus.

Quære in processu de lumine in Nativitate[1].

Induamur ergo *arma lucis*, ut bene triumphantes æternaliter tandem a Rege nostro coronemur.

SERMO V.

Dominicæ secundæ in Adventu, ex Epistola.

Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, Rom., XV. In præcedenti dominica docuit nos Apostolus ad surgendum; in ista docet ad quid surgendum, quia ad studendum et ad legendum scripta quæ facit nobis Magister noster cœlestis. Dominus enim tanquam bonus magister fuit sollicitus facere nobis optima scripta, ut nos perfecte erudiret. *Quæcum-*

[1] Hos indices, qui passim occurrunt, in editione romana appositos, retinuimus.

que, inquit, *scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.* Consistunt autem ista scripta in duplici libro : scilicet in libro creaturæ et in libro scripturæ. Primus liber quot habet creaturas, tot habet scripta optima, quæ sine mendacio docent veritatem. Unde Aristoteles, interrogatus a quo tot et tanta didicisset, respondit : « A rebus quæ mentiri non noverunt. » Docent autem duo : cognoscenda et agenda. Circa cognoscenda docent nos quatuor. Primo, Deum esse; secundo, unum Deum esse; tertio, trinum Deum esse; quarto, summum bonum esse. Quia mundus est, docet eum esse, sicut opus opificem. Sap., XIII : *A magnitudine speciei et creaturæ potuit cognosci eorum creator.* Quia unum sunt, et uno modo servantur, docent unum Deum esse : si enim plures dii essent, jam mundus destructus esset, cum divisio sit causa destructionis. Matth., XII : *Omne regnum in seipsum divisum desolabitur.* Quia omnia consistit in *numero, pondere et mensura,* sive, secundum Augustinum, *De Trinitate, modo, specie et ordine,* docent trinum esse Dominum. Sap., II : *Omnia fecisti in pondere, numero et mensura.* Quia omnia bona sunt, docent summum bonum esse illud a quo tot bona procedunt. Augustinus : « Magnum indicium bonitatis est quod quælibet creatura cogitur dare seipsam. Ideo quia Deus bonus est, nos sumus. »

Circa agenda, docet nos similiter quatuor. Primo Domino obedire; secundo, eum timere; tertio, eum amare; quarto, eum laudare. Domino obedire docent nos, quia sibi omnia obediunt. Psal. CXXXVIII : *Præceptum posuit, et non præteribit.* Nihil invenit in creaturis inobediens Creator, nisi peccatorem et diabolum. Deum amare docent nos beneficiis et donis quæ nobis exhibent quotidie. Augustinus : « Cœlum et terra et omnia quæ in eis sunt, undique mihi dicunt ut amem te, nec cessant dicere omnibus, ita ut sim inexcusabilis. » Deum timere docent nos pœnis et suppliciis; videmus enim quod omnis creatura parata est punire rebelles suo Creatori. Sap., XVI : *Creatura tibi factori deserviens exardescit adversus injustos, et levior fit ad benefaciendum pro his qui in te confidunt.* Deum laudare docent nos, quia omnia laudant eum, et invitant ad laudandum. Augustinus : « Mirum est quod homo non semper laudat Deum, cum omnis creatura invitet ad laudandum eum. » Et sic patet quod omnes creaturæ, quæ sunt quasi quædam scripta Dei, docent nos quatuor circa cognoscenda, et quatuor circa agenda.

De Scriptura, secundum illud videlicet Scripturæ, quære in sequenti processu.

SERMO VI.

De eadem, ex Epistola.

Quæcumque scripta sunt, etc., Rom., XV. Sicut tactum est superius, duo sunt libri qui scripti sunt ad nostram doctrinam et de libro creaturæ dictum est supra; nunc dicendum est de libro Scripturæ, qui duo docet, bona et mala : bona ut fiant, mala ut non fiant. Circa bona docet tria : scilicet præcepta, consilia, promissiones, sicut triplex bonum est; est enim bonum honestum, jucundum et utile. Præcepta docent bonum honestum, quia docent cultum unius Dei et pulchritudinem morum et virtutum, quæ honestum faciunt hominem. In consiliis est bonum utile. Matth., XIX : *Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo.* In promissionibus est bonum delectabile, sive jucundum. Joan., XVI : *Iterum videbo vos, et gaudebit cor vestrum.* Deut., IV : *Audi Israel verba vitæ;* et postea : *et dabo tibi terram fluentem lac et mel.* Circa mala ponit similiter tria. Prohibitiones, dissuasiones et comminationes, et hoc secundum triplex malum; est enim triplex malum, mortalis culpæ, et malum venialis culpæ, et malum æternæ pœnæ. Prohibitiones respiciunt malum mortalis culpæ. Exod., XX : *Non fornicaberis,* et sic de aliis prohibitionibus. Dissuasiones malum venialis culpæ. Eccli., XIX : *Qui spernit modica, paulatim decidet;* et alibi : « Vitasti grandia, cave ne obruaris arena. » Comminationes respiciunt malum æternæ pœnæ. Isa., ult. : *Vermis eorum non morietur.* Bene ergo dicit : *Quæcumque scripta sunt,* scilicet in libro Scripturæ, *ad nostram doctrinam scripta sunt.* Rogemus ergo, etc.

SERMO VII.

De eadem, ex Evangelio.

Erunt signa in sole et luna et stellis, Luc., XXI. In præcedenti evangelio dictum est

de adventu misericordiæ, in isto vero agitur de adventu justitiæ. Ad justitiam enim pertinet malos punire et bonos remunerare ; ideo de utroque agitur hic. Primum in prima parte evangelii, ibi : *Erunt signa;* secundum in secunda parte, ibi : *Levate capita vestra.* Circa pœnam malorum ostendit quod Creator et creatura convenient ad punitionem malorum. Circa creaturam ostendit quod triplex creatura conveniet ad punitionem malorum : scilicet spiritualis, corporalis et composita. Spiritualis angelus, composita homo. Corporalis vero duplex : superior et inferior; superior corpora cœlestia, inferior elementa. Ostendit ergo Dominus in evangelio hoc quod mali recipient pœnam a Domino, ab angelis, a corporibus cœlestibus, ab elementis et a seipsis. Primum, ibi : *Tunc videbunt Filium hominis ;* secundum, ibi : *Nam virtutes cœlorum movebuntur;* tertium, ibi : *Erunt signa in sole et luna et stellis;* quartum, ibi : *Præ confusione sonitus maris et fluctuum* ; quintum, ibi : *Arescentibus hominibus præ timore.* Circa primum sciendum est quod Dominus tripliciter affliget malos in judicio. Primo, disceptando; secundo, convincendo; tertio, contemnendo. De primo : *Nudus fui;* de secundo : *Quamdiu non fecistis uni ex minimis,* etc. ; de tertio : *Discedite a me maledicti.* Matth., XXV. Angelus similiter tripliciter affliget malos. Primo, ad judicium trahendo ; secundo, a bonis separando; tertio, in ignem æternum mittendo. De his tribus Matth., XIII : *Exibunt angeli,* ut scilicet portent malos ante judicem ; non enim possent per se tam cito venire, cum sint corpora eorum gravia, ecce primum; *et separabunt malos de medio justorum,* ecce secundum; *et mittent eos in caminum ignis,* ecce tertium. Corpora cœlestia similiter affligent tripliciter malos. Primo, signis terrendo ; secundo, tenebris affligendo; tertio, scelera eorum reserando. De primo, ibi : *Erunt signa in sole, luna et stellis.* Joel., II : *Dabo prodigia in cœlo.* De secundo, Matth., XXIV : *Sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum.* De tertio, Job, XX : *Cœli revelabunt iniquitatem ejus,* etc. Rogemus, etc.

SERMO VIII.

De eodem.

In terris pressura gentium præ confusione sonitus maris et fluctuum, etc., Luc., XXI. Dictum est superius quomodo superiores creaturæ puniunt malos; modo dicendum est quomodo inferiores creaturæ, et ostenditur quomodo punientur ab igne, ab aere, ab aqua, a terra et a seipsis. Primum, ibi : *Arescentibus hominibus.* Ariditas autem contingit ex siccatione humorum, quod facit ignis. Secundum, ibi : *fluctuum.* Fluctus contingunt ex inclusione aeris in mare. Tertium, ibi: *maris;* quartum, ibi : *in terris pressura gentium;* quintum, ibi : *pro timore et expectatione.* Ignis tripliciter puniet malos. Primo, lucem abscondendo ; secundo, incendendo; tertio, non consumendo. Si enim ignis consumeret eos, aliquod bonum prestaret eis; sed comburet, et non consumet. De primo, Ps. XXVIII : *Vox Domini intercidentis flammam ignis.* In flamma duo sunt, ardor et splendor. Ita intercidet Dominus flammam ignis, quia separabit splendorem a calore, ut comburat malos, et non illuminet. De secundo, Psal. XCVI : *Ignis ante ipsum præcedet et inflammabit.* De tertio, Sap., XV : *Ignis suæ naturæ oblitus est.* Aer similiter tripliciter affliget, sive puniet malos; fulguris emissione, grandinum pluitione et ventorum commotione. De primo, Sap., V : *Ibunt directe emissiones fulgurum, et tanquam a bene incurvato arcu nubium exterminabuntur.* De secundo, ibid., V : *A petrosa ira plenæ mittentur grandines.* De tertio, ibid., V : *Contra illos stabit spiritus virtutis, et tanquam turba venti.* Aqua similiter tripliciter affliget malos. Primo, creaturam, quæ ad usum erat, occidendo ; secundo, fluctibus terrendo ; tertio, contra peccatores excandescendo. De primo, Apoc., VIII : *Omnis creatura quæ erat in mari, mortua est.* De secundo, hic : *Præ confusione sonitus maris et fluctuum.* De tertio, Sap., V : *Excandescet in illos aqua maris, et flumina concurrent duriter.* Terra similiter tripliciter affliget malos. Primo, beneficia subtrahendo, ut impii affligantur fame ; secundo, terræmotibus terrendo; tertio, devorando. De primo, Matth., XXIV : *Erunt pestilentiæ et fames;* de secundo, ibid. : *Et terræmotus*

magni erunt per loca; de tertio, Psal. CV : *Aperta est terra, et deglutivit Datan.* A semetipsis patientur mali triplicia mala. Primo, ex defectu omnium honorum; secundo, timore ex recordatione præteritorum; tertio, ex expectatione instantium omnium malorum. De primo, Apocal., I : *Plangent se super eum omnes tribus terræ,* etc. De aliis duobus hic Luc., XXI : *Arescentibus hominibus præ timore*, quoad secundum, *et expectatione,* quoad tertium. Hic tria notantur. Primum, ibi : *Arescentibus hominibus;* secundum ibi : *præ timore;* tertium, ibi : *et expectatione*. Sunt autem tres rationes propter quas omnes creaturæ sic excandescent contra malos. Primo, quia male usi sunt eorum beneficiis; secundo, quia pulchritudinem earum devastaverunt malitiis et immunditiis suis; tertio, quia naturaliter est insitus cuilibet creaturæ appetitus vindicandi injuriam Creatoris. De primo Gregorius : « Omnia quæ ad usum vitæ accepimus, convertimus ad culpam, » etc.; et post : « Jure igitur nos omnia feriunt. » De secundo, Psal. XCVI : *Commota est terra in operibus eorum*. De tertio, Sap., XVI : *Creatura Creatori deserviens exardescit in tormentis adversus injustos,* etc. Hæc malis; bonis autem appropinquabit redemptio æterna, ad quam nos, etc.

SERMO IX.

De dominica tertia Adventus, ex Epistola.

Sic nos existimet homo ut ministros Christi, I Cor., IV, 1. In præcedenti epistola docuit nos Apostolus Christum fuisse ministrum pro nobis : *Dico autem Christum ministrum fuisse circumcisionis,* etc.; idcirco in ista epistola docet nos debere esse ministros Christi, et dicuntur in hac epistola sex. Primo, quod debemus nos Christi ministros facere; secundo, temerarium judicium fugere; tertio, humanum judicium contemnere; quarto, in propria conscientia non confidere; quinto, omne judicium Christo ut judici tribuere; sexto, laudes a solo Deo quærere. Primum, ibi : *Sic nos existimet homo ut ministros Christi;* secundum, ibi : *Nolite ante tempus judicare;* tertium, ibi : *Mihi autem pro minimo est ut a vobis judicer;* quartum, ibi : *Nihil mihi conscius sum;* quintum, ibi : *Quousque veniat Dominus;* sextum, ibi : *Tunc laus erit uniquique a Deo.*

Circa primum sciendum quod propter tria maxime debemus esse ministri Christi et ei servire. Primo, quia quicquid sumus et possumus, ipse dedit creando; secundo, quia servivit nobis nos redimendo; tertio, quia iterum serviet in glorificatione. De primo, Bernardus : « Cui justius servire debeo quam illi qui, si voluisset, omnino non essem? » Psal. XCIX : *Ipse fecit nos.* De secundo, Luc., XXII : *Ego in medio vestrum sum tanquam qui ministrat.* Servivit autem tripliciter : pedes abluendo, sordes peccatorum sanguine suo mundando, et carnem suam ministrando. De primo, Joan., XIII : *Cœpit lavare pedes discipulis suis,* etc. De secundo, Apoc. : *Qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.* Isa., XXIII : *Servire me fecistis in iniquitatibus vestris.* De tertio, Matth., XXVI : *Accepit panem, benedixit, et fregit, et dedit,* etc. Bernardus : « Bonus minister, qui carnem suam dedit in cibum, sanguinem in potum, et animam in pretium. » Serviet iterum in glorificatione. Luc., XII : *Amen dico vobis, quod præsinget se, et faciet illos discombere, et transiens ministrabit illis.* Juste ergo ministri ejus esse debemus.

Sunt autem tria quæ ipse maxime odit in ministris suis : scilicet immisericordia, inobedientia et inutilitas. De primo, Matth., XVII : *Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me; nonne ergo oportuit et te misereri conservi tui, sicut ego tui misertus sum?* etc. Matth., XXIV : *Si autem dixerit servus ille malus in corde suo : Moram facit dominus meus venire; et cœperit percutere servos suos, manducet autem et bibat cum ebriosis; veniet dominus servi illius in die qua non sperat, et hora qua ignorat, et dividet eum, partemque ejus ponet cum hypocritis; illic erit fletus et stridor dentium,* etc. De secundo, Luc., XII : *Servus sciens voluntatem domini sui, et non faciens secundum voluntatem ejus, plagis vapulabit multis,* etc. De tertio, Matth., XXV : *Servum inutilem projicite in tenebras exteriores,* etc. Sunt iterum tria quæ requirit Dominus in servis. Primum, ut sint ab omni sorde peccati mundati; secundum, ut sint omnibus virtutibus ornati; tertium, ut sint morum honestate decorati. De primo, Psal. C : *Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat;* et I Tim., IV : *Et sic ministrent, nullum*

crimen habentes. De secundo, II Cor., vi : *In omnibus exhibeamus nos sicut Dei ministros.* De tertio, I Petr. ii : *Conversationem vestram inter gentes habentes bonam*, etc. De his tribus, Exod., xl : *Applica Aaron et filios ejus ut ministrent mihi, et lotos aqua indues sacris vestibus, ut unctio eorum proficiat.* In lotione vero puritas, in sacris vestibus eorum virtutum varietas, in unctione eorum honestas, quia ex ea egreditur odor bonæ famæ ; II Cor., ii : *Christi bonus odor sumus Deo in omni loco.*

Requirit autem Deus quod sibi tribus modis ministremus. Primo, eum imitando ; secundo, in ejus servitio exultando ; tertio, eum timendo. De primo, Joan., xii : *Si quis mihi ministraverit, me sequatur.* De secundo, Psal. xcix : *Servite Domino in lætitia.* De tertio, Psal. ii : *Servite Domino in timore.* Primum facit Domino servitium acceptum ; secundum facit nos expeditos in servitium ; tertium in servitio nos conservat. Promittit autem tria Dominus servis suis : scilicet felicitatem, dignitatem et æternitatem. De primo, I Tim., iii : *Qui enim bene ministrat, gradum bonum sibi acquirit.* De secundo, Matth., xxv : *Euge, serve bone et fidelis, quia super modico fuisti fidelis.* De tertio, Apoc., vii : *Servient ei die ac nocte in templo ejus;* et post, ibid. : *Ad fontes aquarum vitæ deducet illos.* Fons vitæ et æternitas. Boetius : « Æternitas est vitæ interminabilis tota simul et perfecta possessio. » De his tribus Joan., xii : *Ubi ego sum, illic et minister meus erit.* Ubi est et jucunda sublimitas, et æterna jucunditas, et jucunda æternitas, ad quam nos perducat Dominus Deus.

SERMO X.

De eadem, ex Evangelio.

Cum audisset Joannes in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis, ait illi : Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Matth., xi. In præcedenti evangelio actum est de adventu justitiæ ; in isto de adventu gratiæ. Unde agitur hic de Joanne, qui interpretatur gratia Dei, vel in quo est gratia Dei. Dicuntur autem hic quatuor. Primo, Joannis incarceratio ; secundo, de Christi adventu per missos discipulos interrogatio ; tertio, Domini responsio ; quarto, multiplex Joannis commendatio. Commendatur autem a quatuor. Primo, a constantiæ firmitate ; secundo, a vestitus asperitate ; tertio, ab officii dignitate ; quarto, a vitæ sanctitate. Primum, ibi : *Cum audisset;* secundum, ibi : *Tu es;* tertium, ibi : *Ite, renuntiate Joanni quæ vidistis;* quartum, ibi : *Cœpit illis dicere de Joanne.* Et iterum, primum de commendatione, ibi : *Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam?* secundum, ibi : *Hominem mollibus vestitum?* tertium, ibi : *etiam plusquam prophetam;* quartum, ibi : *Hic est de quo scriptum est : Ecce mitto angelum meum.*

Mox autem de vinculis sciendum est quod tres dicuntur esse in vinculis, justus, impius et damnatus. Justus ponitur in vinculis præceptorum ; impius in vinculis peccatorum ; damnatus in vinculis tormentorum. De primo, Ezech., iv : *Ecce circumdedi te vinculis.* Oseæ, xi : *Traham vos in vinculis caritatis.* De secundo, Prov., v : *Iniquitates suæ capiunt impium, et fune peccatorum suorum constringitur.* Isa., x : *Ne incurvemini sub vinculo.* De tertio, Sap., vii : *Vinculis tenebrarum compediti.* Matth., xxii : *Ligatis manibus et pedibus, projicite eum in tenebras exteriores.* Prima vincula sunt amplectenda, secunda dissolvenda, tertia cavenda. Vincula præceptorum sunt amplectenda propter tria. Primo, quia per ipsa salus omni malo acquiritur ; secundo, quia ligatus eis a Dei sapientia protegitur ; tertio, quia de ipsis ad regimen egreditur. De primo, Eccli., vi : *Vincula illius alligatura salutaris.* De secundo, Sap., v : *Et in vinculis non dereliquit illum.* De tertio, Eccl., iv : *De carcere catenisque interdum quis egreditur ad regnum.* Sunt ergo vincula præceptorum amplectenda, sed peccatorum dissolvenda. Ligatur autem peccator vinculis superbiæ, vinculis avaritiæ, vinculis luxuriæ, vinculis malæ linguæ. De primo, Job, xxxix : *Quis dimisit onagrum liberum, et vincula illius quis solvit?* Per onagrum intelligitur superbus. Job, xi : *Vir vanus in superbiam erigitur*, etc. Unde vincula onagri sunt vincula superbi. De secundo, Isa., v : *Væ qui trahitis iniquitatem in vinculis vanitatis.* Vanitates divitiæ sunt. De tertio, Prov., viii : *Statimque sequitur eam, quasi bos ductus ad victimam, et ignorat stultus quod ad vincula trahatur.* Vincula trahentia sunt manus mulieris. Eccl., vii : *Inveni amariorem morte mulierem;* et post : *Vincula sunt manus illius.* Ista vincula sunt solvenda. Isa., li : *Solve vincula colli tui.* Sol-

vuntur autem quatuor modis. Primo, per gratiam justificationis; secundo, per gratiam contritionis; tertio, per verecundiam confessionis; quarto, per pœnam satisfactionis. De primo, Psal. cxv : *Dirupisti vincula mea*, Domine, scilicet gratiam infundendo. De secundo, Dan., iv, ubi dicitur quod *ignis consumpsit vincula puerorum*. Per ignem contritio intelligitur. Ps. xxxviii: *In meditatione mea exardescet ignis*. De tertio, Oseæ, vi : *Vidit Judas vinculum suum*. Judas interpretatur confitens; unde Judas vinculum suum videt, quando pœnitens, videns se vinculis peccatorum constrictum, clamat in confessione ut solvatur. De quarto, Nahum, i : *Afflixi te;* et post : *Vincula tua disrumpam*. Sic solvenda sunt vincula peccatorum. Vincula vero tormentorum sunt vitanda propter tria. Primo, quia tenebrosa; secundo, quia crudelia; tertio, quia æterna. De primo, Sap., xvii : *Vinculis tenebrarum compediti*. De secundo, Eccl., xiii : *Et non parcet de malitia et de vinculis*. De vinculis istis Isa., xxxviii : *Ne forte constringantur vincula nostra*. De tertio, Jud., vi : *In vinculis æternis sub caligine reservavit*. Loquitur de dæmonibus. A vinculis istis eripiat nos Deus, quod, etc.

SERMO XI.

De dominica tertia, ex Epistola.

Gaudete in Domino semper, iterum dico: Gaudete; modestia vestra nota sit omnibus hominibus, Phil., iv. In fine præcedentis epistolæ monuit Apostolus ut omnia Christo vero judici reservemus; sed ne conqueramur de longa mora, dicit eum in proximo venturum. *Dominus*, inquit, *prope est*. Facit autem Apostolus in præmissis verbis tria. Primo, monet ad interiorem sanctificationem; secundo, ad honestam conversationem; tertio, subjungit rationem. Interior sanctitas consistit in duobus. Primo, ut mala affectio removeatur; secundo, ut bona affectio habeatur. Bernardus : « Sanctum facit affectio sancta. » Mala affectio est gaudere in mundo. Est autem gaudium mundi malum, quia de malis, de vanis, de turpibus. Gaudium de malis est gaudere in malitiis; gaudium de vanis est gaudere in divitiis, quæ vanitas sunt; gaudium de turpibus est gaudere de luxuriis. De primo, Prov., ii : *Lætantur cum malefecerint, et exultant in rebus pessimis*. De secundo. Ps. xlviii : *In multitudine divitiarum suarum gloriatur*. De tertio, Job, xxi : *Gaudent ad sonitum organi*. Jac., v : *Epulati estis super terram, et in luxuriis enutristis corda vestra:* De istis tribus Augustinus : « Quid est sæculi gaudium ? Breviter dico, sæculi nequitia est impunitas malitiæ, in spectaculis nugari, luxuriari, oblectari, ingurgitari, et turpitudine fœtere. » Gaudere autem in Domino est gaudere, quia est potens ad salvandum, quia est misericors Dominus ad justificandum, quia largissimus ad remunerandum, pro modico enim servitio dat vitam æternam et regnum cœleste. Gaudendum est sine dubio in tali Domino, qui salvat servos suos redimendo, dimittit omnia debita justificando, coronabit æternum regnum conferendo. De primo, Ps. xxxiii : *Dominus rex noster ipse veniet, et salvabit nos*. Matth., i : *Ipse* (Salvator) *salvum faciet populum suum a peccatis eorum*. De secundo, Rom., v : *Justificati gratis per gratiam ipsius*. De tertio, Apoc., ii : *Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ*. De his tribus, Isa., lxi : *Gaudens gaudebo in Domino*. Et quare? *Quia induit me vestimento salutis*, ecce primum; *et indumento justitiæ circumdedit me*, ecce secundum; *quasi sponsam decoravit me corona*, ecce tertium, ad quæ nos perducat, etc.

SERMO XII.

De eadem, ex Epistola.

Modestia vestra nota sit omnibus hominibus, Phil., iv. Hortatus est Apostolus superius ad interiorem sanctitatem; hic vero hortatur ad conversationis honestatem, ibi : *Modestia vestra*. Ponit autem hic duo. Primo, hortatur ad honestam conversationem; secundo, subjungit rationem. Primum, ibi : *Modestia vestra;* secundum, ibi : *Dominus prope est*. Sunt autem tria quæ nos movere debent ad modestiam. Primo, creaturæ documentum; omnia enim, sicut dicit in lib. *De Trin.* Augustinus, servant modum, speciem et ordinem. Sap., ii : *Omnia in ordine, numero et mensura disposuisti*. Secundo, magnum quod in eadem est confortamentum; est enim fructus spiritus valde suavis. Gal., v : *Fructus autem spiritus est caritas;* et post, *modestia*, etc. Tertio, magnum quod de ejus absentia pro-

venit nocumentum. Seneca : « Si mediocria sunt utilia, inutilia vero sunt semper nimia, superflua enim nocent. » Est autem habenda modestia in ore, in corde, in manu. In corde, ut resecet cogitationum superfluitatem; in ore, ut resecet verborum inutilitatem; in manu, ut resecet excessum in opere. De primo, Seneca : « Magni animi est magna contemnere, et media magis velle quam nimia. » De secundo, Prov., x : *Qui moderatur labia sua, prudentissimus est.* De tertio, Rom., xii : *Rationabile sit obsequium vestrum.* Rationem autem horum duorum subjungit dicens : *Dominus prope est.* Est autem Dominus prope pœnitenti, ut indulgeat; oranti, ut exaudiat; tribulationes patienti, ut subveniat. De primo, Ezech., xviii : *Quacumque hora conversus fuerit peccator et ingenuerit, vita vivet.* De secundo, Psal. cxliv : *Prope est Dominus omnibus invocantibus eum.* Isa., lxv : *Eritque, antequam clament, ego exaudiam.* De tertio, Psal. xc : *Cum ipso sum in tribulatione;* et in Apoc., xxii : *Ecce venio cito, et merces mea mecum est, retribuere unicuique secundum opera*, malis pœnas æternas, et justis vitam æternam, ad quam nos perducat qui vivit in sæcula. Amen.

SERMO XIII.

De eadem, ex Evangelio.

Vox clamantis in deserto : Parate viam Domino, Joan., i. In præcedenti evangelio ponitur qualiter Christus Joannem multipliciter commendavit; in isto, quod seipsum humiliavit. Moraliter per desertum mundus iste intelligitur. Deut., viii : *Ductor tuus fuit in solitudine magna atque terribili, in qua erat serpens flatu adurens,* id est superbia; *scorpio,* id est luxuria; *dypsas,* id est avaritia. In isto deserto clamat creatura, Christus, justus et prædicator. Creatura clamat tria : primo, ut Deum cognoscamus; secundo, ut ipsum diligamus; tertio, ut laudes ei debitas reddamus. De primo, Augustinus : « Omnia clamant : Deus me fecit. » De secundo, idem : « Cœlum et terra et omnia quæ in eis sunt, undique mihi dicunt ut amem te, nec cessant dicere omnibus, ut sint inexcusabiles. » De tertio, idem : « Mirum est quod homo cessat a laude Dei, cum omnes creaturæ invitent ad laudandum eum. » Christus clamavit similiter tripliciter. Primo, miracula faciendo; secundo, utilia prædicando; tertio, pro nobis moriendo. De primo, Joan., ii : *Clamavit voce magna, dicens : Lazare, veni foras.* De secundo, idem, vii : *Stabat Jesus, et clamabat : Si quis sitit, veniat ad me, et bibat.* De tertio, Matth., xxvii : *Christus clamans voce magna emisit spiritum.* In primo apparuit ejus potentia; in secundo, ejus sapientia; in tertio, ineffabilis ejus bonitas et caritas. Hæc tria erant necessaria ad redemptionem nostram : ut posset redimere, ut sciret, ut vellet. De his tribus I Cor., i : *Christum Dei virtutem et Dei sapientiam.* Christus unctus, et primo bonus; virtus, et primo potens; sapientia, et primo sapiens. Justus clamat similiter tripliciter : primo, orando; secundo, confitendo; tertio, laudando. De primo, Psal. lxxvi : *Voce mea ad Dominum clamavi, et exaudivit me.* De secundo, idem Psal. xxxi : *Dixi : Confitebor adversum me injustitiam meam Domino; et tu remisisti impietatem peccati mei.* De tertio : *Clamabo ad Deum qui benefecit mihi,* supple, laudando illum, quia pro beneficiis ei debemus gratias agere. Prædicator similiter tria debet clamare : primo, hominum scelera; secundo, fragilitatis humanæ miseriam; tertio, ut præparetur Domino via. De his omnibus, Isa., lviii. De primo : *Clama, ne cesses;* et post : *Annuntia populo meo scelera eorum.* De secundo, Isa., xl : *Vox dicentis : Clama; et dixi : Quid clamabo? Omnis caro fœnum.* De tertio, ibidem, xl : *Vox clamantis in deserto : Parate viam Domino.* Præparant autem Domino viam, scilicet puritas, humilitas et æquitas. De primis duobus, Isa., xlii : *Præparate viam,* et subdit modum præparandi : *Planum facite iter,* montuositatem superbiæ removendo, quod fit per humilitatem : *Eligite lapides,* cætera peccata removendo, quod pertinet ad puritatem. De tertio, Joan., i : *Dirigite viam Domino, et aspera in vias planas,* per puritatem. Humilitas ordinat nos ad Deum, æquitas ad proximum, puritas ad nosipsos. Rogemus, etc.

SERMO XIV.

Dominicæ infra octavam Nativitatis.

Ut eos qui sub lege erant, redimeret, ad Gal., iv. Sciendum quod Christus nos redemit a multis. Primo, ab iniquitate, Tit., ii :

Ut nos redimeret ab omni iniquitate. Secundo, a diabolo ; Deuter., vii : *Redemit nos de manu Pharaonis,* id est diaboli. Tertio, a morte ; Oseæ, xiii : *De manu mortis redimam eos.* Quarto, a legis servitute et maledictione ; Gal., iii : *Redemit nos Christus de maledicto legis.* Nota quod bonitas Christi apparuit in nostra redemptione in multis. Primo, quia sine meritis ; Isa., lii : *Sine argento redimemini,* etc. Secundo, quia redemit magnis expensis, I Petr., i : *Non corruptibilibus auro et argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati Christi.* Tertio, quia ex sola abundantia caritatis ; Isa., lxiii : *In dilectione sua et in indulgentia sua ipse redemit nos.* Nota quod Dominus quinque requirit a nobis pro redemptione nostra. Primo, ut a peccatis ad eum revertamur ; Jerem., iv : *Revertere ad me, quia redemi te,* etc. Secundo, ut eum diligamus. Augustinus : « Miser ego ! quantum debeo diligere Deum meum, qui me fecit, cum non essem ; redemit cum perieram, et abieram, et in peccato venditus eram ; venit ille et redemit me, et tam dilexit me, quod pretium sanguinis sui dedit pro me. » Tertio, ut ipsi soli serviamus ; I Cor., vi : *Empti estis pretio magno,* etc. Quarto, ut tantum beneficium ubique prædicemus vel diffundamus ; Isa., xlviii : *Auditum facite hoc, efferte illud usque ad extrema terræ.* Quinto, ut pro tanto beneficio gratias agamus ; Psal. cxl : *Labia mea, et anima mea, quam redemisti,* etc.

SERMO XV.

De eadem, ex Evangelio.

Tuam ipsius animam pertransibit gladius, Luc., ii. Verba ista prophetica sunt de passione Christi, et notantur tria in verbis istis. Primo, magna beatæ Virginis ad Christum compassio, ibi : *Tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Et sciendum quod quatuor maxime fecerunt amaram passionem Christi beatæ Virgini : primum, Filii bonitas, I Petr., ii : *Qui peccatum non fecit,* etc. ; secundum, crucifigentium crudelitas quod vel ex eo patet, quod morienti saltem aquam dare noluerunt, nec a matre quæ diligenter dedisset, dari permiserunt ; tertium, pœnæ vilitas, Sapient., ii : *Morte turpissima condemnemus eum ;* quartum, tormenti crudelitas, Thren., i : *O vos omnes qui transitis per viam, attendite et videte si est dolor sicut dolor meus.* Secundo, amara Christi passio, ibi : *Tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Sciendum quod crux ejus fuit gladius acutus, Ezech., xxi : *Gladius acutus et limatus.* Acutus fuit, quia maxime pupugit et vulneravit. Item fuit splendidus, id est splendens fuit, eo quod in ea pependit splendor mundi, id est Dei Patris. Hebr., ii : *Qui cum sit splendor gloriæ et figura substantiæ ejus.* Item fuit gladius gloriæ suæ. Deuter., xxxiii : *Scutum virtutis tuæ, et gladius gloriæ tuæ.* Dicitur autem gladius gloriæ, quia per ipsum acquisivit nobis gloriam. Isto gladio fuit a malis percussus per crucem ; tamen percutiet malos gladiis suis : primus est pœnæ præsentis adversitas, Ezech., ii : *Gladium metuisti,* etc. Secundus judicialis sententia, Apoc., i : *Ex ore ejus gladius,* etc. ; tertius, infernalis pœnæ acerbitas, Isa., i : *Gladius devoravit, quia os Domini locutum est ;* Genes., vi : *Constituit gladium flammeum,* etc. Tertio, passionis consecutio, ibi : *Ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.* Quod cogitat, revelat aut sacerdoti in confessione ; Psal. xxvi : *Revela Domino viam tuam,* etc. ; aut in judicio ad damnationem ; Oseæ, ii : *Revelabo scelera tua,* etc. Nota quod in præsenti debemus peccata revelare propter quatuor. Primo, quia tali revelatione dimittuntur peccata ; Prov., xxviii : *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur ; qui autem confessus fuerit ea et reliquerit, misericordiam consequetur.* Secundo, quia a Deo absconduntur. Augustinus : « Si revelas, ego celo, et e converso, » etc. Tertio, quia gratia infunditur. Quarto, quia ex ea vita æterna acquiritur. De his duobus, Eccl., iv : *Est confusio adducens gratiam et gloriam.* Nota quod in futuro revelabuntur omnia quæ non revelantur hic. Revelabuntur autem a tribus. Primo, a cœlis ; Job, xx : *Revelabunt cœli iniquitatem ejus,* etc. Secundo, a seipsis ; Rom., ii : *Testimonium reddente illis conscientia,* etc. Tertio, a Deo ; II Cor., iii : *Illuminabit abscondita tenebrarum.* Revelabitur autem ira Dei super omnes qui hic noluerunt revelare. Rom., i : *Revelabitur autem ira Dei super omnem impietatem ;* a qua ira liberet nos Dominus, qui vivit et regnat in sæcula. Amen.

SERMO XVI.

Dominicæ infra octavam Epiphaniæ, ex Epistola.

Nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in novitate sensus vestri, ut probetis quæ sit voluntas Dei, Rom., XII. In istis verbis ad tria hortatur Apostolus, in quibus consistit tota perfectio hominis. Primo, ut sæculi forma deponatur; secundo, ut forma novæ vitæ assumatur; tertio, ut Dei voluntas agnoscatur. Primum, ibi : *Nolite conformari huic sæculo;* secundum, ibi : *sed reformamini in novitate;* tertium, ibi : *ut probetis quæ sit voluntas Dei.*

Circa primum sciendum quod triplex est forma sæculi. Prima est terrenorum cupiditas; secunda, carnalis concupiscentia; tertia, vitæ superbia. De his tribus, I Joan., II : *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ.* Sciendum quod ista triplex forma dat triplex esse : quia prima forma dat esse terrenum; secunda, animale; tertia, diabolicum. Avaritia facit hominem terrenum; concupiscentia carnis, animalem; superbia etiam similem facit diabolo. De his tribus Jac., III : *Non est ista sapientia desuper descendens, sed terrena, animalis, diabolica.* Primo modo conformantur huic sæculo avari; secundo, gulosi et luxuriosi; tertio, superbi; ideo, pereunte sæculo, peribunt et ipsi. Gregorius : « Qui labenti innititur necesse est ut cum labente ruat. » I Joan., II : *Nolite diligere mundum.* Quare? *Quia transit mundus, et concupiscentia ejus.* Circa secundum notandum quod formà vitæ novæ est sumenda tripliciter. Prima, voluntatis sanctitas; secunda, locutionis veritas; tertia, operis æquitas. Prima informat cor; secunda, os; tertia, manum. De primo, Ephes., VI : *Facientes voluntatem Dei ex animo cum bona voluntate.* De secundo, Ephes., IV : *Loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo.* De tertio, Gal., VI : *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes.* De his tribus Ephes., V : *Fructus autem lucis est in omni bonitate, et justitia, et veritate;* in bonitate cordis, in veritate locutionis, in justitia operis. Prima forma dat esse angelicum, secunda dat esse divinum, tertia dat esse cœlicum. Per bonitatem homo fit similis angelis, per veritatem Deo, per justitiam sanctis. De his tribus in ista epist. Rom., II : *Ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem.* Viventem per justitiam, qua homo vivit; Rom., I : *Justus ex fide vivit;* sanctam per vitam bonam; sancta enim idem est quod munda. Deo placentem per veritatem, quia Deus veritas est.

Tertium membrum quærere in sequenti processu.

SERMO XVII.

De eadem

Ut probetis quæ sit voluntas Dei, Rom., XII. Hoc est totum bonum hominis, ut conformet se voluntati divinæ. Et distinguitur hic triplex voluntas Dei : prima, bona; secunda, placens; tertia, perfecta. Et intelligitur pluribus modis, sed modo tripliciter. Moraliter bona fuit voluntas Dei creando, beneplacens recreando, perfecta glorificando. Bona conferendo esse naturæ, beneplacens conferendo esse gratiæ, perfecta largiendo esse gloriæ. De prima, Apoc., IV : *Dignus es Domine accipere gloriam, et honorem, et virtutem, quia tu creasti omnia, et voluntate tua erant et creata sunt.* Erant enim in idea, in mente divina, creata sunt in proprio esse. De secunda, Ps. XXIX : *Domine, in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem;* recreando enim decorem divinum in nobis reparavit, et in virtute Spiritus sancti roboravit. De tertia, Joan., XII : *Volo, Pater, ut ubi ego sum, illic sit et minister meus :* quod erit in gloria. Psal. LXXII : *In voluntate tua deduxisti me, et cum gloria suscepisti me.* Secundo modo intelligitur sic. Voluntas Dei bona in nostra ab omni impuritate mundatione, beneplacens in misericordiæ exhibitione, perfecta in caritatis fervore. De primo, I Thess., IV : *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio,* id est mundatio, *vestra.* De secundo, Matth., IX : *Misericordiam volo, et non sacrificium.* De tertio, Luc., XII : *Ignem veni mittere in terram; et quid volo nisi ut accendatur?* Per ignem caritas intelligitur. Tertio modo intelligitur sic. Voluntas ejus bona est in conjugatis, beneplacens in continentibus, perfecta in prælatis, qui tenentur ad perfectionem. Voluntas enim Dei in conjugatis est facere opera misericordiæ; in continentibus facere bonum continentiæ; in prælatis, pro fratribus animam ponere. De prima voluntate

potest intelligi illud, Psal. CXLII : *Doce me facere voluntatem tuam.* De secunda, I Thess., IV : *Hæc est voluntas Dei ut sciat unusquisque vestrum suum vas possidere in sanctificatione,* ab immunditia, quod fit maxime per continentiam. De tertia, Psal. CII : *Ministri ejus qui faciunt voluntatem ejus.* Præmium illius voluntatis est vita æterna. Psal. XXIX : *Et vita in voluntate ejus,* ad quam nos conducat, etc.

SERMO XVIII.

De eadem, ex Evangelio.

Ego et pater tuus dolentes quærebamus te, Luc., II. In isto Evangelio multa docentur secundum litteram, sicut patet; sed in isto verbo docemur quærere Deum, ad quod monemur frequenter in Scriptura. Notantur autem in istis verbis tria. Primo, quærentes; secundo, modus quærendi; tertio, inquirendus vel quæsitus. Primum, ibi : *Ego et pater;* secundum, ibi : *dolentes;* tertium, ibi : *quærebamus te.*

Quærentes erant Maria et Joseph; per quos duo genera hominum designatur, a quibus quæritur Dominus : quæritur a contemplativis in contemplatione, et ab activis in actione. Maria interpretatur illuminata, et significat contemplativos qui in contemplatione suscipiunt divinas illuminationes. Joseph intrepretatur augmentum, et significat acti vos qui debent habere augmentum operum misericordiæ. Ab istis quæritur Dominus. De utroque, Psalm. LXXXV : *Lætetur cor quærentium Dominum : quærite Dominum, et confirmamini.* Primum pertinet ad contemplativos, qui sunt in continua lætitia et jubilo; secundum ad activos, qui quandoque multum indigent confirmari. Vel per Mariam stellam maris designatur fides, et per Joseph augmentum caritatis. Fides inquirit Deum inquantum patrem nostrum; caritas inquantum summum bonum. De his duobus Canticorum, V : *Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est. Quæsivi, et non inveni;* id est inquantum loquitur, intantum quæsivi, nam fides est ex auditu; inquantum dilectus, caritas quærit quæ est vita copulans diligentem cum dilecto, ut dicit Augustinus. Sed plane si per caritatem hic quæritur, post invenietur.

Circa modum inquirendi nota quod septem modis debet inquiri, sicut potest colligi ex textu. Primo, cum mentis puritate, ut simus ab omni labe peccati depurati. I Esdr., VI : *Omnes qui se separaverunt a coinquinatione gentium terræ, ut quærerent Deum.* Secundo, cum intentionis simplicitate. Sap., I : *In simplicitate cordis quærite illum.* Tertio, quærendus est ex toto corde, ut solum eum cogitemus. Quarto, ex tota voluntate ut eum solum velimus. De his duobus I Paral., XV : *In omni corde suo et in omni voluntate sua quæsierunt Dominum, et invenerunt.* Quinto, quærendus est cum festinatione, antequam transeat tempus in quo inveniri possit. Isa., LV : *Quærite Dominum dum inveniri potest.* Sexto, quærendus est cum perseverantia sine cessatione. Psal., CIV : *Quærite faciem ejus semper.* Septimo, quærendus est cum dolore peccatorum. Mich., IV : *Dole, et satage filia Sion, quasi parturiens, quia redimet te Dominus de manu inimicorum tuorum,* etc. Luc., II : *Ego et pater tuus dolentes.*

Circa tertium sciendum est quod debemus quærere Deum; unde dicit : *Quærebamus te.* Est autem inquirendus propter quatuor. Primo, quia justus; secundo, quia mansuetus; tertio, quia bonus; quarto, quia justus, ut inquirentibus se offerat. In hoc enim est justitia ejus, quia nullus quærit sicut quærere debet, quod non inveniat. Mansuetus est ut quærentes se benigne suscipiat. De his duobus Sophon., II : *Quærite Deum;* et post : *quærite justum, quærite mansuetum.* Bonus est ut quærentes se magnificet et remuneret. Thren., III : *Bonus Dominus sperantibus in se, animæ quærenti illum.* Vita est, quia quærentes se facit æternaliter vivere. Psalm. LXVIII : *Quærite Dominum, et vivet anima vestra.* Ad quam nos perducat, etc.

SERMO XIV.

Dominicæ primæ post Epiphaniam, ex Epistola.

Hospitalitatem sectantes, etc., Rom., XII. In ista epistola, cum sit tota moralis, hortamur ad multam hospitalitatem, ad quam præcipue debent nos quatuor movere. Primo, Domini præceptum; secundo, sanctorum exemplum; tertio, si non fiat, nocumentum; quarto, si fiat, multiplex profectus.

Circa primum sciendum, quia Dominus triplici lege præcipit hospitalitates : scilicet lege naturæ, lege veteri, lege nova. Lege naturæ, qua præcepit ut sicut ab aliis hospitalitates nobis exhiberi volumus, ita exhibeamus aliis. Matth., VII : *Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis.* Lege veteri. Isa., LVIII : *Egenos vagosque induc in domum tuam;* et Deut., XXVI : *Ut comedas tu, et peregrinus et advena tecum.* Lege nova. Hebr., XIII : *Hospitalitatem nolite oblivisci.*

Circa secundum sciendum quod exempla sanctorum tria docent nos circa hospitalitatem. Primo, ut hospites quasi ad nos cogamus intrare; secundo, ut eos ab injuriis defendamus; tertio, ut cum hilaritate et festinatione et abundanter eis necessaria ministremus. De primo, Luc., ult. : *Et coegerunt illum, dicentes : Mane nobiscum, quoniam advesperascit, et inclinata est jam dies.* De secundo, Gen., XIX : *Nolite, quæso, inquit, fratres mei, nolite hoc malum facere, quoniam ingressi sunt sub umbra culminis mei;* unde discatur quod mos erat hospites ab injuriis defendere. De tertio, Gen., XVIII : *Obsecro, declinate ad servum vestrum;* et post : *Et dixit Saræ : Accelera, tria sata farinæ commisce,* etc., *et ipse cucurrit ad armentum, et tulit vitulum :* ut doceamur hilariter et festinanter et abundanter hospitibus ministrare.

Circa tertium sciendum quod tria mala incurrunt hi qui nolunt hic hospitalitatem sectari. Primo, quia hic a Domino puniuntur; secundo, quia in judicio confundentur; tertio, quia in malum hospitium includuntur. De primo, Sap., XIX : *Alii quidem ignotos non recipiebant advenas, alii autem bonos hospites in servitutem accipiebant. Et non solum hoc, sed et alius quidam erat aspectus eorum, quoniam inviti recipiebant extraneos;* et post : *Percussi sunt cæcitate.* De secundo, Matth., XV : *Hospes fui, et non collegistis me.* De tertio, ibid. : *Ite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus.*

Circa quartum sciendum quod propter tria debemus sectari hospitalitatem. Primo, quia ex hoc gratiam acquirimus; secundo, quia frequenter sanctos et angelos recipimus; tertio, quia in æternum cœleste et gloriosum hospitium recipiemus. De primo et secundo, Hebr., XIII : *Hospitalitatem nolite oblivisci : per hanc enim quidam placuerunt angelis hospitio receptis.* De secundo, exemplum de domina quæ credidit recipere pauperem, et recepit Christum. De tertio, Matth., XXV : *Hospes fui, et collegistis me;* et post : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum;* ad quod ducat, etc.

SERMO XX.

De eadem, ex Evangelio.

Die tertia, nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ; et erat mater Jesu ibi, Joan., II. Quatuor nuptiæ leguntur in Scriptura. Primæ historicæ, secundæ allegoricæ, tertiæ tropologicæ, quartæ anagogicæ. Historicæ inter virum et uxorem carnalem; allegoricæ inter Christum et Ecclesiam; tropologicæ inter Deum et animam; anagogicæ inter Deum et Ecclesiam triumphantem. De primo, Esther, II : *Fecit convivium præparari pro conjunctione Esther, et nuptias.* De secundis, Matth., XXII : *Simile est regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo.* De tertiis, Oseæ, II : *Sponsabo te mihi in fide.* De quartis, Matth., XXV : *Et quæ paratæ erant intraverunt cum eo ad nuptias.* Primas nuptias in paradiso Dominus ordinavit, verbo confirmavit, præsentia decoravit et miraculo illustravit. De primo, Gen., II : *Crescite et multiplicamini, et replete terram.* De secundo, Matth., XIX : *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* De tertio et quarto, hic : *Vocatus est autem Jesus,* ecce tertium; *ut autem gustavit architriclinus aquam vinum factam,* ecce quartum. In istis nuptiis debent esse tria bona : fides, ut torus non violetur; proles, ut filii Domino generentur; sacramentum, ut nec vir ab uxore et e converso, sicut nec Christus ab Ecclesia, separetur, ut primo vivente alteri non copuletur. De primo, I Corinth., VII : *Vir potestatem sui corporis non habet.* De secundo, I Tim., II : *Salvabitur autem per filiorum generationem.* De tertio, Ephes., V : *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo et Ecclesia.* Primum bonum destruunt adulteri; secundum, qui procurant venena sterilitatis, vel qui filios ad Dei cultum et servitium non instruunt; tertium, qui vivente uxore alteri conjunguntur. De primo, Hebr., XIII : *Fornicatores et adulteros judicabit Deus,* id est condemnabit. De secundo, Isaias secundum aliam translationem : *Maledicta terra*

quæ non parturit. De tertio, Rom., I : *Si vivente viro fuerit cum alio, vocabitur adultera.* Potes hic prosequi de impedimento istarum nuptiarum.

De nuptiis vero inter Deum et animam, quid intelligatur per istas nuptias, quæras in sequenti processu, etc.

SERMO XXI.

De eodem.

Die tertia, nuptiæ factæ sunt in Cana Galiææ, Joan., II. Tria notantur in istis verbis circa nuptias. Primo, tempus celebrationis ponitur; secundo, locus in quo sunt celebratæ subditur; tertio, persona invitata ad ipsarum commendationem subjungitur. Primum, ibi : *Die tertia;* secundum, ibi : *in Cana;* tertium, ibi : *et erat mater Jesu ibi.* Moraliter per istas nuptias intelligitur conjunctio Dei ad animam, in quibus nuptiis tria concurrunt : primo, judicium; secundo, justitia; tertio, misericordia. De his tribus Oseæ, II : *Sponsabo te mihi in judicio, justitia et misericordia.* Judicium quoad seipsum, justitia quoad Deum, misericordia quoad proximum. Judicium quoad seipsum consistit in tribus. Primo, ut omnem malum deserat; secundo, ut omnem bonum faciat; tertio, ut adversa patienter sustineat. De his tribus in epistola quæ cum hoc evangelio legitur. De primo, ibi : *Odientes malum;* de secundo, ibi : *et adhærentes bono;* de tertio, ibi : *in tribulatione patientes.* Justitia quoad Deum consistit similiter in tribus. Primo, ut homo in Deum tanquam in summam veritatem super omnia credat; secundo, ut in eum tanquam in summam potestatem super omnia speret; tertio, ut eum tanquam summam bonitatem propter se et super omnia diligat. Per primum conjungitur rationali, per secundum irascibili, per tertium concupiscibili. Primum fit per fidem, secundum per spem, tertium per caritatem. De his tribus in epistola hodierna. Primum, ibi : *Secundum rationem fidei;* secundum, ibi : *Spe gaudentes;* tertium, ibi : *Dilectio sine simulatione.* De his tribus I Cor., XIII : *Nunc manent fides, spes, caritas, tria hæc,* etc. Misericordia quoad proximum similiter consistit in tribus. Primo, ut ignorantem doceat; secundo, ut indigentibus subveniat; tertio, ut cum offendentibus indulgeat. De his tribus in eadem epistola. De primo, ibi : *Qui docet,* in doctrina; de secundo, ibi : *qui miseretur,* in hilaritate; de tertio, ibi : *nulli malum pro malo reddentes,* Rom., XII.

Hæc omnia notantur in evangelio præmisso, quæ ordinant nos ad Deum. Nota : *in die tertio.* Primus dies fides, secundus spes, tertius caritas; et in isto fiunt nuptiæ, quia per eam copulatur anima Deo. Dicit Augustinus : « Quid est caritas nisi vita copulans amantem cum amato? » Tria quæ ordinant ad proximum. Nota : *in Cana Galilææ.* Cana interpretatur zelus vel possessio; Galilæa volubilis. In zelo notatur zelus doctrinæ, in possessione opera misecordiæ. Illa enim vere et sine timore amissionis possidemus, quæ pauperibus largimur; Matth., VI : *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo, ubi,* etc. In volubilitate pronitas ad indulgendum. Illa quæ ordinant ad seipsum, notantur ibi : *erat mater Jesu ibi.* Maria enim interpretatur illuminata et stella maris, vel amarum mare. Illuminatur autem homo a malo recedendo; egressus enim a vitiis, virtutis operatur ingressum, ut dicit Ambrosius. Stella maris est bona operatio quæ illuminat. Matth., V : *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.* Amarum mare est passionum tolerantia. Qui sic celebrat nuptias istas, celebravit æternas; de quibus dicitur Apocal., XIX : *Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt.* Ad has perducat nos Jesus Christus. Amen.

SERMO XXII.

Dominicæ secundæ post octavam Epiphaniæ, ex Epistola.

Nolite esse prudentes apud vosmetipsos, Rom., XII. In verbis istis secundum suam duplicem expositionem prohibentur duo mala : scilicet malum superbiæ et avaritiæ. Primo modo exponitur sic : *Nolite esse prudentes apud vosmetipsos,* id est vos sapientes et prudentes reputantes, quod fit per superbiam. Isa., V : *Væ qui sapientes estis in oculis vestris.* Alio modo exponitur sic : *Nolite esse prudentes apud vosmetipsos,* id est prudentiam vestram non tantum vobis teneatis, sed aliis communicetis; unde *Glossa :* « ne prudentiam vestram

apud vos tantum, sed adversus proximos magis exercentis. »

Et a malo superbiæ tria debent præcipue dissuadere. Primo, quia deordinat a Deo; secundo, quia a proximo; tertio, quia a seipso. A Deo deordinatur homo tripliciter. Primo, a Deo apostatando; secundo, eum impugnando; tertio, adversus eum se erigendo. De primo, Eccl., x : *Initium superbiæ hominis apostatare a Deo.* De secundo, Psalm. xxvii : *Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper.* De tertio, Job, xv : *Cucurrit adversus eum extenso collo*, etc. Ideo Dominus armatus est semper ut resistat superbiæ. Jacob., iv : *Deus superbis resistit.* A proximo deordinatur similiter tripliciter. Primo, eum injuriis perturbando; secundo, malitiis vexando; tertio, eum contemnendo et despiciendo. De primo, Prov., xiii : *Inter superbos semper jurgia sunt.* Idem : *Semper jurgia quærit malus,* id est superbus, qui dicitur malus. De secundo, Ita., xix : *Contrivit Dominus brachium impiorum*, et cætera quæ sunt ibi. De tertio, Job, xii : *Deridetur justi simplicitas; lampas contempta apud cogitationes divitum*, id est superborum. A seipso deordinatur similiter tripliciter. Primo, seipsum decipiendo; secundo, seipsum stultum faciendo; tertio, seipsum confundendo. De primo, Isa., xlix : *Superbia tua et arrogantia tua ipsa decepit te.* De secundo, Prov., xxi : *Superbus et arrogans vocatus indoctus.* De tertio, Prov., ii : *Ubi fuerit superbia, ibi et contumelia.* Eccl., x : *Qui tenuerit eam,* id est superbiam, *implebitur malis, et in fine subruet eum.*

A malo autem avaritiæ dissuadent Creator, creatura et natura. Et nota quod dissuadet Creator prohibendo, creatura se et sua dando, natura cohibendo. De primo, Luc., xii : *Attendite vobis ab omni avaritia.* De secundo, Augustinus : « Magnum indicium divinæ bonitatis est, quod quælibet creatura cogitur dare seipsam. » De tertio, Tob., iii : *Quod tibi non vis, alteri ne feceris.* Isti sunt duo infirmi curati in evangelio quod legitur cum ista epistola : leprosus, superbus est qui tumet; paralyticus est avarus propter multa. Curantur autem per duo bona, ad quæ hortatur nos Apostolus in eadem epistola. Primum, ibi : *Cum omnibus hominibus pacem habentes;* ubi prohibet superbiam : superbus enim cum nullo pacem habet. Secundum, ibi : *Providentes bona;* ubi prohibet avaritiam, quæ non vult bona providere, etc.

SERMO XXIII.

De eadem, ex Evangelio.

Ecce leprosus veniens, adorabat eum, dicens : Domine, si vis, potes me mundare, Matth., viii. Per istum leprosum moraliter intelligitur peccator, et hoc propter quatuor quæ considerantur in lepra. Primo, quia lepra est corruptio; secundo, quia consumptio; tertio, quia infectio; quarto, quia separatio. Primo, est corruptio humorum; secundo, consumptio membrorum; tertio, infectio aliorum; quarto, separatio hominum. Est ergo primum peccatum corruptio naturalium; secundo, amissio gratuitorum; tertio, infectio proximorum; quarto, separatio a gaudiis sanctorum et angelorum. Primo enim corrumpit naturalia; unde Augustinus : « Peccatum est corruptio modi, et speciei, et ordinis. » Aufert gratuita, quia gratia non potest simul esse cum peccato mortali. Sap., i : *Non habitabit in corpore subdito peccatis.* Inficit proximos et creaturas insensibiles. Psal. cv : *Contaminata est terra in operibus eorum.* Jer. : *Corrupisti terram in fornicationibus tuis.* Item separat hominem a Deo et angelorum consortio. Sap., i : *Perversæ cogitationes separant a Deo.* Et de istis quatuor similiter. Psal. xiii : *Corrupti sunt,* ecce separatio, ponitur causa pro effectu : abominatio enim est causa separationis; *non est qui faciat bonum,* ecce gratiæ amissio : amissa enim gratia nemo potest bonum meritorium facere; *sepulcrum patens est guttur eorum,* ecce infectio : leprosus enim maxime anhelitu inficit. Ista quatuor dicuntur de leproso, in Lev., xiii : *Quicumque maculatus fuerit lepra, habebit vestimenta dissuta et caput nudatum, os veste contectum, et habitabit extra castra.* Leprosus, id est peccator, habet vestimenta dissuta, quia est in naturalibus dissutus et diffusus; caput nudum, id est mentem a gratia; os debet habere contectum, quia inficit; extra castra manere, quia separatur a castris Dei, id est habitatione angelorum et sanctorum.

Quomodo curetur iste leprosus, quære in sequenti processu, etc.

SERMO XXIV.

De eodem.

Respiciens eum Jesu, dixit duo : *Volo mundare.* Circa curationem vero istius leprosi tria concurrunt. Primum est Christi de monte descensio; secundum, leprosi ad eum accessio; tertium, Christi jussio. Circa primum sciendum quod per montem intelligitur cœlum. Psal. XXIII : *Quis ascendet in montem Domini?* et de isto monte descendit Dominus in incarnatione visibilis apparendo; descendet in judicio orbem judicando. In primo descensu mundavit a lepra culpæ; in secundo liberavit a lepra pœnæ. De primo, Apoc., I : *Qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo;* et sic lepra mundatur sanguine innocentis, etc. De secundo, Apoc., XXI : *Absterget Deus omnem lacrymam.*

Nota autem hic quatuor circa leprosum, quæ debent esse in conversione peccatoris. Primo, ipsius ad Christum accessio; secundo, adoratio; tertio, exclamatio; quarto, humiliatio. Primum, ibi : *Veniens;* secundum, ibi : *Adoravit eum,* etc.; tertium, ibi : *Domine;* quarto, modum loquendi, ibi : *Si vis;* quasi dicat, ex tua voluntate et bonitate faceres, non meis meritis. Per accessum intelligitur peccatoris ad Deum conversio; per adorationem, satisfactio; per exclamationem, confessio; per quartum, humiliationis satisfactio. Quatuor enim sunt necessaria ad conversionem peccatoris, scilicet contritio, confessio, satisfactio et humiliatio. De primo, Jer., VI : *Luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum.* De secundo, Jacob., V : *Confitemini alterutrum peccata vestra.* De tertio, Matth., III : *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* De quarto, Luc., XVII : *Cum omnia bona feceritis, dicite, quia servi inutiles sumus.* Ista quatuor notantur in illis verbis : *Vade, et ostende te sacerdoti; et offer munus tuum.* In *vade* contritio; in *ostende* confessio; et in *munus* satisfactio, in quo et notatur humiliatio.

Circa Christum similiter quatuor concurrunt : scilicet tactus, locutio, voluntas, curatio. Primum, ibi : *tetigit eum;* secundum, ibi : *dicens;* tertium, ibi : *volo;* quartum, ibi : *mundare.* In tactu notatur ejus humilitas; in locutione sapientia; in voluntate bonitas; in facto obedientia. Per hæc enim quatuor operatus est salutem nostram et redemptionem; per potentiam, per sapientiam, per bonitatem, per humilitatem incarnationis et mortis. De istis quatuor I Corinth., I : *Qui factus est nobis sapientia,* et ideo scivit; *et justitia,* et ideo potuit; *et sanctificatio,* volendo; *et redemptio,* faciendo. Rogemus ergo, etc.

SERMO XXV.

De dominica tertia, ex Epistola.

Diliges proximum tuum sicut teipsum, Rom., XIII. Quatuor facit Dominus in verbis istis. Primo, dilectionem proximi præcipit; secundo, quid diligendum sit, ostendit; tertio, causam dilectionis adjungit; quarto, modum dilectionis subjungit. Primum, ibi : *diliges;* secundum, ibi : *proximum;* tertium, ibi : *tuum;* quartum, ibi : *sicut teipsum.*

Circa primum sciendum quod tria maxime debent movere ad dilectionem. Primo, necessitas; secundo, utilitas; tertio, inexcusabilitas. Necessitas est, quia in æterna lege sancitum est quod qui non diligit, ultimo supplicio puniatur. I Joan., III : *Qui non diligit, manet in morte.* Utilitas est, quia in eadem lege sancitum est ut diligens æternum regnum, bonum inestimabile assequatur. I Cor., II, quod *oculus non vidit et auris non audivit quæ præparavit Deus diligentibus se.* Augustinus : « Ubi caritas est, quid est quod esse non possit? » Inexcusabilitas est facilitas implendi a quolibet; nullus enim pauper nec dives, nec quisquam poterit se excusare ab impletione istius præcepti per impotentiam. Deut., XXX : *Mandatum quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est.*

Circa secundum hic innuitur quod tria debet homo diligere : Deum, seipsum et proximum. Dilectio Dei intelligitur in dilectione proximi, et dilectio proximi in dilectione sui. Dilectio proximi præcipitur ibi : *proximum;* dilectio sui ibi : *sicut teipsum.* Innuit enim quod debet homo seipsum diligere, quod non facit peccator. Psal. X : *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam.* Primo, debemus diligere Deum per se et super omnia; secundo, nos; tertio, proximum; et hoc est totum bonum hominis ordo istius amoris, et totum malum est perversio istius amoris, sicut dicit

Augustinus : « Peccatum est privatio speciei, modi et ordinis. » Cant., II : *Ordinavit in me caritatem.*

Circa tertium sciendum est quod tria debent nos movere ad diligendum proximum. Primo, quia hoc præcipit Creator; secundo, quia suadet natura; tertio, quia suggerit Scriptura. De primo, Joan., XIII : *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem.* De secundo, suadet natura, quia omne animal diligit sibi simile, et omnis homo similem sibi; sic videtur quod deterius sit homo qui non diligit cunctis animantibus. De tertio, suggerit Scriptura ut homo diligat fratrem suum; omnes autem homines sunt fratres. Malach., II : *Numquid non unus est pater omnium nostrum?* Omnes homines voluit esse ex uno priore Adam, ut diligerent se sicut fratres. Est autem inter omnes homines fraternitas carnalis et spiritualis. Apostolus : *Omnes enim fratres sumus in Christo.*

Circa quartum sciendum quod triplici modo præcipit Scriptura ut homo diligat proximum. Primo, sicut membrum; secundo, sicut homo seipsum diligit; tertio, sicut Christus non dilexit. De primo, Rom., XII : *Sicut in uno corpore multa membra habemus.* De secundo, Matth., XXII : *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* De tertio, Joan., XV : *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos,* etc.

SERMO XXVI.

De eadem, ex Evangelio.

Ascendente Jesu in naviculam, secuti sunt eum discipuli ejus, Matth., IX. Quatuor dicuntur in isto evangelio. Primo, Christi et discipulorum in navem ascensio; secundo, maris conturbatio; tertio, discipulorum oratio; quarto, ad Christi præceptum tempestatis cessatio. Primum, ibi : *Ascendens;* secundum, ibi : *Et ecce motus magnus factus est in mari;* tertium, ibi : *Domine, salva nos;* quartum, ibi : *Tunc surgens imperavit ventis et mari.* Docemur moraliter a quatuor. Primo, ad vitam sanctitatis ascendere; secundo, tentationes post ascensum insurgere; tertio, ad Dominum in tentatione clamare; quarto, tranquillitatem ad ejus voluntatem expectare. Primo, docemur in ascensione navis. Navim ascendit qui vitam sanctam aggreditur. Matth., IX : *Ascendens Jesus in naviculam, transfretavit, et venit in civitatem suam,* quia per vitæ sanctitatem pervenit homo ad civitatem cœlestem.

Quare autem vitæ sanctitas dicatur navicula, quære in sequenti processu.

Maris turbatio per aggressionem sanctitatis est tentationes infringere. Eccl., II : *Fili, ascendens ad servitutem Dei, sta in justitia et timore, et præpara animam tuam ad tentationem.* Discipulorum in tempestate clamatio, est sanctorum in tribulationibus et tentationibus oratio. Psal. CXIX : *Ad Dominum cum tribularer clamavi, et exaudivit me.* Tempestatum maris cessatio est tentationem cessatio. Tob., V : *Post tempestatem tranquillitatem Deus facit.* Ista quatuor notantur. Psal. LXVIII : *Veni in altitudinem maris,* per naviculum sanctitatis, ecce primum; *et tempestas demersit me,* ecce secundum; *laboravit clamans,* ecce tertium ; *salus tua suscepit me,* a tentationibus scilicet liberando, ecce quartum, scilicet exauditio orationis discipulorum.

De secundo in sequenti processu quæras.

Circa secundum sciendum quod in mari surgit tempestas a ventis. Ponit autem Scriptura quatuor ventos, a quibus surgit tentatio et tribulatio sanctorum. Primo, surgit ab infestatione dæmonum; secundo, a perversitate hæreticorum; tertio, a crudelitate tyrannorum ; quarto, a malignitate falsorum christianorum. Primus est ventus frigidus. Eccli., XLIII : *Frigidus ventus aquilo flavit, et gelavit crystallus ab aquis.* Secundus ventus urens. Gen., XLI : *Spicæ tenues et percussæ uredine oriebantur, devorantes omnium priorum pulchritudinem.* Tertius vehemens. Job, I : *Ventus vehemens irruit a regione deserti.* De quarto vento, Eccl., II : *Qui observat ventum nunquam seminat.* Item de istis quatuor ventis, Dan., VII : *Et ecce in mari magno pugnabant venti quatuor.*

Circa tertium vero sciendum quod in oratione apostolorum tria fuerunt quæ moverunt Dominum ad auxiliandum. Primo, quia instanter petierunt; secundo, quia humiliter ; tertio, quia rem utilem. Primum, ibi : *suscitaverunt eum;* secundum, ibi : *Domine;* tertium, ibi : *salva nos.* Hæc tria debent esse id omni oratione. De primo, Coloss., IV : *Orationi instantes.* De secundo, Eccli., XXXV : *Oratio humiliantis se penetrat cœlum.* De tertio, Joan., XV : *Petite,*

ut gaudium vestrum sit plenum. De his tribus, Matth., VII : *Petite, et accipietis; quærite et invenietis; pulsate, et aperietur vobis.* Petite humiliter, et accipietis; quærite utiliter, et invenietis; pulsate instanter, et aperietur vobis regnum æternum, ad quod nos perducat Jesus Christus. Amen.

SERMO XXVII.

De eodem.

Ascendente Jesu in naviculam, secuti sunt eum discipuli ejus. Moraliter per naviculam intelligitur sanctitas vitæ, sicut dictum est supra, triplici ratione. Primo, ratione materiæ; secundo, ratione formæ; tertio, ratione finis. Ratione materiæ constat navis ex ligno, ferro, stupa, pice. Per lignum intelligitur justitia, quia per Christum fit justitia. Sap., XIV : *Benedictum lignum per quod fit justitia.* Per ferrum propter soliditatem intelligitur fortitudo. Jer., I : *Ecce dedi te in columnam ferream.* Per stupam, qua alligantur vulnera, intelligitur temperantia, qua vulnus carnalis concupiscentiæ alligatur; unde de quibusdam qui non faciunt, dicitur Isa., I : *Vulnus, et livor, et plaga tumens,* etc. Judic., XXIX, dicitur de Samsone decepto a Dalila : *Qui rupit vincula, quomodo si rumpat quis filum de stupa tortum.* Per picem intelligitur caritas, quæ est nexus animarum. Gen., VI : *Bitumine linies interius et exterius;* quia quod facit vir sanctus, debet informari caritate. I Cor., XVI : *Omnia opera vestra in caritate fiant.* Item ratione formæ. In forma enim navis quinque considerantur : scilicet arctitudo principii, latitudo medii, altitudo finis, strictitudo fundi et amplitudo oris. Arctitudo principii est dolor de peccatis præteritis; latitudo medii spes de æternis gaudiis; altitudo finis est timor de æternis suppliciis. Vir enim sanctus et dolet de malis quæ fecit, et timet de suppliciis quæ meruit; sed ne in timore et dolore per desperationem deficiat, spes est in medio, ut temperet. De primo, Jer., VI : *Luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum.* De secundo, Rom., XII : *Spe gaudentes, in tribulatione patientes.* De tertio, Matth., II : *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Arctitudo fundi est humilitas ex consideratione propriæ fragilitatis. Psal. XXI : *Ego autem sum vermis, et non homo.* Amplitudo oris est consideratio summæ bonitatis. Psal. LXXX : *Dilata os tuum, et implebo illud.* Ratione finis significat navis vitæ sanctitatem propter quatuor. Est enim finis navis quadruplex, sicut colligitur ex textu. Primus est homines trans mare ferre; secundus est mercimonia portare; tertius est in eis belligerare; quartus in eis pisces capere. Hoc debemus facere in sanctitate. Primo, contra dæmones pugnare. II Mach., XV : *Electas fecit naves bellicas.* Ephes., VI : *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum.* Secundo, poma deportare est odores bonarum operationum de nobis undique diffundere. Job, IX : *Dies mei transierunt quasi naves poma portantes.* II Cor., IX : *Bonus odor Christi sumus in omni loco.* Tertio, debemus pisces capere, id est homines ad Deum convertere. Matth., IV : *Venite post me, faciam vos piscatores hominum.* Quarto, debemus in sanctitate de mari, id est mundo, ad Deum transire, sive ad cœlum. Sap., XIV : *Modico ligno credunt homines animas suas, et transeuntes mare per ratem liberati sunt,* pervenientes ad portum cœlestis civitatis, ad quam nos perducat, etc.

SERMO XXVIII.

De dominica quarta, ex Epistola.

Induite vos, sicut electi Dei, sancti et dilecti, viscera misericordiæ, Col., III. Tria facit Apostolus hic. Primo, ut induamur præcipit; secundo, causam qua debemus indui subjungit; tertio, quid debemus induere ostendit. Primum, ibi : *Induite;* secundum, ibi : *sicut electi Dei, sancti et dilecti;* tertium, ibi : *viscera misericordiæ.*

Quare debemus indui, quære in dominica prima Adventus.

Omnia in nomine Dei facite, Col., III. Circa nomen Dei sciendum quod in nomine ejus est ambulandum, orandum, loquendum, operandum, sperandum. De primo, Psal. XIX : *Nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus.* De secundo, Joan., XII : *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* De tertio et quarto, Coloss., III : *Omne quodcumque facitis, sive in verbo sive in opere, omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi facite.* De quinto, Psalm. XXXIX : *Beatus vir cujus est nomen Domini spes ejus.*

Item nota quod nomen ejus est in corde retinendum, in ore habendum, in aure audiendum, in manu ferendum, et in fronte scribendum. In corde retinendum, quia gaudium; in ore, quia jubilus; in aure, quia melos; in manu, quia virtus; in fronte, quia honor.

Item nota quod nomen Dei, sicut colligitur ex textu, habet multiplicem virtutem, sed hic nominantur octo. Primo, quia in eo omnia creantur; secundo, quia in eo dæmones fugantur; tertio, quia in eo omnes infirmitates curantur; quarto, quia in eo peccatores justificantur: quinto, quia in eo mœsti lætificantur; sexto, quia in eo tentati adjuvantur; septimo, quia in eo justis gratia augmentatur; octavo, quia in eo omnes vocati salvantur.

Item nota quod illud nomen illuminat rationalem, confortat irascibilem, delectat concupiscibilem. Hoc nomen debent inferi formidare, terrestres adorare, cœlestes laudare. Inferi, quia sunt eo expoliati; terrestres, quia in eo liberati; cœlestes, quia in eo exaltati.

Quære in circumcisione Domini inter festivos.

SERMO XXIX.

De eadem, ex Evangelio.

Colligite primum zizania, et alligate in fasciculos ad comburendum; triticum autem congregate in horreum meum, Matth., XIII. In istis verbis quatuor notantur. Primo, iniquorum malitia; secundo, eorum supplicia; tertio, justorum bonitas; quarto, bonorum gloria. Primum, ibi : *zizania;* secundum, ibi : *ligate ad comburendum;* tertium, ibi : *triticum;* quartum, ibi : *congregate in horreum meum.* Maledicuntur zizania, quia sunt lolium per luxuriam, vicia per avaritiam, avena per superbiam. Lolium enim pervertit statum rationis, et luxuria similiter. Ezech., XXII : *Insanuit libidine.* Oseæ, XXII : *Fornicatio et vinum et ebrietas auferunt cor;* et XII : *Et averterunt mulieres cor ejus.* Vicia, quia amara est, significat avaritiam, quæ miro modo affligit avaros. Eccle., V : *Divitiæ congregatæ in malum domini sui, pereunt in afflictione pessima.* Mala afflictio est in congregando, pejor in custodiendo, pessima in perdendo vel relinquendo. Avena propter vanitatem significat superbiam. Job, II : *Vir vanus in superbiam erigitur.* Vere ergo sunt mali zizania. Eorum pœna notatur ibi : *Ligate in fasciculos.* Et notantur hic tria circa eorum supplicia. Primum supplicium erit, quia æternis vinculis constringentur : secundum, quia ad invicem comprimentur; tertium, quia æterno igne comburentur. Primum, ibi : *ligate;* secundum, ibi : *in fasciculos;* qui enim in fasce sunt, ad invicem confringuntur; tertium, ibi : *ad comburendum.* De primo et secundo, Sap., XVII : *Una enim catena tenebrarum omnes erant colligati.* De tertio, Isa., LVI : *Ignis eorum non extinguetur.* In quinque autem notatur magnitudo pœnæ istius ignis Primo, quia comburit et non consumit. Secundo, quia contrarium suscipit, frigus et calorem secum patitur. De primo, Sap., XV : *Ignis suæ virtutis oblitus.* Virtus ignis est consumere quod assumit. De secundo, Matth., XIII : *Mittent eos in caminum ignis : ibi erit fletus et stridor dentium :* « Fletus (dicit *Glossa*) præ nimio calore, stridor dentium præ nimio frigore. » Tertio, quia acerbissime affligit; quod patet, quia, sicut dicit Augustinus, « tanto calidior est nostro igne, quanto noster ignis picto. » Quarto, quia est æternus. Matth., XXV : *Ite maledicti in ignem æternum.* Quinto, quia est ardor sine splendore. Psal. XXVIII : *Vox Domini intercidentis flammam ignis.* In flamma duo sunt, splendor et ardor. Intercidet Dominus flammam ignis, quia ibi solum est ardor sine splendore. Bonitas sanctorum notatur ibi : *triticum,* propter multa : ad præsens autem propter tria. Primo, quia albi propter puritatem; secundo, quia rubei propter caritatem; tertio, quia ponderosi per morum honestatem. De primo et secundo, Cant., V : *Dilectus meus candidus et rubicundus.* De tertio, Psal. XXXIV : *In populo gravi laudabo te.* Sanctorum gloria notatur, ibi : *in horreum meum,* spatiosum propter amœnitatem, deliciosum propter jucunditatem, perpetuum propter æternitatem. De primo, Psal. XXV : *Domine, dilexi decorem domus tuæ.* De secundo, Psal. III : *Gloria et divitiæ in domo ejus.* De tertio, II Cor., V : *Domum non manu factam, æternam in cœlis.* Item est optimum horreum, ideo quia ibi est abundantia frumenti, vini et olei. Vinum est gaudium de visione Patris, frumentum gaudium de visione Filii, oleum gaudium de visione Spiritus sancti. De primo, Psal. CIII : *Vinum lætificat cor ho-*

minis. De secundo, Psal. LXXX : *Ex adipe frumenti satiat te.* Joan., XII : *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit,* etc. De tertio, Psal. XLIV : *Unxit te Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis,* id est Spiritu sancto. De his tribus II Paral., II : *Ciborumque horrea, posuit in his frumentum, vinum et oleum.* De his tribus Gen., XXVII : *Det tibi Deus de rore cœli et de pinguedine terræ abundantiam frumenti, vini et olei,* etc. Amen.

SERMO XXX.

Dominicæ in Septuagesima, ex Epistola.

Sic currite, ut comprehendatis, I Cor., IX : Duo facit Apostolus in verbis istis. Primo, monet ad currendum ; secundo, ad perseverandum in cursu. Primum, ibi : *currite;* secundum, ibi : *ut comprehendatis.*

Circa primum sciendum est quod triplex est cursus. Primus est cursus naturæ. Job, IX : *Dies mei velociores fuerunt cursore.* Secundus, culpæ. Jerem., XXIV : *Factus est cursus eorum malus.* Tertius, gratiæ. I Cor., IX : *Sic curro non quasi in incertum.* Cursus naturæ est triplex : tripliciter enim currunt creaturæ naturaliter. Primo, currunt homini serviendo. II Esdr., IV : *Velox cursus solis;* currit enim sol ut serviat homini. Secundo, malos puniendo. Sap., V : *Exardescet in illos aqua maris et flumina current duriter; contra illos stabit virtus spiritus, et turbo venti dividet illos.* Naturaliter autem ferentur creaturæ ad puniendum rebelles Creatori suo. Sap., XVI : *Creatura tibi factori deserviens, exardescet adversus injustos, et levior ad benefaciendum fit pro his qui in te confidunt.* Tertio, currunt ad nihilum tendendo. Cum creaturæ sint ex nihilo, naturaliter ex se tendunt ad nihilum. Augustinus : « Quid est vita præsens nisi quidam cursus ad mortem ? »

Cursus culpæ est similiter triplex. Primus, superbiæ. Job, XV : *Cucurrit adversus Dominum extento collo, et pingui cervice armatus est.* Secundus, avaritiæ, Proverb., I : *Pedes eorum ad malum currunt;* loquitur enim ibi de avaris. Psal. XLIX : *Si videbas furem, currebas cum eo.* Tertius, luxuriæ. Eccl., VII : *Inveni amariorem morte mulierem, quia laqueus venatorum est et sagena cor ejus, et vincula manus illius,* etc. Quasi bos ad victimam ducuntur homines ad luxuriam.

Cursus gratiæ est similiter triplex. Primus, doctrinæ. Gal., II : *Contuli cum eis Evangelium quod prædico in gentibus; seorsum autem his qui videbantur aliquid esse; ne forte in vacuum currerem, aut cucurrissem.* Secundus, misericordiæ. Gen., XVIII : *Ipse vero ad armentum cucurrit, et tulit inde vitulum,* etc., quem vitulum hospitibus præparavit. Tertius, perseverantiæ. II Tim., IV : *Bonum certamen certavi, cursum consummavi ...; de reliquo reposita est mihi corona justitiæ.*

Circa secundum notandum quod tripliciter debet currere qui vult bravium apprehendere, ad cujus similitudinem monet Apostolus nos hic currere. Primo, debet currere caute, ne cadat; secundo, festinanter, ne alius præveniat; tertio, perseveranter, ne cursum deserat. Sic debemus currere ad bravium vitæ æternæ. Primo, caute, ne in foveam peccati corruamus. Ephes., V : *Videte quomodo caute ambuletis.* Secundo, festinanter, ne pigritia torpeamus. Hebr., IV : *Festinemus ingredi in illam requiem.* Tertio, perseveranter, ne a bono agendo deficiamus. Matth., XXIV : *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Perseverare autem in cursu isto maxime facit patientia, per quam homo libenter tolerat omnes molestias quæ sibi possent occurrere in mundo isto. Hebr., XII : *Deponentes omne pondus, et circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta, atque ad dexteram Dei sedet,* etc.

SERMO XXXI.

De eadem, ex Evangelio.

Egressus circa horam tertiam invenit alios stantes in foro otiosos, et dixit illis : Ite et vos in vineam meam, et quod justum fuerit dabo vobis, Matth., XX. In istis verbis notantur quatuor. Primo, Domini bonitas, ibi : *egressus,* scilicet in salutem populi sui. Quod enim Christus exit ad conducendum homines in vineam justitiæ, actus fuit infinitæ bonitatis. Habac., III : *Egressus est in salutem populi sui.* Secundo, hominis stultitia, ibi : *invenit alios stantes in foro otiosos.* Nihil enim stultius quam in præsenti vita, ubi homo debet sibi operari ut in æternitate

vivat, in otio vivere. Eccl., XXII : *De stercore boum lapidatus est piger, et omnes loquentur super aspernationem ejus.* Tertio, operandi in vinea Domini necessitas, ibi : *Ite et vos in vineam meam.* II Thess., III : *Qui non laborat, non manducet.* Quarto laboris utilitas, ibi : *Et quod justum fuerit dabo vobis.* Apocal., ult. : *Ecce venio cito, et merces mea mecum est : reddere unicuique secundum opera sua.*

Circa primum notandum quod Christus dicitur egredi quinque modis. Primus egressus fuit in principio mundi, sicut seminator creaturas seminando. Luc., VIII : *Exiit qui seminat seminare semen suum.* Secundus egressus fuit in nativitate, mundum illuminando. Isa., LXII : *Donec egrediatur ut splendor justus ejus.* Joan., XVI : *Exivi a Patre et veni in mundum.* Tertio, in passione sua, suos a potestate diaboli, et ab omnibus malis salvando. Isa., XV : *Prope est justus meus, et salvator meus egressus est.* Quarto, egreditur, familiæ suæ et rebus providendo, sicut paterfamilias. Matth., XX : *Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam.* Quinto, egredietur in judicio tripliciter, sicut visitator districtam inquisitionem super impios faciendo. Isa., XXXI : *Ecce egredietur Dominus de loco sancto suo, ut visitet.* Secundo, egredietur sicut fortissimus pugil, rebelles suos devincendo. Isa., XLII : *Dominus sicut fortis egredietur, sicut vir præliator*, etc. Tertio, sicut judex maleficos puniendo pro meritis. Mich., I : *Egredietur Dominus de loco sancto suo, et descendet, et calcabit super excelsa terræ.*

Circa secundum notandum quod propter quinque magna stultitia est vivere in otio in vita præsenti. Primo, quia homo ad laborem nascitur. Job, V : *Homo nascitur ad laborem.* Secundo, quia ab otiositate, tanquam mala magistra, mala scientia addiscitur. Eccl., XXX : *Multam malitiam docuit otiositas.* Tertio, quia frequenter horribile peccatum committitur. Ezech., XXVI : *Hæc fuit iniquitas sororis tuæ Sodomæ, superbia, saturitas panis, et abundantia, et otium ipsius.* Quarto, quia egestas æterni boni per otium incurritur. Prov., VI : *Paululum dormitabis, paululum conferes manus ut dormias, et veniet tibi quasi viator egestas.* Quinto, quia labor æternus pro brevi otio acquiritur. Psal. XXVII : *In labore hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur,* sed cum dæmonibus. Psal. XLVIII : *Laborabit in æternum, et vivet adhuc in finem.*

Circa tertium sciendum quod vinea ista in qua mittuntur laborare, justitia est in qua sunt tot palmites quot sunt virtutes, sicut dicit Chrysostomus. In ista vinea debemus laborare quinque modis. Primo, ipsam bonis operibus et virtutibus plantando. Psal. CVI : *Plantaverunt vineam, et fecerunt fructum nativitatis.* Prov., XXXI : *De fructu manuum suarum plantavit vineam.* Secundo, spinas, id est vitia, eradicando et extirpando ; sic e contra dicitur de stulto Prov., XXIV : *Per agrum pigri hominis transivi, et per vineam hominis stulti ; et ecce totum repleverant urticæ.* Tertio, superfluos palmites amputando. Cant., II : *Tempus putationis advenit.* Joan., XV : *Omnem palmitem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat.* Quarto, ab ipsa vulpeculas, id est dæmones, cohibendo. Cant., II : *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineam.* Quinto, a furibus, id est laudibus hominum et detractionibus, custodiendo. Cant., V : *Posuerunt me custodem in vineis.*

Circa quartum notandum, quod pretium laborantium in vinea ista est denarius, sicut dicitur in Evangelio, qui valet mille argenteos : et hoc est quod dicitur Isa., VIII : *Vinea fuit pacifico : vir ejus tradidit pro ea mille argenteos.* Mille argentei sunt mille gaudia æternitatis, quæ significantur per denarium, ad quam, etc.

SERMO XXXII.

De dominica in Sexagesima, ex Epistola.

In laboribus plurimis. Præter labores corporales, quos sancti habent cum aliis communes, sancti sunt in septem laboribus continuis. Primus labor sanctorum est tentationes dæmonum superare. I Timoth., V : *Labora sicut bonus miles Christi.* Labor militis est hostes debellare. Deut., XXV : *Memento quid fecerit tibi Amalec*, id est diabolus, *quando egrediebaris de Ægypto, quomodo occurrerit tibi, et extremos agminis tui, qui lassi residebant, cæciderunt ; quando tu eras labore et fame confectus, et non timuerunt Dominum ;* et post sequitur : *Delebis nomen ejus sub cœlo : cave ne obliviscaris.* Secundus, iniquorum persecutiones tolerare. Num., XXX : *Nosti omnem*

laborem qui apprehendit nos, quomodo patres nostri descenderunt in Ægyptum, et habitavimus ibi; afflixeruntque nos Ægyptii, et fratres nostros. Tertius, Dei præcepta observare. Psal. XCIII : *Qui fingis laborem in præcepto.* Quartus, orationibus instare. Psal. LXVIII : *Laboravi clamans,* etc. Quintus, pro peccatis suis et aliorum plorare. Jer., XLV : *Laboravi in gemitu meo, et requiem non inveni.* Psal. VI : *Laboravi in gemitu meo : lavabo per singulas noctes lectum meum.* Sextus, proximis prædicando. II Tim., V : *In omnibus labora, opus fac Evangelistæ.* I Tim., VI : *Qui bene præsunt, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo et doctrina.* Septimus, vigiliis et jejuniis et orationibus carnem macerare. Istos septem labores enumerat Apostolus in ista epistola.

Debet autem homo istos labores sustinere propter quinque. Primo, quia per eos intus a peccatis mundatur. Psalm. XXII : *Vide humilitatem meam et laborem meum, et dimitte universa delicta mea.* Secundo, quia per istos labores homo ex conversatione honestatur. Sap., X : *Honestavit illum in laboribus, et complevit labores illius,* etc. Tertio, quia qui est in illis laboribus, a Domino spirituali cibo in præsenti satiatur. Matth., II : *Venite ad me omnes qui laboratis ..., et ego reficiam vos,* etc. Quarto, quia per istos labores homo quietem in terra lucratur. Eccli., ult. : *Videte quod modicum laboravi, et inveni mihi multam requiem.* Quinto, quia fructus æternæ gloriæ pro laboribus istis datur. Sap., III : *Bonorum laborum gloriosus est fructus.* Ibid., X : *Reddet Deus mercedem laborum sanctorum,* etc. Apocalyps., XIII : *Amodo jam dicit spiritus ut requiescant a laboribus suis : opera enim illorum sequuntur illos,* etc.

SERMO XXXIII.

De eadem, ex Epistola.

In laboribus plurimis. Quadruplicem laborem ponit Scriptura. Primus est labor naturæ, quo homo laborat ad sustentationem naturæ destitutæ. Job, II : *Homo nascitur ad laborem.* Secundus est labor culpæ, quo laborat homo ad faciendum peccatum. Jer., IX : *Ut inique agerent, laboraverunt.* Tertius gehennæ, post quam nulla sequitur quies. Psal. LXVIII : *Laborabit in æternum, et vivet adhuc in finem.* Quartus labor est gratiæ, quo laborant justi ad operandum bonum.

Circa laborem naturæ sunt quinque attendenda. Primo, quia pro peccato infligitur : unde patet quod homo debet odire peccatum, propter quod est in tantis laboribus. Gen., III : *In labore vultus tui comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ.* Secundo, quia si sustinetur in caritate æterna, per ipsum beatitudo acquiritur. Psal. CXXVII : *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, et bene tibi erit.* Tertio, quia frequenter a bestiis, pestibus, vel hostibus propter peccatum consumitur; ideo debet homo a peccato cavere. Deut., XVIII : *Fructus terræ tuæ et omnes labores tuos comedat populus,* propter quod contrarium dicitur de justis. Isa., LXII : *Si dedero triticum tuum ultra cibum inimicis tuis, et si biberint filii alieni vinum, in quo laborasti; quia qui congregabunt illud, comedent.* Quarto, quia omnes ad laborandum tenentur; et qui non laborat, comedere prohibetur, II Thes., III : *Qui non laborat, non manducet.* Quinto, quia qui non vult laborare, æterno supplicio punietur. Psal. LXXII : *In labore hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur,* sed cum dæmonibus.

Item circa laborem culpæ nota, quod Scriptura ponit quinque labores. Primus, avaritiæ. Eccle., IV : *Unus est, et tamen laborare non cessat, nec satiatur,* etc. Prov., XXVIII : *Noli laborare ut diteris.* Secundus, superbiæ. Eccle., V : *Quid prodest quod laboraverit in ventum?* Ventus superbia est. Tertius, luxuriæ. Eccle., IX : *Perfruere vita cum uxore quam diligis, et post hæc, omnia tua in labore tuo :* loquitur in persona stultorum. Quartus, maleficiorum. Isa., XLVII : *Sto cum incantatoribus tuis, et cum multitudine maleficiorum tuorum, in quibus laborasti ab adolescentia tua.* Quintus, gulæ. Eccle., VI : *Omnis labor hominis in ore ejus, ut comedat quis et bibat, et fruatur lætitia ex labore suo;* et loquitur in persona gulosi.

Circa laborem gehennæ possunt tria notari. Primo, immensitas. Thren., III : *Circumdedit me felle et labore.* Secundo, acerbitas. Eccle., X : *Labor stultorum affligit.* Tertio, æternitas. Psal. XLVIII : *Laborabit in æternum, et vivet adhuc in finem.* A quo labore liberet nos Dominus noster. Amen.

SERMO XXXIV.

De eadem, ex Epistola.

Scio hominem (sive in corpore, sive extra corpus nescio, Deus scit) raptum hujusmodi usque ad tertium cœlum, II Cor., XII. Tria sunt necessaria cuilibet viro sancto ad perfectionem, quæ notantur in ista epistola circa Paulum. Primo, adversariorum tolerantia; secundo, bona operatio; tertio, cœlestium contemplatio. Debent enim viri sancti adversa tolerare patientissime; secundo, bona opera excellentissime consummare; tertio, cœlestia gaudia contemplari. Primum notatur ibi : *In carcere abundantius.* Roman., XII : *In tribulatione patientes.* Secundum, ibi : *In labore et ærumna.* Galat., VI : *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes.* Tertium, ibi : *Scio hominem raptum usque ad tertium cœlum,* etc. II Cor., III : *Nos autem revelata facie gloriam Domini speculantes,* etc.

Circa primum notandum quod in quatuor specialibus ostenditur mira patientia Pauli in ista epistola. Primo, in sustinentia carnalium tormentorum, ibi : *Ter virgis cæsus sum.* I Cor., IV : *Persecutionem patimur et sustinemus.* Secundo, in tolerantia divinorum judiciorum, ibi : *Ter naufragium feci.* Tertio in tolerantia detractionum, ibi: *Periculis in falsis fratribus,* qui eum persequebantur detrahendo in opere. I Cor., IV : *Maledicimur et benedicimus.* Quarto, in tolerantia tentationum, ibi : *Datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Satanæ.* Jac., I: *Beatus vir qui suffert tentationem,* etc.

Circa secundum nota. In quatuor notatur maxime bona operatio Apostoli, in quibus debemus eum imitari. Primo, in manuum labore, ibi : *In laboribus plurimis; Glossa :* « Manuum suarum labore. » II Tim., III : *In labore et fatigatione.* Item alibi : *Nocte et die in profundo maris fui.* Secundo, in jejuniorum et vigiliarum observatione, ibi: *In vigiliis, in jejuniis multis.* Tertio, in sollicita prædicatione, ibi : *Instantia mea quotidiana.* Marc., ult.: *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ.* Quarto, in oratione, ibi : *Propter quod ter Dominum rogavi.* Rom., XII : *Orationi instantes.* Oratio ordinabat eum ad Dominum, prædicatio ad proximum, labor manuum ad seipsum.

Circa tertium notandum quod quatuor sunt modi contemplationis, qui notantur in ista epistola circa Paulum, in quibus debemus illum imitari. Primus modus versatur circa considerationem Scripturæ, qui intelligitur per raptum in paradisum, ibi : *Scio hominem raptum,* etc. Dionysius : « Pulsemus in hortum optimum paradisi Scripturarum, qui odoriferis, qui dulcibus, qui speciosissimis, qui omnimode intellectualium deiferarum volucrum cantilenis circumsonat aures nostras; qui tangit quidem cor nostrum, et contribulatum lætificat quidem, iratum autem subtemperat, et lætitia æterna multiplici implet. » Secundus modus versatur circa considerationem creaturæ incorruptibilis, qui intelligitur per primum cœlum. Psalm. VIII : *Quoniam videbo cœlos tuos,* etc. Ad litteram loquitur de cœlo materiali. Tertius modus versatur circa considerationem creaturæ spiritualis, considerando ordines angelorum ad Deum, ad nos, ad seipsos; qui intelligitur per raptum usque ad tertium cœlum, Augustinus (XII *Confess.,* cap. IX) : « Nimirum cœlum cœli, quod in principio fecisti, creatura est aliqua, scilicet intellectualis, quanquam non tibi Trinitati coæterna ; particeps tamen æternitatis tuæ, valde mutabilitatem suam præ dulcedine felicissimæ contemplationis tuæ cohibet; et sine lapsu ullo, ex quo facta est, inhærendo tibi, excedit omnem volubilem vicissitudinem temporum. » Quartus modus versatur circa considerationem divinitatis qui intelligitur per raptum in tertium cœlum. II Cor., III : *Nos autem revelata facie gloriam Domini speculantes,* etc. Bernardus : « At omnium maximus, qui spreto usu rerum et sensuum, quantum quidem humanæ naturæ fragilitati fas est, novis ascensionis gradibus ad illa sublimia advolare interdum contemplando consuevit. » Et hæc contemplatio cum perfecta fuerit, erit summa beatitudo. Augustinus : « Introducit ad me Dominus aliquando quamdam nescio quam dulcedinem, quæ perficitur in me; nescio quæ sit vita æterna, si illa non est. » Ad quam perducere, etc. Amen.

SERMO XXXV.

De eadem, ex Evangelio.

Volucres cœli comederunt illud, Luc., VIII. Per volucres intelliguntur dæmones, per semen justitia; unde secundum mysticam expositionem possunt in istis verbis notari tria. Primo, dæmonum ad malefaciendum velocitas, ibi : *volucres;* secundo, eorum secundum naturam dignitas, ibi : *cœli*, tertio, eorum secundum culpam iniquitas, ibi : *comederunt.*

Circa primum sciendum quod dæmones comparantur volucribus propter tria. Primo, propter volatus sublimitatem; secundo, propter volandi velocitatem; tertio, propter rapacitatem. Dæmones enim volant in altum. Num., XXIV : *Si in petra posueris nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus.* Item volant cito per malefaciendi festinationem. Thren., IV : *Velociores fuerunt persecutores aquilis cœli.* Item vivunt de raptu per animarum devorationem. I Petr., V : *Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret.* Ezech., XVIII : *Aquila grandis magnarum alarum.*

Circa secundum notandum quod propter tria dicuntur dæmones aves cœli. Primo, propter originem : fuerunt enim facti in cælo empyreo; secundo, propter subtilitatem; unde de his duobus, Isa., XIV : *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris?* etc., usque *altissimo.* In eo quod dicitur de cœlo cecidisse, notatur ibi origo quia fuit in cœlo creatus; in eo quod dicitur Lucifer, notatur naturalium perspicacitas et speciositas. Tertio, dicuntur aves cœli propter habitationem. Ephes., VI : *Contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus..., et propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die mala, et in omnibus perfecti stare.*

Circa tertium notandum quod triplex est semen quod comedunt dæmones. Primum est verbum Dei. Matth., XXIII : *Semen est verbum Dei.* Luc., VIII : *Aliud cecidit secus viam, et venerunt volucres cœli et comederunt illud.* In eodem : *Venit malus, et rapit quod seminatum est in corde ejus,* hoc est quod seminatum est secus viam. Secundum est semen justitiæ. II Cor., IX : *Qui parce seminat, parce et metet; qui autem seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet.* Tertium semen est quodlibet bonum opus. Psal. XXV : *Euntes ibant et flebant mittentes semina sua.* Augustinus ibi : « Semina nostra sunt quicquid boni fecimus. » Semen verbi Dei tollunt dæmones, errorem in corde hominis seminando. II Corinth., IV : *In quibus deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriæ Christi, qui est imago Dei.* Semen justitiæ tollunt dæmones ad injustitiam pertrahendo. Joan., VIII : *Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis facere.* Tertium semen boni operis tollit diabolus, homines gloriari de bono opere faciens. Matth., VI : *Cum facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut faciunt hypocritæ, ut videantur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.* Et ideo patet quod semen est a volucribus, id est dæmonibus, custodiendum, ut possit afferre fructum centesimum. Fructus centesimus est gaudium æternitatis, ad quod nos perducere dignetur, etc.

SERMO XXXVI.

De dominica in Quinquagesima, ex Epistola.

Si linguis hominum loquar et angelorum, caritatem autem non habeam; factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens, I Col., XIII. In ista epistola invitamur ad caritatem; ideo commendatur hic multipliciter, et notantur hic quinque circa caritatem. Primo, ejus pretiositas; secundo, damnum in ejus absentia; tertio, utilitas in ejus præsentia; quarto, ipsius æternitas; quinto, ipsius dignitas. Primum, ibi : *Caritatem;* eo enim ipso quod virtus ista caritas dicitur, cara et pretiosa ostenditur. Secundum, ibi : *Factus sum velut æs sonans,* etc. Tertium, ibi : *Caritas benigna est,* etc. Quartum, ibi : *Caritas nunquam excidit.* Quintum, ibi : *Major autem horum est caritas.*

Circa primum notandum quod caritas dicitur cara res propter quatuor. Primo, quia non potest haberi nisi ab uno solo et a summo bono donetur. Rom., V : *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum.* Secundo, quia solum a bonis habetur. Augustinus : « Caritas est fons

proprius, cui non communicat alienus. » Tertio, quia cum ipsa bona omnia possidentur. Augustinus : « Attende quantum bonum est caritas : quæ, si absit, frustra habentur cætera ; si autem adsit alicui, habentur omnia. » Quarto, quia qui habet eam, nimis carus a Deo habetur; sicut enim qualitas est secundum quam quales dicimur, sic caritas est secundum quam cari dicimur. Unde Dominus in caritate existentes vocat carissimos. Cant., v : *Comedite amici, et inebriamini carissimi.*

Circa secundum notandum quod triplex damnum contingit ex absentia caritatis, sicut ostendit hic Apostolus. Primum est, quia bonum naturæ consumitur, ibi : *Factus sum velut æs sonans ;* æs enim sonando consumitur ; sic creatura rationalis sine caritate a vitiis consumitur. Augustinus in lib. *De civitate Dei :* « Si naturæ bonæ non essent, eis vitia non nocerent : nam quid eis nocendo faciunt, nisi adimere integritatem, pulchritudinem, salutem et pacem? » Secundum, quia anima sine caritate, separata a Deo moritur, ibi : *Nihil sum,* id est mortuus a vero esse separatus, sine quo homo nihil est. I Joan., III : *Qui non diligit, manet in morte.* Tertium est, quia omne opus sine caritate inutile efficitur, ibi : *Si distribuero omnes facultates meas in cibos pauperum,* etc. *Si tradidero corpus meum,* etc. Ambrosius : « Qui caritatem non habet, omne bonum amittit ; » quod, etc.

SERMO XXXVII.

De eadem, ex Evangelio.

Cæcus sedebat secus viam, Luc., XVIII. Moraliter per cæcum istum intelligitur peccator. Soph., I : *Ambulabunt ut cæci, quia Domino peccaverunt.* Sicut enim cæcus non videt corporaliter, ita peccator non videt spiritualiter. Sunt autem septem quæ visum corporalem impediunt, et signant septem mortalia vitia, quæ spiritualiter excæcant. Primum est faciei inflatio, et hæc est superbia. Augustinus : « Nimis inflata facies mea me videre non sinit. » Secundum est aeris obtenebratio : hæc est invidia ; unde invidus dicitur quasi non videns. Sap., II : *Excæcavit eos malitia eorum,* dicitur de Judæis invidis. I Reg., XVIII : *Jam non rectis oculis aspiciebat Saul David,* etc. Tertium est oculorum conturbatio : hæc est ira, Ps. XXX : *Conturbatus est in ira oculus meus, anima mea et venter meus.* Quartum est pulveris vel alicujus grossi superjectio : hæc est avaritia. Pulvis enim temporalia sunt quæ excæcant. Augustinus : « Defluxi ad temporalia et obscuratus sum. » Quintum est oculorum clausio ; cum enim quis claudit oculos aut non vult aperire oculos, non videt : hæc est acedia. Acediosus enim ex sola pigritia aperiendi oculos intellectuales non potest videre bona spiritualia. Boetius : « Nequeunt oculos tenebris assuetos ad lucem veritatis attollere ; similesque sunt avibus quarum nox intuitum illuminat, excæcat dies. » Sextum sanguinis et humorum circa oculos multiplicatio : hæc est gula. Prov., XXIII : *Cui væ? cujus patri væ? cui rixæ? cui foveæ? cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum? nonne his qui commorantur in vino, et student calicibus epotandis?* Ad litteram, oculos etiam spirituales et corporales nimia potatio vini excæcat. Septimum panniculi obumbratio ; nascitur enim aliquando quidam panniculus in oculo, sive nubecula, et excæcatur homo : hoc fit per luxuriam. Augustinus : « Ascendebant nubeculæ de limosa concupiscentia carnis, et obnubilabant et obfuscabant cor meum, ut non discerneretur sinceritas dilectionis a caligine libidinis. » Et sicut sunt septem quæ excæcant animam, ita septem sunt quæ illuminant. Primum est fides. Luc., XVIII : *Respice, fides tua te salvum fecit.* Augustinus : « Fides est illuminatio mentis, qua mens illuminatur a prima luce ad videndum bona spiritualia. » Secundum humilitas. Joan., IX : *Ego in judicium in hunc mundum veni ut qui non vident videant,* id est qui se videre non existimant ; quod est humilium. Tertium est amaritudo pænitentiæ. Tob., VI : *Fel valet ad ungendum oculos,* in quibus fuerit albugo, et sanabuntur. In felle amaritudo signatur. Quartum est dilectio proximi. Apoc., III : *Collyrio enim inunge oculos tuos, ut videas.* Quintum est abundantia lacrymarum : hoc probatum est in cæco nato, qui lavit oculos suos in natatoria Siloe, quod interpretatur missus. Abiit ergo, et lavit, et venit videns. Joan., VIII : *Vade ad natatoria Siloe.* Sextum est devota oratio. Matth., XX : *Et clamaverunt dicentes : Domine, miserere nostri, fili David ;* et post : *Misertus Jesus tetigit oculos illorum, et confestim viderunt.* Septimum est devota sanctarum Scripturarum auditio. Isa., XX :

In die illa audient surdi verba libri signati, et oculi cæcorum videbunt, etc. Amen.

SERMO XXXVIII.

De dominica prima in Quadragesima, ex Epistola.

Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, II Cor., VI. In istis verbis duo notantur. Primo, præsentis temporis commendatio, ibi : *Ecce nunc tempus acceptabile.* Secundo, causa commendationis subjungitur, ibi : *Ecce nunc dies salutis.*

Circa primum sciendum quod tempus præsens dicitur *tempus acceptabile* propter octo. Primo, quia est tempus Dominum requirendi. Oseæ, X : *Tempus autem requirendi Dominum, cum venerit qui docebit justitiam,* etc. Secundo, quia est tempus Domino placendi. Psal. LXVIII : *Tempus beneplaciti, Deus.* Tertio, quia est tempus mores corrigendi. Hebr., IX : *Usque ad tempus correctionis imposuit,* scilicet justitiæ Judæorum, etc. Quarto, quia est tempus vitia et superflua resecandi. Cant., II : *Tempus putationis advenit.* Quinto, quia est tempus divinam misericordiam suscipiendi. Psal. CI : *Tempus miserendi ejus, quia venit tempus.* Sexto, quia est tempus tribulationem patiendi. Jer., XX : *Tempus tribulationis est Jacob, et ex ipsa salvabitur.* Septimo, quia tempus salutem acquirendi. Eccli., IV : *Ne retineas verbum in tempore salutis.* Octavo, quia est tempus benefaciendi. Psal. CXVIII : *Tempus benefaciendi, Domine.* Circa istud ultimum notandum, quod tempus Quadragesimæ est tempus benefaciendi spiritualiter : ad quod invitant nos octo. Primo, Scriptura, quæ in isto tempore legitur. Modo enim leguntur evangelia et epistolæ quæ invitant nos ad orandum, ad jejunandum, ad faciendas eleemosynas, ad justitiam faciendam et pœnitentiam, et cætera hujusmodi : unde surdus videtur esse qui modo non bonum operatur. Videtur enim non audire voces tot Scripturarum quæ modo leguntur, quæ ad bonum hortantur. Secundo, invitat nos ad hoc Creator, qui creditur in isto tempore fecisse mundum ; unde valde incuriale est non facere aliquod bonum pro Deo, cum ipse tot bona fecerit pro nobis. Tertio, invitat nos ad hoc creatura, quæ tempore hiemali ab opere cessavit, modo reincipit operari, sicut patet in herbis, plantis et animalibus. Jerem., VIII : *Milvus in cœlo cognovit,* operando scilicet, *tempus suum.* Quarto, invitat ad bonum operandum Christi exemplum, qui in isto tempore bona fecit nobis. Bernardus : « Qui me totum et semel dicendo fecit, in reficiendo et dixit multa, et fecit mira, et pertulit dura. » Quinto, invitat Ecclesiæ ordinatio, quæ instituit ut omnes confiterentur et jejunarent, et Ecclesiam frequentarent ; unde qui hæc non facit, transgreditur præceptum matris Ecclesiæ. Prov., I : *Ne dimittas legem matris tuæ.* Sexto, multorum provocatio et consuetudo. Modo enim multi incipiunt bonum operari ; unde debet verecundari solus cum paucis remanere. Hebr., XII : *Ideoque et nos tantam habentes nubem impositam testium, deponentes omne pondus, et circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum, nobis certamen,* etc. Septimo, divinæ gratiæ abundans effusio. Credibile est enim quod Deus, qui tot bona largitus est nobis, istis diebus modo gratiam abundantius effundat ; unde epistola legitur : *Hortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis,* etc. Octavo, debet nos hortari ad bonum magni Paschatis expectatio ; qui enim expectat magnum festum, debet facere magnam vigiliam ; ideo modo cantat Ecclesia : « Non sit nobis vanum mane surgere ante lucem, quia promisit Dominus coronam vigilantibus. » Item corpus Christi recipere expectamus, quod nullus debet recipere nisi purgatus. I Cor., II : *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat,* etc. Unde sic digne celebrando Quadragesimam istam in præsenti, perveniemus ad montem Dei Oreb, id est ex Evangelio ad mensam cœlestem, ad quam, etc.

SERMO XXXIX.

De eadem, ex Evangelio.

Cum jejunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus, postea esuriit, etc., Matth., IV. Sicut Augustinus dicit : « Summa religio est imitari quod colimus, » unde cum Dominus noster jejunaverit, debemus eum imitari in jejunando. Sunt autem quatuor quæ debent nos movere ad jujunandum. Primum est Dei præceptum ; secundum, Christi exemplum ; tertium, multiplex quod non jejunantibus provenit nocumentum ;

quartum, multiplex quod ex jejuniis provenit emolumentum.

Circa primum sciendum quod Dominus præcepit jejunium quadrupliciter. Primo, per seipsum Adæ et Evæ in paradiso, cum præcepit ut jejunarent, id est abstinerent a ligno scientiæ boni et mali, ne comederent. Secundo, præcepit jejunium per legem Moysi. Levit., XVI : *Sabbatum requietionis est : affligetis animas vestras religione perpetua*, etc. Tertio, per apostolos. II Cor., II : *In fame et siti, in jejuniis multis.* Unde patet quod transgressor præceptorum est qui non vult jejunare.

Circa secundum notandum quod Dominus quatuor docuit nobis esse necessaria in jejunio. Primo, ut ab omnibus peccatis mundemur; secundo, ut jejunantes a favoribus hominum occultemur; tertio, ut longanimiter et perseveranter jejunemus; quarto, ut tentationes dæmonum superemus. Primum docuit in hoc quod baptizatus jejunavit; sic et qui vult bene jejunare, primum debet per pœnitentiam et confessionem lavari. Matth., VI : *Tu autem cum jejunas, unge caput tuum, et faciem tuam lava.* Secundum docuit quod jejunaturus desertum petiit : unde docuit quod cum jejunamus et bona operamur, a laudibus hominum nos abscondamus. Matth., VI : *Cum jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes ;* et post : *ut non videaris hominibus jejunans.* Tertium docuit in hoc quod quadraginta diebus et noctibus jejunavit. Augustinus : « Carnem vestram domate jejuniis ab esca et potu, quantum valetudo permittit. » Quartum docuit in hoc quod diabolo tentanti non credidit, ibi : *Non in solo pane vivit homo;* et ibi : *Vade, Satana.* Eccli., II : *Fili, accedens ad servitutem Dei sta in justitia et timore, et præpara animam tuam ad tentationem.*

Circa tertium sciendum quod quatuor mala proveniunt eis qui nolunt jejunare cum debent. Primum est malum culpæ. Ezech., XXVI : *Hæc fuit iniquitas sororis tuæ Sodomæ, saturitas panis et abundantia,* etc. Secundum est malum damni; qui enim non vult jejunare hic, a fructu æternæ vitæ perpetuo jejunabit. Hoc significatur in Gen., III, ubi dicitur quod Adam noluit abstinere a fructu ligni vetiti; unde dixit Dominus : *Videte ne forte sumat de ligno vitæ et comedat, et vivat in æternum : et emisit eum Dominus de paradiso voluptatis,* etc. Tertium est malum pœnæ præsentis. Eccli., XXXVII : *Propter crapulam multi perierunt,* etc. Quartum est pœna famis et sitis in inferno perpetua; qui enim non vult modo jejunare, famem et sitim perpetuo sustinebit. Isa., XLV : *Ecce servi mei comedent et vos esurietis,* etc.; quod patet in divite epulante, qui nolebat jejunare, sed quotidie splendide comedebat; imo non potuit habere guttam aquæ, etc. Luc., XV.

Circa quartum notandum quod quadruplex bonum provenit ex jejunio : primum est vitiorum mortificatio; secundum mentis in Deum elevatio; tertium virtutum acquisitio; quartum æternæ beatitudinis præmium. De his quatuor Gregorius : « Qui corporali jejunio vitia comprimis, » ecce primum; « mentem elevas, » ecce secundum; « virtutem largiris, » ecce tertium; « et præmia, » ecce quartum; ad quod, etc.

SERMO XL.

De dominica secunda in Quadragesima, ex Epistola.

Rogamus vos fratres et obsecramus ut quemadmodum accepistis a nobis quomodo oporteat vos ambulare et placere Deo, sic et ambuletis, I Thess., IV. In ista epistola hortatur nos Apostolus ad quinque. Primo, ut secundum Deum ambulare studeamus, ibi : *Quemadmodum oporteat vos ambulare;* secundo, ut Deo placeamus, ibi : *et placere Deo;* tertio, ut sancti, id est mundi, efficiamur, ibi : *Est enim voluntas Dei sanctificatio vestra;* quarto, ut injuriam proximo non faciamus, ibi : *Ne quis supergrediatur,* etc.; quinto, ut a peccato luxuriæ caveamus, ibi : *Ut abstineatis vos a fornicatione.*

Circa primum sciendum quod Apostolus docuit duodecim modos ambulandi; hic quæras quinque, alios quæras in sequenti dominica. Debemus enim primo ambulare in humilitate, ne inflati superbia per arctam viam ingredi non valeamus. Secundo, in patientia, ut labores viæ et adversa libenter sustineamus. Tertio, in mansuetudine, ut comites in via habeamus, et eos in itinere non turbemus. Quarto, in caritate, ut verba bona sociis communicemus. Quinto, in compassione, ut sanctorum infirma supportemus. De his quinque Ephes., IV : *Ut digne ambuletis cum omni*

humilitate, ecce primum; *et mansuetudine,* ecce secundum; *cum patientia,* ecce tertium; *supportantes invicem,* ecce quartum; *in caritate,* ecce quintum.

Circa secundum sciendum quod quinque sunt nobis necessaria ut placeamus Deo. Primum ut eum tanquam omnipotentem et justum super omnia timeamus. Secundo, ut in eum tanquam in liberatorem super omnia speremus. De his duobus Psalm. CXLIX : *Beneplacitum est Domino super timentes eum,* ecce primum; *et in eis qui sperant super misericordia ejus,* ecce secundum. Tertio, ut eum tanquam summum bonum super omnia diligamus. Prov., VIII : *Ego diligentes me diligo.* Quarto, ut tribulationes pro eo libenter sustineamus. Infra, VIII : *Omnes qui Domino placuerunt, per multas tribulationes transierunt.* Quinto, ut carnis delectabilia pro eo despiciamus, et secundum spiritum vivamus. Rom., VIII : *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt; vos autem in carne non estis, sed in spiritu.*

Circa tertium sciendum quod propter quinque maxime debemus studere ut sancti, id est mundi efficiamur. Primo, ut Deo assimilemur. I Petr., I : *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum.* Secundo, ne Christo, qui multo labore et expensis nos mundavit, injuriam faciamus. Apocal., XXI : *Qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.* Tertio, ne ab ingressu cœlestis civitatis prohibeamur. Apocal., XXI ; *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum.* Quarto, ut sapientiæ susceptibiles efficiamur. Sap., VII : *In animam sanctam se transfert, et amicos Dei et prophetas constituit.* Quinto, ut Deum videre mereamur. Matth., V : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt;* quod nobis præstet Christus, etc

Abstineatis vos a fornicatione. Multæ causæ sunt quare homo debet abstinere a fornicatione. Quære in quadragesimalibus in secunda dominica.

SERMO XLI.

De eadem, ex Evangelio.

Filia mea male a dæmonio vexatur, Matth., XV. Moraliter per istam dæmoniacam intelligitur anima peccatrix; et notantur hic duo mala quæ acquirit homo per peccatum mortale. Primum est, quia possidetur a dæmonio; secundum est quia male vexatur.

Circa primum sciendum quod anima peccatrix possidetur a septem dæmonibus, Primum dæmonium est immoderata sciendi cupiditas; hoc est dæmonium meridianum. Psal. XC : *A dæmonio meridiano.* Secundum est immoderata habendi avaritia; hoc est dæmonium mutum. Luc., II : *Erat Jesus ejiciens dæmonium et illud erat mutum.* Tertium est dominandi ambitio; hoc est dæmonium Asmodeus nomine. Tob., III : *Dæmonium nomine Asmodeus interficiebat eos.* Asmodeus interpretatur judicium facturæ, et significat ambitionem, quæ appetit habere potestatem judicandi homines, qui sunt factura Dei. Quartum dæmonium carnalium voluptatum delectatio : hoc est dæmonium cæcum. Matth., XII : *Tunc oblatus est ei homo dæmonium habens, cæcus et mutus.* Hæc est carnalis concupiscentia, quæ excæcat oculos mentis. Augustinus : « Ascendebant nebulæ de limosa concupiscentia carnis, et obnubilabant et offuscacabant cor meum, ut non discerneretur sinceritas dilectionis a caligine libidinis. » Quintum dæmonium est nocendi crudelitas : hoc est dæmonium sævum. Matth., VIII : *Et occurrerunt ei duo homines dæmonia habentes, sævi nimis.* Sextum est detrahendi malignitas; de hoc Apocal., XVI : *Vidi tres spiritus immundos in modum ranarum exiisse qui sunt tres species dæmoniorum.* In rana intelligitur detrahendi loquacitas, quia tres sunt modi detrahendi. Primus est bona diminuere; secundus est mala exaggerare; tertius falsa crimina imponere. Septimum dæmonium est desperatio, ex qua sequitur omne malum. Istud dæmonium vocatur legio, quia multi dæmones intrant in animam post desperationem. Matth., V : *Quod tibi nomen est? Respondit : Legio.* De istis autem septem dæmoniis in Luc., VIII : *Maria quæ vocatur Magdalena, de qua exierunt septem dæmonia.* Ab istis dæmoniis possidetur anima peccatrix.

Circa secundum sciendum quod dæmonia ista hominem quem possident, vexant septem modis. Primo, cæcum faciendo. Secundo, loquelam auferendo. De his duobus Matth., XII : *Habens dæmonium, cæcus et mutus.* Tertio, affligunt, ignem cupiditatis accendendo. Quarto, in aqua luxuriæ submergendo. Quinto, mutationes rerum mutabilium immutando. De his tribus Matth.,

XVII : *Domine, miserere filio meo, quia lunaticus est; nam sæpe cadit in ignem, crebro in aquam.* Peccator dicitur lunaticus, quia ut luna cum temporalibus crescit et decrescit, et sæpe cadit in ignem cupiditatis et aquam luxuriæ. Sexto, affligit gelu spiritualium indumenta virtutum auferendo. Luc., VIII : *Occurrit illi vir quidam qui dæmonium habebat jam temporibus multis, et vestimento non induebatur,* etc. Septimo vexat, doloribus et angustiis, quas sæpe patiuntur peccatores, affligendo. Marc., V : *Occurrit ei de monumentis homo in spiritu immundo;* et post : *Concidens se lapidibus.* Jer., II : *Vide quam malum et amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum,* etc.

Valent autem ad liberationem hujus dæmoniacæ quinque quæ notantur circa mulierem Chananæam. Primo humilitas, ibi : *Nam et catelli,* etc. Secundo, patientia, quæ notatur in hoc quod tam patienter portavit improperium sibi a Domino illatum. Tertio, oratio, ibi : *Miserere mei, fili David,* etc. Quarto, perseverantia, quæ notatur in hoc quod non cessavit, donec obtinuit quod volebat. Quinto, fides, ibi : *O mulier, magna est fides tua.* Si ista quinque habueris, ab omni dæmonio, id est peccato, liberaberis ; quod nobis præstet Christus. Amen.

Egressus Jesus de finibus Tyri et Sydonis, etc.

Quære inter quadragesimales in secunda dominica.

SERMO XLII.

De dominica tertia in Quadragesima, ex Epistola.

Ut filii lucis ambulate, etc., Ephes., V. In istis verbis tria facit Apostolus. Primo, ad ambulandum invitat, ibi : *ambulate;* secundo, modum ambulandi demonstrat, ibi : *ut filii;* tertio, causam assignat, ibi : *lucis.* Nam ex quo lux est, ambulandum est. Joan., XII : *Ambulate, dum lucem habetis.*

Circa primum sciendum quod quadruplex est ambulatio hominis. Prima naturæ, secundum quod ambulat homo ad mortem properando. Job, XVI : *Semitam per quam non revertar, ambulo.* Secunda culpæ, secundum quam ambulat homo de malo in malum transeundo. Psal. II : *In circuitu impii ambulant.* Tertia gratiæ, secundum quam ambulat homo de bono in melius proficiendo. Gen., XVII : *Ambula coram me, et esto perfectus.* Quarta gloriæ, secundum quam ambulant sancti post Christum eundo. Apocal., III : *Ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt.* Prima est sustinenda, secunda est fugienda, tertia est facienda, quarta desideranda. Ad tertiam hortatur hic Apostolus Ephes., IV : *Obsecro vos ut ambuletis digne Deo.*

Circa modum ambulandi notandum quod duodecim modos docet nos Apostolus ambulandi in suis Epistolis. Quinque positi sunt in præcedenti dominica, septem vero hic.

Sciendum est ergo quod debemus ambulare in vitæ bonitate. Primo, peccati vetustatem abjiciendo. Rom., VI : *In novitate vitæ ambulate.* Secundo, carnem spiritui subjiciendo, et secundum spiritum vivendo. Galat., V : *Spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis.* Tertio, in dilectione, Deum et proximum diligendo. Ephes., V : *Ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit vos,* etc. Quarto, honeste et bene inter homines conversando. I Tim., IV : *Ut honeste ambuletis ad eos qui foris sunt.* Quinto, in sapientia, dulcibus sermonibus et utilibus alios ædificando. Col., IV : *In sapientia ambulate ad eos qui foris sunt.* Sexto, in Christo eum sequendo et imitando. Col., II : *Sicut accepistis Christum, in ipso ambulate.* Septimo, in luce debemus ambulare, nihil reprehensibile faciendo ; de quo hic : *Ut filii lucis ambulate.* Joan., II : *Qui ambulat in die, non offendit.* Istis septem modis ambulant boni ; mali autem ambulant septem aliis modis. Primo, secundum carnem, carnis desideria perficiendo. Judith., II : *Post carnem in concupiscentiis ambulant.* Secundo, ambulant secundum sæculum, sæculariter vivendo. Ad Ephes., II : *In quibus ambulastis aliquando secundum sæculum mundi hujus.* Tertio, ambulant in vanitate, quæ vana sunt diligendo. Ephes., IV : *Sicut et gentes ambulant in vanitate sensus sui, tenebris habentes obscuratum intellectum,* etc. Quarto, inordinate et inhoneste et dissolute vivendo. II Thess., IV : *Ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, et non secundum traditionem quam acceperunt a nobis.* Quinto, ambulant in desideriis, faciendo quodlibet. Sexto in luxuriis, luxuriose vivendo. Septimo, ambulant in gulo-

sitate, commessationibus et ebrietatibus vacando. De his tribus I Petr., IV : *Qui ambulaverunt in luxuriis et desideriis, vinolentiis et commessationibus, potationibus, ebrietatibus et illicitis idolorum cultibus.* Istis modis non est ambulandum, quia qui sic ambulant, peribunt. Job, VI : *Ambulant in vacuum, et peribunt.* Sed qui primis modis ambulant, pervenient ad gaudia vitæ æternæ, quæ donet nobis Christus. Amen.

SERMO XLIII.

De eadem, ex Evangelio.

Erat Jesus ejiciens dæmonium, et illud erat mutum, Luc., II. In istis verbis circa ejectionem istius dæmonii, per quam significatur ejectio diaboli ab anima, notantur hic tria. Primo, ejiciendi frequentia, ibi : *Erat Jesus ejiciens dæmonium;* ubi notatur quod frequenter ejiciebat. Secundo ejecti nequitia, ibi : *et illud erat mutum.* Tertio ejectionis utilitas, ibi : *Et cum ejecisset dæmonium, locutus est mutus.*

Circa primum notandum quod Dominus ejecit dæmonem frequenter. Primo de cœlo projiciendo. Ezech., VIII : *Ejeci te de monte sancto meo.* Apoc., XII : *Projectus est accusator fratrum nostrorum.* Secundo, ejecit eum de paradiso, ipsum maledicendo. Gen., III : *Quia hoc fecisti, maledictus eris inter animantia et bestias terræ.* Tertio, ejecit eum de monte, ipsum ignominiose repellendo. Matth., IV : *Vade retro, Satana,* etc. Quarto, ejecit eum de animabus, eum ab ipsis repellendo. Act., X : *Qui pertransiit benefaciendo, et liberando omnes oppressos a diabolo.* Quinto, ejecit eum de corporibus obsessis ab eo liberando. Luc., IV : *Exibant autem dæmonia a multis,* etc. Sexto, ejecit eum de mundo, ipsum ab ejus potestate eripiendo. Joan., XII : *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.* Septimo, dejiciet eum in infernum, æternis incendiis deputando. Isa., XIV : *Verumtamen ad infernum detraheris, ad profundum laci,* etc.

Circa secundum notandum quod triplex malum intulit dæmonium isti obsesso : per quod significatur triplex malum quod provenit ex peccato. Primum fuit quod ipsum possedit; secundum, quia ipsum excæcavit; tertium, quia loquelam ei abstulit. Habuit enim homo iste tria mala, quia et dæmoniacus fuit, et cæcus et mutus; et significat tria mala quæ incurrit homo per peccatum. Primum est quia a dæmonio possidetur. I Timoth., II : *Ut resipiscant a laqueis diaboli, a quo captivi tenentur.* Secundum est quia cæcus efficitur. Soph., II : *Ambulabunt ut cæci, quia Domino peccaverunt.* Tertium malum est quia mutus ad laudandum Deum et confitendum peccata sua efficitur. Isa., LVI : *Universi canes muti, non valentes latrare.*

Circa tertium notandum quod tres utilitates subsecutæ sunt ex ejectione istius dæmonis. Prima fuit ipsius ab possessione dæmonis liberatio; secunda visus restitutio; tertia loquelæ reintegratio; et significant tria bona quæ sequuntur animam in justificatione. Primum est quia a potestate diaboli eripitur. Col., II : *Qui nos eripuit de potestate tenebrarum.* Secundum, quia lumen gratiæ sibi restituitur. Psal. CXLV : *Dominus illuminat cæcos.* Tertium est quia loquela ad laudandum Deum et confitendum peccata sua ei redditur. Psal. L : *Libera me de sanguinibus,* id est peccatis, *et exaltabit lingua mea justitiam tuam,* etc.

SERMO XLIV.

De dominica quarta in Quadragesima, ex Epistola.

Illa autem quæ sursum est Jerusalem, libera est, Gal., IV. In istis verbis commendatur civitas Dei, quæ regnat in cœlis, in tribus. Primo, in situ, ibi : *Quæ sursum est;* secundo, in nomine, ibi : *Jerusalem;* tertio, in libertate, ibi : *libera est.*

Circa primum notandum quod in hoc quod dicitur esse sursum, commendatur in quatuor. Primo, a puritate; immunditiæ enim non sunt in alto, sed tendunt ad valles; hoc est in civitate cœlesti, ubi nihil est immundum. Apoc., XXII : *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum, faciens abominationem.* Secundo, a sanitate; civitas enim in alto sita sana est : hoc est in cœlesti civitate, ubi nullus languor est nec dolor, etc. Apocalyps., XXI : *Et mors ultra non erit, neque clamor neque dolor.* Tertio, a securitate : civitas enim in alto sita securior est. Psal. LVII : *Mirificavit Dominus misericordiam suam in civitate munita.* Quarto, a spaciositate; terra enim quæ deorsum est, habet se sicut punctus in sphæra; cœlum vero sicut circumferentia. Augustinus :

« Quid autem in angustiis miraris latitudinem cœlorum se non coarctantium? Ab ultimis Hispaniæ finibus usque ad nos paucissimorum dierum spacia jacent, si navem ferat ventus. At illa cœlestis regio per triginta annos velocissimo sideri præstat iter. »

Circa secundum notandum quod in hoc quod dicitur, *Jerusalem,* commendatur a multis civitas cœlestis; multa enim dicuntur de Jerusalem in Scriptura, quæ intelliguntur de Jerusalem cœlesti, et notantur hic decem. Primum est admirabilis pulchritudo et speciositas. Cant., II : *Pulchra es amica mea, et suavis et decora, sicut Jerusalem,* etc. Secundum est ineffabilis amor et caritas. Isa., XXXI : *Dixit Dominus, cujus ignis est in Sion, et caminus in Jerusalem.* Tertium est delectabilis splendoris claritas. Tob., XII : *Luce splendida fulgebit et omnes fines adorabunt eam.* Quartum est murorum et viarum et portarum speciositas. Tob., XIII : *Et portæ Jerusalem ex saphyro et smaragdo ædificabuntur*, etc. Quintum omnium rerum abundantia. Isa., XXXIII : *Oculi tui videbunt Jerusalem habitationem opulentam,* etc. Sextum omnium deliciarum affluentia. Isa., ult. : *Lætamini in Jerusalem, et exultate in ea omnes qui diligitis eam : gaudete in ea gaudio universi qui lugebatis super eam, ut sugatis et repleamini ab uberibus consolationis ejus, ut mulgeatis, et deliciis affluatis ab omnimoda gloria ejus.* Septimum est perpetua et continua lætitia. Octavum æternus honor et gloria. Isa., LXVI : *Super te, Jerusalem, orietur Dominus, et gloria ejus in te videbitur.* Nonum æternæ pacis felici. tas Isa., ult. : *Ecce ego declinabo super Jerusalem quasi fluvium pacis.* Decimum beatæ lucis æterna jucunditas. Tob., XIII : *Per omnes plateas Jerusalem alleluia cantabitur.* Isa., LXV : *Ecce ego do Jerusalem exultationem, et populo ejus gaudium,* etc.

Circa tertium notandum quod erit ibi libertas a quinque. Primo a dæmonum vexatione. Isa., XIV : *Et erit in die illa, cum requiem dederit Dominus a labore tuo, et a concussione tua dura, qua ante servivisti,* etc. Secundo ab omni mali afflictione. Tob., XIII : *Liberabis Jerusalem civitatem tuam sanctam a cunctis tribulationibus suis.* Tertio, a creaturarum corruptione. Quarto, a morte corporis. Rom., VIII : *Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei,* etc. Quinto, erit ibi libertas a servitute peccati. Joan., VIII : *Si Filius vos liberaverit, vere liberi eritis.* Beata est ergo illa civitas, ubi nullum est malum, et est ibi omne bonum; ad quod bonum, etc.

SERMO XLV.

De eadem, ex Evangelio.

Abiit Jesus trans mare Galilææ, Joan., VI. Tria principaliter sunt quæ fecisse dicitur Jesus in hoc evangelio. Primum est quia mare transiit, ibi : *Abiit Jesus trans mare.* Secundum est quia in montem ascendit, ibi : *Subiit ergo in montem.* Tertium est quia turbas pavit, ibi : *Accepit ergo Jesus panes.*

Circa primum notandum quod tria fecit Jesus circa mare. Primo, ipsum placavit; secundo, per ipsum siccis pedibus ambulavit; tertio, ipsum transmeavit. Hæc tria fecit Christus in mundo. Psal. CIII : *Hoc mare magnum et spatiosum.* Primo, ipsum placavit, Deo Patri reconciliando; secundo, siccis pedibus super ipsum ambulando, nihil mundanum diligendo; tertio, transmeavit de mundo ad cœlum ascendendo. De primo II Corinth., V : *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi*, etc. De secundo, Joan., XIII : *Venit enim princeps mundi hujus, et in me non habet quicquam.* De tertio, Joan., XVI : *Relinquo mundum, et vado ad Patrem.*

Circa secundum notandum quod septem fecit Christus in monte, sicut legitur in evangeliis. Primo, in monte diabolum superavit; secundo, in monte discipulis prædicavit; tertio, in monte se transfiguravit; quarto, in monte frequenter oravit; quinto, in monte discipulis apparuit; sexto, in monte turbas pavit; septimo, de monte cœlos ascendit. De primo, Matth., IV : *Assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde, et ostendit ei omnia regna mundi,* etc. De secundo, ibidem, V : *Videns autem Jesus turbas, ascendit in montem; et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus : et aperiens os suum docebat eos,* etc. De tertio, ibidem, XVI : *Assumpsit Jesus Petrum et Jacobum et Joannem fratrem ejus,* etc.; et subditur : *Et transfiguratus est ante eos.* De quarto, ibidem, XVIII. De quinto, hic. De sexto, Matth., ult. : *Ascendens in montem sedebat Jesus, et accesserunt ad eum*

turbæ; et subditur : *Accipiens Jesus septem panes et pisces, et gratias agens, fregit, et dedit discipulis suis,* etc. De septimo, Luc., ult. : *Eduxit autem eos foras in Bethaniam, et elevatis manibus suis benedixit eis, et recessit ab eis, et ferebatur in cœlum.*

Circa tertium notandum quod Dominus in duabus vicibus pavit homines duodecim panibus : et signant duodecim, quibus ipsos pascit qui sequuntur ipsum in via ista. Primus panis est caritas, secundus gaudium, tertius pax, quartus patientia, quintus longanimitas, sextus bonitas, septimus benignitas, octavus mansuetudo, nonus fides, decimus modestia, undecimus continentia, duodecimus castitas. Isti sunt duodecim panes propositionis, de quibus dicitur in Exod., xv : *Super mensam panes propositionis erunt semper.* De his omnibus Galat., v : *Fructus autem spiritus sunt caritas,* etc.

SERMO XLVI.

De beata Virgine, ex Evangelio.

Beatus venter qui te portavit, etc., Luc., II. Nota quod venter beatæ Virginis dicitur beatus propter quinque. Primo, quia portavit eum qui in seipso summe beatus est. I Tim., VI : *Beatus et solus potens, Rex regum.* Secundo, propter summam beatitudinem et trinitatem quam habuit; fuit enim sponsa Patris, et mater Filii, et habitaculum Spiritus sancti, juxta illud : « Salve, Mater pietatis, et totius Trinitatis nobile triclinium. » Tertio, quia concepit sine corruptione. Quarto, quia portavit eum sine labore. Quinto, quia peperit eum sine dolore. De his, Luc., I : *Spiritus sanctus superveniet in te,* et ideo concipies sine dolore et corruptione; *et virtus Altissimi obumbrabit tibi,* et ideo portabis sine labore et corruptione; *ideoque quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei,* et ideo paries sine dolore. Sexto, quia portavit pretium redemptionis. Num., xx : *Domine, aperi eis thesaurum tuum, fontem aquæ vivæ, ut satiatis, cesset murmuratio eorum. Et apparuit gloria Domini super eos.* Septimo, quia habuit de omni statu : de statu virginum integritatem, de statu conjugatorum fecunditatem; de statu continentium castitatem. Octavo, quia debet frequenter ab omnibus benedici, id est beata prædicari. Luc., I : *Beatam me dicent omnes generationes.*

Nota. Ubera beatæ Virginis dicuntur beata propter tria. Primo, quia lactabant eum qui est cibus et potus angelorum et sanctorum; unde illud : « Ipsum regem angelorum sola Virgo lactavit ubere de cœlo pleno, » etc.

SERMO XLVII.

De mortuis.

Mortuo non prohibeas gratiam, Eccl., VII. Quadruplicem gratiam debemus mortuis. Primo, cum debitis obsequiis sepelire. Eccl., XXXVIII : *Fili, in mortuum produc lacrymas, et quasi dira passus incipe plorare, et ne despicias sepulturam illius.* Secundo, pro eis orare. Tertio, pro eis eleemosynas facere; II Mach., XII : *Judas, collatione facta, duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolymam offerri eas* ibi *pro peccatis mortuorum.* Quarto, pro eis sacrificium altaris offerre. Exemplum Gregorii in fine *Dialogorum*, ante penultimum capitulum lib. III, qui pro monacho quodam fecit dici triginta missas, et statim fuit a pœnis liberatus. De his duobus Augustinus : « Neque negamus animas defunctorum pietate suorum viventium relevari, cum pro eis officium mediatoris offertur, vel quando pro eis orationes fiunt in ecclesia. »

Circa primum sciendum quod debemus mortuos propter tria cum obsequiis sepelire. Primo, ut nos morituros cogitemus. Eccle., VII : *Melius est ire ad domum luctus quam convivii; ibi enim finis cunctorum admonetur.* Augustinus, *De civitate Dei :* « Est corpus humanum propter fidem resurrectionis debito honore sepeliendum; tamen et si sepultura careat, divina providentia credendum est suscitandum. » Tertio ut meritum pro eo, cum sit opus misericordiæ, recipiamus. Tob., XV : *Quando orabas cum lacrymis et sepeliebas mortuos, et derelinquebas prandium tuum, et mortuos per diem abscondebas in domo tua, et nocte sepeliebas, obtuli orationem tuam Domino, et quia acceptus eras Deo,* etc.

Circa secundum sciendum quod propter tria debemus orare pro mortuis. Primo, ut nostram caritatem eis demonstremus. Job, XIX : *Miseremini mei, miseremini mei saltem vos amici mei.* Secundo, ut pœnas eorum mitigemus. Tertio, ut a pœnis eos libere-

mus. De his duobus Augustinus *Ad Laurentium* : « Cum pro defunctis baptizatis orationes fiunt, aut ad hoc valent ut fiat plena remissio, aut ut tolerabilior fiat damnatio, » id est pœnæ purgatorii.

Circa tertium sciendum quod tria debent nos movere ad faciendas eleemosynas pro mortuis. Primo, pœnarum quas patiuntur, acerbitas; libenter enim faciunt homines eleemosynas leprosis, et his qui patiuntur magnas pœnas et infirmitates; minor autem pœna purgatorii est major omnibus pœnis præsentis vitæ, sicut dicit Augustinus. Secundo, magna eorum necessitas. Quando enim vident homines valde mendicos, libenter faciunt eis eleemosynas; illi autem qui sunt in purgatorio, sunt in maxima paupertate, quia nihil possunt mereri, cum non sint in statu merendi. Tertio, debet nos movere nostra utilitas. Cum enim oramus pro illis qui sunt in purgatorio, et eleemosynas facimus, quando liberantur, et sunt in patria, libenter orant pro nobis.

Circa quartum sciendum quod tria debent nos movere ad celebrandum pro mortuis. Primum est, quia dicit Augustinus quod pro illis qui sunt in purgatorio, est propitiatio. Secundo, quia pro illis qui sunt in patria, est gratiarum actio. Tertio, quia illis qui peregrinantur in mundo, est consolatio. Ergo virtutem hujus sacramenti sentiunt qui sunt in purgatorio, qui sunt in cœlo, qui sunt in terra, id est in mundo. De his tribus Augustinus : « Cum sacrificia altaris pro baptizatis offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones sunt; pro non valde bonis propitiationes sunt; pro valde malis, et si nulla sunt adjumenta mortuorum, tamen sunt vivorum, consolationes. » Ergo *non prohibeas mortuo* quadruplicem *gratiam*.

SERMO XLVIII.

De mortuis.

Factum est autem ut moreretur mendicus, et portaretur ab angelis in sinum Abrahæ, Luc., XVI. In verbis istis duo notantur. Primum est angelorum benignitas, ibi: *portaretur ab angelis*. Magna enim benignitas est quod mendicos non dedignantur portare, cum sint principes cœli. Secundo paupertatis pretiositas, ibi: *in sinum Abrahæ*. Satis patet quod pretiosa res est paüpertas, cum per eam acquiratur regnum cœlorum, quod per sinum Abrahæ significatur. Augustinus: « Venale habeo; et quid? regnum cœlorum. Quanti emitur? paupertate regnum, luctu gaudium, morte vita. »

Circa primum nota quod tria bona facit angelorum benignitas hominibus bonis morientibus. Primum, quia a dæmonibus, qui ibi adsunt, vel in aere obviant, liberant. Psal. XXXIII : *Immittet angelus Domini in circuitu timentium eum*. Secundo, solemnes exequias celebrant eis. Augustinus : « Præclaras exequias purpurato illi diviti turba exhibuit famulorum; sed multo clariores pauperi ulceroso ministerium præbuit angelorum, qui eum extulerunt non in marmoreum tumulum, sed in Abrahæ gremium. » Tertio inducunt eos in regna cœlestia, ut hic : *et portaretur ab angelis in sinum Abrahæ*.

Circa secundum notandum quod tria magna bona consequitur pauper in morte. Primo, ab iniqua hominum oppressione liberatur. Job, V : *Porro salvum faciet egenum a gladio oris eorum, et de manu violenti pauperem*. Secundo, regnum cœlorum ei datur. Matth., V : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum*. Tertio, cum principibus cœlestis curiæ collocatur. I Reg., II : *Suscitans de pulvere egenum, et de stercore erigens pauperem, ut sedeat, cum principibus, et solum gloriæ teneat;* ad quam, etc.

SERMO XLIX.

De mortuis.

Dies mei velociores cursore transeunt, quasi naves poma portantes, Job, X. In istis verbis duo notantur. Primo, vitæ præsentis velocitas, ibi : *Dies mei velociores;* secundo, vitæ sanctorum fragrantia, ibi : *transierunt quasi naves*, etc. II Corinth., II : *Christi bonus odor sumus*.

Circa primum notandum quod ex tribus potest considerari præsentis vitæ velocitas. Primo, ex mensurantis temporis velocitate; secundo, ex dierum vitæ hominis brevitate; tertio, ex comparatione temporis ad æternitatem. Ista tria satis ostendunt quam velociter transit. Primo, sicut velociter movet primum mobile quo mensuratur tempus; tempus enim est mensura motus primi mobilis. Sicut enim velociter circuit

cœlum ad occidentem, et sol ad occasum, sic velociter transit homo ad mortem. Homo enim in præsenti quasi viator et cursor, qui quotidie complet cursus sui dietam, quia dies completur ex revolutione cœli et solis. Augustinus : « Quid est præsens vita nisi cursus ad mortem ? » Secundo, consideratur ex temporis brevitate. Job, XIV : *Breves dies hominis sunt.* Tertio, ex comparatione ipsius ad æternitatem. Si enim comparatur tota præsens vita æternitati, non est nisi momentum, vel nihil. Augustinus, *De civitate Dei :* « Nihil est diuturnum, in quo est ad extremum pervenire ; et omnia singulorum spatia definita, si æternitati interminabili comparentur, non exigua sunt, sed nulla. »

Circa secundum notandum quod poma quæ sancti portant per naves, significant virtutes, et opera virtutum. Cant., VII : *Omnia poma nova et vetera servavi tibi.* Dicuntur autem poma virtutes et bona opera propter tria. Primo, propter eorum decorem ; secundo, propter odorem ; tertio, propter refectionem. Hæc tria enim sunt in pomis, quia et decora sunt visui, et odorifera olfactui et refectiva gustui. Sic sancti viri propter decorem virtutum sunt delectabiles ad videndum. Cant., I : *Ecce pulcher es dilecte mi.* Secundo, propter odorem bonæ famæ alliciunt alios ad imitandum. Cant., VII : *Mandragoræ dederunt odorem suum.* Tertio, virtutes ipsæ animam mira delectatione reficiunt. Cant., II : *Fructus ejus dulces gutturi meo.* Apocal., ult. : *Et lignum affert fructus duodecim per singulos menses.* Et de refectione istorum pomorum transeunt sancti ad refectionem pomorum quæ nascuntur in ligno vitæ. Apocal., II : *Qui vicerit, dabo ei edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei;* ad quem, etc.

SERMO L.

De mortuis.

Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, Joan., VI. Satis ostendit hic Dominus quod qui sumunt corpus Domini digne, cum moriuntur, non debemus contristari de morte eorum, sed potius lætari, quia scimus eos habere vitam æternam, sicut hic dicitur.

Sciendum est autem quod Dominus voluit dare corpus suum fidelibus suis ad manducandum propter tria. Primo, propter ostendendam suam caritatem. Matth., XXVI : *Hoc facite in meam commemorationem,* id est ut recordemini meæ caritatis, qua pro vobis mori volui. Secundo, propter figurandam corporis sui, id est Ecclesiæ, unitatem. I Cor., X : *Panis autem quem frangimus, nonne participatio corporis Christi est? quoniam unus panis et unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane et de uno calice participamus.* Tertio, propter efficiendam in unoquoque fidelium multiplicem utilitatem.

Notantur autem hic septem utilitates, quas efficit corpus Christi cum digne sumitur. Prima, peccatorum remissio. Ambrosius : « Paratus assiste, ut corpus Domini edas, in quo est remissio peccatorum, et postulatio divinæ reconciliationis. » Secunda, a dæmonibus liberatio. Ambrosius : « Suscipe Dominum Jesum tuæ mentis hospitio, et cum viderit diabolus hospitium tuum occupatum, et cœlesti fulgere præsentia, intelliget locum tentationi suæ interclusum per Christum. » Tertia, ineffabilis spiritus delectatio. Sap., XVI : *Panem de cœlo præparatum præstitisti eis, omne delectamentum in se habentem.* Quarta, ipsius animæ in sanctitate confirmatio. Ps. CIII : *Panis cor hominis confirmet.* Quinta, ad moriendum et præliandum pro amore Dei confortatio ; quæ animabus est valde necessaria ad desiderium martyrii, cum magna mala sustinent. I Machab., VI : *Ostenderunt elephanti sanguinem uvæ.* Sexta, æternæ animæ vivificatio. Joan., VI : *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum;* et hoc est quod hic dicitur : *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam ;* ad quam nos, etc.

SERMO LI.

De mortuis.

Venit hora in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei, Joan., VI. In istis verbis notatur primo resurrectionis velocitas, ibi : *Venit hora,* fiet enim in momento horæ. I Cor., XVI : *In ictu oculi, in novissima tuba.* Secundo, vocis Dei potentia, ibi : *omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei.* Psal. LXVII : *Dabit voci suæ vocem virtutis.* Tertio, resurrectionis veritas, ibi : *Et vivent.* Job, XIX : *Et in novissimo die*

de terra surrecturus sum. Isa., XXVI : *Vivent interfecti tui, mortuique mei resurgent.*

Circa primum notandum quod tria fient in hora resurrectionis. Primo, Christus de cœlo descendet; secundo, mortui resurgent; tertio, obviam Christo occurrent. De his tribus I Thessal., IV : *Ipse Dominus in jussu et in voce archangeli et in tuba Dei descendet de cœlo,* ecce primum; *et mortui qui in Christo sunt, resurgent primi,* ecce secundum; *deinde nos qui vivimus, simul rapiemur cum illis in nubibus,* ecce tertium.

Circa secundum notandum quod tria faciet tunc virtuosa vox Christi. Primo, mortuos suscitabit, ut hic : *Omnes qui in monumentis sunt, audient vocem ejus.* Secundo, impios condemnabit. Matth., XXV : *Tunc dicet his qui a sinistris ejus erunt : Discite a me maledicti,* etc. Tertio, sanctos glorificabit; eodem loco : *Tunc dicet his qui a dextris erunt : Venite, benedicti,* etc.

Circa tertium nota quod tria ostendent resurrectionem esse veram. Primo, quia resurgent illi qui vere mortui sunt; quod notatur hic : *Qui in monumentis sunt, audient vocem ejus.* Secundo, quia resurgent in eadem carne, in qua bene, vel male vixerunt. Job, XIX : *In carne mea videbo Deum Salvatorem meum.* Tertio, quia de cætero non morientur. I Cor., XV : *Et mortui resurgent incorrupti.* Cujus beatæ æternitatis participes nos faciat Christus.

SERMO LII.

De mortuis.

Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ, Apocal., II. Satis ostenditur in verbis istis quod, quandocumque aliquis bene moritur, non est dolendum, sed potius gaudendum, quia transit de miseria mortis ad coronam vitæ. Facit autem Dominus duo in verbis istis. Primo, præcipit quid facere debeamus, ibi : *Esto fidelis usque ad mortem.* Secundo, promittit præmium quod appetimus, ibi : *Dabo tibi coronam vitæ.*

Circa primum notandum quod quatuor sunt quibus promittitur corona triumphalis. Primum est mentis et corporis castitas. Sap., IV : *O quam pulchra est casta generatio cum claritate!* et post : *In perpetuum coronata triumphat.* Secundum tentationum sufferentia. Jacob., I : *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.* Tertium est justitia. II Tim., IV : *De reliquo reposita est mihi corona justitiæ.* Quartum est in fide et justitia usque ad mortem perseverare, ut hic : *Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ.*

Circa secundum notandum quod quadruplex corona dabitur sanctis. Prima argentea, secunda aurea, tertia stellata, quarta gemmea. De his quatuor inveni in Biblia. Corona argentea, quia clarum est argentum, erit corporis claritas, quia corpus mirabiliter decorabit. Isa., LXI : *Sicut sponsum decoratum corona.* Zach., VI : *Sume tibi argentum, et facies tibi coronam.* Stellea erit perfecta omnium scientia. Apoc., XII : *Et in capite ejus corona stellarum duodecim.* Eccli., VI : *Coronam gratulationis supponent tibi.* Augustinus : « Habemus unum doctorem in cœlis, quem semel vidisse, totum didicisse est. » Gemmea erit in omnibus istis æternitas. Psal. XX : *Posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.* Istis quatuor coronis coronabuntur boni. Mali autem coronabuntur quatuor aliis. Primo, coronantur corona rosea, quæ consistit in carnis voluptatibus. Sap., II : *Coronemus nos rosis antequam marcescant.* Secundo, corona florea, quæ consistit in sæculi vanitatibus. II Machab., VI : *Coronati hedera.* Isa., XXVIII : *Væ coronæ superbiæ,* etc. Tertio, corona aurichalca, quæ consistit in divitiis corporalibus. Apocal., I : *Habebant coronas similes aurichalco.* Quarto, corona spinea, quæ fabricatur de pœnis æternalibus. Isa., XXX : *Coronans coronabit te Dominus;* a qua liberet, etc.

SERMO LIII.

De duplici manu Dei, ex Evangelio.

Et ille singulis manus imponens sanabat omnes, Luc., IV. Notandum quod duæ sunt manus Dei quibus sanat omnes : scilicet potentia et misericordia. Psal. LXI : *Semel locutus est Deus, duo hæc audivi, quia potestas Dei est, et tibi, Domine, misericordia.*

Prima manus Dei habet quinque digitos. Primo, quia ejus potentiæ nemo potest resistere. Job, IX : *Deus, cujus iræ nemo resistere potest.* Idem : *Quis restitit ei, et pacem habuit?* Secundo, quia eam nullus potest effugere. Ezech., XVII : *Et qui dissolvit pactum, numquid effugiet?* Augustinus : « Superius erit Judex iratus, subtus hor-

rendum chaos inferni, a dextris peccata accusantia, a sinistris infinita dæmonia ad supplicium trahentia; intus conscientia urens, extra mundus ardens. O miser peccator sic deprehensus quo fugies? Latere impossibile, apparere intolerabile est. » Unde Psal. XLVI : *Neque ab oriente neque ab occidente neque a desertis montibus, quoniam Deus judex est.* Tertio, quia nullus poterit sustinere. Isa., XXX : *Ecce nomen Domini venit de longinquo, ardens furor ejus, et gravis ad portandum.* Psal. CXXIX : *Si iniquitates observaveris, Domine, Domine, quis sustinebit?* De his tribus, Isa., XXVII : *Visitabit Dominus in gladio suo duro,* et ob hoc intolerabili; *forti,* et ob hoc invisibili; *grandi,* et ob hoc incurabili. Quarto, quia potentia judicis non poterit corrumpi neque muneribus, quia dicit Psal. VII : *Deus judex justus.* Prov., III : *Zelus et furor viri non parcet in die vindictæ.* Quinto, nec falsis allegationibus, quia *fortis est et patiens,* ideo sapiens.

Secunda manus est misericordia, quæ habet quinque digitos. Primus digitus est considerare, quia nobis dedit Filium suum unigenitum. I Joan., IV : *In hoc apparuit caritas Dei in nobis, quoniam unigenitum Filium suum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum. In hoc est caritas : non quasi dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, et misit Filium suum propitiatorem pro peccatis nostris;* nam omnes mortui eramus; ideo dicitur Ecclesiastic., III : *Eleemosyna patris non erit in oblivione.* Exemplum Elisei, quomodo vivificavit filium Sunamitis. Dic historiam. Eliseus Christus, Giezi Moyses, baculus lex. Nec Moyses nec lex potuerunt vivificare genus humanum, donec ipse Eliseus, id est Christus, accepit formam nostram, quia incurvavit se in utero Virginis. Secundus, quia omnia nobis bona communicat. Matth., IV : *Solem suum oriri facit super bonos et malos.* Psal. CXXXV : *Qui dat escam omni carni.* Tertius est, quia non statim punit, sed longanimiter expectat ad pœnitentiam. Sap., II : *Dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam.* Isa., XLIV : *Usque ad senectutem ego portabo.* Quartus, in recipiendo. Exemplum de filio prodigo, quomodo recepit illum pater, Luc., XV. Quintus, quia semper in omni hora recipit, quia postquam recepit, nunquam peccatorum recordatur. Ezech., XVIII : *Quacumque hora peccator reversus fuerit et ingemuerit, omnium iniquitatum ejus non recordabor.* Hinc quilibet esse debet misericors, ut seipsum det Deo, et de bonis suis pauperibus, et quod non statim puniat, et omnes injurias dimittat, etc.

SERMO LIV.

In dominica de Passione, ex Epistola.

Quanto magis sanguis Christi, etc., Hebr., IX. In ista epistola quatuor principaliter facit. Primo, ostendit Christum pontificem fuisse, ibi : *Christus assistens pontifex.* Secundo, commendat pontificatum ejus, ibi : *Futurorum bonorum.* Tertio, ostendit quod obtulit, ibi : *qui semel seipsum obtulit.* Quarto, monstrat utilitatem sive effectum oblationis ejus, ibi : *emundabit conscientiam nostram.*

Circa istud ultimum nota quod septem utilitates fecit nobis sanguis Christi. Prima fuit peccatorum nostrorum ac sordium emundatio. Apocal., I : *Qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.* Hebr., XIII : *Ut sanctificaret per suum sanguinem populum.* Secunda, nostra redemptio. Apocal., V : *Redemisti nos, Domine, in sanguine tuo.* I Petr., I : *Redempti estis,* etc. Tertia, nostra cum Deo et angelis pacificatio. Col., I : *Pacificans omnia per sanguinem suum sive quæ in terris sive quæ in cœlis sunt.* Quarta, Testamenti de hereditate æterna confirmatio. I Corinth., II : *Hic calix Novi Testamenti;* et Testamentum in morte confirmavit. Quinta, sumentium potatio et inebriatio. Matth., XXVI : *Bibite ex hoc omnes : hic calix,* etc. Deut., XXXII : *Ut sanguinem uvæ biberent meracissimum.* Sexta, januæ cœlestis apertio. Hebr., X : *Habentes itaque, fratres, fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi,* id est continua pro nobis ad Deum oratio; clamat enim quotidie pro nobis sanguis ad Patrem. Hebr., XII : *Sed accessistis ad sanguinis aspersionem melius loquentem quam Abel.* Sanguis Abel clamavit vindictam, sanguis Christi clamat indulgentiam. Septima, de inferno sanctorum eductio. Zach., IX : *Tu autem in sanguine tuo eduxisti vinctos de lacu, in quo non erat aqua.*

SERMO LV.

In dominica de Passione, ex Evangelio.

Qui est ex Deo, verba Dei audit, etc., Joan., VIII. In verbis istis quatuor notantur. Primo, sanctorum magna gloria, ibi : *Qui est ex Deo.* Quid enim gloriosius potest esse quam ex Deo esse? Joan., I : *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Secundo, magna ipsorum sapientia, ibi : *verba Dei audit.* Psal. XVIII : *Testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis.* Tertio, reproborum stultitia, ibi : *propterea vos non auditis.* Sapientiam recti dogmatis atque doctrinam puræ conversationis stulti, ut pharisæi dicta et facta Christi, despiciunt. Quarto, magna ipsorum miseria, ibi : *quia ex Deo non estis.* Quid infelicius esse potest quam ex Deo non esse? Oseæ, VII : *Væ eis qui recesserunt a me.*

Circa primum notandum quia sancti tribus modis dicuntur esse ex Deo. Primo, per creationem, sicut effectus ex causa. Rom., XI : *Ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia.* Secundo, per justificationem, sicut splendor ex luce. Ephes., V : *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* I Joan., III : *Qui natus est ex Deo, non peccat.* Tertio, per imitationem sive assimilationem, sicut exemplum ex exemplari. I Joan., I : *In hoc scimus quoniam in Deo sumus, si in ipso perfecti erimus.* Ibidem : *Qui dicit se in Christo manere, debet ambulare sicut et ipse ambulavit.*

Circa secundum notandum quod triplex est verbum Dei, quod libenter audiunt sancti. Primum est æternale. Joan., I : *In principio erat Verbum.* Secundum est mentale. Job, IV : *Porro ad me dictum est absconditum verbum.* Tertium vocale. Matth., IV : *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Primum audiunt per fidem. Joan., XI : *Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet.* Secundum per inspirationem. Psal. LXXXIV : *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* Tertium per prædicationem. Luc., VIII : *Qui habet aures audiendi, audiat.*

Circa tertium notandum quod stulti sunt qui non audiunt verbum Dei, maxime propter duo : primo, quia ex auditu verbi Dei vitatur omne malum : secundo, acquiritur omne bonum. De his duobus, Prov., I : *Qui me audierit, absque terrore quiescet :* scilicet quia in hac vita nullis terretur adversis, et in morte de ingressu vitæ æternæ lætatur ; *et abundantia perfruetur, malorum timore sublato :* scilicet in præesenti abundantia bonorum operum, ablato timore eorum qui corpus occidunt ; in futuro abundantia gaudiorum, ablato timore alicujus defectus vel adversitatis.

Circa quartum notandum quod non esse ex Deo magna miseria est propter duo. Primo, quia qui sunt extra Deum, habent omnia mala. Augustinus : « Unde scio quia male est mihi præter te, non solum extra me, sed etiam in meipso ; et omnis copia quæ Deus non est, egestas est. » Secundo, quia qui est ex Deo, habet omnia optima. Augustinus : « Qui intrat in gaudium Domini sui, et securus est, et habebit se optime in optimo, » etc.

SERMO LVI.

De eadem, ex Evangelio.

Si quis sermomen meum servaverit, mortem non gustabit in æternum, Joan., VIII. Duo facit Dominus in verbis istis. Primo, monet ad observationem sui sermonis, ibi : *Si quis sermonem meum servaverit;* secundo, ponit utilitatem observationis, ibi : *mortem non gustabit in æternum.*

Circa primum notandum quod sermo Domini servandus est sex modis. Primo, in intellectu per cognitionem. Psal. XXXVI : *Lex Dei ejus in corde ipsius.* Secundo, in affectu per dilectionem. Psal. CXVIII : *Ignitum eloquium tuum vehementer*, etc. Tertio, in memoria per jugem meditationem. Psal. CXVIII : *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi.* Deut.: *Audi Israel mandata vitæ, et ea in corde tuo quasi in libro scribe.* Ps. CXVIII : *Meditabor in justificationibus tuis semper.* Quarto, in aure propter frequentem ipsius auditionem. Isa., LV : *Inclinate aurem vestram, et venite ad me : audite*, etc. Matth., XIII : *Qui habet aures audiendi, audiat.* Quinto, in ore per jugem de Deo locutionem. Psal. CVIII : *In labiis meis pronuntiavi omnia judicia oris tui.* Exod., XIII : *Lex Dei semper sit in ore vestro.* Sexto, in manu per operationem. Psal. CXVIII : *Levavi manus meas ad mandata tua quæ dilexi.*

Circa secundum notantur octo utilitates ex observatione verbi Dei. Prima est, quia

ab omni morbo sanat. Sap., XVI : *Non herba neque malagma, sed sermo tuus, Domine, qui sanat omnia.* Psal. CVI : *Misit verbum suum, et sanavit eos.* Secunda, quia animam mundificat, Joan., II : *Jam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis.* Tertia, quia mentem lætificat. Jer., XV : *Factum est verbum Domini in gaudium et justitiam cordis mei.* Quarta est, quia Deus Trinitas in corde ipsius inhabitat. Joan., XIV : *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum.* Quinto, illuminat. Psal. CXVIII : *Declaratio sermonum tuorum illuminat.* Sexto, in bono conservat. Sap., VI : *Sermo tuus, Domine, eos qui in te confidunt, conservat.* Septimo, liberat a morte æterna, ut hic : *Si quis sermonem meum servabit, mortem non videbit in æternum.* Octavo, perducit ad æternam vitam et gloriam. Joan., VI : *Respondit ei Simon Petrus : Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes; et nos credimus, et cognovimus quia tu es Christus filius Dei vivi. Verba vitæ æternæ habes,* ad quam perducat nos, etc.

SERMO LVII.

Dominicæ in Ramis palmarum, ex Epistola.

Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo ; sed semetipsum exinanivit, etc., Philip., II. Tria facit Apostolus in epistola ista. Primo, agit de Christi majestate, ibi : *Qui cum in forma Dei esset ;* secundo, de ipsius humilitate, ibi : *semetipsum exinanivit;* tertio, de humilitatis utilitate, ibi : *propter quod et Deus exaltavit illum,* etc.

Circa primum tria facit. Primo, ostendit ipsius divinitatem, ibi : *Qui cum in forma Dei esset.* Deitas si erat in forma Dei, ergo Deus erat. Actor., IX : *Verbum misit Deus filiis Israel, annuntians pacem per Jesum Christum : hic est omnium Deus.* Secundo, ostendit divinitatis ejus virtutem, ibi : *non rapinam ;* id est, in veritate fuit Deus, non per rapinam, sicut esse voluit diabolus. Rom., IX : *Quorum patres, ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula, amen,* id est vere. Tertio, ponit ipsius æternitatem, ibi : *se esse æqualem Deo.* Joan., I : *In principio erat Verbum,* etc.

Circa secundum similiter ostendit quod in tribus apparuit ejus humilitas. Primo in servilis formæ susceptione, ibi : *exinanivit semetipsum, formam servi accipiens,* etc. Secundo, in perfecta obedientiæ exhibitione, ibi : *factus obediens,* etc. Joan., VI : *Non veni facere voluntatem meam,* etc. Tertio, in turpissimæ mortis tolerantia, ibi : *mortem autem crucis.* Sap., II : *Morte turpissima condemnemus eum.*

Circa tertium notandum quod utilitas humilitatis ejus fuit exaltatio ejus : post mortem enim apparuit exaltatus super omnes creaturas. Ponit autem exaltationem ejus tripliciter. Primo, in comparatione ad angelos, ibi : *Ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum.* Hebr., I : *Et adorent eum omnes angeli.* Secundo, in comparatione vel in operatione ad homines, ibi : *Terrestrium.* Col., I : *Ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Tertio, in comparatione ad dæmones. Hebr., II : *Per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, id est diabolum.* Augustinus : « Manus inermis : et affixa cruci debellavit aereas potestates. » Christus enim per mortem suam subjecit sibi dæmones, homines et angelos, etc. Hebr., II : *Omnia subjecisti sub pedibus ejus : nihil dimisit non subjectum ei.* Qui ergo voluerit salvari, discat primo humiliari. Luc., XIV : *Qui se humiliat, exaltabitur.* Job, II : *Qui humiliatus fuerit, erit in gloria,* ad quam nos conducat, etc.

SERMO LVIII.

De eadem, ex Evangelio.

Filius hominis tradetur ut crucifigatur, Matth., XXVI. Circa passionem Domini duo debemus considerare. Primo, passionis qualitatem ; secundo, passionis virtutem ; tertio, passionis utilitatem.

Circa primum notandum quod passio Christi fuit valde amara, propter tria. Primo, propter patientis bonitatem ; secundo, propter passionis utilitatem ; tertio, propter inferentium crudelitatem. Patientis bonitas patet ex tribus. Primo, quia nulli nocebat. I Petr., II : *Qui peccatum non fecit,* etc. Secundo, quia illatas injurias patientissime sustinebat. I Petr., II : *Qui cum malediceretur, non maledicebat,* etc. Jerem., II : *Ego quasi agnus mansuetus qui portatur ad victimam* Tertio, quia omnibus bene

faciebat. Actor., x : *Qui pertransiit benefaciendo,* etc. Joan., x : *Bona opera ostendit vobis : propter quod horum me vultis occidere?* Vilitas mortis patet ex tribus. Primo, quia fuit voce omnium tanquam sceleratissimus judicatus. Luc., xxiii : *At illi clamabant : Crucifige, crucifige eum.* Secundo, quia multipliciter opprobriatus est. Matth., xxvii : *Tunc milites præsidis suscipientes Jesum in prætorio congregaverunt ad eum universam cohortem, et exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei, et plectentes coronam de spinis posuerunt super caput ejus, et arundinem in dextera ejus; et genu flexo ante eum; illudebant ei dicentes : Ave, rex Judæorum : et expuentes in eum acceperunt arundinem, et percutiebant caput ejus,* etc. Tertio, quia morte turpissimo condemnatus est. Sap., ii : *Morte turpissima condemnemus eum.* Marc., xv : *Et cum iniquis deputatus est.*

Circa tertium notandum quod crucifigentes fuerunt valde crudeles tripliciter. Primo ante mortem eum crudeliter flagellando. Matth., xxvii : *Jesum vero flagellatum tradidit eis,* etc. Secundo, eum in morte cum aceto et felle potando. Joan., lxiii : *Vas ergo positum erat aceto plenum.* Psal., lxiii : *Et in siti mea potaverunt me aceto.* Tertio, post mortem, jam mortuum vulnerando. Joan., ii : *Unus ergo militum lancea latus ejus aperuit.*

Circa virtutem passionis, notandum quod virtus passionis ejus apparuit in tribus. Primo, in cœlo, quod terræ lumen abstulit. Luc., xxiii : *Et tenebræ factæ sunt super universam terram usque ad horam nonam, et sol obscuratus est,* etc. Secundo, in terra quæ tremuit. Matth., xxvii : *Terra mota est.* Tertio, in inferno, qui mortuos reddidit. Matth., xxxii : *Multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt.* Virtutem ergo passionis Christi cœlum clamat, terra prædicat, infernus nuntiat. Philipp., ii : *Christus factus est obediens usque ad mortem,* etc.; et post : *Ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et infernorum.*

Circa utilitatem passionis, consecuti sunt utilitatem de passione Christi, cœlestes terrestres et infernales. Per passionem ergo Christi cœlestes reparati sunt, homines terrestres de manu diaboli liberati, et sancti patres qui erant in inferno, inde extracti. De primo, Col., i : *Pacificans per sanguinem crucis ejus sive quæ in cœlo sunt, sive quæ in terra,* etc. De secundo, Joan., ii : *Nunc judicium est mundi, nunc princeps mundi hujus ejicietur foras.* Col., i : *Expolians principatus et potestates.* De tertio, Zach., ix : *Tu quoque in sanguine testamenti eduxisti vinctos tuos de lacu.*

Item nota septem virtutes in morte Christi. Quære in sermone *Apparebit,* etc. Dicite filiæ Sion, etc. Quære in utrumque Quadragesimalibus, ibi : « Fructus arboris pulcherrimæ. »

SERMO LIX.

In festo Resurrectionis, ex Epistola.

Pascha nostrum immolatus est Christus, etc., I Cor., v. Dominus noster Jesus Christus tripliciter exhibuit se nobis in esum. Primo, sacramentaliter. Matth., xxvi : *Accipite et manducate ex hoc omnes. Hoc est enim corpus meum.* Secundo, spiritualiter. Augustinus : « Ut quid paras dentem et ventrem? Crede et manducasti. » Tertio, æternaliter. Augustinus : « Ibi de te me satiabis satietate mirifica. » Secundum hoc triplex pascha fecit nobis. Primum corporale, secundum spirituale, tertium æternale. Hæc sunt tria paschata mystica quæ celebraverunt filii Israel. Primum, in exitu de Ægypto, Exod., xii. Secundum, in deserto, Num., ix. Tertium, in terra promissionis, Josue, v.

Ad celebrandum primum pascha, in quo comedimus Agnum immaculatum pro omnibus immolatum, ostendit Apostolus in ista epistola quinque esse necessaria. Primo, ut expurgemur a carnali concupiscentia, ibi : *Expurgate vetus fermentum.* Vetus fermentum est carnalis concupiscentia, quæ a primo parente incepit corrumpere massam naturæ humanæ. I Cor., v : *Modicum fermentum totam massam corrumpit.* Secundo, ut expurgemur a superbia, ibi : *Non in fermento malitiæ.* Malitia dicitur superbia antonomastice, quia est initium omnis malitiæ. Eccli., x : *Initium omnis peccati superbia.* Tertio, monet expurgari a malo avaritiæ, ibi : *Et nequitiæ.* Avaritia dicitur nequitia, quia vult quod nequit; vult enim omnes divitias mundi, quod nunquam erit. Eccli., x : *Nil nequius quam amare pecuniam.* Quarto, necessaria est mentis munditia, ibi : *Sed in azymis sinceritatis.* Qui enim vult celebrare istud

solemne pascha, oportet eum esse mundissimum. Num., XVIII : *Qui mundus est in domo tua, vescetur eis.* Quinto, necessaria est vitæ veritas, ibi : *Et veritatis.* Ephes., IV : *Veritatem autem facientes in caritate,* etc. Qui ergo vult celebrare istud ineffabile pascha, expurgetur a malo carnalis concupiscentiæ, a malo avaritiæ, a malo superbiæ; et delectetur in mentis puritate in veritate vitæ; et veniet ad pascha, quod non sequitur quadragesima; sed erit ibi jugis et æterna solemnitas, ad quam perducat nos Deus Jesus. Amen.

SERMO LX.

De eadem, ex Evangelio.

Jesum quæritis Nazarenum crucifixum? Surrexit, Matth., XXIV. In his verbis quinque notantur. Primo, infinita Domini nostri Jesu Christi bonitas; secundo, delectabilis ipsius speciositas; tertio, admirabilis ipsius caritas; quarto, jucunda Dei solemnitas; quinto, fervens mulierum caritas. Primum, ibi : *Jesum.* Jesus enim interpretatur Salvator; quod enim mori voluit ut sua morte nos salvaret, infinitæ fuit utique bonitatis. Vere hodie apparuit Salvator propter tria. Primo, quia hodie nos salvavit a dæmonibus, quos hodie expoliavit. Col., II : *Expolians principatus et potestates,* etc. Secundo, quia hodie nos salvavit a morte, quam hodie debellavit. Gregorius : « Deus qui hodierna die, » etc. I Cor., XII : *Absorpta est mors in victoria.* Hodie enim victoriosus Christus victa morte resurrexit. Tertio, quia salvavit nos de inferno, quem hodie catenavit. Psal. CXI : *Contrivit portas æreas, et vectes ferreos confregit,* etc. Speciositas resurgentis notatur, ibi : *Nazarenus.* Nazarenus interpretatur floridus; in floribus autem pulchritudo consistit. Cant., II : *Ego flos campi, et lilium convallium.* Fuerunt autem in Christo tria genera florum : primo, flores rubei; secundo, nigri; tertio, candidi. Flores rubei sunt guttæ sanguinis; nigri, livores vulnerum; candidi, splendores glorificati corporis. De primo et tertio, Cant., V : *Dilectus meus candidus et rubicundus.* De secundo, I Petr., II : *Cujus livore sanati sumus.* Fuit ergo Jesus totus floridus, quia circumdatus rosis, id est guttis sanguinis; ornatus violis, id est livoribus vulneris; vallatus liliis, id est splendoribus glorificati corporis. Cant., II : *Flores apparuerunt in terra nostra.* Caritas resurgentis, ibi : *crucifixum.* Hæc enim vere fuit inæstimabilis dilectio caritatis, quam nullus hominum capere potuit. Ephes., III : *Scire etiam supereminentem scientiæ caritatem Christi,* etc.; Joan., XV : *Majorem hac dilectionem nemo habet ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Voluit autem mori morte crucis, maxime propter tria. Primo, ut se mortuum vere fuisse, et per hoc vere resurrexisse, manifeste omnibus demonstraret. Omnibus enim patuit quod fuit vere mortuus, cum crux in alto posita eum mortuum demonstraret. Secundo, ut sicut arbor mortis fructum produxerat, sic arbor fructus vitæ suæ omnes vivificaret. Gregorius : « Qui salutem humani generis in ligno crucis constituisti, ut unde mors oriebatur, inde vita resurgeret. » Tertio, ut de diabolo, qui hominem per lignum vicerat, per lignum similiter triumpharet. Gregorius : « Et qui in ligno vincebat, per lignum quoque vinceretur, » etc. Quartum, scilicet præsentis diei festivitas, notatur, ibi : *Resurrexit.* Resurrectio enim dominica fecit nobis hunc diem solemnitatis et lætitiæ. Psal. CXVI : *Hæc dies quam fecit Dominus.* Fecerunt istum diem solemnem tria. Primo, cœlum angelum transmittendo. Matth., XXVIII : *Angelus Domini descendit de cœlo,* etc. Secundo, terra, præ gaudio exultando. Matth., XXVIII : *Et ecce terræmotus factus est magnus.* Tertio, infernus, sanctos restituendo. Matth., XXVII : *Multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt.* Ergo cœlum, terra, infernus testimonium reddiderunt resurrectionis Jesu Christi. Quintum, scilicet mulierum caritas, notatur ibi : *quæritis.* Docent autem non istæ sanctæ mulieres quærere Jesum exemplo suo, si volumus eum invenire. Quæritur Jesus tripliciter. Primo, fide; secundo, spe; tertio, caritate. *Glossa* super illud Matth., VI : *Primum quærite regnum Dei,* dicit quod « scilicet Christus est quærendus fide, spe et caritate. » Fide quærit eum rationalis, quæ quærit lucem suæ veritatis; spe quærit eum irascibilis, quæ quærit gloriam suæ majestatis; caritate quærit eum concupiscibilis, quæ quærit dulcedinem suæ bonitatis. Istæ sunt tres Mariæ, de quibus dicitur in evangelio hodierno. Dominus Jesus faciat nos quærere et invenire. Amen.

Hæc dies quam fecit Dominus. Quære inter festivos. *Surrexit Dominus vere.*

SERMO LXI.

In feria secunda post Pascha, ex Evangelio.

De Jesu Nazareno, qui fuit vir propheta, potens in opere et sermone, etc., Luc., ult. In istis verbis tria dicuntur de Domino Jesu Christo. Primo, benigna ipsius bonitas, ibi : *De Jesu Nazareno;* secundo, ipsius potentia, ibi : *qui fuit potens in opere;* tertio, ipsius sapientia, ibi : *sermone.*

Secundum membrum prosequeris. Circa quod notandum quod quatuor sunt opera Christi, in quibus apparuit potentia ejus. Primum opus ejus est opus creationis. Psal., CIII : *Omnia in sapientia fecisti,* id est in Filio. In isto opere apparuit potens tripliciter. Primo, secundum materiam, quia de nihilo fecit omnia. Gen., I : *In principio creavit Deus cœlum et terram.* Creare est de nihilo aliquid facere. Secundo secundum modum, quia verbo fecit omnia. Psal. CXLVIII : *Dixit et facta sunt.* Tertio, secundum causam, quia magna fecit. Psal. CXI : *Magna opera Dei.* Sapient., VIII : *A magnitudine speciei et creaturæ cognoscibiliter poterit creator horum videri.* Secundum opus ejus fuit opus recreationis, in quo apparuit potens tripliciter. Primo, in passione; secundo, in resurrectione; tertio, in ascensione. In passione apparuit potens, quia potestates aereas debellavit. Coloss., I : *Expolians principatus et potestates, traduxit confitenter palam triumphans illos in semetipso.* In resurrectione apparuit potens, quia propria virtute de morte triumphavit. I Corinth., III : *Absorpta est mors in victoria.* In ascensione apparuit potens, quia propria virtute ad cœlos transvolavit. Lucæ, ult. : *Elevatis manibus suis, benedixit eis: et factum est, dum benediceret illis, recessit ab eis, et ferebatur in cœlum.* Tertium opus fuit opus admirationis, scilicet opus miraculorum, in quo apparuit potens tripliciter. Primo, quia fecit multa magna miracula. Matth., II : *Cæci vident, claudi ambulant,* etc. Secundo, quia fecit sola verbi potentia. Matth., VIII : *Qualis est hic, quia venti et mare obediunt ei?* Tertio, quia faciebat auctoritate propria. Marc., I : *In potestate spiritibus immundis imperabat, et obediebant ei.* Quartum opus ejus erit opus retributionis. Psalm. XVIII : *Opera manuum ejus veritas et judicium.* In isto opere apparebit potens tripliciter. Primo, in omnium creaturarum commotione. Sapient., V : *Armabit creaturam ad ultionem inimicorum.* Secundo, in mortuorum resurrectione. I Corinth., XV : *Canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti.* Tertio, in reproborum et dæmonum condemnatione. Matth., XXV : *Tunc dicet his qui a sinistris ejus erunt : Discedite a me.*

Patet ergo quod timendus est Dominus qui tantam habet potentiam. Jerem., V : *Me ergo non timebitis, et a facie mea non dolebitis?*

Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, I Joan., V, require inter festivos in festo Trinitatis, etc.

SERMO LXII.

De dominica in octava Paschæ, ex Epistola.

Tres sunt qui testimonium dant en terra, spiritus, sanguis et aqua, I Joan., V. Necesse est quod credamus Christum Deum verum, et verum hominem ; et ideo voluit Christus multis testimoniis probare quod esset Deus et homo; utrumque habemus hic. Scilicet de testimonio divinitatis ejus dicit supra : *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo.* De testimonio humanitatis dicit hic : *Tres sunt qui testimonium dant in terra.*

Circa primum notandum quod duodecim testimonia habuit Christus quod esset verus Deus. Primo, testificatus est Pater; secundo, Filius; tertio, Spiritus sanctus; quarto, miraculorum operatio; quinto, sancti ; sexto, angeli ; septimo, cœlum ; octavo, aer ; nono, aqua ; decimo, terra ; undecimo, infernus ; duodecimo, ignis.

Quære omnia in dominica infra octava Ascensionis.

Circa secundum notandum quod triplex testimonium ponit hic beatus Joannes de humanitate ejus, in quibus maxime apparuit caritas ejus ad nos. Primum, fuit sanguinis effusio ; secundum, aquæ emanatio ; tertium, spiritus emissio. De primis duobus Joan., XX : *Et continuo exivit sanguis et aqua.* De tertio, Matth., XXVII : *Et inclinato capite emisit spiritum,* etc. In sanguinis effusione quinque bona nobis fecit.

Quære in dominica de Passione.

Circa secundum notandum quod triplicem aquam dedit nobis Dominus Jesus. Primo, aquam baptismi ad peccatorum ablutionem. Ezech., xxviii : *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini.* Secundo, aquam sapientiæ ad sitis spiritualis extinctionem. Eccli., xv : *Aqua sapientiæ salutaris potavit illum.* Joan., iv : *Si quis biberit ex aqua hac, non sitiet in æternum.* Augustinus dicit : « Si quis biberit de aqua paradisi, de quo una gutta major est quam oceanum, restat ut in eo extinguatur sitis cupiditatis mundanæ. » Tertio aquam Spiritus sancti ad refrigerationem. Joan., vii : *Si quis sitit, veniat ad me, et bibat. Qui credit in me sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dicebat de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum.*

Circa tertium notandum quod emisit spiritum ad tria. Primo, ut nos vivificaret. Joan., x : *Ego animam meam pono pro ovibus meis.* Secundo, ut sanctos de inferno liberaret. Spiritus enim Christi cum divinitate descendit ad inferos, et eduxit sanctos, qui tunc erant ibi. Zach., ix : *Tu quoque in sanguine testamenti eduxisti vinctos tuos de lacu.* Tertio, ut emittendi spiritum nobis exemplum daret. Quicumque enim sequi Christum desiderat, oportet quod omnino relinquat spiritum suum. Luc., ix : *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum.* II Cor., v : *Pro omnibus mortuus est Christus, ut qui vivunt jam non sibi vivant, sed ei qui pro omnibus mortuus est.* Qui sic moritur, veniet ad vitam ubi nullus moritur, ad quam nos conducat Christus vita nostra. Amen.

SERMO LXIII.

De dominica in octava Paschæ, ex Evangelio.

Pax vobis, Joan., xxi. In isto evangelio invenitur quod tripliciter obtulit Dominus pacem discipulis suis, ad demonstrandum quod tripliciter est nobis necessaria. Primo, cum Deo, de qua Joan., xvi : *In mundo pressuram habebitis, in me autem pacem.* Secundo, pax in nobis, de qua Job, v : *Et scies quod pacem habeat tabernaculum tuum.* Bernardus : « Pax vobis a vobis sit ; et quicquid exterius minari videtur, non timebitis, quia non nocebit. » Tertio, pax cum proximis est necessaria. Rom., xii : *Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes.*

Circa primam pacem, notandum quod tria sunt ei necessaria qui vult habere pacem cum Deo. Primo, Deum timeat. Eccli., i : *Corona sapientiæ timor Domini, replens pacem, et salutis fructum.* Item in eodem : *Timor Domini expellit peccatum.* Secundo, ut in eodem spem suam habeat. Isa., xxvi : *Facies pacem nobis, quia in te speravimus.* Tertio, ut mandatis ejus obediat. Isa., xlviii : *Utinam attendisses mandata mea ; facta fuisset sicut flumen pax tua,* etc.

Circa secundam pacem, nota quod tria sunt necessaria homini qui vult habere pacem secum. Primo, ut Deo se totum subjiciat. Job, xxii : *Acquiescito ei, et habeto pacem.* Secundo, ut bonam voluntatem semper custodiat. Luc., iii : *Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Tertio, ut omnes motus animi et corporis secundum prudentiam spiritus regat. Roman., viii : *Prudentia spiritus, vita et pax.* Matth., v : *Beati pacifici. Glossa :* « Pacifici sunt omnes qui motus animi componunt, et rationi subjiciunt, et in his non repugnat. »

Circa tertiam pacem, nota quod tria sunt homini necessaria qui vult habere pacem cum proximis. Primo, ut quæ placita sunt Deo, faciat. Prov., xvi : *Cum placuerint Domino viæ hominis, inimicos quoque ejus convertet ad pacem.* Secundo ut nulli injuriam faciat. II Cor., vi : *Nemini dantes ullam offensionem.* Psal. cxviii : *Pax multa diligentibus legem tuam.* Lex Dei est ut quæ nolumus fieri nobis, aliis ne faciamus ; quæ autem nobis fieri volumus, similiter aliis faciamus. Tertio, ut omnibus benefaciat. Rom., ii : *Gloria honor, pax omni homini operanti bonum.*

Sunt autem tria quæ maxime destruunt pacem. Primo, superbia. Job, ix : *Quis restitit ei, et pacem habuit?* Secundo, iracundia. Eccli., xxviii : *Homo iracundus incendit litem, et vir peccator turbat amicos, et in medio pacem habentium mittet inimicitias.* Tertio, quælibet iniquitas. Isa., xxviii : *Non est pax impiis, dicit Dominus.*

Debet ergo ille ista tria removere qui vult pacem habere in præsenti cum Domino, secum et cum proximo, et pacem æternitatis in futuro, ad quam perducat nos Dominus, etc.

SERMO LXIV.

De dominica prima post octavam Paschæ, ex Epistola.

Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus, I Petr., II. In ista epistola quatuor notantur. Primo, notatur Domini nostri innocentia, ibi : *Qui peccatum non fecit;* secundo, maxima ipsius patientia, ibi : *Cum pateretur, non comminabatur ;* tertio, ineffabilis ipsius caritas, ibi : *Qui peccata nostra ipse portavit in corpore suo super lignum*, etc.; quarto, multiplex ex his tribus nostra utilitas, ibi : *Cujus livore sanati sumus.*

Circa primum notandum quod ejus innocentia ostenditur in tribus. Primo, quia peccatum non fecit. Hebr., VII : *Talis decebat ut esset nobis pontifex, sanctus, innocens,* etc. Secundo, quia nullum decepit, ibi : *Nec inventus est dolus in ore ejus.* II Cor., I : *Dei enim Filius Jesus Christus, qui in vobis per nos prædicatus est, per me, et Sylvanum, et Timotheum, non fuit in illo Est et Non, sed Est in illo fuit,* etc. Tertio, quia nulli injuriam intulit, ibi : *Qui cum malediceretur, non maledicebat.* Isa., XLIII : *Quasi agnus coram tondente se obmutescet*, etc.

Circa secundum notandum quod ejus potentia ostenditur in tribus. Primo, quia passioni se sponte obtulit, ibi : *Tradebat autem judicanti se injuste.* Isa., LIII : *Oblatus est quia ipse voluit.* Secundo, quia injuste judicatus, patientissime sustinuit, ibi : *Judicanti se injuste ;* hæc enim est vera patientia, quando quis injuste judicatus, hilariter sustinet. Joan., X : *Multa bona opera ostendi vobis : propter quod horum me vultis occidere?* I Petr., II : *Hæc enim est gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias patiens injuste.* Tertio, quia nec crucifigentibus minas intulit, ibi : *Cum pateretur, non comminabatur.* Jerem., XI : *Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam;* pro eis oravit, Isa., LIII : *Et pro transgressoribus rogavit,* ut non perirent.

Circa tertium similiter notandum quod ostenditur caritatem ejus magnam fuisse in tribus. Primo, quia peccata nostra ipse abstulit. Joan., I : *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Secundo, in modo oblationis, quia in corpore suo pœnas peccatorum nostrorum ipse pertulit, ibi : *In corpore suo.* Isa., LIII : *Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras,* etc. Tertio, quia tam crudelem mortem pro peccatis nostris auferendis sustinuit, ibi : *super lignum,* id est crucem. Phil., II : *Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.*

Circa quartum ostendit quod triplicem utilitatem contulit nobis mors Christi. Primo, quia nos liberavit a malo culpæ, ibi : *pro peccatis mortuus,* Tit., II : *Dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate*, etc. Secundo, quia restituit nobis bonum gratiæ, ibi : *Justitiæ vivamus.* Rom., V : *Sicut per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obeditionem justi constituentur multi.* Joan., I : *Et de plenitudine ejus omnes accepimus, gratiam pro gratia.* Tertio, ostendit quod servavit nos a corruptione, ibi : *Cujus livore sanati sumus.* Isa., LIII : *Vere languores nostros ipse tulit.*

Ista sunt tria vestigia, in quibus debemus illum sequi. Primo, in innocentiæ puritate. Lev., II : *Sancti estote, quia ego sanctus sum.* Matth., V : *Beati mundo corde.* I Petr., I : *Et ipsi sancti in omni conversatione sitis, quoniam scriptum est : Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum.* Lev., II : *Sanctificamini, et estote sancti, quoniam sanctus sum ego, dicit Dominus.* Secundo, in patientiæ firmitate. Luc., XXI : *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Hebr., XII : *Recogitate eum qui talem adversus semetipsum sustinuit contradictionem.* Tertio in caritate. Joan., XV : *Hoc est præceptum meum ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Job, XXX : *Vestigia ejus secutus est pes meus,* etc. Qui sequitur eum per ista vestigia, perveniet ad æternæ beatitudinis gaudia. Joan., VIII : *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris*, *sed habebit lumen vitæ*, ad quod nos perducat Christus lux et vita. Amen.

Christus passus est pro nobis, etc. Duo notantur hic. Primo, magna Christi patientia, ibi : *Christus passus est;* secundo, de passione ipsius utilitas, ibi : *pro nobis.*

De passione Christi, quære in dominica de Ramis palmarum; de utilitate, in dominica de Passione, etc.

SERMO LXV.

De eadem dominica, ex Evangelio.

Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis, Joan., x. In istis verbis tria notantur. Primo, magna Domini nostri Jesu Christi bonitas, ibi : *Bonus pastor;* secundo, magna ipsius caritas, ibi : *animam suam dat;* tertio, electorum ipsius sanctitas vel bonitas, ibi : *pro ovibus suis.*

Circa primum sciendum quod Christus dicitur bonus pastor propter tria. Tria enim sunt officia boni pastoris. Primum est oves defendere ; secundum est in bonis pascuis tenere et pascere; tertium est errantes requirere. Sic Dominus noster Jesus Christus primo oves suas defendit a leonibus, id est dæmonibus; a lupis id est tyrannis; ab ursis, id est hæreticis. Ezech., xxiv : *Pro eo quod facti sunt greges mei in rapinam, et oves meæ in devorationem omnium bestiarum;* et post : *Liberabo gregem meum.* Joan., x : *Non peribunt in æternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea.* Secundo, oves suas in prato Scripturæ, gratiæ et gloriæ pascit. Ezech., xxxiv : *In pascuis uberrimis pascam eas, et in montibus excelsis Israel erunt pascuæ earum.* Errantes sollicite requirit. Luc., xv : *Quis ex vobis homo qui habet centum oves, et si perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deserto, et vadit ad illam quæ perierat, donec inveniat eam?* Ezech., xxxiv : *Et ecce ego ipse requiram oves meas*, etc.

Circa secundum notandum quod tria nobis dedit Christus, in quibus apparuit magna ejus caritas. Primo, corpus in cibum. Matth., xxvi : *Accipite, et manducate : hoc est corpus meum.* Secundo, sanguinem in potum. Matth., xxvi : *Accipite, et bibite ex hoc omnes : hic est enim sanguis meus.* Tertio, animam in pretium. I Joan., iii : *In hoc cognovimus caritatem Dei, quia animam suam pro nobis posuit.* Joan., x : *Animam meam pono pro ovibus meis.*

Circa tertium notandum quod tres sunt actus bonitatis. Primus est nulli nocere. II Cor., vii : *Nemini dantes ullam offensionem.* Secundus est injurias patienter ferre. Rom., xi : *Nulli malum pro malo reddentes,* etc. Tertius est sua et se omnibus libenter tribuere. Dionysius : « Bonum est suiipsius diffusivum. » I Joan., iii : *Et nos debemus pro fratribus animas ponere.* Propter hæc tria dicuntur sancti oves. Primo, quia oves nemini injuriam faciunt; secundo, quia mansuete mala sufferunt; tertio, quia se et sua ad usum hominum tribuunt. Qui sic sunt oves Christi, pervenient sine dubio ad ovile Christi, quod est cœleste regnum. Matth., xxv : *Statuet oves quidem a dextris,* etc.; et post : *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum,* ad quod nos perducat. Amen.

SERMO LXVI.

De dominica secunda, ex Epistola.

Obsecro vos tanquam advenas et peregrinos abstinere vos a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam, etc., I Petr., ii. Quatuor notantur in verbis istis. Primo, indicitur carnalium vitiorum abstinentia, ibi : *Abstinete vos a carnalibus desideriis;* secundo, ostenditur abstinentiæ necessitas, ibi : *quæ militant adversus animam;* tertio, præcipitur conversationis honestas, ibi : *Conversationem inter gentes habentes bonam;* quarto, subjungitur bonæ conversationis utilitas, ibi : *Ut in eo quod detrectant de vobis tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Dominum in die visitationis.*

Circa primum notandum quod tria sunt genera desideriorum, a quibus Scriptura præcipit abstinere. Primo, a desideriis sæcularibus ; secundo, a desideriis nocivis et inutilibus ; tertio, a desideriis carnalibus. Desideria sæcularia sunt cum desiderantur honores sæculares. Tit., ii : *Apparuit gratia Salvatoris nostri omnibus hominibus erudiens nos ut abnegantes impietatem et sæcularia desideria, sobrie et juste et pie vivamus in hoc sæculo.* Desideria nociva sunt cum desiderantur divitiæ temporales. I Tim., vi : *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem,* etc. Desideria carnalia sunt cum desiderantur delectationes carnales. Rom., xvi : *Carnis curam ne feceris in desideriis.*

Circa secundum notandum quod carnalia desideria tripliciter militant adversus animam, et ideo habemus necesse abstinere ab eis. Primo, militant adversus eam continue impugnando. Job, vi : *Militia est vita*

hominis super terram. Tota vita hominis est quasi pugna quædam. Secundo, mortaliter per culpam vulnerando. Prov., xxi : *Desideria occidunt pigrum, noluerunt manus ejus quicquam operari.* Tertio, æternam perditionem et interitum infligendo. I Tim., vi : *Desideria multa inutilia, quæ mergunt homines in interitum ;* desideria enim carnalia occidunt per culpam hic, et in futuro occidunt per mortem æternam.

Circa tertium notandum quod bona conversatio consistit in tribus. Primo, in mentis puritatate. II Cor., i : *Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ, quod in simplicitate cordis, et sinceritate Dei, et non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conversati sumus in hoc mundo.* Secundo, in morum honestate, sive sanctitate. II Petr., iii : *Cum igitur omnia solvenda sint, quales nos oportet esse in sanctis conversationibus et pietatibus, expectantes, et properantes in adventum diei Domini.* Tertio, in cœlestium gaudiorum continua aviditate. Philip., iii : *Nostra conversatio in cœlis est.*

Circa quartum notandum quod tripliciter ponit utilitatem de bona conversatione. Prima est detractorum confutatio vel cohibitio, ibi : *In eo quod detractant de vobis.* I Petr., ii : *Hæc est voluntas Dei, ut benefacientes, obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam.* Secundo, honorificatio, ibi : *Ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum in die visitationis.* Matth., v : *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.* Tertio, magna bene conversantium remuneratio, ibi : *In die visitationis. Glossa,* ibi : *In die visitationis,* id est in tempore retributionis. Quanta sit gloria donanda nobis, solus Deus cognoscit, ad quam nos perducat Dominus Jesus. Amen.

SERMO LXVII.

Ad idem, ex Evangelio.

Mundus gaudebit, vos autem contristabimini ; sed tristitia vestra vertetur in gaudium, Joan., xvi. Tria notantur in istis verbis. Primo, mundanorum stultitia, ibi : *Mundus gaudebit.* Eccle., ii : *Risum reputavi errorem, et dixi gaudio : Quid frustra deciperis ?* Secundo, sanctorum sapientia, ibi : *Vos autem contristabimini.* Eccle., vii : *Cor sapientis ubi tristitia, cor stultorum ubi lætitia.* Tertio, futura sanctorum lætitia, ibi : *Tristitia vestra vertetur in gaudium.* Luc., vi : *Beati qui lugetis, quoniam gaudebitis,* etc.

Circa primum notandum quod tria ostendunt lætitiam mundanorum esse stultam. Primo, tempus, quia modo non est tempus gaudendi, sed flendi. Eccle., iii : *Tempus flendi, et tempus ridendi.* Præmittit tempus flendi, subjungit tempus ridendi, ut ostenderet quod tempus flendi est præsens, et futurum erit ridendi ; unde quidam : *Nunc est tempus flendi, nunc tempus peccata lugendi.* Secundo, locus ; quia mundus iste locus est tristitiæ, et non lætitiæ. Ps. lxxxiii : *Ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum, in loco quem posuit.* Judic., ii : *Angelus Domini ascendit de Galgala ad locum flentium.* Tertio, causa, quia gaudent de malis. Proverb., ii : *Lætantur cum male fecerint, et exultant in rebus pessimis.* Satis ergo patet quod stultum est gaudium mundanorum, cum gaudeant in tempore tristitiæ, in loco miseriæ, in perpetratione malitiæ. Augustinus : « Quid est sæculi gaudium ? Breviter dicam, impudicitia, nequitia, inspectabiliter nugari, turpitudinem facere, ebriositate ingurgitari. »

Circa secundum notandum quod est sapientiæ tristari, propter tria. Primo, quia per tristitiam corripitur hominis malitia. Eccle., vii : *Per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis.* Secundo, quia per momentaneam tristitiam evadit homo æterna supplicia Gregorius : « Sancti præsentem vitam lucrum putant, quia per hanc æternam evadere non ignorant. » Nahum, i : *Afflixi te, et non affligam te amplius.* Tertio, quia per modicam tristitiam acquirunt æterna gaudia. II Corinth., iv : *Id enim quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt ; quæ non videntur, æterna.*

Circa tertium notandum quod futura sanctorum lætitia dicitur esse in tribus. Primo, in divinæ præsentiæ consolatione, ibi : « Iterum autem videbo vos. » Augustinus in lib. *De civitate Dei :* « Primum erit ipse Deus, qui erit omnia in omnibus, qui erit nobis salus, honor et gloria, pax et gaudium et omnia bona. » Gen., xiv : *Ego merces tua magna nimis.* Secundo, in summa

cordis exultatione, ibi : « Et gaudebit cor vestrum. » Isa., xxxv : *Gaudium et lætitiam obtinebunt.* Tertio, in æternitatis assecutione, ibi : *Gaudium vestrum nemo tollet a vobis.* Isa., xv : *Venient in Sion cum laude; et lætitia sempiterna super capita eorum.* Ad quam lætitiam perducat nos Christus. Amen.

SERMO LXVIII.

De dominica tertia, ex Epistola.

Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, Jacobi, I. Apostolus Jacobus monet nos in istis verbis ut proniores simus ad audiendum quam ad loquendum, et debent nos ad hoc movere tria. Primo, naturæ documentum ; secundo, nocumentum ; tertio, emolumentum. Natura tripliciter docet nos ut plus audiamus quam loquamur. Primo, quia natura dedit homini duplex instrumentum audiendi, et tantum unum loquendi ; ut hoc ipso ostendatur quod in duplo homo debet audire quam loqui. Secundo, quia natura dedit pluribus animalibus auditum, loquelam non dedit nisi homini animali rationali, ut ex hoc ostenderetur quod locutio debet esse rationalis. Col., IV : *Sermo vester semper sit sale conditus.* Tertio, quia natura dedit instrumenta audiendi semper aperta, sed instrumentum loquendi clausit sub duobus claustris vel muris; homo enim semper habet aures apertas, sed linguam clausam sub labiis et dentibus ; est enim lingua quasi mala monacha, et ideo reclusit illam Deus sub pluribus claustris. Michææ, VII : *Custodi claustra oris tui.*

Circa secundum sciendum quod triplex nocumentum provenit ex multa locutione. Primo, malum culpæ. Prov., x : *In multiloquio non deerit peccatum.* Secundo, malum pœnæ. Eccl., xx : *Qui multis utitur verbis, affligit animam suam.* Tertio malum infamiæ. Prov., XVIII : *Qui respondet antequam audiat, stultum se esse demonstrat, et dignum confusione.* » De his tribus, Jac., III : *Lingua enim est universitas iniquitatis,* ecce primum ; *Lingua est inquietum malum, plena veneno mortifero,* ecce secundum ; *Lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus,* ecce tertium.

Circa tertium notandum quod triplex utilitas provenit homini qui multum audit et parum loquitur. Primo, bona gratiæ. Eccli., XXXII : *Audi tacens, et pro reverentia accedet tibi bona gratia.* Secundo, bona sapientiæ. Eccli., VI : *Si inclinaveris aurem tuam, excipies doctrinam.* Tertio, jucunditas mentis et tranquillitas. Prov., XXXI : *Qui custodit os suum et linguam suam, custodit ab angustiis animam suam,* etc.

SERMO LXIX.

De dominica quarta, ex Epistola.

Si quis putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio, Jacob., I. In istis verbis monet beatus Jacobus ad refrenationem linguæ. Sunt autem tria quæ debent movere ad refrenandam linguam. Primo, quia qui non refrenat linguam suam cadit in multa peccata. Secundo, quia multa mala pœnæ incurrit. Tertio, quia qui refrenat linguam suam, multa bona acquirit. De primo, Proverb., III : *In multiloquio peccatum non deerit.* De secundo, Eccli., xx : *Qui multis utitur verbis, affligit animam suam.* De tertio, Prov., XVIII : *Qui respondet priusquam audiat, stultum se esse demonstrat.*

Circa primum notandum quod Scriptura ponit multas linguas, per quas significantur diversa peccata quæ committuntur per linguam, et tales linguæ sunt refrenandæ. Prima est lingua dolosa, quæ est in duplicibus et proditoribus. Psal. CXIX : *Libera me a lingua dolosa.* Jer., IX : *Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta est; in ore suo pacem cum amico suo loquitur, et in occulto ponit ei insidias.* Secunda est lingua magniloqua, quæ est in superbis et arrogantibus. Psal. II : *Disperdat Dominus universa labia dolosa, et linguam magniloquam.* Tertia est lingua serpentina et venenosa, quæ est in invidis et detractoribus. Psalm. CXXXIX : *Acuerunt linguas suas sicut serpentis, venenum aspidum sub labiis eorum.* Quarta est lingua mendax in perjurantibus, mentientibus et falsis testibus. Prov., XVI : *Sex sunt quæ odit Dominus, oculos sublimes et linguam mendacem,* etc. Quinta est lingua blanda, quæ est in mentientibus. Prov., VI : *Ut custodias te a muliere mala, et a blanda lingua extraneæ.* Sexta est lingua tertia, quæ est in lenis et lenonibus. Eccli., XXVIII : *Lingua tertia mulieres viratas ejecit, et privavit illas laboribus suis.* Prima lingua in opere luxuriæ est hominis diligentis mu-

lierem; secunda mulieris dilectæ; tertia est lingua nuntii vel nuntiæ portantis verba dilecti ad dilectam, et dilectæ ad dilectum. Septima est lingua iniqua, quæ est in adulatoribus. Prov., XIV: *Malus obedit linguæ iniquæ.* Lingua iniqua est quando facit malum adulatoribus provocantibus. Octava est lingua gladiosa, quæ est in iracundis et furiosis, qui conviciis et opprobriis occidunt multos. Psalm. LVI: *Filii hominum, dentes eorum arma et sagittæ, et lingua eorum gladius acutus.* Nona lingua fallax, quæ est in malis mercatoribus et deceptoribus, qui fallunt simplicem, merces suas mendaciis præcommendando, vel falsis ponderibus, numeris et mensuris decipiendo. Proverb., XXVI: *Lingua fallax non amat veritatem,* id est Christum, *et os lubricum operatur ruinas,* scilicet corporis et animæ. Prov., XXI: *Qui congregat thesauros lingua mendacii,* scilicet in operatione, *vanus et excors,* id est sine corde et discretione, *et impingit ad laqueos mortis,* scilicet velit, nolit. Decima est lingua blasphema, quæ est in eis qui Deum et sanctos suos blasphemant. Undecima est lingua acharis, id est sine gratia, quæ est in histrionibus et derisoribus, et in eis qui verba otiosa libenter loquuntur. Eccli., XX: *Homo acharis quasi fabula vana.*

Circa secundum notandum quod multas pœnas incurrit homo qui non refrenat linguam suam. Primum est ruina. Prov., XII: *Propter labiorum peccata ruina proximat malo.* Eccle., X: *Labia stulti præcipitabunt eum.* Secundum est, quia nihil habere potest in vita ista prosperum. Psal. CXXXIX: *Vir linguosus non dirigetur in terra.* Tertium, labor. Quartum, dolor. Psal. IX: *Sub lingua eorum labor et dolor.* Quintum, ipsius perversa destructio loquentis. Sextum, ipsius de vita æterna repulsio. Psal. LI: *Dilexisti omnia verba præcipitationis lingua dolosa: propterea Deus destruet te,* etc. Septimum est ipsius malæ linguæ arefactio. Isa., XLI: *Lingua eorum siti exaruit.* Octavum, ejus denique malæ linguæ in igne infernali cruciatio. Luc., XVI: *Mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Nonum, ejusdem linguæ commanducatio. Apoc., XVI: *Commanducabunt linguas suas præ dolore.* Decimum est mors æterna. Prov., XVIII: *Mors et vita in manu linguæ,* id est in operatione vel operibus linguæ. Qui refrenat linguam suam habebit vitam æternam; qui non, habebit mortem æternam, Undecimum, sentiet omne malum. Proverb., XVII: *Qui vertit linguam suam,* scilicet nigrum in candidum vertit ad libitum audientiæ, *incidet in malum,* scilicet gehennæ. Prov., XIII: *Qui custodit os suum, custodit animam suam; qui autem inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala,* scilicet æterna.

Circa tertium notandum quod multa bona contingunt ex refrenatione linguæ. Primum est vitæ perfectio. Jac., III: *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir.* Secundum est mentis in Deum elevatio. Thren., III: *Sedebit solitarius, et tacebit,* etc. Tertium est vitæ æternæ acquisitio. Psal. XXXIII: *Quis est homo qui vult vitam, diligit dies videre bonos? Cohibe linguam tuam a malo,* etc.

SERMO LXX.

De dominica quarta, ex Evangelio.

Arguet mundum de peccato, de justitia et de judicio. Joan., XVII. In istis verbis tria ponuntur, de quibus sanctus Spiritus arguet mundanos. Primo, arguet de peccato, quod non debent facere; secundo, de justitia, quam debent facere; tertio, de judicio, quod debent expavescere. Primum, ibi: *de peccato;* secundum, ibi: *de justitia;* tertium, ibi: *de judicio.*

Circa primum notandum quod peccatum fugiendum est propter multa, sed maxime propter tria magna mala quæ facit homini. Primo, quia ponit hic peccatores in multa miseria. Proverb., XIV: *Miseros facit populos peccatum.* Secundo, quia privat hominem æterna gloria. Isa.: *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei.* Tertio, quia ducit hominem ad æterna supplicia. Matth., XXV: *Ibunt hi in supplicium æternum.*

Circa secundum notandum quod justitia est facienda maxime propter tria. Primo, quia ponit hic hominem in multa lætitia. Psal. XVIII: *Justitiæ Domini rectæ, lætificantes corda.* Secundo, quia liberat hominem a morte perpetua. Prov., II: *Justitia,* scilicet opera justitiæ, *liberabit a morte,* scilicet æterna. Prov., XXV: *Qui sequitur justitiam et misericordiam, inveniet vitam.* Tertio, quia ducit hominem ad æterna gaudia. Matth., XV: *Justi autem ibunt in vitam æternam.*

Circa tertium notandum quod futurum

judicium maxime est timendum propter tria. Primo, propter judicis æquitatem. Ps. VII : *Deus judex justus fortis et patiens.* Secundo, propter judicis severitatem. Judith, VI : *In die judicii visitabit illos, et dabit ignes et vermes in carnes eorum.* Tertio, propter sententiæ irrevocabilitatem. Matth., XXV : *Discedite a me maledicti in ignem æternum.* Æternum dicitur quod finem non habet, a quo igne liberet nos Deus. Amen.

SERMO LXXI.

De eadem dominica, ex Evangelio.

Cum venerit Paraclitus, ille arguet mundum, Joan., XV. Dupliciter arguit Dominus peccatores : in præsenti et in futuro. In præsenti tripliciter. Primo, per luminis Spiritus sancti infusionem, ut dicitur Ephes., V : *Omne quod arguitur, a lumine manifestatur.* Secundo, per prædicationem. Judæ, I : *Illos autem redarguite judicatos.* I Tim., IV : *Argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina.* Tertio, per conscientiæ remorsionem. Job, XIII : *Verumtamen vias meas in conspectu ejus arguam;* et Psal. XLIX : *Arguam te, et statuam contra faciem tuam,* id est conscientiam tuam. In futuro tripliciter redarguentur peccatores. Primo, arguet eos sua malitia seipsam manifestando. Jer., II : *Arguet te malitia tua.* Secundo, omnis creatura eos increpando. Sap., V : *Pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.* Tertio, arguet eos Christus, justissime condemnando in causam. Judæ, I : *Ecce venit Deus in sanctis millibus suis facere judicium contra omnes, et arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impie egerunt.* Arguet autem tripliciter. Primo, in æquitate, nullatenus a justitia declinando. Isa., XI : *Arguet in æquitate pro mansuetis terræ.* Secundo, in furore, sævissime impios puniendo. Psal. VI : *Domine, ne in furore tuo arguas me.* Tertio, arguet universaliter, nulli impio indulgendo. Judæ, II : *Ecce venit Dominus cum sanctis millibus suis facere judicium contra omnes, et arguet omnes impios,* a qua argutione liberet nos Deus. Amen.

SERMO LXXII.

Ad idem, ex Evangelio.

Exivi a Patre, et veni in mundum; iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem, Joan., XVI. Quatuor ponit in verbis istis. Primo, suum a Patre exitum, ibi : *Exivi a Patre.* Exire suum a Patre fuit se visibilem facere. Secundo, suum in mundum adventum, ibi : *et veni in mundum.* Tertio, suum a mundo discessum, ibi : *iterum relinquo mundum.* Quarto, suum ad Patrem ascensum, ibi : *et vado ad Patrem.*

Circa primum notandum quod Christus exivit a Patre propter tria. Primo, ut eum mundo manifestaret. Joan., I : *Deum nemo vidit unquam : Unigenitus qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Secundo, ut ejus voluntatem nobis declararet. Joan., XV : *Omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis.* Tertio, ut ejus caritatem nobis manifestaret. Joan., III : *Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret.*

Circa secundum notandum quod venit in mundum propter tria. Primo, ut ipsum illuminaret. Joan., VIII : *Ego sum lux mundi.* Secundo, ut ipsum Deo Patri reconciliaret. II Cor., V : *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum; et posuit in nobis verbum reconciliationis.* Tertio, ut eum a potestate diaboli liberaret. Joan., XII : *Nunc judicium est mundi, nunc princeps mundi hujus ejicietur foras,* etc. Idem, III : *Non enim misit Deus Filium suum in mundum ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.*

Circa tertium notandum quod deseruit mundum Christus propter tria. Primo, propter ipsius malignitatem. I Joan., V : *Totus mundus in maligno positus est.* Secundo, propter ipsius ingratitudinis perversitatem. Joan., V : *Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit.* Quæ potuit esse major ingratitudo et perversitas quam odire eum qui venerat salvare mundum? Tertio, ut relinquendi mundum nobis exemplum daret. Joan., XX : *Vos non estis de hoc mundo; sed ego elegi vos de mundo,* I Joan., II : *Nolite diligere mundum neque ea quæ in mundo sunt.*

Circa quartum sciendum quod Christus ascendit ad Patrem propter tria. Primo, ut eum pro nobis rogaret. Joan., XIV : *Ego*

rogabo Patrem, etc. Secundo, ut Spiritum sanctum nobis destinaret. Joan., xvi : *Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos,* etc. Tertio, ut nobis locum apud Patrem pararet. Joan., xix : *Vado parare vobis locum.* Ad quem locum nos conducat, etc. Amen.

SERMO LXXIII.

In Rogationibus, ex Epistola.

Multum valet deprecatio justi assidua, Jac., v. Sex modis potest ostendi quod multum valet deprecatio justi. Primo, in comparatione ad Dominum tripliciter. Primo, quia iram mitigat. Sap., xxiii : *Proferens servitutis suæ scutum orationem,* etc. Secundo, quia quicquid ab eo petit, impetrat. Matth., xxi : *Quæcumque in oratione petieritis credentes, accipietis.* Tertio, quia inclinat eum ad hominis obedientiam. Josue, x : *Non fuit antea tam longa dies, nec postea; obediente Domino voci homini.* Secundo, in comparatione ad angelos tripliciter. Primo, quia orantibus angeli assistunt. Dan., ix : *Adhuc me in oratione loquente, ecce vir Gabriel,* etc. Secundo, quia orationes Deo offerunt. Tertio, quia exauditionem orationis referunt. De his duobus, Tob., xii : *Quando orabas cum lacrymis ....., ego obtuli orationem tuam Domino : et nunc misit me Dominus ut curarem te, et Saram uxorem filii tui a dæmonio liberarem.* Tertio, in comparatione ad eosdem tripliciter. Tria enim potest facere oratio justi hominibus, Primo, a malis liberare; secundo, veniam impetrare. De his duobus, Jac., v : *Oratio fidei salvabit infirmum; et si in peccatis sit, dimittetur ei.* Tertio, æternaliter salvare. Jac., v : *Orate pro invicem ut salvemini.* Quarto, in comparatione ad dæmones tripliciter. Primo, quia dæmones orationibus fugiunt. Psal. vi : *Discedite a me omnes qui operamini iniquitatem, quoniam exaudivit Dominus vocem deprecationis meæ;* unde de quodam dæmone dicitur in *Vitis Patrum* fugisse, quem emittebat Julianus Apostata. Secundo, quia orationes justorum eos de corde expellunt. Matth., ult : *In nomine meo dæmonia ejicient.* Tertio, quia orationibus justorum obediunt. Matth., xxi : *Amen dico vobis, si habueritis fidem et non hæsitaveritis, dicetis huic monti,* id est diabolo : *Tolle, et jacta te in mare : ita fiet.* Quinto, in comparatione ad omnes creaturas, et hoc septem modis. Primo, quia potest oratio justi solem sistere. Jos., x : *Tunc locutus est Josue Domino, dixitque : Sol contra Gabaon ne movearis, et luna contra vallem Ajalon. Steteruntque sol et luna.* Secundo, quia potest ignem de cœlo deponere. IV Reg., i : *Si homo Dei sum, descendat ignis de cœlo et devoret te.* Tertio, quia potest cœlum aereum claudere. Jac., v : *Elias homo erat similis nobis, et oratione oravit ut non plueret annos tres et menses sex.* Quarto, quia potest aquas currentes immobiles facere. IV Reg., ii : *Et dixit : Ubi est Deus Eliæ etiam nunc? et aquæ divisæ sunt huc atque illuc, et transivit Eliseus.* Quinto, quia potest fertilitatem terræ reddere. Jac., v : *Et rursum oravit, et cœlum dedit pluviam, et terra fructum suum.* Sexto, quia potest mortuos de purgatorio educere. Eccli., xlviii : *Quis potest similiter gloriari tibi, qui sustulisti mortuos ab inferis de sorte mortis in verbo Domini Dei?* Septimo, quia potest bestias ferocissimas mansuetas facere. Dan., vi : *Adduxerunt Danielem, et miserunt eum in lacum leonum : et conclusit ora leonum, et non nocuerunt mihi, quia coram eo justitia inventa est in me.* Unde sancta Lucia dixit : « Mihi si feras promittis, audito Christi nomine mansuescunt. »

Patet ergo quod magna est potentia orationis justi, quæ potentiam habet in Deo, in angelis, in dæmonibus, in cœlo, in igne, in aere, in aqua, in terra, in bestiis, et omnibus creaturis, etc.

SERMO LXXIV.

In Rogationibus, ex Epistola.

Estote prudentes, et vigilate in orationibus, I Petri, iv. Beatus Petrus in ista epistola ad tria monet. Primo, ad orationem, ibi : *Estote prudentes, et vigilate in orationibus.* Secundo, ad dilectionem, ibi : *Ante omnia mutuam in vobismetipsis caritatem continuam habentes, quia caritas operit multitudinem peccatorum.* Tertio, ad rectam intentionem, ibi : *Si quis ministrat, tanquam ex virtute quam administrat Deus.*

Circa primum tria facit. Primo, monet orare prudenter, id est fideliter, ibi : *Estote prudentes,* etc. *Glossa :* « Non deficientes a fide. » Jac., i : *Si quis indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter,* etc.

Matth., II : *Et omnia quæcumque petieritis in oratione, credite quia accipietis.* Secundo, monet orare attente, ibi : *et vigilate; Glossa :* « ne animus cogitet aliud præter id quod precatur. Cum ad orandum stamus, omnis carnalis cogitatio abscedat, adsistat intentio cordis sincera, Deum non sono vocis, sed sensu mentis oret. » Tertio, monet orare frequenter, ibi : *in orationibus.* Pluraliter dicit ut notet frequentiam orandi. Luc., XVIII : *Oportet semper orare et nunquam deficere.*

Circa secundum similiter tria facit. Primo, monet ad exhibendam dilectionem quæ est in effectu cordis, ibi : *Ante omnia mutuam in vobismetipsis caritatem continuam habentes.* Tit., V : *Finis præcepti est caritas de corde puro et conscientia bona et fide non ficta.* Secundo, ad dilectionem quæ est in effectu operis, ibi : *Hospitales invicem sine murmuratione.* Hebr., XII : *Hospitalitatem nolite oblivisci, per hanc enim placuerunt quidam angelis hospitio receptis,* etc. Tertio, ad dilectionem quæ est in affectu sermonis, ibi : *Si quis loquitur, quasi sermones Dei.* Quilibet enim tenetur proximum corde diligere, et opere subvenire, et ore docere. Hebr., III : *Videte, fratres, ne quando sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis recedendi a Deo vivo; sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec hodie cognominatur, ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati,* etc.

Circa tertium similiter tria facit. Primo, monet ut omnia bona a Deo nos habere cognoscamus, ibi : *Si quis administrat, tanquam ex virtute quam administrat Deus. Glossa :* « Eleemosynam vel quodlibet bonum opus humiliter impendat quasi a solo Deo. » Isa., XVI : *Omnia opera nostra operatus es in nobis, Domine.* Secundo, monet ut omnia ad honorem Dei faciamus, ibi : *Ut in omnibus honoretur Deus.* Matth., V : *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.* Tertio, monet nos ut gratiam et gloriam Domino referamus. I Thess., V : *Deo in omnibus gratias agite,* cui est honor, et gloria, et imperium per sæcula.

SERMO LXXV.

Ad idem, ex Epistola.

Hospitales sine murmuratione, I Petr., IV. Quatuor sunt quæ monent nos ad hospitalitatem faciendam. Primo, præceptum Domini; secundo, sanctorum exemplum; tertio, supplicium, si non fiat; quarto multiplex, si fiat, emolumentum.

Quære in secunda dominica post octavam Epiphaniæ.

SERMO LXXVI.

In die Pentecostes, ex Evangelio.

Cum venerit Paraclitus quem mittam vobis a Patre, ille testimonium perhibebit de me, Joan., XV. In istis verbis tria notantur. Primo, personarum Trinitas, ibi : *Paraclitus;* secundo, Trinitatis caritas, ibi : *mittam;* tertio, caritatis utilitas, ibi : *testimonium perhibebit de me.*

Circa primum. Primo, ponitur Spiritus sanctus qui mittitur, ibi : *Paraclitus;* secundo, Filius qui mittit, ibi : *a Patre. Glossa :* « Ecce tota Trinitas, Spiritus sanctus veniens, Filius mittens a Patre. »

Quomodo appareat ista beata Trinitas in creaturis, quære inter festivos Trinitatis.

Caritas Trinitatis ad homines apparet in hoc quia parata est Paraclitum nobis mittere. Dedit autem nobis Trinitas primo consolatorem Filium, eum hominem faciendo. Isa., LI : *Spiritus Domini super me;* et post, *ut consolarer omnes lugentes,* etc. Secundo, dedit et dat Spiritum sanctum, eum in corde sanctorum transfundendo; ideo dicitur Paraclitus, id est consolator. Actor., IX : *Ecclesia quidem per totam Judæam, et Galilæam, et Samariam habebat pacem, et ædificabatur ambulans in timore Domini,* etc.; et post : *Consolatione Spiritus sancti replebatur.* Tertio, dabit nobis consolatorem Deus Trinitas, se nobis largiendo in præmium. Isa., ult. : *Quomodo si mater blandiatur, ita et ego consolabor vos,* etc. Item dabit nobis tres advocatos. Primo, Filium. I Joan., I : *Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum.* Secundo, Spiritum sanctum. Joan., XV : *Paraclitus autem Spiritus sanctus,* etc. Paraclitus enim advocatus interpretatur. Tertio, beatam

Virginem, unde cantamus ei : « Eia ergo advocata nostra, » etc.

Circa tertium notandum quod testimonium de Christo quod esset verus Deus, perhibuit primo Pater, secundo Filius, tertio Spiritus sanctus. I Joan., v : *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum et Spiritus sanctus*. Quarto sancti, ibi : *Et vos testimonium perhibebitis de me*. Perhibuerunt autem sancti testimonium de Christo tripliciter. Primo, venturum prædicando. Joan., v : *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere, et ipsæ sunt quæ testimonium perhibent de me*. Secundo, præsentem demonstrando. Joan., I : *Hic venit ut testimonium perhiberet de lumine*. Tertio, venisse prædicando. Act., II : *Hunc Deus suscitavit, cujus nos testes sumus*. Quinto, testimonium perhibuerunt de Christo miracula, quæ nullus posset facere nisi Deus. Joan., v : *Opera quæ ego facio, ipsa testimonium perhibent de me*. Sexto, perhibuerunt testimonium angeli, primo, nasciturum nuntiando. Luc., I : *Missus est angelus Gabriel a Deo*, etc. Secundo, natum prædicando. Luc., II : *Ecce angelus Domini stetit juxta illos*, etc. Tertio, eum resurrexisse affirmando. Matth., XXVIII : *Angelus Domini descendit de cœlo*. Quarto, eum venturum ad judicium prænuntiando. Act., II : *Ecce duo viri astiterunt juxta illos*, etc. Quinto, perhibuit testimonium creatura corporalis, et hoc septem modis. Primo, cœlum quadrupliciter. Primo, in nativitate stellam emittendo. Matth., XII : *Vidimus stellam ejus*, etc. Secundo, in ascensione ejus, ipsum gloriose suscipiendo. Ephes., IV : *Qui descendit, ipse est et qui ascendit*, etc. Tertio, in baptismo se super eum aperiendo. Matth., II : *Cœli aperti sunt super eum*. Quarto, in passione, solis lucem auferendo. Luc., XXIII : *Et obscuratus est sol*. Secundo, testimonium perhibuit aer; tertio, aqua ei obediendo. Matth., VIII : *Qualis est hic, quia venti et mare obediunt ei?* Quarto, terra. Matth., XXVIII : *Et terra mota est, et ecce terræmotus*, etc. Quinto, infernus mortuos restituendo. Matth., XXVIII : *Multa corpora sanctorum qui dormierant, surrexerunt*. Sexto, ignis super discipulos apparendo. Actor., I : *Apparuerunt illis dispertitæ linguæ, tanquam ignis*, etc. Cum ergo Creator et omnis creatura testimonium de Christi divinitate perhibeant, credamus omnes, et imitando colamus ipsum Dominum super omnia benedictum in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LXXVII.

De eadem, ex Evangelio.

Paraclitus quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, Joan., XIV. In istis verbis prædicit Dominus se missurum Spiritum sanctum, quod fuit hodierna die completum. Circa quam missionem tria notantur. Primo, mittentis caritas, ibi : *Quem mittet Pater;* secundo, missi benignitas, ibi : *Paraclitus;* tertio, missionis utilitas, ibi : *Ille vos docebit*.

Circa primum notandum quod tria misit nobis Deus Pater, in quibus apparet magna caritas ejus. Primo, Filium ad nostram redemptionem. Rom., VIII : *Deus mittens Filium suum in similitudinem carnis peccati, de peccato damnavit peccatum*, etc. *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra clamantem : Abba Pater*. Secundo, Spiritum sanctum ad nostram confirmationem. Gal., IV : *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum*. Tertio, mittit spiritus angelicos ad nostram protectionem. Hebr., I : *Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis?*

Circa secundum notandum quod Spiritus sanctus dicitur Paraclitus, id est consolator, quia consolatur nos in tribulationibus nostris. Consolatur autem nos tripliciter. Primo, cœlestes consolationes largiendo. I Thess., I : *In tribulatione multa cum gaudio Spiritus sancti*. Secundo, dona charismatum nobis in tribulationibus augmentando. Rom., V : *Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit, quia caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis*. Tertio, quanta sint gaudia quæ recipiemus pro istis modicis tribulationibus, demonstrando. Rom., VIII : *Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filii Dei, si autem filii, et hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi;* et post : *Existimo enim quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis*. Item II Cor., IV : *Id enim quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in*

sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, etc

Circa tertium notandum quod Spiritus sanctus docet nos tria valde utilia. Primo, veritatem cognoscere. Joan., xv : *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnia,* etc. Secundo, orare utiliter. Rom., VIII : *Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus,* id est postulare facit et docet. Tertio, voluptates carnales despicere. Gregorius : « Gustato spiritu desipit omnis caro. »

Translati sumus de morte ad vitam, I Joan., III. Quintuplex est translatio. Prima admirabilis, secunda est amabilis, tertia est detestabilis, quarta formidabilis, quinta desiderabilis.

Quære in translatione beati Dominici, inter festivos.

SERMO LXXVIII.

In dominica prima post Pentecosten, ex Epistola.

Diligamus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos, etc. *Si quis dixerit quoniam diligo Deum, et fratrem suum odit, mendax est,* I Joan., IV. In istis verbis tria facit Joannes apostolus. Primo, monet ad dilectionem Dei, ibi : *Diligamus Deum;* secundo, assignat causam dilectionis, ibi : *quoniam ipse prior dilexit nos;* tertio, ad dilectionem proximi, ibi : *Si quis dixerit quoniam diligo Deum et fratrem suum odit,* etc.

Circa primum notandum quod tribus modis debemus diligere Deum. Primo, ut totum cor nostrum amore ejus impleamus. Deut., VI : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Secundo, ut nihil nisi propter eum diligamus. Augustinus : « Minus te amat qui tecum aliquid amat quod non propter te amat. » Tertio, ut nullis adversis ab ejus caritate avertamur. Rom., VIII : *Quis nos separabit a caritate Christi? tribulatio, an angustia,* etc.

Circa secundum notandum quod propter tria maxime debemus diligere Deum. Primo, propter ejus bonitatem. Bernardus : « Causa diligendi Deum, Deus est. Tanta enim bonitas est Dei, quod si nihil boni homini fecisset vel facturus esset, debet tamen eum semper diligere. » Secundo, propter ejus caritatem, ut hic : « Diligamus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos. » Augustinus : « Miser ego! quantum diligere debeo Deum meum, qui me fecit quod non eram, redemit cum perieram, qui in peccatis meis venditus eram, venit ille pro me; et tantum dilexit me, quod pretium sanguinis sui dedit pro me. » Tertio, debemus Deum diligere propter nostram utilitatem. Præparavit enim bona quæ dici non possunt his qui diligunt eum. I Cor., II : *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt quæ præparavit Deus his qui diligunt illum.*

Circa tertium notandum quod debemus diligere proximum propter tria. Primo, propter præceptum. Joan., XV : *Hoc est præceptum meum ut diligatis invicem.* Secundo propter naturæ documentum; videmus enim quod omnia naturaliter diligunt similia. Eccli., XIII : *Omne animal diligit simile sibi, sic et omnis homo proximum sibi. Omnis caro ad simile sibi sociatur.* Tertio, propter nocumentum quod consequitur qui non diligit proximum, quia incurrit mortem culpæ et gehennæ. I Joan., III : *Qui non diligit, manet in morte.* A qua morte liberet nos, etc. Amen.

SERMO LXXIX.

Ad idem, ex Evangelio.

Recordare quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala; nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris, Luc., XVI. Quatuor notantur in verbis istis. Primo, reproborum in præsenti prosperitas, ibi : *Recordare quia recepisti bona in vita tua;* secundo, justorum brevis in hoc mundo adversitas, ibi : *Lazarus similiter mala;* tertio, æterna justorum felicitas, ibi : *nunc autem iste consolatur;* quarto, impiorum perpetua calamitas, ibi : *tu vero cruciaris.*

Circa primum notandum quod temporalis prosperitas consistit in tribus quæ habuit iste dives. Primo, in divitiis temporalibus, ibi : *Homo quidam erat dives.* Ps. XLVIII : *In multitudine divitiarum suarum gloriantur.* Secundo, in honoribus sæcularibus, ibi : *Induebatur purpura et bysso.* Jac., IV : *Exultatis in superbiis vestris.* Tertio, in voluptatibus carnalibus, ibi : *Epulabatur quotidie splendide.* Job, XXI : *Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad infernum descendunt.* Dicitur Amos, VI : *Væ qui comeditis agnum de grege, et vitulos de armenti medio,* etc.

Circa secundum notandum quod adversitas sanctorum in præsenti consistit in tribus quæ habuit Lazarus. Primo, in rerum paupertate, ibi : *Erat quidam mendicus.* Tob., II : *Pauperum quidem vitam gerimus; sed habebimus multa bona, si timuerimus Deum, et recesserimus a peccato et fecerimus bona,* etc. Secundo, in contemptus vilitate, ibi : *Jacebat ad januam.* I Cor., IV : *Tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc.* Tertio, in tribulationum et afflictionum asperitate, ibi : *Ulceribus plenus.* Judith, IV : *Omnes qui placuerunt Domino, per multas tribulationes transierunt.*

Circa tertium notandum in quibus consistit felicitas sanctorum in alio sæculo. Primo, in gloria et honore, ibi : *Ut portaretur ab angelis.* Augustinus : « Præclaras exequias purpurato illi diviti turba exhibuit famulorum; sed multo præclariores in conspectu Dei ulceroso illi pauperi ministerium præbuit angelorum, qui eum extulerunt non in marmoreum tumulum, sed in Abrahæ sinum. Psal. XX : *Magna est gloria ejus in salutari tuo.* Secundo, in cœlestis regni possessione, ibi : *In sinu Abrahæ,* per quem intelligitur requies paradisi. Matth., V : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Tertio, in æterna deliciarum et consolationum perfruitione, ibi : *Nunc autem iste consolatur.* Psal. XXX : *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te!* Psal. XV : *Delectationes in dextera tua usque in finem.*

Circa quartum notandum quod tria ponuntur hic, in quibus consistit futura malorum calamitas. Primum est summa de omnibus bonis carentia, et hoc notatur in hoc quod non potuit habere guttam aquæ. Job, XXVIII : *Apprehendet eum quasi aqua inopia.* Secundo, pœnarum acerbitas et multiplicitas, ibi : *Cum esset in tormentis.* Psal. X : *Ignis, sulphur et spiritus procellarum pars calicis eorum.* Tertio, summa confusio et ignominia, ibi : *Sepultus est in inferno.* Quæ potest esse major ignominia quam tali sepultura sepeliri? Jerem., XXII : *Sepultura asini sepelietur.* Jerem., XX : *Confundentur vehementer, quoniam non intellexerunt opprobrium sempiternum, quod nulla oblivione delebitur.* Præsens igitur prosperitas est contemnenda; præsens adversitas hilariter sustinenda : damnatorum calamitas fugienda, et sanctorum felicitas cum omni studio appetenda, ad quam perducat nos, etc. Amen.

SERMO LXXX.

De dominica secunda, ex Epistola.

Si quis habuerit substantiam hujus mundi, etc., I Joan., III. In istis verbis monet nos beatus Joannes apostolus ad faciendam eleemosynam propter tria. Maxime enim tria bona acquirit qui facit eleemosynam. Primo, bonum temporale; secundo, bonum spirituale; tertio, bonum æternale.

Circa primum notandum, quod homo acquirit tripliciter bonum temporale per dationem eleemosynæ. Primo, divitiarum augmentationem. Proverb., III : *Honora Dominum,* id est ejus laudem quære, non tuam, non mundi, *de tua substantia,* scilicet quæ recte possides, non de rapinis, non de aliena, *et de primitiis fructuum tuorum da pauperibus; et implebuntur horrea tua saturitate,* scilicet in futura satietate, ubi non esurient neque sitient amplius; *et vino torcularia tua redundabunt. Glossa :* « Qui thesaurizant in cœlis, veras ibi delicias invenient : quorum horrea implebuntur saturitate, quia satiabitur cum manifestabitur gloria ejus, et torcularia redundabunt vino, quia interna suavitas æternorum corda fidelium in laudes Conditoris accendit; et qui terrena subsidia pauperibus largitur, ditior dando cœlesti remuneratione reddetur. » Secundo ab inimicis defensionem, Eccli., XVII : *Eleemosyna viri quasi sacculus* cum ipso; quia merces justitiæ in æternum, et gratiam hominum, et vitam æternam quasi pupillam conservabit.* * *Signaculum.* Item : *Super scutum potentis et super lanceam adversus inimicos pugnabit. Glossa :* « Magis valet eleemosyna contra inimici jaculum quam arma terrena. » Tertio, vitæ præsentis prolongationem. I Tim., IV : *Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est, et futuræ.*

Circa secundum notandum quod triplex bonum spirituale acquirit homo per eleemosynam. Primo, peccatorum remissionem. Dan., V : *Peccata tua eleemosynis redime.* Prov., XVI : *Misericordia et veritate redimitur iniquitas,* scilicet omne peccatum. *Glossa :* « Misericordia redimitur iniquitas peccatorum, cum dat, et dimittit

aliis; veritate, id est justitia, cum seipsum de iniquitate accusat et pœnitet. » Secundo, orationum exauditionem. Eccli., XXIX : *Eleemosynam in sinu pauperum conclude, et ipsa pro te orabit,* ab omni peccato scilicet removendo. *Glossa :* « Bene monendo, bene consulendo in corde absconditur eleemosyna. » Tertio, gratiæ conservationem. Eccli., XVII : *Eleemosyna viri quasi sacculus** *cum ipso ..., et gratiam hominis quasi pupillam oculi conservabit,* etc., ut supra.

* Signaculum.

Circa tertium similiter notandum quod triplex bonum æternale acquirit homo per eleemosynam. Primo, a morte æterna liberationem. Tob., IV : *Eleemosyna ab omni peccato et a morte liberat,* etc. Secundo, vitæ æternæ possessionem. I Tim., IV : *Pietas ad omnia utilis est, promissionum habens vitæ quæ nunc est, et futuræ.* Tertio, præmii æterni augmentationem. II Cor., IX : *Qui parce seminat, parce et metet; et qui seminat in benedictione, de benedictione et metet vitam æternam,* ad quam nos perducat, etc.

SERMO LXXXI.

De eadem, ex Evangelio.

Homo quidam fecit cœnam magnam, Luc., XIII. Per cœnam istam, sicut dicunt sancti, intelligitur beatitudo cœlestis. Dicitur autem cœna ista magna propter tria. Primo, propter celebrantium ipsam cœnam multiplicitatem; secundo, propter ferculorum quæ ibi dabuntur, copiositatem; tertio, propter ipsius cœnæ æternitatem.

Propter primum dicitur magna triplici ratione. Primo, ratione facientium. Facientes sunt Pater et Filius et Spiritus sanctus : immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus sanctus; et ideo immensam faciunt cœnam. Isa., XV : *Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ.* Esth., I : *Tertio anno imperii sui rex Assuerus fecit convivium cunctis pueris et principibus suis,* etc. Secundo, ratione ministrantium, qui sunt millia millium. Dan., VII : *Millia millium ministrabant ei.* Tertio, ratione convivantium, qui erunt decies centena millia. Dan., VII : *Decies centena millia assistebant ei.*

Propter secundum dicitur magna cœna illa, quia erunt ibi millia millium ferculorum. Fercula in vita æterna sunt gaudia; et quia sunt ibi millia millium gaudiorum, erunt ibi millia millium ferculorum. Possumus autem hic assignare tria magna fercula. Primum ferculum erit gaudium de omnium malorum absentia. Secundum de omnium bonorum præsentia. De his duobus, Deut., VIII : *Ibi absque ulla penuria, bonorum omnium abundantia perfrueris.* Isa., XXXV : *Gaudium et lætitiam obtinebunt, et fugiet dolor et gemitus.* Tertium continua de divina laude lætitia. Psal. LXXXIII : *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.* De his tribus Augustinus in libro *De civitate Dei*, ult. : « O quanta erit illa felicitas! ubi nullum malum erit, nullum latebit bonum, vacabitur internis laudibus, et Deus erit omnia in omnibus. »

Circa tertium notandum quod cœna ista dicitur æterna propter tria. Primo, quia nunquam terminabitur. Joan., XVI : *Gaudium vestrum nemo tollet a vobis.* Cœnare enim est gaudere. Secundo, quia nunquam a cœnando cessabitur. Apoc., IV : *Requiem non habebant die ac nocte dicentia : Dominus Deus omnipotens, qui est, et qui erat, et qui venturus est : clamantia et dicentia : Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Laudare enim ibi est idem quod cœnare. Tertio, dicitur æterna, quia tota simul manducabitur. Boetius : « Dicitur æternitas vitæ beatæ possessio tota simul. » Apoc., XIX : *Beati qui ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt.* Ad quam cœnam perducat nos Jesus Christus. Amen.

SERMO LXXXII.

De dominica tertia, ex Epistola.

Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore tribulationis, I Petr., V, 6. Tria facit in his verbis B. Petrus. Primo, hortatur ad humilitatem; secundo, ostendit humiliandi necessitatem; tertio, ponit humilitatis utilitatem. Primum, ibi : *Humiliamini;* secundum, ibi : *sub potenti manu Dei,* qui potest humiliare invitos; tertium, ibi : *ut vos exaltet in tempore tribulationis.*

Circa primum notandum quod triplex est humilitas. Prima culpæ. Eccli., XIX, 23 : *Est qui nequiter se humiliat, cujus interiora plena sunt dolo.* Secunda pœnæ. Psal. CV, 42 : *Tribulaverunt eos inimici eorum, et hu-*

miliati sunt sub manibus eorum. Tertia gratiæ. Matth., XI : *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.* Prima est fugienda; secunda sustinenda; tertia appetenda.

Circa secundum notandum quod Deus ostendit potentiam suam superbis tripliciter. Primo, eis resistendo; secundo, eos dejiciendo; tertio, æternaliter puniendo. De primo, Jac., IV : *Deus superbis resistit.* De secundo, Psal. LXXII : *Dejecisti eos dum allevarentur.* De tertio, Joel., II : *Ascendet fœtor ejus, et ascendet putredo ejus, quia superbe egit.* Baruch, V : *Constituit Dominus humiliare omnem mentem excelsam.*

Circa tertium notandum quod triplicem utilitatem acquirit homo de humilitate. Prima est bonum gratiæ; secunda bonum scientiæ; tertia bonum gloriæ. De prima, Jacob., IV : *Humilibus dat gratiam.* De secunda, Matth., XI : *Abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis.* De tertia, Job, XXII : *Qui humiliatus fuerit, erit in gloria.*

SERMO LXXXIII.

De eadem, ex Evangelio.

Gaudium est coram angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente, Luc., XV. Duo notantur in verbis istis. Primo, angelorum dignitas, ibi : *angelis Dei;* secundo, eorum benignitas, ibi : *super uno peccatore pœnitentiam agente.* Magna est dignitas angelorum, quod sunt nuntii Dei; et magna benignitas, quod gaudent de conversione unius peccatoris.

Circa primum notandum quod angeli dicuntur et angeli Dei, sicut dicuntur hic; et angeli nostri, sicut dicitur Matth., XVIII : *Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei qui in cœlis est.* Et per hoc notatur in eis duplex virtus; habent enim duplicem virtutem : assistendi et ministrandi; assistunt enim Deo, et ministrant nobis. Deo assistunt tripliciter. Primo, contemplando. Matth., XVIII : *Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei*, etc. » Secundo, amando. I Petr., II : *In quem desiderant angeli prospicere.* Augustinus : « Tanta est divini plenitudo aspectus, ut nunquam possit videri sine amore. » Tertio, laudando. Damascenus : « Opus enim angelorum est hymnis Deum laudare. » Nobis ministrant tripliciter. Primo, purgando; secundo, illuminando; tertio, perficiendo, sicut dicit Dionysius. Purgant enim a malis liberando. Isa., VI : *Et volavit ad me unus de seraphim, et in manu ejus calculus*, etc. Illuminant docendo. Dan., X : *Et ecce Michael unus de principibus primis venit in adjutorium meum; et ego remansi ibi juxta regem Persarum..... Veni autem ut docerem te quæ ventura sunt populo tuo,* etc. Perficiunt ad bonum provehendo. III Reg., XIX : *Et ecce angelus Domini tetigit eum, dicens : Surge, et comede,* etc.

Circa secundum notandum quod propter tria angeli gaudent de peccatorum conversione. Primo, propter sui ministerii impletionem; sunt enim ministri, ut moneant nos ad pœnitentiam. Hebr., I : *Nonne omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis?* Secundo, propter dæmonum confusionem; dæmones enim confunduntur, quando aliquis ad pœnitentiam convertitur, quod est gaudium angelis. Apoc., XII : *Projectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus et Satanas, qui seducit universum orbem, projectus est in terram, et angeli ejus cum eo missi sunt;* et post : *Propterea lætamini cœli, et qui habitatis in eis.* Tertio, propter Dei honorem. Peccator enim, cum convertitur, honorat Deum, quod est gaudium angelis. Josue, VII : *Fili mi, da gloriam Deo, confitere,* etc.

SERMO LXXXIV.

De eadem.

Et erant appropinquantes ad Jesum publicani et peccatores, Luc., XV. In isto evangelio notantur tria principaliter. Primo, magna Domini nostri Jesus Christi benignitas; secundo, magna pœnitentiæ utilitas; tertio, magna vere pœnitentis sanctitas.

Circa primum notatur magna Christi benignitas in tribus. Primo, quia pro peccatoribus suscepit humanæ naturæ infirmitatem, ibi : *Nemo accendit lucernam.* Gregorius : « Lucernam accendit qui humanam naturam luce suæ divinitatis implevit. » I Tim., I : *Fidelis sermo, et omni acceptione dignus, quoniam Christus Jesus venit peccatores salvos facere,* etc. Secundo, quia peccatoribus ostendit specialem familiaritatem, ibi : *Quia peccatores recipit et*

manducat cum illis. Roman., v : *Ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia*. Tertio, quia pro peccatoribus suscepit crudelis mortis acerbitatem, ibi : « Imponit humeris suis gaudens. I Petr., ii : *Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum*.

Circa secundum notandum quod triplex utilitas pœnitentiæ notatur in isto evangelio. Primo, quia Christus lætatur in ea, ibi : *Congratulamini mihi*. Luc., xv : *Epulari autem et gaudere oportet*, etc. Secundo, quia in ea angeli lætantur, ibi : *Gaudium est angelis Dei*. Tertio, quia per eam homo a perditione liberatur, ibi : *Vadit ad illam quæ perierat, donec inveniat eam*. Luc., xiv : *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis*. Ezech., xviii : *Convertimini, et agite pœnitentiam ab omni iniquitate, et non erit vobis in ruinam iniquitas*.

Magna vero pœnitentis sanctitas notatur, ibi : *Gaudium est angelis Dei*. Magis enim gaudet Dominus super uno peccatore vere pœnitente, quam super multos justos qui nunquam peccaverunt, quia isti frequenter magis negligentes sunt, isti ferventiores, sicut exponit Gregorius. Sunt autem octo necessaria ei qui vult de pœnitentia sua magnum gaudium facere in cœlo. Primo, in amore Dei ferventer inardescere; secundo, in magnis virtutibus se exercere; tertio, cuncta difficilia sancti certaminis petere; quarto, omnia mundi relinquere; quinto, honores fugere; sexto, receptis contumeliis lætari; septimo, magno desiderio ad cœlestem patriam anhelare; octavo, damna præcedentia lucris sequentibus compensare. De his omnibus Gregorius : « Plerumque ii qui se oppressos nullis peccatorum molibus sciunt, pigri remanent; at contrario omnes ii qui se illicita aliqua egisse meminerunt, ipso suo dolore compuncti in amorem Dei inardescentes, sese in magnis virtutibus exercent, cuncta difficilia sancti certaminis appetunt, omnia mundi derelinquunt, honores fugiunt; acceptis contumeliis lætantur, ad cœlestem patriam anhelant; et quia se errasse a Domino considerant, damna præcedentia lucris sequentibus compensant. »

Qui justam pœnitentiam egerint, absque dubio pervenient ad regnum cœlorum. Matth., iii : *Pœnitentiam agite; appropinquavit enim regnum cœlorum*. Ad quod, etc. Amen.

SERMO LXXXV.

De dominica quarta, ex Epistola.

Expectatio creaturæ revelationem filiorum Dei expectat, Rom., viii. Apostolus in ista epistola intendit ostendere quod omnes creaturæ suo modo desiderant adventum gloriæ sanctorum. Sunt autem quatuor creaturæ quæ desiderant adventum gloriæ sanctorum. Primo, creatura angelica; secundo, creatura cœlestis; tertio, creatura terrestris; quarto, creatura humana; et ideo forte quater nominat creaturam in ista epistola.

Circa primum notandum quod angeli desiderant propter tria. Primo, propter plenam de inimicis suis victoriæ consecutionem. Apocal., xii : *Projectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus et Satanas, qui seducit universum orbem, et projectus est in terram, et angeli ejus cum illo missi sunt;* et post : *Lætamini cœli, et qui habitatis in eis*. Secundo, propter ministerii sui completionem. I Cor., xv : *Cum evacuaverit omnem principatum et potestatem et virtutem. Oportet autem illum regnare donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus*. Tertio, propter perfectam civitatis suæ reparationem. Ps. cix : *Judicabit in nationibus, implebit ruinas;* et Ephes., i : *In quo proposuit restaurare universa, sive quæ in cœlis sunt, sive quæ in terra*.

Circa secundum notandum quod creatura cœlestis desiderat propter tria. Primo, propter servitii sui indignis subtractionem. Isidorus : « Sol et luna post judicium non descendent ad occasum, nec impiis sub terra positis serviet lux eorum. » Secundo, propter amissæ pulchritudinis recuperationem. Isa., xxxvii : *Erit lux lunæ sicut lux solis, et lux solis lucebit septempliciter*. Tertio, propter suam a motu repausationem. Habac., iii, secundum aliam translationem : *Sol et luna steterunt in ordine suo*, sol in oriente, luna in occidente, sicut in creatione ordinati sunt; hæc enim tria bona consequuntur corpora cœlestia.

Item creatura terrestris desiderat propter tria. Primo, propter suam a peccatis impiorum emundationem. Modo enim impii contaminant terram iniquitatibus. Psal. cv : *Contaminata est terra in operibus eorum*. Sed tunc purgabitur per ignem. II Petr., iii :

Elementa vero calore solventur; terra vero et ea quæ in ipsa sunt igne comburentur. Secundo, propter suam a corruptione liberationem; modo enim corrumpitur, ut fiat generatio; sed tunc cessabit corruptio, quoniam non erit necessaria generatio. Rom., VIII : *Ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Tertio, propter suam renovationem. Isa., LXIV : *Ecce ego creo cœlum novum et terram novam, et non erunt in memoria priora; sed gaudebitis et exultabitis in eis quæ ego creo usque in sempiternum.*

Homo similiter desiderat propter tria. Primo, propter suam a malo liberationem; secundo, propter suam in omni bono repletionem; tertio, propter æternitatis conservationem. Hæc tria consequetur homo in die judicii, qui sic vivit hic ut ad illam mereatur pervenire. De his tribus, Augustinus in lib. *De civit. Dei :* « Una erit igitur illius civitatis in omnibus et inseparabilis et singularis libera voluntas, liberata ab omni malo, repleta omni bono (quod bonum non deficiet in æternum), fruens indeficienter jucunditate æternorum gaudiorum, » quod nobis Christus concedat. Amen.

SERMO LXXXVI.

De eadem, ex Evangelio.

Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est, Luc., VI. Duo facit Dominus in verbis istis. Primo, inducit ad misericordiam, ibi : *Estote misericordes.* Secundo, dat miserendi regulam, ibi : *Sicut et Pater vester.*

Circa primum notandum quod tria maxime debent nos movere ad faciendam misericordiam. Primo, necessitas; secundo, utilitas; tertio, congruitas. Necessitas est, quia qui non facit misericordiam, non inveniet misericordiam. Jac., II : *Judicium sine misericordia fiet ei qui non facit misericordiam.* Utilitas est quia qui facit misericordiam, inveniet misericordiam. Matth., V : *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Congruitas est, quia cum misericordiam ab omnibus creaturis recipiamus, satis congruum est, quod aliis misericordiam faciamus. Sumus enim pleni miseria; et nisi creaturæ misererentur nostri dando se nobis et sua beneficia, subsistere non possemus. Si enim sol vel ignis subtraheret lumen suum et calorem, et terra fructus suos; quid faceret miser homo? Satis ergo congruum est, cum homo indigeat misericordia, quod aliis faciat misericordiam. Prov., XIX : *Homo indigens misericors est.* Et qui indiget misericordia, debet aliis facere misericordiam, vel aliorum misereri; unde creaturæ arguunt quodammodo immisericordes.

Circa secundum notandum quod in tribus præcipue apparet misericordia Dei. Primo, in filii sui donatione; magnum fuit donum, magna misericordia, de qua Luc., I : *Ad faciendam misericordiam,* etc. Secundo, in justorum glorificatione. Psal. CVIII : *Suavis est misericordia ejus.* Psal. XXXV : *Domine, in cœlo misericordia tua.* Tertio, in peccatorum justificatione. Psal. LXXXV : *Misericordia tua, Domine, magna est super me.* Propter primam misericordiam debemus illum laudare et amare; propter secundam debent secure, quantumcumque sint magni peccatores, ad Deum confugere. Isa., XLV : *Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas; et revertatur ad Dominum, et miserebitur ejus; et ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum.* Propter tertiam debemus ad Deum cum festinatione currere. Hebr., IV : *Festinemus ingredi in illam requiem,* etc.

Hypocrita, ejice primo trabem de oculo tuo, Luc., VI. Hic reprehendit Dominus peccatum hypocrisis, et frequenter in Evangelio plus aliis reprehendit; unde satis patet quod multum displicet ei; et ideo debet quilibet ipsam fugere. Est autem fugienda ipsa hypocrisis propter multa mala quæ proveniunt ex ea. Primo, provenit ex ea multiplex malum culpæ; secundo, multiplex malum pœnæ; tertio, multiplex malum damni.

Quære inter festivos in festo sancti Hippolyti.

SERMO LXXXVII.

De dominica quinta, ex Epistola.

Declinet autem a malo, et faciat bonum; inquirat pacem, et persequatur eam, I Petr., III. Duæ sunt partes justitiæ, ad quas invitat nos beatus Petrus in verbis istis. Prima est fuga mali, ibi : *Declinet a malo;* secunda, delectatio boni, ibi : *et faciat bonum.*

Circa primum notandum quod malum fugiendum est maxime propter tria. Primo, propter multam amaritudinem quam inducit; secundo, propter damnum quod adducit; tertio, propter pœnam ad quam conducit. De primo, Jerem., II : *Vide quam malum est et amarum dereliquisse Dominum Deum tuum, et non esse timorem mei apud te; dicit Dominus Deus exercituum.* Inducit autem multam amaritudinem peccatum propter tria. Primo, quia Dominus adversatur peccato. Deut., XXV : *Adversatur omnem injustitiam;* ibidem, XXXI : *Inveneruntque eum omnia mala et afflictiones; ita ut dicat in illa die : Vere quia Dominus non est mecum, invenerunt me hæc mala.* Secundo, quia homo per peccatum valde in se inordinatur. Augustinus : « Jussisti, Domine, et vere sic est, ut pœna sit sibi omnis inordinatus animus. Job, VII : *Quare posuisti me contrarium tibi, et factus sum mihimetipsi gravis?* Tertio, quia omnis peccator ab omni creatura justo Dei judicio impugnatur. Sap., XVII : *Creatura tibi creatori deserviens, exardescit in tormentum adversus injustos.*

Circa secundum notandum quod triplex damnum incurrit peccator per peccatum. Primum est, quia per ipsum peccatum multiplex bonum amittitur. Augustinus in lib. *De civitate Dei* XII : « Si naturæ bonæ non essent, ejus vitia non nocerent. » Nunc autem quid eis faciunt nocendo, nisi sibi adimere integritatem, pulchritudinem et salutem? » Secundo, propter peccatum, bonum gratiæ amittitur. Sap., I : *In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Tertio, propter peccatum, bonum gloriæ perditur. Isa., XXVI : *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei.*

Circa tertium notandum quod peccatum ducit homines ad multas pœnas ; sed hic notantur tres pœnæ. Prima erit continua in anima tristitia. Isa., XIII : *Torsiones et dolores tenebunt eos quasi parturiens dolebunt.* Job, XX : *Cum satiatus fuerit, arctabitur, et omnis dolor irruet in eum.* Secunda, continua in corde incendia. Matth., III : *Mittet eos in caminum ignis.* Tertia erit in utroque æternitas. Matth., XXII : *Discedite a me maledicti in ignem æternum,* etc. De his tribus, Isa., ult. : *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur,* etc. Vermis notat dolorem in anima; ignis dicit ardorem in corde; inextinguibilitas ignis notat æternitatem in utroque. A quo igne liberet nos Christus, etc.

SERMO LXXXVIII.

De eadem.

Coerceat linguam suam a malo, I Petr., III. Cohibenda est lingua propter tria. Primo, quia qui non cohibet, multa peccata committit; secundo, quia multas pœnas incurrit; tertio, quia qui cohibet, multa bona acquirit.

Quære in dominica prima post octavam Ascensionis.

SERMO LXXXIX.

De eadem.

Inquirat pacem, et sequatur eam. Triplicem pacem quilibet debet inquirere. Primo, pacem sui ad Deum ; secundo, sui pacem ad proximum ; tertio, sui ad seipsum.

Quære in dominica prima post Trinitatem.

SERMO XC.

De eadem, ex Evangelio.

Sedens docebat de navicula turbas, Luc., V. Moraliter per naviculam intelligitur sanctitas vitæ, in qua debet sedere qui alios vult docere. Significatur per naviculam sanctitas vitæ tripliciter. Primo, ratione materiæ ; secundo, formæ ; tertio, finis.

Quære in dominica tertia post octavam Epiphaniæ.

SERMO XCI.

De eadem

Relictis omnibus, secuti sunt eum, Luc., V. Duo sunt nobis necessaria ad sequendum. Primo, ut a bono commutabili avertamur, ipsum despiciendo ; secundo, ut ad bonum incommutabile convertamur, ipsum diligendo et imitando. Hæc notantur hic. Primum, ibi : *Relictis omnibus;* secundum, ibi : *secuti sunt eum.*

Circa primum notandum quod quatuor debemus relinquere, si volumus sequi Christum. Primo, mundana, ipsa contemnendo. Luc., XIV : *Nisi quis renuntiaverit omnibus quæ possidet, non est me dignus.* Se-

cundo, consanguineos et parentes propter Deum relinquendo. Matth., x : *Si quis venit ad me, et non odit patrem suum et matrem suam, non est me dignus.* Tertio, corpus suum, ipsum mortificando. Quarto, voluntatem propriam, ipsam abnegando. De his duobus, Luc., ix : *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me.*

Circa secundum notandum quod in quatuor oportet nos imitari Christum. Primo, in humilitate. Matth., ii : *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.* Secundo, in pietate. Luc., vi : *Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est.* Tertio, in caritate. Joan., xv : *Hoc est præceptum meum ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Quarto, in tribulationum asperitate. I Petr., ii : *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus.*

Istæ sunt duæ viæ rectæ, per quas currit homo ad regnum cœlorum. Sap., x : *Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei.* Amen.

SERMO XCII.

De dominica sexta, ex Epistola.

Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus simul et resurrectionis erimus, Rom., xi. Duo facit in istis verbis Apostolus. Primo, ponit meritum quod habere debemus, ibi : *Facti sumus similitudini mortis ejus.* Hoc est meritum nostrum, ut habeamus in nobis similitudinem mortis ejus, scilicet Christi. Secundo, ponit quod pro merito recipimus, ibi : *simul et resurrectionis erimus.* Hoc enim est præmium ut habeamus similitudinem resurrectionis Christi.

Circa primum notandum quod sex fuerunt in morte Christi, in quibus debemus eum sequi. Primo, humilitas; secundo, obedientia. De his duobus Phil., ii : *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem.* Ad primum invitat Dominus, Matth., ii : *Discite a me, quia mitis sum.* Ad secundum, Joan., xv : *Si diligitis me mandata mea servate.* Tertium fuit in morte Christi ineffabilis caritas. Joan., xv : *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis;* et in hoc debemus assimilari sibi. Joan., xv : *Hoc est præceptum meum ut diligatis invicem.* Quartum, patientia. I Petr., ii : *Cum pateretur, non comminabatur;* et in hoc debemus habere similitudinem ejus. Hebr., xii : *Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta.* Quintum, perseverantia, quia qui in his omnibus usque ad mortem perseveraverit, salvus erit. Philip., ii : *Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Debemus autem in perseverantia habere similitudinem mortis ejus. Matth., x : *Qui perseveraverit usque ad finem, hic salvus erit.*

Circa secundum notandum quod in septem consistit gloria corporis nostri, cum configuratum erit corpori claritatis Christi. Primo, erit amabilis omnium membrorum congruentia. Augustinus in lib. XXII, cap. xix *De civ. Dei :* « Proinde nulla erit deformitas, quam facit incongruentia partium ; ubi et quæ prava sunt, corrigentur, et quod minus est quam decet, unde creator novit, inde supplebitur ; et quod plus est quam decet, materiæ servata integritate detrahetur. » Secundo, erit mira coloris in toto suavitas. Augustinus : « Coloris suavitas quanta erit, ubi justi fulgebunt sicut sol in regno Patris sui ? » In his duobus consistit omnis corporis pulchritudo. Augustinus : « Omnis corporis pulchritudo est congruentia partium cum quadam coloris suavitate. » Erit autem tunc in corporibus omnis pulchritudo. Philipp., iii : *Qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* Tertio, erit movendi velocitas. Augustinus : « Ubi voluerit spiritus, ibi erit protinus corpus. » Quarto, erit plena liberatio ab omni indigentia. Quinto, erit plena et summa felicitas. De his duobus, Augustinus : « Omnia membra et viscera incorruptibilis corporis, quæ nunc videmus per usus necessitatis varios distributa, tunc sic non erunt ; sed hæc necessitas, ipsa plena et certa securitas, et sempiterna felicitas proficiet Dei laudibus. » Sexto, erit impassibilitas, et immortalitas, et æternitas. Augustinus : « Restituetur quicquid de corporibus vivis, vel post mortem de cadaveribus periit, vel in sepulcro remansit, in spiritualis corporis novitatem ex animalis corporis vetustate mutatum ; resurget in incorruptione, atque immortalitate vestitum. » Septimo, erit plena cor-

poris et spiritus pax et concordia. Augustinus : « Erit spiritui caro subdita spiritualis, sed ea tamen caro, non spiritus. » Quam felices erunt ergo qui digni ista resurrectione habebuntur! Certe non nisi illi qui hic moriuntur cum Christo. I Col., III : *Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum illo in gloria.* Ad quam gloriam perducat nos Deus. Amen.

SERMO XCIII.

De eadem, ex Evangelio.

Nisi abundaverit justitia vestra plusquam scribarum et pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum, Matth., v. In isto evangelio quatuor facit Dominus. Primo, ostendit quid faciamus, ibi : *Nisi abundaverit justitia vestra;* ostendit enim quod debemus habere abundantem justitiam. Secundo, ostendit quid appetamus, ibi : *Regnum cœlorum;* ad hoc enim debemus facere justitiam, ut per ipsam ad regnum perveniamus. De utroque, Matth., xv : *Primum quærite regnum Dei et justitiam ejus.* Tertio, ostendit quid fugiamus, ibi : *Non occides,* etc. Ostendit autem quod debemus fugere triplex peccatum. Primo, peccatum operis, ibi : *Non occides;* per hoc prohibetur omne opus in quo læditur proximus. Isa., LV : *Quiescite agere perverse.* Lev., I : *Non stabis contra sanguinem proximi tui.* Secundo, prohibet peccatum cordis, ibi : *Omnis qui irascitur fratri suo.* Exod., XII : *Aufer iram a corde tuo, et amove malitiam de carne tua.* Tertio, peccatum oris, ibi : *Qui autem dixerit fratri suo : Fatue.* Ephes., IV : *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat.* Quarto, ostendit quid timeamus, scilicet futurum judicium, ibi : *Reus erit judicio.* Ponit autem hic tria quæ debemus timere. Primo, judicium, in quo omnes impii damnabuntur, ibi : *Reus erit judicio.* Judith, XVI : *Dominus omnipotens judicabit illos in die judicii, quando visitabit illos.* Secundo, angelorum et sanctorum concilium, in quo omnes impii examinabuntur, ibi : *Qui autem dixerit fratri suo : Racha, reus erit concilio.* Psal. III : *Dominus ad judicium veniet cum senatoribus populi sui et principibus suis.* Malach., ult : *Ne forte veniam, et percutiam terram anathemate.* Tertio, ignem infernalem, in quo omnes impii in æternum cruciabuntur, ibi : *Reus erit gehennæ ignis.* Judith, XVI : *Dabit ignes et vermes in carnes eorum, ut urantur, et sentiant usque in sempiternum.* A quo igne Christus nos liberet.

SERMO XCIV.

De eadem, ex Evangelio.

Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio, Matth., v. Duo facit Dominus in verbis istis. Primo, monet nos vitare iram, ibi : *Omnis qui irascitur fratri suo.* Secundo, ponit iræ pœnam, ibi : *Reus erit judicio.*

Circa primum notandum quod ira lædit naturam tripliciter. Primo, lædit rationem per obscurationem ; secundo, lædit memoriam per oblivionem ; tertio, lædit voluntatem per malam affectionem. De his tribus, Psal. XXX : *Conturbatus est in ira oculus meus, anima mea et venter meus.* Oculus est ratio, anima voluntas, venter memoria.

Circa secundum notandum quod ira tripliciter contraria est gratiæ. Primo, quia facit hominem indignum Dei misericordia Eccl., XXIII : *Homo homini servat iram, et a Deo quærit medelam ;* quasi dicat, frustra quærit, quia non habebit eam. Secundo, quia non permittit hominem Dei justitiam facere. Jac., I : *Ira enim viri justitiam Dei non operatur.* Tertio, quia auferi homini orandi fiduciam. I Tim., II : *Volo viros orare in omni loco sine ira et disceptatione.*

Circa tertium notandum quod iracundus facile incurrit triplex homicidium. Primo, homicidium sui. Job, IV : *Virum stultum interficit iracundia.* Secundo, homicidium animæ proximi, quem provocat ad discordiam et odium. Prov., XV : *Vir iracundus provocat rixas; et qui patiens est, mitigat suscitatas.* Prov., XXII : *Noli esse amicus homini iracundo, et ne ambules cum viro furioso, ne forte discas semitas ejus.* Tertio, homicidium corporis proximi. Eccli., VIII : *Cum iracundo non facias rixas, nec cum audace eas in desertum : quoniam quasi nihil ante illum est sanguis, et ubi non est adjutorium, allidet te.*

SERMO XCV.

De eodem.

Reus erit judicio. Nota quod tripliciter judicabitur quilibet peccator in judicio. Primo, a seipso ; secundo, ab omni creatura ; tertio, a Deo. Primo, a sua conscien-

tia. Roman., II : *Testimonium reddente illis conscientia ipsorum, inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, in die, cum judicabit Dominus occulta hominum, secundum Evangelium meum, per Jesum Christum.* Secundo, a sua malitia. Jer., II : *Arguet te malitia tua.* Tertio, a magna, quam in seipsis habebunt, angustia. Apoc., I : *Tunc plangent super se omnes tribus terræ.*

Creatura judicabit et puniet eos tripliciter. Primo, eorum malitias revelando. Job, XX : *Revelabunt cœli iniquitatem ejus.* Secundo, expugnando. Sap., V : *Accipiet armaturam zelus illius, et armabit creaturam in ultionem inimicorum;* et post : *Et pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.* Tertio, eos cruciando. Sap., XVI : *Creatura tibi factori deserviens exardescit in tormenta adversus injustos, et levior fit ad benefaciendum pro his qui in te confidunt.*

Judex puniet eos tripliciter. Primo, arguendo. Judæ, II : *Ecce venit Dominus cum sanctis millibus suis facere judicium contra omnes, et arguere omnes impios.* Secundo, confundendo. Psal. CXXXI : *Inimicos ejus induam confusione.* Jer., XXXVII : *Domine, omnes qui te derelinquunt, confundentur.* Tertio, sævissime condemnando. Matth., XXV : *Discedite a me maledicti in ignem æternum.* Ab isto judicio liberet nos Deus noster Jesus Christus. Amen.

SERMO XCVI.

De dominica septima, ex Epistola.

Sicut exhibuistis membra vestra servire iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem, Roman., VI. In ista epistola hortatur nos Apostolus ad duo. Primo, ad fugam mali, ibi : *Sicut exhibuistis membra,* etc. Secundo, ad dilectionem boni, ibi : *Ita nunc exhibete,* etc.

Circa primum assignat Apostolus in epistola ista quatuor rationes, per quas peccatum fugiendum est. Prima ratio est, quia propter peccatum anima polluitur, ibi : *Immunditiæ.* Oseæ, IX : *Facti sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt.* Secunda est, quia per peccatum homo ignominiosæ servituti subjicitur, ibi : *Cum enim servi essetis peccati.* Joan., VIII : *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati.* Tertia est, quia magna confusio per peccatum acquiritur, ibi : *Quem fructum habuistis in illis in quibus nunc erubescitis?* Rom., XVIII : *Domine, omnes qui te derelinquunt, confundentur.* Quarta, quia per peccatum homo ad mortem æternam deducitur, ibi : *Stipendia peccati mors.* Psalm. XXXIII : *Mors peccatorum pessima.*

Circa secundum notandum quod similiter ponit ibi quatuor quare bonum est eligendum. Quatuor enim bona acquirit homo ex electione boni. Primo, mentis puritatem vel sanctificationem, id est mundificationem. Matth., V : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Secundo, voluntatis æquitatem, ibi : *Justitiæ.* Justitia enim est recta voluntas. Anselmus : « Justitia est rectitudo voluntatis conservata propter se. » Tertio, spiritus libertatem, ibi : *Liberi fuistis justitiæ.* II Cor., III : *Ubi spiritus Domini, ibi libertas.* Joan., VIII : *Si Filius vos liberaverit, vere liberi eritis.* Quarto, acquirit homo bene operando vitam æternam, ibi : *Gratia autem Dei vita æterna.* Joan., VI : *Et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ.* Matth., XXV : *Ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.*

SERMO XCVII.

De eadem, ex Evangelio.

Accipiens Jesus panes, gratias agens, fregit, et dedit discipulis suis ut apponerent : et apposuerunt turbæ. Et habebant pisciculos paucos, et dedit illis, et jussit apponi, Matth., VIII. Tripliciter pascit Dominus sanctos suos. Primo, panibus corporalibus. Psal. CII : *Ut educas panem de terra.* Secundo, panibus spiritualibus. Prov., XX : *Aperi oculos tuos,* scilicet oculos cordis, « ad vigilias sanctas, et satiare panibus, scilicet sacra doctrina, vel gaudiis cœlestibus. Tertio, panibus æternalibus. Psalm. CXXXI : *Pauperes ejus saturabo panibus.*

Per istos septem panes intelliguntur septem quibus pascit Dominus fideles suos, ne deficiant in via justitiæ, sed in fortitudine eorum perveniant ad mensam cœlestis gloriæ. Primus panis est dulcissima ex desiderio gloriæ lacrymarum effusio. Psalm. XLI : *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte,* etc. Augustinus : « Fluebant mihi lacrymæ, et bene mihi erat cum illis. » Secundus, ineffabilis in verbis Dei consolatio. Matth., IV : *Non in solo pane vivit*

homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Jer., xv : *Inventi sunt sermones tui, et comedi eos, et factum est mihi verbum tuum in gaudio et lætitia cordis mei, quoniam invocatum est nomen tuum super me, Domine Deus exercituum.* Tertius est ineffabilis de sumptione Eucharistiæ delectatio. Joan., vi : *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Sap., xvi : *Panem de cœlo præstitisti illis, omne delectamentem in se habentem, et omnis saporis suavitatem.* Quartus, admirabilis de præsentia Christi dulcedo. Joan., vi : *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi.* Constat enim Christum semper habitare in cordibus justis. Quantum ergo gaudium habet qui semper Christum habet in corde! Ephes., vi : *Ut det vobis secundum divitias gloriæ suæ virtute corroborari per spiritum ejus in interiorem hominem, habitare Christum per fidem in cordibus vestris.* Quintus, æternæ beatitudinis prægustatio. Psal. lxxvii : *Panem angelorum manducavit homo.* Augustinus : « Introductus introrsus nescio ad quam dulcedinem : quæ si perficiatur in me, nescio quid sit vita æterna, nisi illa sit. « Sextus, de omni virtutum possessione gaudium; quale gaudium est habere tot dona Spiritus sancti, et illos duodecim fructus quos memorat Apostolus ad Galat., v : *Fructus Spiritus est caritas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas;* qui ideo dicuntur fructus quia animam delectabiliter reficiunt ultra quam dici possit. Proverb., ix : *Venite vos, et comedite panem meum.* Septimus panis est de conscientiæ testimonio exultatio. Proverb., xv : *Secura mens quasi juge convivium.* II Cor., i : *Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ.* Isa., xxii : *Panis ei datus est,* dicitur de viro justo.

Pisciculi sunt gaudia quæ habent justi de præsentia sanctorum, qui sunt abstracti jam de amarissimo mari hujus sæculi, qui frequenter veniunt, et consolantur justos qui sunt in via. Qui quidem pisces assi sunt martyres, ut Laurentius, et alii qui ignibus et suppliciis diversis afflicti ridebant, et sic suo risu clamabant infinitas se habere intrinsecus delicias, propter quas exteriora supplicia contemnebant. II Cor., xii : *Complaceo mihi* (id est vehementer, dicit *Superlinearis*) *in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo.* De isto convivio justorum dicitur Matth., xxiii : *Ecce prandium meum paravi, tauri mei occisi sunt.* In istis epulis sunt justi tota die, quas nescit impius. Psalm. lxvii : *Exultent justi, et epulentur in conspectu Dei.* Sic epulantur sancti in præsenti. Sed quid erit in futuro? Beatus qui manducabit panem in regno cœlorum, ad quod nos perducat Christus Jesus. Amen.

SERMO XCVIII.

De dominica octava, ex Epistola.

Si secundum carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis, Rom., viii. Tria facit Apostolus in verbis istis. Primo, monet nos ut mortificemus carnis voluptatem, ibi : *Si spiritu facta carnis mortificaveritis.* Secundo, ponit necessitatem mortificandi, ibi : *Si secundum carnem vixeritis, moriemini.* Tertio, ponit mortificationis utilitatem, ibi : *Vivetis.*

Circa primum notandum quod tripliciter debemus mortificare carnem. Primo, ejus carnalia desideria et vitia destruendo. Coloss., iii : *Mortificate membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam et avaritiam, quæ est idolorum servitus, propter quæ venit ira Dei super filios incredulitatis, in quibus et vos ambulastis aliquando, cum viveretis in illis. Nunc autem deponite et vos omnia, iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro : nolite mentiri invicem, expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum, eum qui innovatur in agnitionem secundum imaginem ejus qui creavit illum.* Secundo, eam in jejuniis et afflictionibus ad similitudinem passionis Christi macerando. II Cor., iv : *Semper mortificationem Jesu Christi in corpore vestro circumferentes, ut vita Jesu in corporibus vestris manifestetur in carne vestra mortali.* Tertio, eam in spiritualibus meditationibus affligendo. Eccle., ult. : *Frequens meditatio, carnis afflictio est.* Eccli., xxxi : *Vigilia honestatis in studio virtutum tabefaciet carnes* (*Interlinearis*, scilicet carnales voluptates) : *cogitatus illius auferet somnum, scilicet pigritiæ tædium.* In eodem : *Cogitatus præscientiæ,* scilicet qui prævidet præmia bonorum, *avertit sensum,* scilicet ab omni concupiscentia mala, *et infirmitas gravis,* scilicet corporis, *sobriam a delictis facit animam.*

Circa secundum notandum quod necesse habemus mortificare carnem, quia si secundum carnem vixerimus, moriemur; sequitur enim ex voluptate carnis triplex mors. Prima mors culpæ; secunda mors naturæ, Eccli., XXXVII : *Propter crapulam multi perierunt;* tertia mors gehennæ, Gal., VI : *Qui in carne sua seminat, de carne et metet corruptionem,* etc. Psal. XXXIII : *Mors peccatorum pessima.*

Circa tertium notandum quod ex mortificatione carnis triplex vita acquiritur. Prima est prolongatio vitæ naturæ. Eccli., XXXVII : *Qui abstinens est, adjiciet vitam.* Secunda, vita gratiæ. Rom., VIII : *Prudentia spiritus, vita et pax.* Tertia est prolongatio vitæ gloriæ. II Corinth., IV : *Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in corporibus nostris.*

SERMO XCIX.

De eadem, ex Evangelio.

Omnis arbor bona fructus bonos facit, et omnis arbor mala malos fructus facit, Matth., V. Tria genera arborum quæ sunt in insula hujus mundi ponit Dominus in evangelio isto. Primo, ponit arborem facientem fructus bonos, ibi : *Omnis arbor bona;* secundo, facientem fructus malos, ibi : *et omnis arbor mala;* tertio, arborem facientem nullos, ibi : *omnis arbor quæ non facit fructus bonos.*

Primam arborem commendat a tribus. Primo, a fructuum multiplicitate, ibi : *fructus.* Pluraliter dicit *fructus,* ut ostendat quod justus, qui hic dicitur arbor bona, debet fructus multos producere. Debet enim producere duodecim fructus. Primus fructus quem debet producere est caritas; secundus fructus est gaudium; tertius, pax; quartus, patientia; quintus, longanimitas; sextus, bonitas; septimus, benignitas; octavus, mansuetudo; nonus, fides; decimus, modestia; undecimus, continentia; duodecimus, castitas. De his omnibus, Gal., V : *Fructus autem spiritus, caritas, gaudium, pax,* etc. Secundo commendat eam a fructuum pretiositate, ibi : *bonos.* Patet autem bonitas istorum fructuum, quia talibus fructibus acquiritur regnum Dei, et tales fructus faciunt arbores paradisi. Rom., XIV : *Regnum Dei non est esca et potus, sed justitia, et pax, et gaudinm in Spiritu sancto.* Tertio, commendat eam a fructificandi assiduitate, ibi : *facit,* præsentis temporis est, in quo ostenditur quod semper est in actu fructificandi. Jerem., XVII : *Benedictus vir qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia ejus. Et erit quasi lignum quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas, et non timebit cum venerit æstus. Et erit folium ejus viride, et in tempore siccitatis non erit sollicitum, nec aliquando desinet facere fructum.* Ezech., XLVII : *Et super torrentem orietur in ripis ejus ex utraque parte omne lignum pomiferum : non defluet flos ex eo, et non deficiet fructus.* De his tribus, Apoc., XXII : *Ex utraque parte fluminis omne lignum vitæ,* ecce fructuum pretiositas; qui enim comedunt fructus istos, vivunt in æternum : *afferens fructus duodecim,* ecce fructuum multiplicitas; *per menses singulos reddens fructum suum,* ecce fructificandi continuitas.

Circa secundam arborem ponit tria mala. Primo malorum fructuum mortificationem, ibi : *fructus;* in hoc enim quod pluraliter dicit *fructus,* innuit quod malus homo, qui hic dicitur mala arbor, facit multos malos fructus, id est mala opera. Enumerat autem Apostolus decem et septem fructus malæ arboris. Gal., V : *Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, commessationes, et his similia : quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Secundo, fructuum perversitatem, ibi : *malos.* Matth., XII : *Malus homo de malo thesauro propter mala.* Tertio, malefaciendi assiduitatem, ibi : *facit.* Oseæ, IV : *Fornicati sunt, et non cessaverunt.*

Circa tertiam arborem notandum quod tria genera sunt arborum quæ faciunt fructus nullos. Prima est quæ facit frondes sine floribus. Hi sunt qui habent verba sine operibus. Matth., XXI : *Et videns Jesus ficulneam arborem unam secus viam, venit ad illam, et nihil invenit in ea nisi frondes, et ait illi : Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum, et arefacta est continuo ficulnea,* etc. Secunda, quæ facit flores sine fructibus; hi qui faciunt in apparentia opera, sed non vere. II Tim., III : *Habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes.* Job., XII : *Cum adhuc sit in flore, nec carpatur manu, ante omnes herbas*

arescit; sic viæ hominum qui obliviscuntur Dominum, et spes hypocritæ peribit. Tertia, quæ facit fructus, sed inutiles penitus. Sap., IV : *Fructus eorum acerbi et inutiles ad manducandum.* De talibus arboribus dicitur Judæ, II : *Arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ.* Sed væ talibus arboribus, nam excidentur securi divini judicii, et mittentur in æternum ignem inferni. Matth., III : *Jam securis ad radicem arboris posita est. Omnis arbor quæ non facit fructus bonos, excidetur, et in ignem mittetur;* a quo igne liberet nos Dominus. Amen.

SERMO C.

De dominica nona, ex Epistola.

Neque idololatræ efficiamini, sicut quidam ex ipsis, etc., I Cor., X. Duo facit hic Apostolus. Primo, monet ut caveamus ab idololatria spiritualium, ibi : *Neque idololatræ efficiamini.* Loquebatur enim fidelibus, qui jam idola nulla habebant; unde patet quod monebat cavere ab idololatria quæ consistit in vitiis. Secundo, comparat idololatriam spiritualem idololatriæ corporali, ibi : *Sicut quidam ex ipsis,* qui vitulum et alia idola adoraverunt.

Circa idololatriam corporalem, nota quod triplex erat. Prima, in astris. Secunda, in elementis. De his duabus, Sap., XIV : *Aut ignem, aut citatum aerem, aut nimiam aquam* ecce idololatria in elementis; *aut gyrum stellarum, aut solem, aut lunam, rectores orbis terrarum deos putaverunt,* ecce in astris idololatria. Tertia, in animalibus. Rom., I : *Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominum, et volucrum, et quadrupedum, et serpentium.* Idololatria in astris significat superbiam; unde primus superbus dixit, Isa., XIII : *In cœlum conscendam, super astra cœli exaltabo solium meum, sedebo in loco testamenti, in lateribus aquilonis; ascendam super altitudinem nubium et ero similis Altissimo.* Augustinus : « Et putabant se excelsos cum sideribus et fulgidos, et ecce ruerunt in terram. » Idololatria elementorum significat idololatriam avarorum. Coloss., III : *Avaritia, quæ est idolorum servitus.* Idololatria in animalibus est carnalis concupiscentia, quæ est in carnis voluptatibus. Judæ, 10 : *Quæcumque naturaliter, tanquam animalia, norunt, in his corrumpuntur.* De his tribus, Jac., III : *Non est ista sapientia desursum descendens, sed terrena* per avaritiam, *animalis* per luxuriam, *diabolica* per superbiam.

De septem idolis quæ adorabant gentiles, quære in sequenti dominica.

SERMO CI.

De eadem, ex Evangelio.

Redde rationem villicationis tuæ, Luc., XVI. Istud verbum dicetur cuilibet in morte vel in judicio. Oportet enim quod omnes veniant ante tribunal Christi cœlestis judicis, ut reddant rationem de omnibus factis suis. II Cor., V : *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis sui, prout gessit, sive bonum sive malum,* etc. Et ideo debet quilibet homo cogitare quomodo tunc sciat rationem reddere. Debemus autem tria cogitare circa rationem illam. Primo, reddendi rationem difficultatem; secundo, testium, qui accusabunt malam rationem reddentes, veritatem; tertio, sententiæ quæ dabitur contra eos qui malam rationem reddiderunt, severitatem.

Circa primum notandum, quia erit difficile tunc reddere rationem de omnibus cogitatis. Ps. LXXV : *Cogitatio hominis confitebitur tibi.* Sap., V : *Et in cogitationibus impii erit interrogatio.* Secundo, de dictis. Matth., XII : *Dico autem vobis quod de omni otioso verbo quod locuti fuerint, homines reddent rationem in die judicii.... Ex verbis enim tuis justificaberis,* etc. Tertio, de omnibus factis. Eccle., XII : *Cuncta quæ fiunt, adducet Dominus in judicio pro omni abscondito, sive bonum sive malum.*

Circa secundum notandum quod tres testes veracissimi accusabunt impios in judicio. Primus testis erit Deus. Malach., III : *Accedam ad vos in judicio, et ero testis velox maleficis, et adulteris, et perjuris, et qui calumniantur mercedem mercenarii, et humiliant viduas et pupillos, et opprimunt peregrinum; nec timuerunt me, dicit Dominus exercituum. Ego enim Dominus et non mutor,* etc. Secundus erit conscientia. Rom., II : *Testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, in die cum judicabit Dominus occulta hominum secundum Evangelium meum per Jesum Chris-*

tum. Tertius erit omnis creatura. Job, xx : *Revelabunt cœli iniquitatem ejus, et terra adversus eum consurget.* Unde quidam sanctus Pater dixit : « Reddituri sumus rationem coram cœlo et terra, et tu rides? »

Circa tertium notandum quod in tribus apparebit severitas sententiæ. Primo, quia omnibus bonis expoliabuntur. Augustinus in lib. *De civit. Dei :* « In extremo supplicio recte fit ut iniqui et impii naturalium bonorum damna in cruciatibus defleant, sentientes eorum ablatorem justissimum Deum, quem contempserunt largitorem benignissimum. » Job, xx : *Divitias quas devoravit, evomet, et de ventre ejus extrahet eas Deus.* Secundo, quia ardentissimi ignis incendio cruciabuntur. Isa., ult. : *Ignis eorum non extinguetur.* Tertio, quia in æternum non liberabuntur. Matth., xxv : *Discedite a me,* sine quo non potest esse bonum, ecce primum; *in ignem,* ecce secundum ; *æternum,* ecce tertium. A quo igne liberet nos Christus Jesus, etc. Amen.

SERMO CII.

De dominica decima, ex Epistola.

Nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto, I Cor., xii. In istis verbis ostenditur quanta sit virtus nominis Jesu, quem nullus potest in veritate nominare, nisi in Spiritu sancto ; et ideo istud nomen est semper in ore habendum, in corde custodiendum, in aure tenendum, in fronte scribendum, in manu ferendum, etc.

Quære inter festivos in Circumcisione Domini.

SERMO CIII.

De eadem Epistola.

Scitis quia cum gentes essetis, ad simulacra muta, prout ducebamini, euntes, I Cor., xii. Septem simulacra adorabant gentiles ad honorem septem planetarum, quæ significant septem vitia, quæ adorant in mundo falsi christiani.

Primum erat simulacrum Saturni, et significat invidiam propter tria. Primo, quia dicitur esse malevolus : sic invidus, quia malum proximi desiderat, et in eo lætatur; unde bene invidia sic describitur : Invidia est dolor alienæ felicitatis. Philosophus : « Utinam invidi in omni civitate haberent oculos, ut de bonis omnium torquerentur. » Secundo, quia frigidus : sic invidus per carentiam caloris caritatis. Matth., xxiv : *Quia abundavit iniquitas, refrigescet caritas multorum.* Tertio, quia siccus : sic invidus est siccus ab omni humore gratiæ; nihil enim plus evacuat hominem gratia quam invidia.

Secundum simulacrum erat Jovis, qui significat gulam propter tria. Primo, quia, ut dicebant, patrem de regno expulit : sic primum patrem humani generis expulit de regno, id est de paradiso. Gen., iii : *Qui comedit; et aperti sunt oculi amborum;* et post : *Emisit eos Dominus de paradiso voluptatis,* etc. Secundo, quia adulteria multa commisit : sic gula causa est multorum adulteriorum. Jer., v : *Saturavi eos, et mœchati sunt, et in domum meretricis luxuriabantur.* Tertia, quia est planeta humidus; et gula generat et multiplicat humores qui sunt causa putrefactionis. Joel., i : *Putruerunt jumenta in stercore suo.* Jumenta in stercore putrescere est carnales quosque in carnis luxuria vitam finire.

Tertium est simulacrum Martis, quod significat iram propter tria. Primo, quia dicitur dominari in præliis, et ita discordiam et bella concitat. Prov., xv : *Vir iracundus concitat rixas.* Eccli., xxviii : *Homo iracundus incitat litem.* Secundo, quia est planeta igneus propter nimium calorem et ira procedit ex inflammatione choleræ circa cor. Eccli. : *Sicut ligna silvæ, sic ignis exardescet, et secundum virtutem suam, sic iracundia illius erit.* Tertio, quia et siccando et calefaciendo efficit hominem impetuosum. Prov., xxvii : *Ira non habet misericordiam, nec erumpens furor,* etc.

Quartum erat simulacrum Solis, quod significat superbiam propter tria. Primo, quia solus lucet; et superbus se lucere existimat et appetit. Luc., xviii : *Non sum sicut cæteri hominum;* vox est pharisæi superbi. Secundo, propter ardorem ambitionis. Augustinus : « Quid est superbia nisi perversus celsitudinis appetitus? » Tertio, quia sicut Sol obscurat alia lumina, sic superbus vult omnes alios obfuscare, ut solus appareat, sicut apparet in phariseo superbo. Luc., xviii : *Non sunt sicut cæteri homines, adulteri, raptores, injusti, velut hic publicanus.*

Quintum erat simulacrum Veneris. Venus autem significat luxuriam propter tria.

Primo, quia est planeta calidus ; secundo, quia humidus ; et hæc duo maxime sunt causa luxuriæ. De primo, Oseæ, VII : *Omnes adulterantes quasi clibanus succensus a coquente.* De secundo, Hieronymus : « Venter mero affluens, cito spumat in libidinem. » Tertio, quia est pulcherrimus planetarum, et pulchritudo est causa luxuriæ. Ezech., XVI : *Habens fiduciam in pulchritudine tua, fornicata es nomine tuo, et exposuisti fornicationem tuam cum transeuntibus.* Poeta.

Fœdera servasti, si vere forma fuisset.

Sextum erat simulacrum Mercurii, qui significat avaritiam propter tria. Primo, quia erat deus mercatorum, et avaritia maxime in mercatoribus exercetur. Prov., XXVI : *Qui mittit lapidem in acervum Mercurii. Glossa :* « Mercurius est deus mercatorum, et sic turbatur computatio per missionem lapidis quæ mittitur. Ephes., V : *Avaritia quæ est idolorum servitus.* Secundo, quia est frigidus ; et avarus est frigidus propter carentiam fraternæ dilectionis. Jer., VI : *Omnis calumnia in medio ejus. Sicut frigidam facit cisterna aquam suam, sic frigidum fecit malitia sua;* et parum post : *A minore usque ad majorem omnes avaritiæ student.* Tertio, quia est planeta malevolus, et avaro quid nequius? Eccli., X : *Nihil iniquius quam amare pecuniam.*

Septimum est simulacrum Lunæ, et significat accidiam propter tria. Primo, propter mutabilitatem. Eccli., XXXVII : *Stultus ut luna mutatur.* Item in eodem XXVI : *Homo sapiens in sapientia sua manet, sicut sol : nam stultus ut luna mutatur; Interlinearis :* « quia instabilis et inconstans. » Secundo, propter pigritiæ frigiditatem. Proverb., XX : *Propter frigus piger arare noluit.*

SERMO CIV.

De eadem, ex Evangelio.

Circumdabunt te inimici tui vallo, et circumdabunt te, et coangustabunt te undique, et ad terram prosternent te, etc., Luc., XIX. In istis verbis prædicit Dominus adversitatem quæ secutura est vanam hujus mundi prosperitatem : circa quam tria notantur. Primo, ipsius adversitatis universalitas, ibi : *Circumdabunt te.* Secundo, pœnarum quæ in ipsa erit multiplicitas, ibi : *et coangustabunt te undique.* Multitudo est causa coangustationis. Tertio, ejusdem adversitatis æternitas, ibi : *ad terram prosternent te;* id est, ita penitus destruent, quod nunquam poteris liberari.

Circa primum notandum quod ab octo partibus venient mala reprobis. Primo, a terra quæ eos devorabit. Psalm. CV : *Aperta est terra, et deglutivit eos.* Job, XX : *Et terra consurget adversus eos.* Secundo ab aqua, quæ eos suffocabit. Sapient., V : *Excandescet in illos aqua maris, et flumina concurrent duriter.* Tertio, ab aere, qui eos fulgurabit. Sap., V : *Ibunt directe emissiones fulgurum, et tanquam a bene curvato arcu nubium exterminabuntur, et ad certum locum insilient.* Quarto, ab igne, qui eos consumet. Psalm. LXVI : *Ignis ante ipsum præcedet, et inflammabit in circuitu inimicos ejus.* Quinto, a sole, luna et stellis, quæ se eis obscurabunt. Joel, III : *Sol et luna obtenebrati sunt, et stellæ retraxerunt lumen suum. Sol convertetur in tenebras,* etc. Matth., XXIV : *Sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum.* Sexto, a sanctis, qui eos condemnabunt. Matth., XIX : *Sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.* Septimo, a Domino Jesu Christo, qui eos judicabit. Matth., XXV : *Tunc dicet rex his qui a sinistris ejus erunt : Discedite a me maledicti in ignem æternum.* Octavo, ab angelis qui eos in infernum portabunt. Matth., XIII : *Exibunt angeli, et separabunt malos de medio justorum, et mittent eos in caminum ignis,* etc.

Circa secundum notantur hic octo pœnæ malorum, quæ valde angustiabunt eos. Primo, erit summæ ignorantiæ cæcitas ad tormentum rationalis. Gregorius : « In tormentis positis, nihil præter tormenta scire licebit. » Secundo, erit continua odii et iræ angustia ad irascibilis tormentum. Psal. CXI : *Peccator videbit, et irascetur.* Tertio, erit omnis suavitatis ad pœnam concupiscibilis carentia. Gregorius : « Quæ potest esse major miseria, quam semper velle quod nunquam est, et semper nolle quod semper erit? » Nil enim quod desiderat habebit impius. Psalm. CXI : *Desiderium peccatorum peribit.* Quarto, erit continuus sonitus flentium et ululantium ad pœnam auditus. Job, XV : *Semper sonitus terroris in auditu ejus est.* Jac., V : *Agite nunc, divites, plorate et ululate.* Quinto, erit continua ad

pœnam oculorum effusio lacrymarum corpora comburentium. Luc., v : *Væ vobis qui ridetis, quia flebitis.* Job, xx : *Luet quæ fecit omnia, nec tamen consumetur.* In *Vitis Patrum :* « Oremus, filii, antequam veniamus ad locum ubi lacrymæ urent corpora nostra. » Sexto, erit intolerabilis fœtor ad olfactus supplicium. Isa., III : *Erit pro suavitate odoris fœtor.* Septimo, erit ad pœnam gustus, cibus et potus amarissimus. Jer., XVI : *Cibabo populos absinthio, et potum dabo eis aquam fellis.* Octavus erit ignis ardentissimi et perpetui incendii. Isa., ult. : *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur,* etc. Quomodo ergo stulti sunt qui ad tot mala perpetua obligant se pro momentaneis delectationibus! Gregorius : « Momentaneum est quod delectat, æternum quod cruciat. »

SERMO CV.

In dominica undecima, ex Epistola.

Notum vobis facio Evangelium quod prædicavi vobis, etc., I Cor., xv. In ista epistola tria facit Apostolus. Primo, commendat suam prædicationem, ibi : *Notum vobis facio Evangelium;* secundo, probat Christi resurrectionem, ibi : *Tradidi enim vobis;* tertio, ponit gratiæ commendationem, ibi : *Gratia Dei sum id quod sum.*

Circa primum tria facit. Primo, commendat suam prædicationem, ibi : *Annuntio vobis.* Evangelium dicitur bona annuntiatio, quia annuntiat bona æterna. Secundo, ab acceptione, ibi : *Quod accepistis;* id est, dignum acceptione judicastis. Tertio, ab effectu, ponit enim duplicem effectum. Primum, quia per ipsum stant in bonis meritoriis, ibi : *In quo et statis.* Secundum, quia per ipsum digni sunt æternæ salutis habere præmia, ibi : *Per quod et salvamini.*

Circa secundum notandum quod resurrectionem Christi probat sex modis. Ponit enim hic sex apparitiones : tres factæ fuerunt singularibus personis et tres multitudini. Prima Petro. *Deinde visus est et Jacobo.* Tertia Paulo, ibi : *Novissime autem tanquam abortivo visus est et mihi.* Quarta undecim discipulis, ibi : *Post hæc undecim discipulis.* Quinta, quingentis : *Deinde quingentis fratribus.* Deinde apostolis omnibus.

Circa tertium, quatuor facit Apostolus. Primo dicit quod per gratiam apostolatum accepit, ibi : *Gratia Dei sum id quod sum.* Secundo, quod gratiam istam non in vacuum accepit, ibi : *Et gratia ejus in me vacua non fuit; sed plus omnibus laboravi.*

SERMO CVI.

De eadem Epistola.

Gratia Dei sum id quod sum, I Cor., xv. In istis verbis tria notantur. Primo, magna Dei liberalitas, ibi : *Gratia Dei sum id quod sum;* secundo, gratiæ utilitas, ibi; *et gratia ejus in me vacua non fuit;* tertio, liberi arbitrii debilitas, ibi : *Non autem ego.*

Circa primum notandum quod in tribus apparet magna Dei bonitas ad peccatores, quæ apparuit in Paulo. Primo, in magnorum peccatorum vocatione, ibi : *Quia persecutus sum Ecclesiam Dei.* I Timoth., I : *Jesus Christus venit peccatores salvos facere, quorum primus,* id est maximus, *ego sum.* Secundo, in abundantioris gratiæ collatione. Rom., VI : *Ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia.* Hæc notantur ibi: *Gratia Dei sum id quod sum;* tam magnus apostolus, talis, ac tantus. Tertio, in specialis familiaritatis exhibitione. Job, XXII : *Si reversus fueris ad Omnipotentem, ædificaberis, et elongabis iniquitatem a tabernaculo tuo;* et post : *Tunc super Omnipotentem deliciis affues, et elevabis ad eum faciem tuam.*

Circa secundum notanda hic multiplex utilitas gratiæ. Prima est, quia mundat ab omni peccati macula. Rom., III : *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiatorem per fidem ipsius.* Secundo, quia ab omni miseria liberat. Rom., VII : *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum.* Tertio, quia in bono corroborat. Hebr., x : *Optimum est enim gratia stabilire cor.* Quarto, mentem illuminat. Job, XXXV : *Super quem non fulgebit lumen illius?* Quinto, mentem delectat; unde sic describitur : Gratia est delectatio cordis. Sexto, possessorem suum lætificat. Psal. CIII : *Ut exhilaret faciem in oleo.* Unde *Glossa* ibi : « Gratia est quidam nitor animæ ad conciliandum sanctum amorem. » Septima ducit hominem ad æternæ vitæ gloriam. Rom., VI : *Gratia autem Dei vita æterna.*

Circa tertium notandum quod in tribus apparet debilitas liberi arbitrii. Primo, quia pronum est ad male faciendum. Gen., VIII : *Sensus hominis et cogitatio humani cordis proni sunt in malum ab adolescentia sua.* Secundo, quia non est potens per se ad surgendum, cum ceciderit in mortale peccatum. Psal. LXXVII : *Homo est spiritus vadens et non rediens.* Tertio, quia non est potens ad aliquod bonum faciendum. II Cor., III : *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis.*

Est ergo semper fugiendum ad adjutricem gratiam, quæ ultro se offert omnibus, et per quam omnia possumus, quam Dominus det nobis, etc. Amen.

SERMO CVII.

De eadem, ex Evangelio.

Duo homines ascenderunt in templum, Luc., XVIII. In isto evangelio tria possunt notari. Primo, magna pharisæi superbia, ibi : *Pharisæus stans, hæc apud se orabat : Gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri homines, raptores, adulteri, injusti,* etc. Secundo, vera publicani humilitas, ibi : *Publicanus a longe stans,* etc. Tertio, magna Dei justitia in donum suum, ibi : *Amen dico vobis, descendit hic justificatus ab illo.*

Circa primum notandum quod in tribus apparuit superbia pharisæi. Primum, quia simpliciter se justum cogitabat, ibi : *non sum sicut cæteri homines; Interlinearis :* « Quasi, solus justus sum. » Secundo, quia cæteros despiciebat, ibi : *raptores, injusti. Glossa :* « Despectis omnibus, appetit singulariter videri habere quod non habet. » Tertio, quia bona sua arroganter jactabat, ibi : *jejuno bis in sabbato. Glossa :* « Qui ascendit orare, non orat, sed se laudat. » Isti sunt tres actus superbiæ, sicut dicit *Glossa,* quæ sic incipit : « Quatuor sunt timoris species, » etc.

Circa secundum notandum quod in tribus apparuit humilitas publicani. Primo, quia longe tanquam indignus ingredi templum Dei, stabat, ibi : *a longe.* Secundo, quia indignum se videre templum judicabat, ibi : *nolebat nec oculos ad cœlum levare*, etc. Tertio, quia se peccatorem judicabat et asserebat, ibi : *Percutiebat pectus suum, dicens : Deus, propitius esto mihi peccatori.* Isti sunt tres actus humilitatis. *Glossa :* « Sicut ibi habemus, non audet humilis appropinquare, ut Deus appropinquet ei, » ecce primum ; « non aspicit, ut aspiciatur, » ecce secundum ; « agnoscit, ut ipse Deus ignoscat, » ecce tertium.

Circa tertium notandum quod in tribus apparet in isto evangelio justitia Christi. Primo, in humilis publicani justificatione; secundo, in superbi pharisæi condemnatione; tertio, in omni superborum condemnatione, et humilium exaltatione. Primum, ibi : *Descendit justificatus.* Secundum, ibi : *ab illo; Glossa :* « id est præ illo, ad comparationem illius, vel plusquam ille. *Glossa :* Ante ruinam exaltatur cor, quod pertinet ad pharisæum; et ante gratiam humiliatur, quod ad publicanum. » Tertium, ibi : *Omnis qui se exaltat humiliabitur. Glossa :* « Posita publicani et pharisæi controversia, postea ponitur judicis sententia, ut caveamus superbiam, teneamus humilitatem, quæ exaltat hominem in æterna gloria. Job, XXII : *Qui humiliatus fuerit, erit in gloria.* Ad quam nos, etc.

SERMO CVIII.

Ad idem, ex Evangelio.

Deus, propitius esto mihi peccatori, Luc., XVIII. Ista est oratio peccatoris quærentis misericordiam a Deo. Primo, ponit benevolentiæ captationem a Domino, ibi : *Deus*; secundo, format suam petitionem, ibi : *propitius esto;* tertio, subjungit petitionis rationem, ibi : *mihi peccatori.*

Circa primum notandum quod propter tria possumus firmiter sperare quod Deus det misericordiam omnibus petentibus eum. Primo, quia habet multum de misericordia. Ephes., I : *Deus, qui dives est in misericordia.* Secundo, quia proprium est Dei misereri. Gregorius : « Deus cui proprium est misereri semper et parcere. » Isa., LV : *Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas, et revertatur ad Dominum, et miserebitur ejus.* Tertio, quia longam habet consuetudinem miserendi; ab æterno enim et usque in æternum effundit misericordias suas super confugientes ad eum. Psal. CII : *Misericordia Domini ab æterno et usque in æternum super timentes eum.*

Circa secundum notandum quod oratio quam formavit, est multum bona propter

tria. Primo, propter brevitatem. Matth., VI : *Cum oratis, nolite multum loqui, sicut ethnici : putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur.* Secundo, propter necessitatem; petitur enim hic venia, quæ est omnibus necessaria. I Joan., I : *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, et veritas in nobis non est.* Augustinus : « Nil laudabile est in vita hominum, si remota misericordia discutias eam. » Tertio, propter utilitatem impetrandi peccatorum remissionem, et gratiæ infusionem; unde sequitur : *Descendit hic justificatus ab illo.*

Circa tertium notandum quod tria debet habere peccator qui vult sibi Deum habere propitium quæ habuit iste publicanus. Primo, magnam cordis humilitatem et contritionem, ibi : *a longe stans.* Psal. L : *Cor contritum et humiliatum Deus non despicies.* Secundo, peccatorum suorum confessionem, ibi : *Hæc apud se orabat : Deus, propitius esto mihi peccatori.* Prov., XXVIII : *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur, qui autem confessus fuerit, et reliquerit ea, misericordiam consequentur,* etc. Psal. XXXI : *Dixi : Confitebor adversum me injustitiam meam Domino; et tu remisisti impietatem peccati mei.* Tertio, punitionem sive satisfactionem, ibi : *Percutiebat pectum suum.* Augustinus : « Pœnas de se exigebat. » Matth., III : *Facite fructus dignos pœnitentiæ,* etc.

Omnis qui se exaltat, humiliabitur. Quære in dominica decima octava post Pentecosten.

SERMO CIX.

De dominica duodecima, ex Epistola.

Fiduciam talem habemus per Christum ad Deum, etc., II Corinth., III. Apostolus in ista epistola intendit commendare mysterium Novi Testamenti, circa quod tria facit. Primo, agit de ministrandi utilitate, ibi : *Fiduciam talem habemus;* secundo, de ministrorum idoneitate, ibi : *Qui et idoneos nos fecit;* tertio, de rei ministrandæ utilitate, ibi : *Quod si ministratio.*

Circa primum tria facit. Primo, fiduciam ministrandi non sibi attribuit, ibi : *Fiduciam talem habemus per Christum ad Deum;* secundo, dicit quod non est a se, ibi : *Non quod sufficientes simus;* tertio, ostendit quod omnis sufficientia et voluntas operis est a Deo, ibi : *Sed sufficientia nostra ex Deo est.*

Circa secundum similiter tria facit. Primo, dicit quod Deus fecit eos ministros Novi Testamenti, ibi : *Qui idoneos nos fecit ministros;* secundo, ostendit dignitatem Novi Testamenti, quoniam non est in littera occidente, sed in spiritu vivificante, ibi : *Non littera, sed spiritu;* tertio, ostendit quod facit eos ipsos ministros Novi Testamenti, scilicet quia confert vitam, ibi : *Littera occidit, spiritus autem vivificat.*

Circa tertium similiter tria facit; ostendit enim quod res Novi Testamenti est dignior et utilior propter tria. Primo, quia illa erat pars mortis, hæc est spei, ibi : *Quod si ministratio mortis,* etc.; secundo, quia illa damnationis, hæc justitiæ, ibi : *Nam si ministratio damnationis,* etc.; tertio, quia illa transiens, hæc permanens, ibi : *Nam nec glorificatum est quod claruit in hac parte propter excellentem gloriam. Si enim quod evacuatur, in gloria est; multo magis quod manet, in gloria est.*

SERMO CX.

De eadem, ex Epistola.

Fiduciam talem habemus per Jesum ad Deum, II Corinth., III. Apostolus tria facit in verbis istis. Primo, agit de fiducia sanctorum, ibi : *Fiduciam talem habemus;* secundo, ostendit propter quod sit ei fiducia, ibi : *per Christum;* tertio, ostendit in quo sancti habuerunt fiduciam, ibi : *ad Deum.*

Nota, quod duplex est fiducia, scilicet bona et mala. Fiducia bona est sanctorum vel bonorum; fiducia vero mala est fiducia malorum sive peccatorum.

Fiducia bonorum, sicut colligitur ex textu, consistit in septem. Primo, in Dei timore. Prov., XIV : *In timore Domini fiducia fortitudinis, et filiis ejus,* scilicet timoris, *erit spes.* Secundo, in oratione, II Paral., XVI : *Invenit fiduciam servus tuus, ut oret te,* I Joan., III : *Carissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum; et quicquid petierimus, accipiemus ab eo; quia quæ sunt placita coram eo, facimus.* Tertio, in sui ad Deum conversione. Job, II : *Si iniquitatem, quæ est in manu tua, abstuleris a te, et non manserit in tabernaculo tuo injustitia : tunc levare poteris faciem tuam absque macula, et eris stabilis, et non time-*

bis. Miseriæ quoque oblivisceris, et quasi aquarum quæ pertransierunt, non recordaberis. Et quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperam : et cum te consumptum putaveris, orieris ut lucifer. Habebis fiduciam, proposita tibi spe, et defessus* securus dormies. Requiesces et non erit qui te exterreat : et deprecabuntur faciem tuam populi**. Quarto, in eleemosynæ largitione. Tob., IV : *Magna erit fiducia coram summo Deo eleemosyna.* Quinto, in legis divinæ observatione. Prov., XXXIII : *Fili mi, inclina aurem tuam, et audi verba sapientium; appone autem cor ad doctrinam meam, quia pulchra erit cum servaveris eam in corde tuo, et redundabit in labiis tuis, ut sit in Domino fiducia tua,* silicet non in mundo, vel in aliquo alio. Sexto, in sanguine Christi. Hebr., XI : *Habentes, fratres, fiduciam in introitu sanctorum, in sanguine Christi, qui intravit nobis viam novam.* Septimo, in die judicii. I Joan., IV : *In hoc est perfecta caritas Dei nobiscum, ut fiduciam habeamus in die judicii, quia sicut ille est, et nos sumus in hoc mundo.*

* *Præterierunt recordaberis.*
* *Defossus.*
* *Plurimi.*

Item fiducia malorum consistit in septem sicut colligitur ex textu. Primo, in divitiis, Jerem., XLIX : *Quid gloriaris in vallibus? Defluxit vallis tua, filia delicata, quæ confidebas in thesauris tuis.* Secundo, in astutiis et malitiis. Isa., XLVII : *Et fiduciam habuisti in malitia, et dixisti : Non est qui videat me. Sapientia tua et scientia tua hæc decepit te; et dixisti in corde tuo : Ego sum et præter me non est altera.* Tertio, in falsa potentium fortitudine, Isa., XXXIX : *Væ filii desertores;* et post : *Sperantes auxilium in fortitudine Pharaonis, et habentes fiduciam in umbra Ægypti. Et erit vobis fortitudo Pharaonis in confusionem, et fiducia umbræ Ægypti in ignominiam.* Pharao, princeps sæcularis; umbra Ægypti, potentia sæcularis. Bene autem Pharao erit vobis in confusionem, quia sæpe a quibus speratur auxilium, intervenit nocumentum. Umbra quoque potentiæ sæcularis cedit in ignominiam; juxta quod Isa., XLIII : *Confundantur omnes qui confidunt in sculptilibus,* id est simulacro potentiæ, et potenti. Quarto, in vana carnis pulchritudine. Ezech., XII : *Habens fiduciam in pulchritudine tua, fornicata es in nomine tuo, exposuisti fornicationem tuam omni transeunti.* Quinto, in turrium et murorum munitione. Deut., XXVIII : *Donec disperdat et conterat in cunctis urbibus tuis et destruantur muri tui firmi atque sublimes, in quibus habebas fiduciam in omni terra tua.* Sexto, in dæmonum invocatione. Deut., XXII : *Ubi sunt dii eorum, in quibus habebant fiduciam?* Septimo, in exteriori et apparenti conversatione. Job, VIII : *Et spes hypocritæ peribit : non enim placebit Deo verecundia sua, et sicut tela aranearum fiducia sua.* Ab illa fiducia liberet nos Christus.

SERMO CXI.

De eadem, ex Evangelio.

Adducunt ei surdum et mutum, et deprecabantur eum ut imponat illi manum, Marc., VII. Moraliter in isto evangelio tria notantur. Primo, quod magna sit et multiplex cujuslibet peccatoris infirmitas, ibi : *surdum et mutum;* secundo, quæ sint ad ejus curationem necessaria, ibi : *et deprecabantur eum;* tertio, quod multiplex sequatur ex ejus curatione utilitas, ibi : *apertæ sunt aures ejus.*

Circa primum notandum quod tres graves infirmitates incurrit quilibet peccator, quando peccat mortaliter. Primo, cæcitatem, per mentis obtenebrationem. Sophon., I : *Ambulabunt ut cæci, quoniam Domino peccaverunt.* Ephes., IV : *Tenebris obcæcatum habentes intellectum, alienati sunt a via Dei per ignorantiam, quæ est in illis propter cæcitatem cordis ipsorum, qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ in operationem immunditiæ omnis, in avaritiam.* Secundo, surditatem per inobedientiæ rebellionem. Isa., XXXIII : *Quis cæcus nisi servus meus, et surdus nisi ad quem nuntios misi?* Psal. XVII : *Furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ, et obturantis aures suas.* Tertio, mutitatem per peccatorum suorum occultationem. Isa., LVI : *Universi canes muti, non valentes latrare.* Job, XX : *Cum dulce fuerit in ore ejus malum, abscondit illud sub lingua.* De his tribus, *Glossa* istius evangelii : « Genus humanum, tanquam unus homo, varia peste absumptum in protoplasto cæcatur, dum videt cæcus fit, surdus dum audit, obmutescit dum loquitur. »

Circa secundum notandum quod duo concurrunt ad curationem istius infirmi, et significant tria quæ sunt necessaria ad curationem peccatoris. Primo, sanctorum et Ecclesiæ oratio, ibi : *Et deprecabantur.*

I Joan., v : *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat pro eo, et dabitur ei vita peccanti non ad mortem.* Secundo, donorum et gratiæ Spiritus sancti susceptio, ibi : *Misit digitos in aures ejus. Glossa :* « Digitos in auriculas mittit, cum per Spiritum sanctum aures cordis ad intelligenda et suscipienda verba salutis aperit. » Rom., III : *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Jesu.* Tertio, pœnitentiæ operatio, quæ consistit in tribus. Primo, in cordis dolore, ibi : *Suspiciens in cœlum ingemuit. Interlinearis :* « Gemere nos docuit pro nostris, vel nostrorum reatibus supplicantes. » Psal. VI : *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.* Secundo, in oris confessione, ibi : *Et solutum est vinculum linguæ ejus.* Vinculum linguæ solvitur peccatoris, cum peccatum confitetur. Jacob., V : *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Tertio, in mandatorum Dei et sacerdotis adimpletione, ibi : *Et apertæ sunt aures ejus.* Aures peccatoris aperiuntur, cum præcepta Dei et sacerdotis adimplendo et satisfaciendo obedit. Hebr., XIII : *Obedite præpositis vestris et subjacete eis; ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri.*

Circa tertium notandum quod triplex utilitas sequitur ex conversione peccatoris. Prima est, quia ab omni infirmitate liberatur spirituali, ibi : *Solutum est vinculum linguæ ejus, et loquebatur recte.* Jerem., III : *Convertimini filii revertentes, et sanabo aversiones vestras.* Secunda est, quia Deus inde laudatur, ibi : *Tanto magis plus prædicabant.* Psal. L : *Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ.* Tertia, quia Dei potentia et bonitas declaratur, ibi : *Bene omnia fecit; surdos fecit audire, et mutos loqui.*

SERMO CXII.

De dominica decima tertia, ex Epistola.

Abrahæ dictæ sunt promissiones, et semini ejus, Galat., III. In verbis istis ostenditur quod illis fiunt promissiones cœlestes qui Abraham student pro viribus imitari. Leguntur autem septem de Abraham, in quibus debet eum christianus quilibet imitari. Primo, in fidei constantia. Rom., IV : *Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam.* Hebr., XI : *Sine fide impossibile est placere Deo; credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et quod inquirentibus se remunerator est*.* Secundo, in perfecta obedientia. Gen., XXII : *Possidebit semen tuum portas inimicorum suorum, et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ.* Deut., III : *Numquid Dominus Deus tuus requiret a te, nisi ut obedias ei ex toto corde tuo?* Tertio, in despectu patriæ. Quarto, in contemptu prosapiæ. De his duobus, Gen., XII : *Dixit Dominus ad Abraham : Egredere de terra et de cognatione tua, et veni in terram quam monstravero tibi.* Quinto, in hospitalitate et misericordia. Gen., XVIII : *Domine, si inveni gratiam in oculis tuis ne transeas servum tuum; sed afferam pauxillum aquæ, et laventur pedes vestri, et requiescite sub arbore; ponam buccellam panis et confortate cor vestrum, postea transibitis.* Hebr., XIII : *Hospitalitatem nolite oblivisci; per hanc enim quidam placuerunt Deo.* Sexto, in humilitate. Gen., XVIII : *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis;* verba Abrahæ ad Dominum. Matth., XI : *Discite a me quia mitis sum et humilis corde.* Septimo, in Dei timore. Gen., XXII : *Non extendas manum super puerum, neque facias illi quicquam; nunc cognovi quod timeas Dominum, et non pepercisti filio tuo unigenito propter me. Et quid Dominus Deus tuus requirit a te, nisi ut timeas Dominum ex toto corde tuo?* Deut., III : in his monet nos imitari Abraham. Joan., VIII : *Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.*

* *Sit.*

His qui sic in his imitantur Abraham, facit Dominus septem magnas promissiones quas fecit Abrahæ. Primo, promittit ei quod suam benedictionem sibi daret. Secundo, quod ipsum magnificaret. Tertio, quod ejus inimicos humiliaret. Quarto, quod eum in omnibus gentibus honoraret. De his quatuor, Gen., XII : *Benedicam tibi,* ecce primum; *magnificabo nomen tuum,* ecce secundum; *maledicam maledicentibus tibi,* ecce tertium; *atque in te benedicentur universæ cognationes terræ,* ecce quartum. Quinto, quod eum in omnibus protegeret. Sexto, quod se ei in mercedem tribueret. De his duobus, Gen., XV : *Factus est sermo Domini ad Abraham per visionem, dicens : Noli timere Abraham; ego protector tuus sum,* ecce primum; *et merces tua magna,* ecce secundum. Septimo, quod ei terram fluentem melle et lacte daret. Gen., XIII : *Dixit Dominus ad Abraham : Leva oculos tuos*

a loco in quo nunc es ad aquilonem et meridiem, et ad orientem; omnem terram quam conspicis, tibi dabo et semini tuo usque in sempiternum.

Hæc septem bona facit Dominus his qui imitantur Abraham. Primo, eos benedicit. Ephes., I : *Qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in Christo.* Secundo, eos magnificat. Rom., VII : *Quos autem vocavit, illos et magnificavit.* Tertio, inimicos eorum humiliat. Psal. CXXXVII : *Super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam.* Quarto, eos protegit. Psal. XC : *Quoniam in me speravit, liberabo eum; protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.* Quinto, honorat. Psal. CXXXVIII : *Mihi autem nimis honorati sunt amici tui, Deus.* Sexto, se eis dat ipse Deus in præmium, qui erit omnia in omnibus, qui erit salus et vita, honor, gloria, pax, gaudium et omnia bona. Septimo, dat eis terram fluentem lacte et melle, id est, regnum cœlorum, gaudium humanitatis et divinitatis lætificans. Matth., XXV : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum,* ad quod nos perducat. Amen.

SERMO CXIII.

De eadem, ex Evangelio.

Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho, et incidit in latrones, qui etiam eum despoliaverunt, et plagis impositis abierunt semivivo relicto, Luc., x. In ista parabola tria sunt. Primo, multiplex peccatorum miseria, ibi : *Homo quidam descendebat ab Jerusalem.* Secundo, ostenditur multiplex Christi ad peccatorem misericordia, ibi : *Samaritanus autem quidam iter faciens venit secus viam, et videns eum, misericordia motus est, et appropians alligavit vulnera ejus infundens oleum et vinum, et imponens illum in jumentum suum, duxit in stabulum, et curam ejus egit.* Tertio, datur nobis imitandi regula, ibi : *Vade, et tu fac similiter.*

Circa primum nota quod quatuor miserias incurrunt homines cum peccant. Primo, cœlesti gloria privantur, ibi : *descendebat ab Jerusalem,* etc. *Glossa :* « Homo ille a cœlesti Jerusalem prævaricationis prolapsione ad miserias et defectum hujus ærumnosæ et mutabilis vitæ descendit. » Isa., XXVI (secundum LXX) : *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei.* Secundo, dæmonibus subjugantur, ibi : *incidit in latrones; Glossa :* « in potestate dæmoniorum. » II Timoth., II : *Quando det illis Deus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, et resipiscant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem.* Tertio, bonis gratuitis expoliantur, ibi : *qui expoliaverunt eum; Glossa :* « indumenta gratiæ spiritualis refert. » Sap., I : *In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Quarto, in bonis naturalibus vulnerantur, ibi : *vulneraverunt.* Vulnera inferunt, id est peccata, quibus integritas humanæ naturæ violatur. Augustinus : « Si naturæ bonæ non essent, eis vitia non nocerent : nunc autem eis quid faciunt nisi adimere integritatem, pulchritudinem, et virtutem, et salutem? »

Circa secundum notandum quod quatuor misericordiæ Christi hic ponuntur, quas fecit peccatoribus. Prima, fuit humanæ naturæ susceptio, ibi : *Samaritanus quidam iter faciens venit secus eum, et videns eum, misericordia motus est; Glossa :* « Samaritanus Christus est, qui propter nos homo factus, iter vitæ præsentis arripuit. » Secundo, sacramentorum ad salutem peccatorum institutio, ibi : *Alligavit vulnera ejus; Glossa :* « in baptismo. » Psalm. CXLVI : *Qui sanat contristos corde et alligat contritiones eorum.* Tertio, gratiæ Spiritus sancti infusio, ibi : *infundens oleum; Glossa,* « id est charisma Spiritus sancti. » Joan., XV : *Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia quæcumque dixero vobis.* Joan., I : *De plenitudine ejus nos omnes accepimus, gratiam pro gratia : quia lex per Moysen data est; gratia et veritas per Jesum Christum facta est.* Quarto, amaritudinem pro peccatoribus passionis tolerando, ibi : *imponens eum in jumentum suum. Glossa :* « Jumentum caro sua est, in qua ponit sauciatum, quia peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum. »

Circa tertium notandum quod quatuor misericordias debemus pœnitentibus exhibere. Primo, supportatione. Gal., VI : *Alter alterius onera portate.* Secundo, oratione. I Joan., V : *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, et dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis.* Jac., V : *Orate pro invicem ut salvemini.* Tertio, in instructione. Gal., VI : *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui*

spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis. Jac., v : *Fratres mei, si quis ex vobis erraverit a veritate, et converterit quis eum, scire debet, quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore vitæ suæ, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum.* Matth., xiii : *Si peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum inter te et ipsum solum*, etc. Quarto, veniæ donatione. Matth., xviii : *Accedens Petrus ad Dominum dixit : Si peccaverit in me frater meus, dimittam ei usque septies? Dixit ei Jesus : Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies.* Eccli., viii : *Non spernas hominem* (*Interlinearis*, scilicet pœnitentem) *avertentem se a peccato, neque improperes ei; memento quoniam in corruptione omnes sumus.*

SERMO CXIV.

De dominica decima quarta, ex Epistola.

Spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis, Gal., v. Tria facit Apostolus in verbis istis. Primo, invitat nos ad ambulandum, ibi : *ambulate;* secundo, ostendit modum ambulandi, ibi : *spiritu;* tertio, ostendit utilitatem, ibi : *et desideria carnis non perficietis.*

Quære in secunda dominica et in tertia Quadragesimæ.

SERMO CXV.

De eadem Epistola.

Fructus autem spiritus est caritas, gaudium, pax, patientia, etc., Gal., v. Duo facit Apostolus in ista epistola. Primo, dicit quod est fugiendum malum carnis, ibi : *Desideria carnis non perficietis : caro enim concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem.* Secundo, dicit quod est sequenda via spiritus, ibi : *Quod si spiritu ducimini.*

Circa primum tria facit. Primo, dicit quod malum carnis fugiendum; secundo, ostendit quomodo est fugiendum, quia per viam spiritus, ibi : *caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem;* tertio, probat quod est sequitur viam spiritus, fugit malum carnis, ibi : *si spiritu ducimini.*

Circa secundum similiter tria facit; probat enim quod sequendus est spiritus propter tria. Primo, quia a lege liberat, ibi : *Quod si spiritu ducimini, non estis sub lege.* Secundo, quia ex carne sequuntur multa mala, et ponit decem et septem mala ibi : *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, et his similia quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Tertio, quia ex spiritu sequuntur multa bona; et ponit duodecim bona, ibi : *Fructus autem spiritus, caritas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas : adversus hujusmodi non est lex.*

Circa istud ultimum notandum quod Dominus dat justis suis virtutes, dona, beatitudines et fructus spiritus. Virtutes, ut bene agant; dona, ut agant expedite; beatitudines, ut agant jucunde. Dicuntur autem ista fructus, quia reficiunt hominem exterius et interius. Ad sensus pertinent tres : castitas ad tactum, continentia ad gustum, modestia ad cæteros sensus. Ad concupiscibilem pertinent tres. Primo, caritas ad Deum; secundo, pax ad proximum; tertio, gaudium in seipso. Ad irascibilem duo : patientia, quæ facit adversa delectabiliter tolerare; et longanimitas, quæ facit in bono delectabiliter perseverare. Alii quatuor fructus sunt in rationali. Consideratur enim rationalis dupliciter; prout est regitiva virium, et sic tripliciter : vel prout regit seipsam, et sic habet bonitatem, quæ est dulcedo mentis ; vel prout regit concupiscibilem ad proximum, et sic habet benignitatem, quæ est largitas ; vel prout regit irascibilem, et sic habet mansuetudinem; vel prout est ductiva ad fidem, et sic habet fidem.

SERMO CXVI.

De eodem.

Fructus autem spiritus est caritas, gaudium, pax, patientia, etc., Galat., v. Quilibet homo debet habere istos fructus maxime propter tria. Primo, propter necessitatem. Matth., v : *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur.* Secundo, propter delectabilitatem, quia mentem ineffabili dulcedine reficiunt.

Cant., II : *Sub umbra illius quem desideraveram, sedi, et fructus ejus dulcis gutturi meo.* Tertio, propter utilitatem, quia multas utilitates conferunt.

Primus fructus habet tres mirabiles virtutes. Prima est, quia homo qui comedit ipsum, inexpugnabilis efficitur. Roman., VIII : *Quis nos separabit a caritate Christi? tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an persecutio, an gladius? sicut scriptum est : Quoniam propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oves occisionis : sed in his omnibus superamus propter illum qui dilexit nos.* Secundo, quia omnia bona et mala prosunt ei qui isto fructu reficitur. Roman., VIII : *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt sancti; Glossa :* « bona et mala. » Tertio, quia qui comedit talem fructum, in æternum non morietur. I Cor., XIII : *Caritas nunquam excidit.*

Secundus fructus habet similiter tres magnas virtutes. Primo, quia esus hujus fructus fortes facit homines ad vincendum omnes dæmones. B. Antonius : « Unica est ratio vincendi inimicum, lætitia spiritualis. » Secundo, quia facit homines semper vivere. Eccli., XXX : *Jucunditas cordis hæc est vita hominis.* Tertio, quia ducit comedentes ad gloriam cœlestis regni. Rom., XIV : *Regnum Dei non est esca et potus, sed justitia, et pax, et gaudium in Spiritu sancto;* qui enim in hoc servit Christo, placet Deo, et probatus est hominibus.

Tertius fructus similiter habet tres magnas virtutes. Prima, quia hominem ab omnibus malis protegit. Philip., IV : *Pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras in Christo Jesu Domino nostro.* Secundo, quia filium Dei efficit. Matth., V : *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Tertio, quia in loco ubi est iste fructus, Deus libenter inhabitat et quiescit. Psal. LXXV : *In pace factus est locus ejus.*

Quartus fructus habet similiter tres magnas virtutes. Prima est, quia esus ejus dat homini sapientiam. Proverb., XVIII : *Qui patiens est, multa gubernatur providentia,* scilicet futurorum. Ista dictio *multa* est accusativus pluralis, vel ablativus singularis. Secundo, quia animam hominis conservat. Luc., XXI : *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Tertia est, quia facit amara dulcia; tanta est dulcedo ejus. Jac., I : *Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis, scientes quod probatio fidei vestræ patientiam operatur; patientia autem opus perfectum habet.*

SERMO CXVII.

De eadem, ex Evangelio.

Occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt a longe, Luc., XVII. Moraliter in isto evangelio tria notantur. Primo, peccatorum multiplicitas, ibi : *Ecce decem viri leprosi ;* secundo, curationis remedia, ibi : *Occurrerunt ei;* tertio, quæ sint curatis a peccatis remedia necessaria, ibi : *Unus autem ex illis ut vidit, quia mundatus est.*

Circa primum notandum quod decem leprosi possunt significare decem genera peccatorum. Primus leprosus est infidelis et hæreticus, qui a consortio fidelium separatur et sanctorum. Num., V : *Locutus est Dominus ad Moysen, dicens : Præcipe filiis Israel, ut ejiciant de castris omnem leprosum ;* et post : *Fecerunt filii Israel, et ejecerunt extra castra omnes sicut locutus est Dominus Moysi.* Secundus est blasphemator et detractor. Num., XII : *Locuta est Maria et Aaron contra Moysen propter uxorem ejus Æthiopissam, et dixerunt : Numquid per solum Moysen locutus est? Quod cum audisset Dominus, iratus est valde, et post dixit ad eos : Quare ergo non timuistis detrahere servo meo Moysi?* et post : *Ecce Maria apparuit candens lepra quasi nix.* Tertius gulosus, qui supra aerem fœtidis eructationibus ex repletione nimia procedentibus inficit. Levit., XII : *Quicumque maculatus fuerit lepra, habebit os veste contectum, contaminatum ac sordidum se clamabit.* Quartus est avarus, qui immoderato habendi desiderio semper flat, hæc est lepra Giezi. IV Reg., V : *Nunc ergo accepisti argentum, accepisti vestes, ut emas oliveta, oves et boves, servos et ancillas*, etc., *lepra Naaman adhærebit tibi.* Quintus est superbus, qui per tumorem mentis contra Dominum et Christum se elevat, et hæc est lepra Naaman, regis Syriæ, qui erat dives valde et fortis, sed leprosus. Sextus est ambitiosus, qui honores et dignitates desiderat. Hæc est lepra Ezechiæ, qui ambiit honorem summi sacerdotii. II Paralip., XXXII : *Elevatum est cor ejus, ingressus est templum, voluit adolere*

incensum; et post : *Et statim orta est lepra in fronte ejus.* Septimus est hypocrita, vel vane gloriosus, qui bona sua inaniter jactat. Hic est leprosus Simonis Pharisæi. Matth., xxvi : *Cum autem esset Jesus in Bethania in domo Simonis leprosi, accessit ad eum mulier habens alabastrum unguenti pretiosi, et effudit super caput ejus recumbentis.* Octavus leprosus est luxuriosus, qui fluxu immunditiæ suæ creaturas contaminat. Lev., xxxiii : *Homo de semine Aaron, qui fuerit leprosus, vel patiens fluxum sanguinis, non vescetur de his quæ sanctificata sunt mihi, donec sanetur.* Nonus est homicida. Hæc est lepra Joab, quam imprecatus est ei David, quia occiderat Abner. II Regum, iii : *Non deficiet de domo Joab homo leprosus, tenens fusum.* Decimus est obstinatus et desperatus, qui finaliter peccat. Lev., xiii : *Lepra perseverantis est in eodem, cumque color albus fuerit in cute et capillorum mutaverit aspectum, ipsa quoque caro viva apparuerit, lepra vetustissima judicabitur.* Hieronymus : « Qui veniam de peccato desperat, plus se desperatione quam commisso scelere obligat. » Desperatio auget peccatum, et est major omni peccato. Qui ab istis lepris vult curari, currat ad piscinam sanguinis innocentis, quam fecit nobis ineffabili caritate Dominus Jesus Christus, qui mundavit nos in ea, et mundabit omnes confugientes ad se a lepris omnium peccatorum. Apoc., i : *Qui dilexit nos et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.*

SERMO CXVIII.

In dominica decima quinta, ex Epistola.

Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem invidentes, invicem provocantes, Gal., vi, 26. Duo facit Apostolus in ista epistola. Primo, monet ut malum vitemus, ibi : *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi.* Secundo, ut bonum operemur, ibi : *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis.* Circa primum tria facit. Primo, monet ut declinemus a malo vanitatis, ibi : *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi.* Secundo, ut vitemus injuriam proximi in dictis et factis, ibi : *invicem provocantes.* Circa secundum docet triplex facere bonum. Primo, docet de bono quod debet prælatus subditis, ibi : *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto.* Secundo, de bono quod debent subditi prælatis, ibi : *Communicet autem is qui catechizatur verbo, ei qui catechizat, in omnibus bonis.* Tertio, de bono quod debent omnes ad invicem, ibi : *Bonum autem facientes,* etc. Circa primum tria facit. Primo, monet ut prælati peccatores in mansuetudine instruant, ibi : *Si præoccupatus fuerit homo,* etc. Secundo, ut supportent eorum onera, ibi : *Alter alterius onera portate.* Tertio, quare hoc facere debent, scilicet aliorum onera portare, ibi : *Et sic adimplebitis legem Christi.* Circa secundum facit similiter tria. Primo, dicit quod debent subditi prælatis ministrare temporalia, ibi : *Communicet autem is qui catechizatur verbo, ei qui se catechizat.* Secundo, quod non debent se excusare aliqua fallacia, ibi : *Nolite errare. Deus non irridetur.* Tertio, probatur quod hoc facere debent, ibi : *Quæ enim seminaverit homo, hæc et metet.* Circa tertium similiter tria facit. Primo, dicit quod debemus benefacere, ibi : *Benefacientes autem non deficiamus.* Secundo, probat quod hoc debemus, ibi : *Tempore enim suo metemus non deficientes.* Tertio, ostendit quod bonum facere debemus, scilicet antequam transeat tempus benefaciendi, ibi : *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes.*

SERMO CXIX.

De eadem Epistola.

Bonum autem facientes non deficiamus, Gal., vi. Tria facit Apostolus in verbis istis. Primo, monet ut bonum faciamus, ibi : *Bonum autem facientes;* secundo, ut a bono opere non deficiamus, ibi : *Non deficientes;* tertio, ponit præmium, ibi : *Tempore enim suo metemus.*

Circa primum sciendum quod debemus bonum facere maxime propter tria. Primo, quia omnia naturaliter docent nos benefacere, et hoc tripliciter. Primo, quia omnia bona sunt. Gen., i : *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona.* Satis possunt erubescere peccatores in tanta multitudine creaturarum, quæ omnes bonæ sunt, et ipsi mali sunt. Secundo, quia omnia naturaliter bonum faciunt, quælibet enim creatura dat seipsam, quod est indicium bonitatis earum, et Creatoris. Dionysius : « Deus est bonum effusivum sui. » Augustinus : « Magnum est indicium bonitatis divinæ, quod quælibet creatura cogitur dare se-

ipsam. » Tertio, quia omnia naturaliter appetunt bonum, et ad bonum tendunt. Philosophus : « Bonum est quod ab omnibus desideratur. »

Circa secundum docet quod tria sunt quæ maxime faciunt hominem perseverare in bono. Primo, assidua et devota oratio, qua homo implorat Dei auxilium ne in tentationibus succumbat. Luc., x : *Vigilate et orate, ne intretis in tentationem.* Secundo, continuus timor; statim enim ut homo securus fit, a bona operatione deficit. Eccli., xxvii : *Si non timore Domini tenueris te instanter, cito subvertetur domus tua. Interlinearis :* « Timor Domini custodia vitæ; cito, id est ex improviso, subvertetur domus tua, scilicet terrenum inhabitaculum, vel spes terrenorum. » Tertio, venialium vitatio, quæ sunt occasio ad mortale, et frequenter subruunt ædificium bonorum operum. Augustinus : « Vitasti grandia, cave ne obruaris arena. » Eccli., xix : *Qui minima negligit, paulatim defluit.*

Circa tertium notandum quod tria facit Apostolus. Primo, ponit recipiendi præmium congruentiam, ibi : *Tempore enim suo; Glossa :* « hoc est tempore congruo, vel convenienti. » Tempus congruum erit dies judicii, in quo recipiet unusquisque quod gessit. Unde in Ps. lxxiv : *Cum accepero tempus, ego justitias judicabo.* Secundo, ponit præmii copiositatem, ibi : *metemus.* In messione abundantia notatur. Ps. cxxv : *Venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.* II Cor., xix : *Qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet vitam æternam.* Matth., v : *Merces vestra copiosa est in cœlis.* Tertio, ponit præmii æternitatem, ibi : *Non deficientes.* Joan., xv : *Et gaudium vestrum nemo tollet a vobis.* Matth., xxv : *Ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.*

SERMO CXX.

De eadem, ex Evangelio.

Nemo potest duobus dominis servire, Matth., vi. Dominus Jesus Christus in verbis istis ostendit quod soli Deo serviendum est, et non alteri contraria Deo præcipienti, vel servire Deo impedienti. Matth., iv : *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.* Debemus autem illi servire propter quinque. Primo, propter congruitatem. Omnia enim serviunt ei ; unde satis congruum est quod homo serviat ei. Ps. cxviii : *Quoniam omnia serviunt tibi, ordinatione tua perseverat dies.* Serviunt autem ei omnia tripliciter. Primo, præcepta sibi a Creatore data adimplendo. Ps. cxlviii : *Statuit ea in æternum et in sæculum sæculi; præceptum posuit, et non præteribit.* Secundo, rebelles Creatori puniendo. Tertio, amicis ejus benefaciendo. De his duobus, Sap., xvi : *Creatura tibi factori deserviens exardescit in tormentum adversus injustos, et levior fit ad benefaciendum pro his qui in te confidunt.* Secundo, debemus soli Deo servire, quia ipse solus habet in nobis veri Domini proprietatem. Ps. cxv : *Ego servus tuus et filius ancillæ tuæ.* Possidet autem in nobis dominium triplici jure. Primo, jure creationis. Ps. xcix : *Scitote quoniam Dominus ipse est Deus, ipse fecit nos, et non ipsi nos.* Secundo, emptionis. I Petr., i : *Scientes quoniam non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati et incontaminati Christi.* II Cor., vi : *Empti enim estis pretio magno, glorificate et portate Deum in corpore vestro.* Tertio, vitæ educationis. Psal. cxxxv : *Qui dat escam omni carni.* Tertio, debemus soli Deo servire propter serviendi sibi dignitatem; confert enim triplicem magnam utilitatem servienti sibi. Primo, militiam triumphalem. II Tim., ii : *Labora ut bonus miles Christi.* Job, xxv : *Numquid est numerus militum ejus?* Secundo, dignitatem sacerdotalem. Tertio, majestatem regalem. De his duobus, Apoc., v : *Fecit nos Deo nostro regnum, et sacerdotes Deo et Patri suo. Ipsi gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.* II Petr., ii : *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis.* Nam servire Deo regnare est. Quarto, debemus ei servire propter necessitatem. Imminet autem nobis triplex necessitas serviendi Deo. Primo, quia qui noluerit servire Deo, servituti suorum hostium subjicietur. Secundo, bonorum omnium penuriam patietur. Tertio, quia sub multiplici miseria penitus conteretur. De his tribus, Deuter., xxviii : *Eo quod non servieris Domino tuo in gaudio, cordisque lætitia propter rerum abundantiam, servies inimico tuo, quem immittet Dominus tibi,* ecce primum ; *in fame, et siti, et nuditate, et omnium penuria bonorum,* ecce secundum ; *et imponet jugum ferreum super*

cervicem tuam, donec conterat, ecce tertium. Quinto, propter utilitatem debemus servire Deo; consequitur enim multas utilitates homo de servitio Dei. Sed hic notantur tres. Prima est ab omnibus inimicis liberatio. III Regum, VII : *Servite illi soli, et liberabit vos de manibus inimicorum vestrorum*. Secunda, ineffabilis cordis exultatio. Ps. XCIX : *Servite Domino in lætitia*. Tertia, æterna omnium deliciarum fruitio. Isa., LXV : *Ecce servi mei comedent, et vos esurietis; ecce servi mei bibent, et vos sitietis; ecce servi mei lætabuntur, et vos confundemini*. Joan., XII : *Volo, Pater, ut ibi ego sum, illic sit et minister meus*. Fuit enim Jesus in dextris Patris, hoc est in potioribus bonis Patris, et ibi ponet eos qui sibi serviunt. Matth., XXIV : *Beatus ille servus quem, cum venerit Dominus, invenerit sic facientem. Amen dico vobis, super omnia bona sua constituet eum*. Matth., XXV : *Euge, serve bone et fidelis, intra in gaudium Domini tui*. Ad gaudium, etc.

SERMO CXXI.

De dominica decima sexta, ex Epistola.

Ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis quæ sit latitudo, longitudo, sublimitas et profundum, Ephes., IV. In istis verbis notantur quatuor, quæ sunt nobis necessaria ad salutem. Primo, caritas qua amicos et inimicos diligamus, ibi : *quæ sit latitudo. Glossa :* « id est quanta debeat esse latitudo caritatis, quæ debet usque ad inimicos extendi. » Secundo, perseverantia, ut in caritate finaliter persistamus, ibi : *longitudo; Glossa*, « quæ sit longitudo caritatis, scilicet perseverandi longitudo. » Tertio, intentio recta, ut solum Dominum nostrarum actionum præmium præponamus, ibi : *sublimitas;* hæc est quæ cor sursum erigit, ut Deus in præmium expectetur. Quarto, humilitas, ut in his omnibus per superbiam non evanescamus, ibi : *profundum;* est enim humilitas quæ hominem ponit in imo quoad homines, sed in summo quoad Deum. Luc., XVIII : *Qui se humiliat exaltabitur*.

Circa primum notandum quod propter tria maxime debemus diligere inimicos. Primo, propter præceptum. Matth., V : *Ego autem dico vobis : Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est*. Secundo, propter Dei exemplum, Rom., V : *Commendat autem caritatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est;* et paulo post : *Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus, multo magis reconciliati, salvi erimus in vita ipsius*. Tertio, propter commodum nostrum. Facit enim caritas inimicorum filios summi Dei. Matth., V : *Orate pro persequentibus vos*, etc.

Circa secundum notandum quod propter tria debemus in bono perseverare. Primo, propter vitandum vituperium; valde enim vituperabile est incipere et non perseverare. Luc., XIV : *Quis ex vobis volens ædificare turrim, non prius sedens computat sumptus qui necessarii sunt, si habeat ad perficiendum? ne postquam posuerit fundamentum, et non potuerit perficere, omnes qui vident incipiant illudere ei, dicentes : Quia hic homo cœpit ædificare, et non potuit consummare*. Secundo, propter vitandum supplicium; majus enim supplicium meretur qui gustavit quam dulce est bene operari, et non perseveravit. II Petr., II : *Melius illis erat non cognoscere viam justitiæ, quam post cognitam retrorsum reverti. Contingit enim illis illud verum proverbium : Canis reversus ad vomitum, et sus lota in volutabro luti*. Tertio, propter præmium acquirendum; sola enim perseverantia meretur præmium. Matth., X : *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*.

Circa tertium notandum quod debemus solum Deum expectare præmium propter tria. Primo, quia ipse solus est verum præmium. Genes., XV : *Protector tuus, et merces tua magna nimis*. Augustinus : « Præmium erit omnia in omnibus, quia erit nobis vita et salus, virtus et copia, honor et gloria, pax et gaudium, et omnia bona. » Tertio, quia erit præmium æternum. Joan., XVII : *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum*.

Circa quartum notandum quod humilitas tribus modis conservat hominem in bono. Primo, ab inimicis defendendo. Psal. XIV : *Custodiens parvulos Dominus : humiliatus sum, et liberavit me*. Secundo, augmenta gratiæ promerendo. Jacob., IV : *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*. Tertio, usque ad æternam gloriam perdu-

cendo. Prov., XXXIX : *Humilem spiritu suscipiet gloria,* ad quam nos perducat, etc.

SERMO CXXII.

De dominica decima septima, ex Epistola.

Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis, Ephes., IV. Nota quod tria facit hic Apostolus in verbis istis. Primo, monet ut servemus unitatem, ibi : *servare unitatem.* Secundo, ponit modum conservationis, ibi : *in vinculo pacis.* Tertio, monet ad sollicitudinem habendam in utroque, ibi : *solliciti.*

Circa primum notandum quod triplex unitas est nobis necessaria. Prima, unitas intellectuum per fidei identitatem. Secunda, unitas affectuum per rectam concordiæ voluntatem. De his duobus, Phil., II : *Idem sapiatis,* quantum ad primum; *eamdem caritatem habentes, unanimes, idipsum sentientes,* quantum ad secundum. Tertia, unitas conversationis per uniformem morum honestatem. Psalm. LXVII : *Deus qui inhabitare facit unanimes in domo.* De his tribus, Actor., IV : *Multitudinis autem credentium erat cor unum,* quoad unitatem fidei, *et anima una,* quoad unitatem voluntatis, *et erant illis omnia communia,* quoad unitatem morum.

Circa secundum notandum quod triplici vinculo debent ligari sancti. Primo, vinculo sapientiæ. Eccli., VI : *Subjice humerum tuum,* id est actus tuos suppone, *magisterio illius,* scilicet sapientiæ, *et porta illam, et ne accidieris in vinculis illius,* scilicet tædiosæ et graviter ferens. Secundo, vinculo dilectionis. Gloss., III : *Super omnia autem habete caritatem, quod est vinculum perfectionis.* Tertio, vinculo pacis, ut hic : *in vinculo pacis.*

Circa tertium notandum quod qui volunt servare unitatem, quinque debent habere quæ Apostolus commemorat in epistola ista. Primo, humilitatem, ne alter alteri se præponat, quod est causa discordia (Prov., XIII : *Inter superbos semper jurgia sunt,* scilicet dissensiones); ibi : *Cum omni humilitate.* Secundo, debent habere mansuetudinem, ne alicui injuriam faciant, quod est similiter causa dissensionis. Tit., III : *Omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines.* Tertio, patientiam, ut illatas injurias patienter sustineant, et per patientiam fratrem revocent ad concordiam, ibi : *Cum patientia.* I Thessal., V : *Patientes estote ad omnes : videte ne quis malum pro malo alicui reddat; sed semper quod bonum est, sectamini ad invicem et in omnes.* Quarto, necesse est ut mores graves sociorum supportare sciant, ibi : *Supportantes invicem.* Gal., VI : *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi.* Quinto, debent habere caritatem, per quam invicem sibi serviant; mutua enim servitia nutritiva sunt caritatis in caritate. Galat., V : *Per caritatem enim spiritus servite invicem. Omnis enim lex in uno sermone impletur : Diliges proximum tuum sicut teipsum. Quod si invicem mordetis et comeditis, videte ne invicem consumamini.*

SERMO CXXIII.

De eadem, ex Evangelio.

Hydropicus quidam stabat ante illum, Lucæ, XIV. Tria notantur moraliter circa miraculum de curatione istius hydropici. Primo, notatur magna peccatoris infirmitas, ibi : *Hydropicus.* Secundo, magna Dei clementia, ibi : *et sanavit eum.* Tertio, magna ipsius sapientia, ibi : *Cujus vestrum bos aut asinus in foveam cadit, et non continuo extrahet illum die sabbati? Et non poterant ad hæc respondere illi.* Sapienti enim argumento confundit versutiam pharisæorum.

Circa primum notandum quod per hydropisim significantur tria vitia quæ sunt origines omnium vitiorum. Primo, quia hydropisis est morbus aquosus, qui significat luxuriam. Gen., IV : *Effusus es sicut aqua, non crescas, quia ascendisti cubile patris tui.* Secundo, quia nascitur ex vitio vesicæ cum inflatione turgente; et per hoc significat superbiam, quæ procedens ex vanitate cordis, facit homines inflari inaniter. I Cor., V : *Et vos inflati estis.* Tertio, quia facit hominem, quanto plus bibit, tanto plus sitire; et per hoc significat avaritiam. Eccle., V : *Avarus non impletur pecunia.* I Joan., III : *Omne quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ.*

Circa secundum notandum quod Dominus sanavit istos tres languores, et sanat triplici remedio. Primo, morbum luxuriæ sanat remedio puritatis. Matth., V : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.*

Secundo, morbum superbiæ remedio humilitatis. Matth., II : *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.* Tertio, morbum avaritiæ sanat remedio voluntariæ paupertatis. Lucæ, VI : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.*

Circa tertium notandum quod in tribus apparuit sapientia Christi in isto evangelio. Primo, quia convenienti argumento respondit, quod pertinet ad logicam, ibi : *Cujus vestrum asinus.* Secundo, quia mores naturales instruxit, quod pertinet ad ethicam, ibi : *Cum invitatus fueris ad nuptias, ne recumbas in primo loco, ne forte honoratior te sit invitatus.* Tertio, quia bona opera pro regno cœli facere docuit, quod pertinet ad metaphysicam sive theoricam : *Dicebat autem et ei qui se invitaverat : Cum facis prandium aut cœnam, noli vocare amicos tuos, nec fratres tuos, nec cognatos, nec vicinos divites,* etc.

SERMO CXXIV.

De eodem

Omnis qui se exaltat, humiliabitur, et qui se humiliat, exaltabitur, Luc., XVIII. Quatuor facit Dominus in verbis istis. Primo, hortatur ut superbiæ vitium caveamus, ibi : *Omnis qui se exaltat;* secundo, subjungit pœnam superbientium, ibi : *humiliabitur;* tertio, hortatur ad humilitatis meritum, ibi : *qui se humiliat, exaltabitur.*

Circa primum notandum quod tribus modis exaltant se perverse superbi. Primo, contra Deum se stulte erigendo. Job, XV : *Cucurrit adversus Dominum extento collo, et pingui cervice armatus est, et operuit faciem ejus crassitudo, et de lateribus ejus ruina descendit;* et in eodem : *Quid tumet contra Deum spiritus tuus, ut proferas de corde tuo hujuscemodi sermones?* Psal. LXXIII : *Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper.* Secundo, inaniter sibi placendo. Augustinus, *De civ. Dei,* lib. XIV, cap. XIII : « Relicto itaque Deo, esse in semetipso, hoc est sibi placere, non jam nihil esse est, sed nihilo propinquare; unde superbi, secundum Scripturas sanctas, alio nomine appellantur sibi placentes. » Tertio, arroganter se aliis præferendo. Ps. XXIII : *Dum superbit impius, incenditur pauper.* Augustinus : « Quid est superbia, nisi perversæ celsitudinis appetitus? » De his tribus, Job, XXV : *Quid te elevat cor tuum, te erigendo?* ecce primum; *et quasi magna cogitans, tibi placens?* ecce secundum; *attonitos habens oculos?* ecce tertium.

Circa secundum notandum quod tripliciter superbi humiliabuntur. Primo, quia superbia dejicientur. Psal. LXXIII : *Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper.* Secundo, quia coram omnibus creaturis confundentur. Oseæ, IV : *Gloriam eorum in ignominiam commutabo.* Jer., XVII : *Domine, omnes qui te derelinquunt, confundentur.* Jer., XX : *Confundentur vehementer qui non intellexerunt opprobrium sempiternum, quod nunquam delebitur;* et Oseæ, X : *Confusio Ephraim capiet, et confundetur Israel in voluntate sua.* Tertio, quia æternaliter punietur. Apoc., XVIII : *Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum,* propter glorificationem suam vanam, *et luctum,* scilicet propter delicias. *Quia in corde suo dicit : Sedeo regina, et vidua non sum, et luctum non videbo : ideo in una die venient plagæ ejus, mors, luctus et fames, et igne comburetur.* Job, XL : *Disperge superbos in furore tuo, et respiciens omnem arrogantem humilia.* In eodem : *Respice cunctos superbos, et confunde eos, et contere impios in loco suo : absconde eos in pulvere simul, et facies eorum demerge in foveam.*

Circa tertium notandum, quia debemus tripliciter humiliari. Primo, nosipsos, quod nihil sumus cognoscendo. Gregorius : « Humilitas est sensus proprii vacuitas. » Secundo, debemus gaudere de contemptu, si quis humilis potest prædicari, si vilis reputari. Gregorius : « Siquidem facile est velum ante oculos ponere, viles vestes habere, demisso capite incedere; sed verum humilem patientia probat injuriæ. » Tertio, debemus nos humiliare, omnibus subjiciendo. I Petr., III : *Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive regi quasi præcellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malorum, ad laudem vero bonorum.*

Circa quartum notandum quod qui se humiliat, tripliciter Dominus eum exaltabit. Primo, conferendo ei judiciariam potestatem. Matth., XIX : *Respondens Petrus dixit,* scilicet Jesu : *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te : quid ergo erit nobis? Jesus dixit : Amen dico vobis quod vos qui secuti estis me,* scilicet per viam humilitatis et paupertatis, *in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ,*

sedebitis et vos judicantes duodecim tribus Israel. Job, XXXIII : *Qui humiliatus fuerit, erit in gloria*, quia humilibus retribuet judiciariam potestatem. Secundo, conferendo regiam dignitatem. I Reg., II : *Suscitans de pulvere egenum, et de stercore erigens pauperem*, id est humilem, *ut sedeat cum principibus, et solium gloriæ teneat;* et Job, XXXVI : *Non auferet a justo oculos suos, reges collocat in solio in perpetuum, et illic eriguntur qui humiliantur et deprimuntur.* Tertio, conferendo gloriæ æternitatem. Prov., XIX : *Humilem spiritu suscipiet gloria.* Job, V : *Qui ponit humilem in sublimi, et mœrentes erigit sospitate*, etc.

SERMO CXXV.

De dominica decima octava, ex Epistola.

Gratias ago Deo meo pro vobis in gratia Dei, quæ data est vobis in Christo Jesu; quia in omnibus divites facti estis in illo, I Cor., I, Per hoc quod Apostolus agit gratias, quod illi divites facti erant in illo, ostenditur quod quædam divitiæ sunt quæ sunt appetendæ. Per hoc vero quod Christus minatur divitibus, vere ostenditur quod quædam divitiæ sunt fugiendæ. Unde notandum quod sunt divitiæ temporales, et sunt divitiæ spirituales, et sunt divitiæ æternales. De primis, Psal. LXI : *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere.* De secundis, idem : *Beatus vir qui timet Dominum;* et post : *gloria et divitiæ in domo ejus.* De tertiis, Prov., VI : *Mecum sunt divitiæ,* scilicet potiora bona, *et gloria,* scilicet ineffabilis, *opes superbæ,* scilicet excelsæ, *et justitia,* scilicet secundum meritum. Primæ divitiæ, scilicet temporales, sunt contemnendæ maxime propter quatuor. Primo, propter earum inutilitatem. Eccle., V : *Qui amat divitias, fructum,* scilicet vitæ æternæ, *non capiet ex eis, sed florem in præsenti,* scilicet malorum. Prov., XI : *Non proderunt divitiæ in die ultimo;* scilicet districtæ iræ ; quasi dicat : divitiæ temporales non proderunt ad salutem homini in die judicii, *sed justitia,* scilicet bona opera justitiæ, *liberabit a morte,* scilicet æterna. Eccli., V : *Fili, noli attendere ad possessiones iniquas, et ne dixeris : Est mihi sufficiens vita; nihil enim proderunt in tempore vindictæ et obductionis. Nihil intulimus in hunc mundum, nihil inde auferemus.* Secundo, relinquendi necessitatem. Psalm. LXXV : *Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.* Job, XX : *Divitias quas devoravit, evomet; et de ventre illius extrahet eas Deus.* Tertio, quia ducent male possidentem ad perpetuam paupertatem. Job, XXVII : *Nil secum auferet; aperiet oculos suos, et nihil inveniet; et apprehendet eum quasi aqua inopia.* Quarto, quia contemptus earum deducet ad vitæ æternitatem. Matth., XIX : *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, vel patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit.*

Nota autem quod quatuor modis peccat homo in divitiis. Primo, injuste acquirendo. Prov., XXVIII : *Qui coacervat divitias usuris et fœnore, liberali in pauperes congregat eas.* Idem, XIV : *Qui calumniatur pauperem, ut congreget divitias suas, dabit ipse ditiori,* scilicet mundo, *et egebit.* Secundo, avare possidendo. Eccle., V : *Divitiæ servatæ in malum,* id est in periculum, *domini sui; pereunt enim in afflictione pessima.* Tertio, male expendendo. Prov., XXXI : *Ne dederis mulieribus,* id est corruptionibus vitiorum, *substantiam suam,* vel *tuam,* scilicet corpus et divitias temporalium rerum; mystice, cumulum virtutum ne contamines corruptionibus vitiorum. Luc., XX : *Adolescentior filius, congregatis omnibus, peregre profectus est in regionem longinquam, et ibi dissipavit substantiam suam luxuriose vivendo.* Quarto, in eis confidendo, et de ipsis superbiendo. Prov., XI : *Qui confidit in divitiis suis, corruet,* scilicet a vita æterna. *Glossa :* « Qui præsentibus bonis inhians futura non cogitat, vel non attendit, in fine bonis æternis carebit. » I Tim., I : *Divitibus hujus sæculi præcipe non sublime sapere, nec sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, qui præstat omnia abunde ad fruendum, bene agere, divites fieri in operibus bonis, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant vitam æternam,* vel *bonam.* Divitiæ spirituales sunt scientiæ et virtutes. Isa., XXXIII : *Divitiæ salutis, sapientia et scientia; timor Domini ipse est thesaurus ejus.* Per timorem peccati est expulsio. Eccli., II : *Qui timent Deum, præparabunt corda sua, et in conspectu illius sanctificabunt animas suas.* Eccli., I : *Radix sapientiæ, timere Deum; nam qui sine timore Dei est non poterit justificari.*

Ibidem : *Timor Domini expellit peccatum.* Per scientiam est in nobis discretio et honesta conversatio ; est enim scientia scire qualiter homo se debeat habere ad Deum, ad proximum et ad seipsum. Hanc scientiam docet nos Deus ablactatos a lacte, alvusos ab uberibus voluptatis et cupiditatis. Quærit Isaias xxviii, per Spiritum sanctum Dominum dicens : *Quem docebit scientiam, et intelligere faciet auditum?* qui respondit : *Ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus.* Mirum cum homo in his uberibus amaritudinem inveniat et ardorem, quare non separatur ab eis ; cum dicat Augustinus : « Domine, delectationes meas respersisti amaritudinibus, ut quærerem sine amaritudine vivere. » O tu homo, si vis a Domino doceri, separa te ab istis uberibus, quia dicitur Sap., v : *In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Per sapientiam est in nobis Dei dilectio ; unde Bernardus : « Discat quod jam vult ; ego sapientem non dicam, dum non timebit, nec diliget Deum. » Istæ divitiæ sunt appetendæ propter tria. Primo, propter immensitatem. Sapient., vii : *Infinitus enim thesaurus est hominibus; quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei.* In eodem : *Neminem diliget Deus, nisi qui cum sapientia inhabitat.* Prov., iii : *Pretiosior est cunctis opibus, et omnia quæ desiderantur, huic non valent comparari. Glossa :* « Non tantum terrenis, sed etiam cœlestibus divitiis, imo et ipsis angelorum conspectibus caritas præfertur. » Unde non metuit de inopia quisquis opes acquisivit sapientiam. Secundo, propter utilitatem. Prov., xiii : *Redemptio animæ viri divitiæ suæ; qui autem pauper est, increpationem sustinet.* Matth., xxiv : *Ite in ignem æternum ;* vel *non sustinet. Glossa :* « Qui vult animam suam redimere a futura ira, congreget divitias bonorum operum ; quia qui eis carebit, increpationem districti judicis sustinere non valebit. Pauperes ibi non increpantur, sed benedictionem hæreditatis participant. » Tertio, propter dignitatem. Prov., xiv : *Corona,* scilicet æterna, pro virtutibus, *sapientium, divitiæ eorum* veræ, non terrenum emolumentum, *fatuitas stultorum imprudentia. Glossa :* « Sapientes et si terrenum aliquod emolumentum pro divitiis habent, coronam tamen tanquam pro virtutibus in futuro participant. Sed stultorum fatuitas maxima hæc est, quod pro improvidentia æternorum de præsentibus commodis gaudent. Imprudentia enim etiam improvidentia dicitur.

Divitiæ æternales sunt appetendæ. Primo propter earum veritatem ; sunt enim illæ veræ divitiæ. Gregorius : « Si vere, fratres, divites esse cupitis, veras divitias amate. » Secundo, propter jucunditatem. Psalm. cxlix : *Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis.* Isa., iii : *Regem in decore suo videbunt.* Tertio, propter æternitatem. Sap., v : *Justi autem in perpetuum vivent.* Luc., i : *Et regni ejus non erit finis.* Matth., vi : *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi ærugo et tinea demolitur, et ubi fures effodiunt et furantur.* Per has tres species, æruginem, tineam et fures, ostendit Dominus nihil tutum esse in terra in possessionibus divitiarum ; quædam enim sunt quæ ærugo devorat, sicut aurum et argentum, et cætera metalla. Alia sunt quæ non ærugo, sed tinea corrodit et comedit, ut vestes sericas et pretiosas. Alia vero quæ nec ærugo nec tinea comedunt, sed fures furantur et effodiunt, ut gemmas et lapides pretiosos. Proinde incerta est omnis vitæ nostræ substantia, et omnium rerum possessio. Suadet nos Dominus in cœlum thesaurizare, dicens : *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo, ubi nec ærugo nec tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt nec furantur.* Quomodo autem quis in cœlo thesaurizare possit, nisi divitias ante sæculares largiendo præmittat? Possumus per æruginem, tineam et fures spirituales nequitias intelligere. Ærugo enim superbiam demonstrat. Superbia enim mentes quas invaserit, a statu suæ rectitudinis deperire facit. Ærugo enim semper in aperto se demonstrat ; sic et superbia semper expandit ramos ad humanam laudem. Per tineam invidia designatur ; semper enim sicut tinea, quæ invaserit corrumpit, et ab omni integritate disrumpit. Per fures maligni spiritus intelliguntur, qui ad hoc vigilant ut thesauros animæ effodiant et furentur. In cœlo enim ærugo non est, quia in cœlo superbia locum non habet, quia diabolus cum suis sequacibus jam inde dejectus est. Ibi tinea non est, id est invidia, quia nullus invidebit alterius beatitudini. Ibi non sunt fures, id est dæmones, quia cum capite inde corruerunt. Chrysostomus : « Unus solus fur est qui furatur thesaurum positum in cœlis, scilicet inanis gloria. »

SERMO CXXVI.

De eadem, ex Evangelio.

Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum, Matth., XXII. In istis verbis tria notantur. Primo, Domini nostri Jesu Christi divinitas, ibi : *Dixit Dominus Domino meo.* Dicere enim Dei fuit generare sibi Filium coæqualem, non secundum quod de David natus fuit, sed secundum quod de Patre semper fuit. Secundo, magna ipsius secundum humanam naturam dignitas, ibi : *Sede a dextris meis,* id est regna in potioribus bonis meis. Tertio, Dei potentia et justitia, ibi : *donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Hoc enim pertinet ad justitiam et potentiam Dei, ut puniat omnes inimicos Christi.

Nota autem quod septem faciet Dominus contra inimicos. Unde stulti sunt qui volunt esse inimici ejus, et qui non reconciliantur ei. Primo, contra eos cum toto mundo pugnabit. Psal. CIX : *Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum ; Glossa :* « Donec subjiciam volentes et nolentes. » Tertio, suum furorem eis demonstrabit. Nahum, I : *Ultiones Domini in hostes suos, et irascens ipse inimicis suis.* Quarto, eos sævissime judicabit. Deuter., XXXIII : *Si acuero ut fulgur gladium meum, et arripiet judicium manus mea, reddam ultionem hostibus meis, et his qui oderunt me, retribuam.* Quinto, tenebris infernalibus excæcabit eos. Nahum, V : *Inimicos ejus persequentur tenebræ.* Sexto, æternum eis supplicium dabit. Psal. LXXVII : *Percussit inimicos suos in posteriora, opprobrium sempiternum dedit illis.* Septimo, eos æternæ morti destinabit. Phil., III : *Nunc autem et flens dico, inimicos crucis Christi, quorum finis interitus.* Luc., XIX : *Verumtamen illos qui noluerunt me regnare super se, adducite huc, et interficite ante me.*

Sunt autem inimici Christi omnes qui nolunt parere ejus imperiis. Augustinus in lib. *De civit. Dei* XII : « Dicuntur autem inimici Dei qui non natura, sed vitiis, adversantur ejus imperiis ; nihil valentes ei nocere ; sed sibi inimici sunt resistendi voluntate, non potentia lædendi ; quanquam quis sit inimicus, potest fieri amicus ejus, si confugiat ad sanguinem Christi. Rom., V : *Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus, multo magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius.* Ad quam nos perducat, etc.

SERMO CXXVII.

De dominica decima nona, ex Epistola.

Nolite locum dare diabolo. Qui furabatur, jam non furetur; magis autem laboret manibus suis, quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti, Ephes., IV. Nota quod Apostolus in ista epistola tria facit. Primo, monet fideles ne in corde suo locum diabolo faciant, ibi : *Nolite locum dare diabolo.* Secundo, monet eos cavere ab illis qui locum diabolo præparant, ibi : *Qui furabatur, jam non furetur.* Tertio, monet eos facere propter quod diabolus fugiat, ibi : *Magis autem laboret,* etc.

Circa primum nota quod propter quatuor non debemus facere locum diabolo. Primo, quia serpens est, volens animam quæ eum suscipit, veneno malitiæ venenare. Apoc., XII : *Projectus est draco iste magnus, antiquus serpens, qui vocatur diabolus et Satanas, qui seducit universum orbem, et projectus est in terram, et angeli ejus missi sunt in terram.* Secundo, quia est leo, quærens animas devorare. I Petr., V : *Fratres, sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret.* Tertio, quia est invidus, malum suo hospiti ordiendo. Eccli., III : *Invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum; imitantur illum qui sunt ex parte ejus.* Quarto, quia est accusator, semper suos hospites accusando. Apocal., XII : *Projectus est accusator fratrum vestrorum, qui accusabat eos ante conspectum Dei nostri die ac nocte.* Quinto, quia est fur, omnia bona gratiæ suo hospiti furando. Luc., VIII : *Inde venit diabolus, et tollit verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant.* Sexto, quia est homicida, hospites suos morte perpetua jugulando. Joan., VIII : *Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis facere; ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit, quia non est in eo veritas.* Septimo, quia qui facit hujusmodi locum diabolo, locum habebit cum diabolo in inferno. Matth., XXV : *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus.* Patet ergo quod in multis plus

stulti sunt qui locum diabolo faciunt in corde suo, quam qui reciperent serpentem, leonem, furem, homicidam in domo sua.

Circa secundum nota quod a septem peccatis præcipit nos Apostolus abstinere in ista epistola, quæ in corde hominis locum diabolo faciunt. Primo, a furto, ibi : *Qui furabatur, jam non furetur.* Secundo, a sermone malo, ibi : *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat.* Tertio, a tristitia, ibi : *Omnis amaritudo.* Quarto, ab ira, ibi : *Et ira.* Quinto, ab indignatione, ibi : *Et indignatio.* Sexto, a contentione, ibi : *Et clamor.* Septimo, a blasphemia. Augustinus : « Blasphemia est per quam de Deo falsa dicuntur. » Et ideo pejus est blasphemia peccare quam perjurando, quia perjurando falsarie adhibetur testis ; blasphemando falsa dicuntur de ipso Deo. Et ab omni malitia, ibi : *Blasphemia tollatur a vobis cum omni malitia.*

Circa tertium notandum quod similiter ad septem hortatur nos Apostolus in ista epistola, quæ diabolum ab anima fugant. Primo, ad mentis renovationem, ibi : *Renovamini spiritu mentis vestræ.* Debemus autem quinque modis renovari. Primo, sicut aquila, rostrum malæ linguæ deponendo ; unde ibidem : *Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo, quoniam sumus invicem membra.* Psal. CII : *Renovabitur, ut aquila, juventus tua.* Secundo, sicut cervus, cornua superbiæ deponendo. Ps. XLI : *Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum ;* dicit ibi *Glossa :* « Cervus est gravatus excedentibus pilis atque cornibus, serpentem naribus attrahit sive haurit, quo hausto venenum æstuat, unde fontem ardentissime desiderat, quo hausto, cornua et pilos deponit. » Isa., LV : *Omnes sitientes venite ad aquas.* Tertio, sicut accipiter, plumas virtutum per gratiam sancti Spiritus assumendo. Job, XXXIX : *Numquid per sapientiam tuam plumescit accipiter, expandens alas suas ad austrum?* Quarto, sicut serpens, corium vetustæ conversationis exuendo. Coloss., III : *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, induite novum eum qui renovatur in agnitione Dei secundum imaginem ejus qui creavit eum.* Quinto, sicut aurum vel argentum, rubiginem mali amoris auferendo. Job, XXIII : *Ipse vero scit viam meam, et probavit me quasi aurum, quod per ignem transit.* Secundo, monet ad honestum laborem, ibi : *Magis autem laboret.* Tertio, ad eleemosynarum elargitionem, ibi : *Ut habeat unde tribuat necessitatem patienti.* Quarto, monet loqui quæ sunt ad ædificationem fidei, ibi : *Ut det gratiam audientibus.* Quinto, ad benignitatis ostensionem, ibi : *Estote autem invicem benigni.* Sexto, ad misericordiæ exhibitionem, ibi : *misericordes.* Septimo, ad mutuam injuriarum dimissionem, ibi : *donantes invicem, sicut et Christus donavit vobis.*

SERMO CXXVIII.

De eadem, ex Evangelio.

Ascendens Jesus in naviculam, transfretavit, et venit in civitatem suam. Et ecce offerebant ei paralyticum in lecto, et videns Jesus fidem illorum, dixit paralytico : Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua, Matth., IX. Allegorice civitas ista est civitas cœlestis. Psal. LXXXVI : *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.* Ad hanc civitatem venit qui ascendit naviculam, id est sanctam vitam ; et trans mare hujus mundi *ascendens Jesus in naviculam, transfretavit, et venit in civitatem suam.* Moraliter navicula ista significat vitæ sanctitatem propter tria. Primo, ratione materiæ ; secundo, ratione formæ ; tertio, ratione finis.

Quære in tertia dominica post octavas Epiphaniæ.

Debet autem quilibet ad istam civitatem festinare. Primo, propter securitatem ; secundo, propter amœnitatem ; tertio, propter copiositatem.

Circa primum nota quod est securitas in civitate cœlesti propter tria. Primo, quia cœlis solidissimis tanquam firmissimis columnis communitur. Psal. XXX : *Benedictus Deus, quia mirificavit misericordiam suam in civitate munita.* Secundo, quia ibi nullus malus, qui securitatem et pacem ejus perturbet, invenitur. Psal. LXXII : *Domine, in virtute tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges.* Tertio, quia æternitate stabilitur. Ps. XLVII : *Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri, Deus fundavit eam in æternum.* Hebr., XI : *Expectabat enim fundamenta habentem civitatem, cujus artifex et conditor Deus.*

Circa secundum notandum quod amœnitas civitatis consurgit ex tribus. Primo, quia pulcherrimis mœniis decoratur. Prov., IX : *Misit ancillas suas,* scilicet infirmos

prædicatores et despicabiles elegit, *ut vocarent* suo verbo et exemplo fideles populos *ad arcem* suam, *et ad mœnia civitatis*, ad superna cœlestis patriæ ædificia colligerent. Secundo, quia continuo lumine illustratur. Apoc., II : *Et civitas non eget sole neque luna ut luceant in ea, nam claritas Dei illuminabit eam, et lucerna ejus est agnus; et ambulabunt gentes in lumine ejus.* Tertio, quia mirabilis temperies sine æstu et frigore semper continuatur. Apoc., IV : *Non cadet super eos sol nec ullus æstus, quoniam agnus, qui in medio eorum est, teget illos, et adducet illos ad vitæ fontes; et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.* Psal. LXV : *Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium.*

Circa tertium notandum quod ibi erit copiositas omnium bonorum, id est omnium gaudiorum. Isa., XXXIII : *Oculi tui videbunt Jerusalem civitatem, habitationem opulentam.* Consurgent autem in gaudia ex tribus. Primo, ex divinæ speciositatis visione. Isa., XXXIII : *Regem in decore suo videbunt.* Secundo, ex pulchritudine et bonitate angelicæ societatis, qui sunt cives ejus. Hebr., XII : *Accessistis ad montem Sion, et civitatem Dei viventis, Jerusalem cœlestem, et ad multorum millium angelorum frequentiam, et ad Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cœlis, et ad judicem omnium Deum, et spiritus justorum perfectorum.* Tertio, ex continuatione æternæ solemnitatis. Isa., XXXIII : *Respice Sion civitatem solemnitatis vestræ.* Celebrant enim qui sunt in ista civitate continuum festum, qui nihil aliud faciunt nisi quiescere, videre, amare, laudare, cantare, quæ conveniunt festo. Augustinus in lib. *De civit. Dei :* « Si quæratur quod est opus illius civitatis, dicimus quod ibi vacabimus, et videbimus, et amabimus, et laudabimus, et cantabimus. Nam quis alius erit noster finis nisi venire ad regnum cujus non erit finis ? » Ad quod nos perducat Dominus omnipotens.

SERMO CXXIX.

De dominica vigesima, ex Epistola.

Videte quomodo caute ambuletis, Ephes., V : Apostolus in ista epistola admonet nos ad cautelam ambulandi, et ponit tria circa ipsam cautelam. Primo, ut ambulemus discrete, ibi : *Non quasi insipientes;* secundo, expedite, ibi : *Nolite inebriari vino;* tertio, humiliter, ibi : *Gratias agentes semper pro omnibus in nomine Domini Jesu Christi.* Circa primum ostendit discretionem ambulandi in tribus. Primo, in electione operandorum, ibi : *Sed ut sapientes;* secundo, in comparatione electorum, ibi : *Redimentes tempus;* tertio, in inclinatione ad debitum finem, ibi : *Intelligentes quæ sit voluntas Dei.* Circa secundum ostendit expeditionem ambulationis esse in duobus. Primo, in timore impedimenti, ibi : *Nolite inebriari;* secundo, in habitatione ad melius, ibi : *Sed adimpleamini Spiritu sancto.* Circa tertium ostendit humilitatem ambulationis spiritualis esse in duobus. Primo, in comparatione ad Deum, ibi : *Gratias agentes;* secundo, in comparatione ad proximum, ibi : *Subjecti invicem in timore Christi.*

Videte quomodo caute ambuletis. Monet Apostolus in verbis istis, scilicet ut caute ambulemus in via justitiæ, propter quatuor. Primo, quia ambulamus in medio laqueorum. Eccli., IX : *Ingredieris, et super dolentium arma ambulabis.* Secundo, quia ambulamus in medio latronum. Oseæ, VI : *Quasi fauces virorum latronum, particeps sacerdotum, in via interficientium pergentes de Sichem.* Job, XIX : *Simul venerunt latrones ejus, et fecerunt sibi viam per me.* Tertio, quia ambulamus in medio fovearum. Gen., XIX : *Vallis silvestris habebat puteos multos bituminis.* Isa., XXIV : *Formido et fovea et laqueus super te, qui habitator es terræ; et erit, qui fugerit a facie formidinis, vadet in foveam, et qui se explicaverit de fovea, tenebitur laqueo.*

Circa primum nota quod ambulamus in medio trium laqueorum. Primus laqueus est superborum iniquitas. Psal. CXXXIX : *In via hac qua ambulabam, absconderunt superbi laqueum mihi.* Secundus, avarorum cupiditas. I ad Tim., VI : *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem. Radix omnium malorum est cupiditas.* Tertius est detractorum perversitas. Eccli., LI : *Liberasti corpus meum a perditione, et a laqueo linguæ iniquæ, et a labiis operantium iniquitatem.*

Circa secundum nota quod similiter ambulamus in medio trium latronum. Primus est diabolus ; unde Joan., X : *Fur non venit*

nisi ut furetur et mactet et perdat. Secundus est adulator. Oseæ, VII : *Fur ingressus est spolians, latrunculus foris.* Fures intrinseci sunt, adulatores extranei. Tertius est vana gloria. Gregorius : « Quasi quidam latrunculus adjungit se in via favor humanus et incautos quos reperit, spoliat. Igitur expoliari desiderat, qui thesaurum publice in via portat. » Idem : « Quasi latrunculus quippe est appetitus laudis humanæ, qui recto itinere gradientibus ex latere jungitur, ut ex occultis educto gladio, gradientium vita trucidetur. » Chrysostomus : « Unus solus fur est qui furatur thesaurum positum in cœlis, vana gloria. » Dæmones furantur animas, adulatores puritatem conscientiæ, vana gloria mercedem æternæ gloriæ

Circa tertium nota quod ambulamus similiter in medio trium fovearum. Prima est mulier vel luxuria. Prov., XXXIII : *Fovea,* id est peccatum luxuriæ, *profunda,* inferi, *os alienæ,* verba et oscula meretricis, *cui iratus est Dominus, incidet in eam,* scilicet iræ filius. *Glossa :* « Qui verba vel oscula meretricis amplectitur, quasi januam abyssi pulsat; et nisi pedes retrahat, membra cohibent, in foveam pœnalem cadet, in qua nullus nisi filius iræ illabitur. » Secundo, gula et ebriositas. Prov., XXIII : « *Cui,* scilicet instant, *foveæ?* scilicet vitiorum, *cui sine causa,* scilicet ferri, *vulnera? cui suffusio oculorum?* scilicet amissio luminis. *Nonne his qui commorantur in vino et student calicibus epotandis?* Tertia hypocritarum et maleficorum dolositas. Isa., XXXIV : *Foveam habuit ericius,* qui significat duplices, qui abscondunt intentiones sub spinis duplicitatis. Matth., VIII : *Vulpes foveas habent,* etc.

Propter periculum laqueorum debemus ambulare caute semper ad Dominum. Ps., XXIV : *Quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.* Augustinus : « Resisto seductionibus ut non implicentur pedes mei, quibus ingredior viam tuam; et erigo ad te invisibiles oculos, ut tu evellas de laqueo pedes meos. Proinde tu evellas eos ; nam si illaqueantur, tu non cessas evellere; ego autem curro ubique sparsis insidiis. » Propter periculum latronum debemus ambulare caute spiritualibus armati armis gradiendo. Ephes., VI : *Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo.* Propter periculum fovearum debemus ambulare caute, semper cum gravitate et luce gratiæ incedendo. Rom., XIII : *Sicut in die honeste ambulemus.*

SERMO CXXX.

De eadem, ex Evangelio.

Missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, Matth., XXII. In istis verbis parabolice loquitur Deus de perditione impiorum, quæ futura est in judicio. Et nota hic tria. Primo, magnam Dei potentiam, ibi : *Missis exercitibus;* secundo, severam ipsius justitiam, ibi : *perdidit homicidas;* tertio, perversam reproborum malitiam, ibi : *homicidas illos.*

Circa primum nota quod magnos exercitus mittet Deus in die judicii ad perdendum malos. Primus exercitus angelorum. Matth., XIII : *Exibunt angeli, et separabunt malos de medio justorum, et mittent eos in caminum ignis.* Secundus erit exercitus sanctorum. Isa., II : *Deus ad judicium veniet cum senioribus populi sui et principibus ejus.* Tertius erit exercitus omnium creaturarum. Sapient., V : *Armabit creaturam ad ultionem inimicorum, et pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.*

Circa secundum nota quod Deus perdet malos tripliciter. Primo, velociter, quia subita erit eorum perditio. Deuteron., XXVIII : *Mittet Deus super te famem, et esuriem, et increpationem in omnia opera tua quæ facies, donec conterat te, et perdat velociter propter adinventiones tuas pessimas, in quibus reliquisti me.* I Thess., X : *Cum enim dixerint pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus.* Secundo, perdet universaliter, quia nullus malus evadet. Psalm. LXXII : *Perdes omnes qui fornicantur abs te.* Luc., XVII : *Et dabantur ad nuptias usque in diem qua intravit Noe in arcam : et venit diluvium, et perdidit omnes. Similiter sicut factum est in diebus Lot : edebant et bibebant, emebant et vendebant, plantabant et ædificabant : qua die autem Lot exiit a Sodomis, pluit ignem et sulphur de cœlo, et omnes perdidit : secundum hoc erit in die qua Filius hominis revelabitur.* Tertio, perdet æternaliter. Matth., X : *Eum timete qui potest corpus et animam perdere in gehennam.*

Circa tertium nota quod Deus perdet malos. Matth., XXII : *Malos male perdet.* Item perdet mendaces. Psalm. V : *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Item perdet homicidas, ut hic : *Perdidit homicidas illos.* Propterea hic tria notantur peccata : scilicet

peccatum cordis in malitia, peccatum oris in mendacio, peccatum operis in homicidio; omnes enim qui peccant corde vel ore vel opere, nisi pœniteant, perdentur a Domino in æternum, et ad diem furoris adducentur, a qua nos liberet Dominus omnipotens. Amen.

SERMO CXXXI.

De dominica vigesima prima, ex Epistola.

Accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, et in omnibus perfecti stare, Ephes., VI. Tria facit Apostolus in verbis istis. Primo, monet ut armis spiritualibus nos armemus, ibi : *Accipite armaturam Dei;* secundo, probat quod indigemus, ibi : *Ut possitis resistere in die malo;* tertio, ponit : *Et in omnibus perfecti stare.*

Circa primum nota quod quinque arma debemus accipere, quæ ponit Apostolus in ista epistola. Primo, debemus accipere balteum continentiæ, ibi : *State succincti lumbos vestros.* Job, XL : *Accinge sicut vir lumbos tuos.* Secundo, debemus indui loricam justitiæ, ibi : *Loricam justitiæ.* Isa., LIX : *Indutus est justitia, ut lorica.* Tertio, debemus assumere scutum fidei. Psalm. XC : *Scuto circumdabit te veritas ejus, non timebis a timore nocturno.* I Petr., V : *Adversarius vester diabolus, tanquam leo rugiens, circuit quærens quem devoret : cui resistite fortes in fide.* Quarto, galeam spei, ibi : *Galeam salutis assumite.* I Thess., V : *Induti loricam fidei, et caritatis, et galeam spem salutis : quoniam non posuit nos Deus in iram, sed in acquisitionem salutis per Dominum nostrum Jesum Christum, qui mortuus est pro nobis.* Quinto, gladium verbi Dei, ibi : *Gladium spiritus, quod est verbum Dei.* Hebr., IV : *Vivus est sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti.*

Circa secundum nota quod quinque sunt dies mali, a quibus defendunt nos arma illa. Prima dies mala est iniquitas. Eccle., VII : *In die bona,* scilicet in præsenti, qua mereri potes vitam æternam; *fruere bonis,* scilicet operibus virtutum; *et malam diem præcave,* scilicet futuram, in qua nulla datur boni operis facultas. Secunda temporalis prosperitas. Jerem., I : *Ecce ego non sum turbatus, te pastorem sequens; et diem hominis non desideravi, tu scis. Quod egressum est de labiis meis, rectum fuit in conspectu tuo.* Psalm. XL : *In die mala liberabit eum Dominus.* Tertia, temporalis adversitas. Matth., VI : *Sufficit diei malitia sua.* Quarta est tentatio diabolica. Psalm. XLVIII : *Cur timebo in die mala?* id est, in die tentationis. Quinta est dies judicii. Amos, VI : *Qui separati estis in diem malam, et appropinquatis solio iniquitatis.* Erit autem dies illa mala malis propter undecim, quæ tangit Sophonias, cap. I, in una auctoritate. Primo : *dies illa dies iræ, dies tribulationis et angustiæ, dies calamitatis et miseriæ, dies tenebrarum et caliginis, dies nebulæ et turbinis, dies tubæ et clangoris super civitates munitas et super angulos excelsos : et tribulabo homines; et ambulabunt ut cæci, quia Domino peccaverunt : effundetur sanguis eorum sicut humus, et corpora eorum sicut stercora.*

Circa tertium nota quod in tribus debemus perfecti stare. Primo, in cordis et corporis munditia. II Corinth., VII : *Has ergo habentes promissiones, carissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei.* Secundo, in mandatorum Dei observatione. Jacob., II : *Si tamen legem perficitis regalem secundum Scripturam : Diliges proximum sicut teipsum benefacitis. Si autem personas accipitis, peccatum operamini, redarguti a lege quasi transgressores. Quicumque autem totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus. Qui enim dixit : Non mœchaberis, dixit et : Non occides. Quod si non mœchaberis, occidas autem, factus es transgressor legis.* Tertio, in linguæ reformatione. Jacob., III : *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir.* Quarto, in Dei et proximi dilectione. I Joan., IV : *Perfecta caritas foras mittit timorem.* Matth., V : *Ego autem dico vobis : Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est;* et post : *Estote ergo et vos perfecti, sicut Pater vester perfectus est.* Quinto, in laude Dei et gratiarum actione. Psalm. VIII : *Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem,* ad quam laudem nos perducat qui est benedictus in sæcula. Amen.

SERMO CXXXII.

De eadem, ex Evangelio.

Heri hora septima reliquit eum febris, Joan., V. Moraliter duo notantur in verbis istis. Primo, peccatoris infirmitas, scilicet

febris, ibi : *febris;* secundo, quot sint ad curationem ipsius necessaria, ibi : *hora septima reliquit eum febris.*

Circa primum nota quod peccatores laborant septem febribus. Prima est continua, quæ est luxuria. Oseæ, IV : *Fornicati sunt, et non cessaverunt, quoniam Deum dereliquerunt in non custodiendo.* Secunda, quotidiana, quæ est gula, in qua quotidie peccatur. Isa., LVI : *Comedamus et bibamus, et erit sicut in die, sic et cras multo amplius.* Tertio, laborant tertiana, quæ significat iracundiam ex accessione caloris. Eccli., XXVIII : *Secundum enim ligna silvæ, sic exardescit ignis ..., et secundum virtutem suam exaltabit iram suam.* Quarta, febris quartana, quæ significat accidiam, quæ provenit ex melancholia. Proverb., XV : *Sicut tinea vestimento, et vermis ligno, ita tristitia viri nocet cordi.* Deuteron., XXVIII : *Percutiat te Dominus egestate, febri et frigore, ardore, æstu et aere corrupto, ac rubigine.* Quinta, hectica, quæ est avaritia, quæ difficile vel nunquam curatur. Hieronymus : « Cum cætera vitia senescant in homine, sola avaritia juvenescit. » Sexta ephimera, quæ est superbia, quia cito deficit. Psalm. LXXII : *Dejecisti eos dum allevarentur.* Job, XXIV : *Elevati sunt ad modicum et non subsistent, et humiliabuntur sicut omnia et auferentur, et sicut summitates spicarum conterentur.* Septima putrida, quæ est invidia. Proverb., XIV : *Vita carnis, sanitas cordis; putredo ossium invidia.*

Circa secundum nota quod septem sunt quæ sanant hominem ab istis septem febribus, sicut ex textu colligitur. Prima est devota Dei auditio. Ps. CVI : *Misit verbum suum, et sanavit eos.* Sap., XVI : *Etenim nec herba nec malagma sanavit illos; sed sermo tuus, Domine omnipotens, qui sanat omnia. Tu es qui vitæ et mortis habes potestatem, et deducis ad portas mortis, et reducis.* Secunda, est peccati contritio. Psal. L : *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco.* Tertia, devota ad Deum exclamatio. Psal. XXIX : *Deus meus, clamavi ad te et sanasti me.* Quarta est fidei infusio. Luc., VII : *Dixit autem Dominus ad mulierem : Fides tua te salvam fecit : vade in pace.* Quinta est misericordiæ exhibitio. Isa., LVIII : *Cum videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne despexeris. Et tunc erumpet quasi mane lumen tuum, et sanitas tua citius orietur, et anteibit faciem tuam justitia tua, et gloria Dei colliget te.* Sexta, peccati desertio. Isa., XXVI : *Si revertamini et quiescatis, salvi eritis.* Septima, perfecta cordis contritio et plena hominis ad Deum conversio. Psal. CXLVI : *Qui sanat contritos corde.* Jerem., III : *Convertimini filii revertentes, et sanabo aversiones vestras.* Idem in eodem : *Vere in Domino Deo nostro salus Israel.* Hæc est septima hora, in qua febris omnino derelinquit peccatorem. Hæc autem omnia nullam habent efficaciam, nisi sumant effectum ab illa sancta medicina quæ sanat omnes languores nostros, id est a passione Christi Dei nostri. I Petr., II : *Qui peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum, cujus livore sanati sumus.*

SERMO CXXXIII.

De dominica vigesima secunda, ex Epistola.

Ut sitis sinceri et sine offensa in diem Christi, Philipp., I. Ad tria hortatur nos Apostolus in ista epistola. Primo, ad mali vitationem, ibi : *Ut sitis sinceri;* secundo, ad omnem dilectionem, ibi : *Repleti fructu justitiæ;* tertio, ad rectam intentionem, ibi : *in laudem et gloriam Dei.*

Circa primum tria facit. Primo, monet ad acquirendam mentis munditiam, ibi : *Ut sitis sinceri.* Matth., V : *Beati mundo corde.* Secundo, ad vitandam proximi injuriam, ibi : *sine offensa.* II Cor., VI : *Nemini dantes ullam offensionem.* Tertio, ad habendum in utroque perseverantiam, ibi : *In diem Christi,* id est usque post mortem, quia tunc finitur dies hominis, et incipit dies Christi. Matth., X : *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Hoc tangit *Glossa :* « In verbo *sincere,* id est sine operibus corruptionis quoad nos, et quantum ad proximos *sine offensa;* et hic perseveraverit *usque ad diem Christi.*

Circa secundum similiter tria facit. Primo, monet ad mentis rectificationem, ibi : *justitiæ.* Anselmus : « Justitia est rectitudo voluntatis servata propter se. » Secundo, ad habendam in bono delectationem, ibi : *Fructus autem spiritus sunt pax, gaudium, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas.* Tertio, ad habendam in bono perfectionem, ibi : *repleti,* Matth., V : *Estote ergo vos*

perfecti, sicut Pater vester cœlestis perfectus est.

Circa tertium similiter tria facit. Tripliciter enim debemus in qualibet actione dirigere oculum intentionis ad Deum. Primo, ut omnia bona, tanquam a fonte omnis boni, venire ab eo credamus per Jesum Christum. Joan., I : *Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus, gratiam pro gratia : quia lex per Moysen data est; gratia et veritas per Jesum Christum facta est.* Joan., XV : *Sine me nihil potestis facere.* Secundo, ut Deum in nostra actione laudari et honorari faciamus, ibi : *in laudem Dei.* Matth., V : *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.* Tertio, ut æternam gloriam in præmium nobis dari pro opere appetamus, ibi : *per gloriam Dei.* Matth., VI : *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi ærugo et tinea demolitur, et fures effodiunt et furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlis, ubi nec tinea nec ærugo demolitur, nec fures effodiunt nec furantur.*

SERMO CXXXIV.

De eadem, ex Evangelio.

Simile est regnum cœlorum homini qui voluit rationem ponere cum servis suis. Matth., XX. Hæc ratio fiet in die judicii, circa quam debet homo tria cogitare quotidie. Primo, reddendi rationem difficultatem; secundo, testium qui adducentur veritatem; tertio, sententiæ contra eos qui malam rationem reddiderunt, severitatem.

Quære supra in dominica decima.

SERMO CXXXV.

De eodem.

Iratus dominus ejus tradidit eum tortoribus, quousque redderet universum debitum, Matth., XVIII. Moraliter per servum istum intelligitur peccator quilibet, cui irascetur Deus in judicio, et tradet eum æternis tormentis. Unde nota tria in verbis istis. Primo, justa Dei contra reprobos indignatio, ibi : *Iratus Dominus.* Secundo, dura peccatorum damnatio, ibi : *Tradidit eum tortoribus.* Tertio, ejusdem damnationis duratio, ibi : *Quousque redderet universum debitum.*

Circa primum nota quod quatuor sunt genera hominum quibus irascetur Deus in judicio. Primo, contra eos qui legem Dei spernunt. Isa., V : *Abjecerunt enim legem Domini exercituum, et eloquium sancti Israel blasphemaverunt : ideo iratus est furor Domini in populum suum, et extendit manum suam super eum, et percussit eos; et turbati sunt montes, et facta sunt morticina eorum quasi stercus in medio platearum.* Secundo, irascetur contra eos qui in peccatis usque in finem perdurant vel persistunt. Isa., LXIV : *Ecce tu iratus es, et peccavimus : in ipsis fuimus semper, et salvabimur.* Tertio, contra eos qui temporalibus divitiis abutuntur. Zach., I : *Ego irascar super gentes opulentas.* Quarto, contra eos qui proximis non compatiuntur. Jac., II : *Judicium sine misericordia fiet illi qui noluit facere misericordiam : superexaltat autem misericordia judicium.* Hoc potest intelligi in isto servo, qui noluit misereri conservi sui.

Circa secundum nota quod peccator a quatuor tortoribus torquebitur. Primo, a Deo. Matth., VIII : *Et cum venisset trans fretum in regionem Gerasenorum, occurrerunt ei duo habentes dæmonia de monumentis exeuntes, sævi nimis : ita ut nemo posset transire per viam illam; et ecce clamaverunt dicentes : Quid nobis et tibi, Fili Dei? venisti huc ante tempus torquere nos? Erat autem non longe ab illis grex multorum porcorum pascentium.* Secundo, a conscientia. Augustinus : « Jussisti, Domine, et ita est, ut pœna sua sit sibi omnis inordinatus animus. » Tertio, a morte æterna. Sapient., III : *Non tanget illos tormentum mortis,* et dicitur de sanctis. Lucæ, XVI : *Rogo te, pater, ut mittas eum in domum patris mei (habeo enim quinque fratres) ut testetur illis, ne ipsi veniant in hunc locum tormentorum.* Quarto, ab omni creatura. Sapient., XVI : *Creatura tibi factori deserviens exardescit in tormentum adversus injustos, et levior fit ad benefaciendum pro his qui in te confidunt.*

Circa tertium nota quod debent reddere quadruplex debitum, secundum quatuor quæ dedit nobis. Primo, dedit nobis mundum cum creaturis. Psal. VIII : *Omnia subjecisti sub pedibus ejus.* Secundo, corpus cum sensibus. Tertio, animam cum viribus. De his duobus, Genes., II : *Formavit Deus hominem de limo terræ* quoad corpus, *et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ* quoad animam. Quarto, gratiam cum virtu-

tibus. Hebr., XIII : *Jam regnum immobile suscipientes, habemus gratiam, per quam salvamur, placentes Deo cum metu et reverentia : etenim Deus noster ignis consumens est.* De mundo debemus ei reddere eleemosynam, pauperibus subveniendo. Eccli., IV : *Declina pauperi sine tristitia aurem tuam, et redde debitum, et responde illi pacifice in mansuetudine.* Idem : *Fili, eleemosynam pauperibus ne fraudes, et oculos ne transvertas a paupere : animam esurientem ne despexeris, et ne exasperes pauperem in inopia sua.* Idem : *Cor inopis ne afflixeris, et ne protrahas datum angustianti.* Idem : *Ab inope ne avertas oculos propter iram, et ne relinquas quærentibus tibi retro maledicere : maledicentis enim in amaritudine animæ exaudietur deprecatio illius; exaudiet autem eum qui fecit illum.* Idem : *Congregationi pauperum affabilem te facito, et presbytero humilia animam tuam. Glossa* : « In his autem commendatur mansuetudo et humilitas : quia mansuetudo neminem spernit, humilitas omnibus se subjicit. Decet autem christianum æqualibus et inferioribus affabilem se facere et humilem. » Psal. CXXX : *Domine, non est exaltatum cor meum.* De corpore debemus ei reddere, ipsum immaculatum restituendo. Sap., X : *Repetitur animæ debitum quam habebat.* Gratiam debemus ei reddere, cum ipsa ad honorem ejus utiliter laborando. II Cor., VI : *Hortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.*

Qui ista non reddiderit hic, nunquam poterit ei reddere in æternum; et idcirco in loco tormentorum tormenta patietur in sæcula sæculorum. A quibus nos liberet Dominus.

SERMO CXXXVI.

De dominica vigesima tertia, ex Epistola.

Nostra autem conversatio in cœlis est, Philip., III. Apostolus in verbis istis docet quod conversatio justorum est in cœlis; et propter hoc, si volumus esse similes eis, non debemus conversari in istis miseriis, sed in cœlis. Conversantur autem sancti in cœlis propter tria. Primo, propter securitatem : qui enim conversatur in cœlis, est securus a periculis hujus ærumnosæ vitæ. Job, VII : *Libera me, et pone me juxta te; et cujusvis manus pugnet contra me.* Augustinus : « Qui intrat in gaudium Domini sui, et securus est, et habebit se optime et in optimo. » Secundo, propter jucunditatem. Qui conversabitur in cœlis, habebit quasi continuum gaudium et lætitiam. Sap., VIII : *Non enim habet amaritudinem conversatio illius, neque tædium convictus illius, sed lætitiam et gaudium.* Seneca : « Animus sapientis est quasi mundus supra lunam : semper enim in serenitate est. » Tertio, propter mundanorum omnium transeuntium necessitatem. Sciunt sancti omnia mundana hic cito transitura. II Petr., III : *Adveniet autem dies Domini ut fur, in quo cœli magno impetu transibunt, elementa calore solventur, et terra, et omnia quæ in ipsa sunt, exurentur. Cum hæc omnia dissolvenda sint, quales oportet nos esse in sanctis conversationibus, expectantes, et properantes in adventum Dei, propter quem cœli solventur, et elementa ignis ardore tabescent? Novos vero cœlos et novam terram secundum promissa ipsius expectamus, in quibus justitia inhabitat.*

Conversantur autem sancti in cœlo tripliciter. Primo, semper de bonis cœli cogitando. Secundo, in cœlo semper debent esse desiderando. De his duobus (Maximus) : « Iste sanctus digne in memoriam vertitur hominum, qui ad gaudia transiit angelorum : quoniam in hac peregrinatione solo corpore constitutus, in illa cœlesti patria conversatus est. » Tertio conversantur sancti in cœlo, secundum mores cœli vivendo. *Glossa*, ibi : « *Nostra conversatio in cœlis est;* et si vivimus in terris, est in cœlis conversatio nostra, quia ibi est spes nostra, quia vivendo et intelligendo sumus similes angelis. » Est autem in tribus conversatio sanctorum similis conversationi angelorum. Primo, in puritate; secundo, in simplicitate sine dolo; tertio, in caritate. Hæc tria maxime sunt in angelis : simplicitas in essentia, puritas in natura, caritas in gratia. In tribus est conversatio sanctorum. II Cor., I : *Nam gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ;* quia in simplicitate et sinceritate Dei, et non in sapientia carnali, sed in gratia Dei, conversati sunt in hoc mundo, etc.

SERMO CXXXVII.

De eadem, ex Evangelio.

Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces, etc., Matth., XXII. In

tribus commendatur Dominus Jesus Christus in verbis istis. Primo, a magisterii dignitate, ibi : *Magister;* secundo, a doctrinæ utilitate, ibi : *et viam Dei;* tertio, a docendi æquitate, ibi : *Non enim accipis personas hominum.*

Circa primum nota quod propter quatuor convenit ei dignitas magisterii. Primo, quia veritas apud eum solum semper consistit. Joan., XIII : *Vos vocatis me Magister et Domine, et bene dicitis : sum etenim.* Secundo, propter docendi potestatem. Matth., XIII : *Sabbatis ingressus Jesus in synagogas, docebat eos; et stupebant super doctrinam ejus : erat enim docens eos quasi potestatem habens, et non sicut scribæ.* Tertio, quia solus potest docere de omnibus. I Joan., II : *Unctio ejus docet nos de omnibus, et verum est, et non est mendacium.* Nullus est enim magister qui possit docere de omnibus nisi Dominus Jesus Christus. Eccli., I : *Omnis sapientia a Domino Deo est, et cum illo fuit semper, et est ante ævum.* Quarto, quia solus potest docere interius. Matth., XXIII : *Non vocemini magistri, quia magister vester unus est Christus; Glossa :* « id est, quia solus dat intellectum. »

Circa secundum nota quod quatuor vias valde utiles docuit nos Dominus Jesus Christus. Primo, viam pœnitentiæ. Matth., VI : *Intrate per angustam portam : quia lata porta et spatiosa est via quæ ducit ad perditionem ; et multi sunt qui intrant per eam. Quam angusta porta et arcta via est quæ ducit ad vitam! et pauci sunt qui inveniunt eam.* Matth., III : *Cœpit Jesus prædicare : Agite pœnitentiam, appropinquavit enim regnum cœlorum.* Secundo, viam sapientiæ. Prov., IV : *Viam sapientiæ monstrabo ibi; ducam te per semitas æquitatis,* id est consilia : *quas cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui, et currens non habebis offendiculum. Tene disciplinam, ne dimittas eam. Interlinearis :* « ut mali, qui medio cursu offendunt. » *Glossa :* « Actiones æquitatis cum inchoantur, arctæ videntur; sed cum profectum capiunt, jam ex consuetudine spatiosæ videntur : et qui in prava actione desudant, offendiculum in medio cursu reperiunt, quia ex templo dum non prævident, rapiuntur ad pœnam. » Tertio viam obedientiæ. Psal. CXVIII : *Viam justificationum instrue me.* Quarto, viam caritatis mutuæ. Joan., XIII : *Mandatum novum do vobis ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. In hoc cognoscent quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem.* I Cor., XIII : *Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro. Si linguis hominum loquar et angelorum, caritatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans aut cymbalum tinniens.* De istis quatuor viis, Isa., II : *Docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus.*

Circa tertium nota quod in quatuor non est acceptio personarum apud Christum. Primo in justificando. Act., X : *Aperiens autem Petrus os suum, dixit : In veritate comperi, quia non est acceptor personarum Deus; sed in omni gente qui timet Deum et operatur justitiam, acceptus est illi.* Secundo, in docendo, ut hic : *Viam Dei in veritate doces.* Tertio, in puniendo. Rom., II : *Non est personarum acceptio apud Deum. Quicumque in lege peccaverunt, per legem judicabuntur. Non enim auditores legis justificabuntur.* Quarto, in remunerando. Eph., VI : *Scientes quoniam unusquisque quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet a Domino, sive servus, sive liber : et personarum acceptio non est apud Deum.*

SERMO CXXXVIII.

De dominica vigesima quarta, ex Epistola.

Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine; qui eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum Filii dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem et remissionem peccatorum per Jesum Christum Dominum nostrum, Coloss., I. Apostolus in istis verbis docet ut gratias agamus Deo Patri de tribus magnis beneficiis, quæ contulit nobis per Jesum Christum. Primum beneficium fuit nostra justificatio, ibi : *in partem sortis sanctorum in lumine.* Secundum, a potestate diaboli liberatio, ibi : *eripuit nos de potestate tenebrarum :* diaboli. Tertium, regni æterni collatio, ibi : *et transtulit in regnum Filii dilectionis suæ.*

Circa primum nota quod triplex est sors sanctorum, quam Deus tribuit sanctis suis. Prima est æterna prædestinatio. Ephes., I : *In quo etiam et nos sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositum ejus qui omnia operatur secundum consilium voluntatis suæ, ut simus in laudem gloriæ gratiæ ipsius, qui ante speravimus in Christo.* Secunda, ipsorum justificatio. Sap., III : *Dabitur illi donum*

electum, et sors in Ecclesia Dei acceptissima. Et similiter hic : *Qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine.* Tertia, æterna glorificatio. Sap., v : *Ecce quomodo inter filios Dei computati sunt, et inter sanctos sors illorum est.*

Circa secundum nota quod Deus eripuit nos de potestate diaboli tripliciter. Primo, a diaboli servitute nos liberando. Hebr., II : *Ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, id est diabolum, et liberaret eos qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti.* Diabolus est princeps tenebrarum. Ephes., VI : *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem ; sed adversus principes et potestates, adversus rectores tenebrarum harum.* Secundo, tenebras nostræ ignorantiæ bene suæ doctrinæ illuminando. Isa., IX : *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam : habitantibus in regione umbræ mortis lux orta est eis.* I Petr., III : *Qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum : qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei, qui non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti.* Tertio tenebras peccatorum nostrorum luce virtutum fugando. Ephes., VI : *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis ambulate.*

Circa tertium nota quod tripliciter translationem facit Dominus de sanctis suis. Primo, transfert eos de tenebris exilii ad lumen visionis suæ claritatis. Eccli., XX : *Enoch translatus est in paradisum.* Paradisus enim dicitur quasi parans visum, quia parat visum, qui est beatitudo sanctorum et angelorum. Joan., XVII : *Hæc est vita æterna ut cognoscant te solum Deum, et quem misisti Jesum Christum.* Secundo, transfert eos de morte ad vitæ æternitatem. I Joan., III : *Nos scimus quia translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diliget, manet in morte.* Tertio, transfert eos de sæculo nequam ad regni cœlestis hæreditatem, ut dicitur hic : *Et transtulit in regnum Filii dilectionis suæ,* etc.

SERMO CXXXIX.

De eadem, ex Evangelio.

Ecce mulier quæ sanguinis fluxum patiebatur annis duodecim, accessit retro, et tetigit fimbriam vestimenti ejus, Matth., IX. Moraliter in miraculo isto notantur tria. Primo peccantis animæ miseria, ibi : *Ecce mulier quæ fluxum patiebatur;* secundo, peccantis humilitas, ibi : *et accessit retro et tetigit fimbriam vestimenti ejus;* tertio, utilitas pœnitentis, ibi : *Et conversus Jesus, videns eam, dixit ei : Confide, filia, fides tua te salvam fecit.*

Circa primum nota quod peccator patitur fluxum sanguinis tribus modis. Primo, per nimium amorem consanguineorum. Mich., III : *Audite hoc principes domus Israel, qui abominamini judicium, et omnia recta pervertitis; qui ædificatis Sion in sanguinibus, et Jerusalem in iniquitate. Principes ejus in muneribus judicabant, et sacerdotes ejus in mercede docebant, et prophetæ ejus in pecunia divinabant, et super Dominum requiescebant, dicentes : Numquid non Dominus in medio nostrum? Propter hoc causa vestri Sion quasi ager arabitur, et Jerusalem quasi acervus lapidum erit.* Secundo, propter fluxum carnalium delectationum. Psal. L : *Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ.* Tertio, propter operationem quorumlibet peccatorum. Oseæ, IV : *Audite verbum Domini, filii Israel, quia judicium Domini cum habitatoribus terræ : non est enim veritas, et non est misericordia, et non est scientia Dei in terra. Maledictum, et mendacium, et homicidium, et furtum inundaverunt, et sanguis sanguinem tetigit, id est peccatum. Propter hoc lugebit terra, et infirmabitur omnis qui habitat in ea.*

Circa secundum nota quod pœnitentia, quæ est effectus contritionis, in tribus consistit. Primo, in fide, ibi : *fides tua te salvam fecit.* Act., III : *Fide purificans corda eorum.* Psal. L : *Cor contritum et humiliatum Deus non despicies.* Secundo, in humilitate, quæ est confectrix confessionis, ibi : *retro.* Bernardus : « Nonus gradus humilitatis est confiteri peccata sua ei cui debet. » Jac., V : *Confitemini alterutrum peccata, et orate pro invicem ut salvemini.* Tertio, in labore satisfactionis, ibi : *Tetigit fimbriam.* Matth., V : *Facite ergo dignum fructum pœnitentiæ.* In eodem : *Omnis ergo arbor quæ non facit bonum fructum excidetur et in ignem mittetur.* Gregorius : « Quilibet ad cor redeat, et tanto majora lucra sibi acquirat per pœnitentiam, quanto majora damna sibi intulit per culpam. »

Circa tertium nota quod triplex utilitas notatur hic, quæ provenit ex pœnitentia. Prima, quia Deus ad peccatorem, qui erat

aversus et iratus, convertitur, ibi : *Conversus Jesus*. Zach., I : *Hæc dicit Dominus exercituum : Convertimini ad me, et convertar ad vos. Ne sitis sicut patres vestri, ad quos clamabant prophetæ priores, dicentes : Hæc dicit Dominus exercituum : Convertimini ad me de viis vestris malis, et de cogitationibus vestris pessimis : et non audierunt, neque attenderunt ad me, dicit Dominus. Patres vestri ubi sunt? et prophetæ numquid in sempiternum vivent?* Secunda est quod gratia Dei ei infunditur : unde respexit Jesum Petrum, et flevit amare, quem a crimine negationis liberavit, et ab apostolatus culmine non permisit cadere. Matth., XXVI : *Et recordatus est Petrus verbi Jesu quod dixerat : Priusquam gallus cantet, ter me negabis; et egressus foras, flevit amare.* Est enim Dominus sicut sol, qui respiciens segetem, vivere et fructificare facit. Psal. XXIV : *Respice in me, et miserere mei.* Tertia est quod per pœnitentiam salus acquiritur, ibi : *Et salvata est mulier.* Isa., XLV : *Convertimini ad me, et salvi eritis.*

SERMO CXL.

De dominica vigesima quinta, ex Epistola.

Ecce dies veniunt, dicit Dominus; et suscitabo David germen justum : et regnabit rex, et sapiens erit, et faciet judicium et justitiam in terra, Jerem., III. In istis verbis prædicitur adventus Domini nostri Jesu Christi.

Circa quod tria notanda. Primo, adveniendi congruitas, ibi : *Ecce dies veniunt;* congruum enim erat ut adventum Domini præcederent multi dies, in quibus præpararent se homines ad susceptionem ejus. Secundo, venientis dignitas, ibi : *Suscitabo David germen justum, et regnabit rex, et sapiens erit.* Tertio, adventus utilitas, ibi : *faciet judicium et justitiam in terra.*

Circa primum nota quod quinque dies spirituales venerunt ante adventum Christi. Prima dies fuit æterna Patris præordinatio. Mich., VI : *Egressus ab initio a diebus æternitatis.* Secunda, Patris facta promissio. Lucæ, I : *Jusjurandum quod juravit ad Abraham patrem nostrum daturum se nobis.* Tertia, in lege ipsius præfiguratio. Joan., V : *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere; et illæ sunt quæ testimonium perhibent de me;* et in eodem : *Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi.* Quarta, ipsius a prophetis prædicatio. Luc., I : *Visitavit et fecit redemptionem plebis suæ ..., sicut locutus est per os sanctorum.* Quinta, ipsa Christi incarnatio. Joel., III : *In illa die stillabunt montes dulcedinem, et colles fluent lac.* De istis quinque potest intelligi illud Judith, VIII : *In diebus quinque respiciat Dominus populum suum Israel.*

Circa secundum nota quod ibi quinque tangit propheta quoad dignitatem Christi. Primo, commendat eum a speciositate; secundo, a fortitudinis potestate. Hæc duo notantur ibi : *David,* qui interpretatur visu desiderabilis, et fortis manu. Christus fuit visu desiderabilis propter suam admirabilem pulchritudinem. Psal. XLIV : *Speciosus forma præ filiis hominum.* I Petr., I : *In quem desiderant angeli prospicere.* Fuit et manu fortis Christus propter admirabilem fortitudinem. Augustinus : « Manu inermi et affixa cruci debellavit aereas potestates. » Job, IX : *Si fortitudo quæritur, robustissimus est.* Tertio, commendat ab innata sanctitate, ibi : *Germen justum,* id est in conceptione, quia solus sine peccato. *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei,* Luc., I. Quarto, a regali dignitate, ibi : *regnabit rex.* Apocal., V : *Rex regum, Dominus dominantium.* Quinto, a sapientia claritate, ibi : *et sapiens erit.* Col., III : *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi.*

Circa tertium nota quod Christus venit in mundum ut nos judicaret et remuneraret. Hæc duo notantur hic : *et faciet judicium et justitiam in terra.* Judicium, incredulos reprobando, id est condemnando; justitiam, credentes justificando et salvando. De primo, Joan., III : *Qui non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei.* De secundo, ibid. : *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret : ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Non enim misit Deus Filium suum in mundum ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. Qui credit in eum, non judicatur.* Debemus ergo in eum credere per fidem, quæ perducit et operatur ut salvemur. Debemus et malum fugere, ne damnemur. Matth., ult. : *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur.* A qua condemnatione liberet nos, etc.

SERMO CXLI.

De eadem, ex Evangelio.

Illi homines cum vidissent quod fecerat signum, dicebant, quia hic est vero propheta qui venturus est in mundum, Joan., VI. In istis verbis quatuor notanda. Primo, Christi potentia, ibi : *cum vidissent quod fecerat signum Jesus.* Miraculum enim istud quod fecerat, actus fuit infinitæ potentiæ. Dionysius : « Miraculum est actus manifestus potentiæ Dei ad optimum. » Secundo, magna Christi sapientia, ibi : *hic est vere propheta.* Prophetia est actus infinitæ sapientiæ, Deuter., XVIII : *Prophetam de gente tua et de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Deus tuus : ipsum audies.* Tertio, magna justitia, ibi : *Qui venturus est in mundum.* Venturus est enim Christus in mundum judicare ipsum in justitia. Psal. IX : *Judicabit orbem terrarum in justitia.*

Circa primum notanda quatuor signa Christi. Primum signum fuit incarnatio Christi, quæ fuit signum infinitæ bonitatis. Isa., VII : *Propter hoc Deus dabit vobis signum : Ecce Virgo concipiet, et pariet Filium.* Secundum, miraculorum operatio, quod fuit infinitæ potentiæ. Joan., XX : *Multa quidem et alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc ; hæc autem scripta sunt, ut credatis quia Jesus est Christus Filius Dei, et ut credentes, vitam habeatis in nomine ejus.* Tertium signum est passio. Matth., XII : *Responderunt quidam de scribis et pharisæis, dicentes : Magister, volumus a te signum videre. Qui respondens ait illis : Generatio mala et adultera signum quærit, et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ. Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, ita erit Filius hominis in corde terræ.* Quartum adventus ejus ad judicium. Isa., VIII : *Habitatores terræ, qui moramini in terra, cum elevatum fuerit signum in montibus, et videbitis, et clangorem audietis.*

Circa secundum nota quod in quatuor apparet magna sapientia Christi. Primo, in doctrina sua, id est in veritate. Matth., XXII : *Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces.* Secundo, in profunditate. Proverb., XVIII : *Aqua profunda*, id est doctrina spiritualis, *verba ex ore viri*, id est Christi, *et torrens redundans,* quia tanta est abundantia in verbo doctrinæ præsentis vitæ, *fons sapientiæ.* Mystice aqua profunda ad Vetus Testamentum, torrens redundans ad Novum Testamentum refertur, et utriusque Testamenti sacramentum Deus Christus et apostoli ejus reserant. Item verba sapientum lavant mentes, et rigant, ne peccatorum sorde deformes remaneant, vel ariditate deficiant. Et quia quædam mystice latent, quædam aperta sunt ; recte hic aquam profundam et torrentem redundantem esse dicit. Tertio, in utilitate. Joan., V : *Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt.* Quarto, in æternitate. Luc., XXVII : *Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt.*

Hic autem nota quod Christus venturus est in mundum ad quatuor. Primo, malos condemnaturus. Jud., I : *Ecce veniet Dominus in sanctis millibus suis facere judicium contra omnes, et arguere omnes impios.* Secundo, bonos remuneraturus. Apoc., ult. : *Ecce venio cito, et merces mea mecum est, reddere unicuique juxta opera sua.* Tertio, mundum per ignem consumpturus et renovaturus. Psalm. XLIX : *Deus manifeste veniet, Deus noster, et non silebit : in conspectu ejus ignis exardescet.* Quarto, solus ipse in perpetuum regnaturus ; cessabit enim omne regnum : solum regnum Christi manebit in perpetuum. Dan., VII : *Aspiciebam ego in visione noctis ; et ecce cum nubibus cœli Filius hominis veniebat, et usque ad antiquum dierum pervenit, et in conspectu ejus obtulerunt eum : et dedit ei potestatem, et honorem, et regnum ; et omnes populi, tribus et linguæ ipsi servient. Potestas ejus potestas æterna quæ non auferetur, et regnum ejus quod non corrumpetur*, etc.

SERMO CXLII.

De eodem.

Et cum gratias egisset, distribuit discumbentibus, Joan., VI. Sicut dicit *Glossa.* Christus egit gratias, et docet nos agere gratias pro tribus beneficiis. Primo, pro beneficiis corporalibus ; secundo, pro spiritualibus ; tertio, pro æternalibus.

Pro corporalibus tripliciter. Primum, quia creavit, esse naturæ conferendo. Ephes., V : *Gratias agens semper pro omnibus in nomine*

Domini Jesu Christi Deo, et Patri. Deus dicitur pater noster per creationem. Secundo, quia conservat esse naturæ, mala removendo. Sap., XVIII : *Et qui ante læserant, quia non lædebantur, gratias agebant tibi, et ut esset differentia, te Deum petebant; propter quod ignis ardentem columnam ducem habuerunt ignotæ viæ*. Tertio, quia nutrit, cibo corporali reficiendo. I Tim., IV : *Spiritus manifeste dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris, et doctrinis dæmoniorum in hypocrisi loquentium mendacium, et cauteriatam habentium suam conscientiam, prohibentium nubere, et abstinere a cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, et iis qui cognoverunt veritatem, quia omnis creatura Dei bona est, et nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur, sanctificatur enim per verbum Dei et orationem*.

Pro spiritualibus beneficiis debemus similiter gratias agere Deo propter tria. Primo, quia nos sanctificat gratiam conferendo. Col., I : *Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine, qui eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit nos in regnum Filii dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem peccatorum*. Secundo, quia instruit, verba sua docendo. I Thess., II : *Nos gratias agimus Deo sine intermissione, quoniam cum accepissetis verbum auditus Dei, accepistis non ut verbum hominum, sed (sicut est vere) verbum Dei, qui operatur in vobis qui credidistis*. Tertio, quia reficit animam, cibum Eucharistiæ tribuendo. Lucæ, XXIII : *Et accepto pane, gratias egit, et fregit, et dedit eis, dicens : Accipite, et manducate, quia hoc est corpus meum*. In hoc enim quod Christus dedit corpus suum, cum gratiarum actione debemus istum cibum ineffabilem suscipere.

Item pro beneficiis æternalibus debemus gratias agere similiter tripliciter. Primo, pro justorum ab æterna morte liberatione. Coloss., I : *Gratias Deo Patri;* et post : *qui eripuit nos de potestate tenebrarum*, etc. Secundo, pro justa reproborum damnatione. Tertio, pro summa et digna sanctorum glorificatione. De his duobus, Apoc., XI : *Viginti quatuor seniores, qui in conspectu Dei sedent in sedibus suis, ceciderunt in facies suas, et adoraverunt Deum, dicentes : Gratias agimus tibi, Domine Deus, Pater omnipotens, qui es, et qui eras, et qui venturus es, quia accepisti virtutem tuam magnam, et regnasti, et iratæ sunt gentes, et advenit ira tua et tempus mortuorum, judicari, et reddere mercedem servis tuis, et prophetis et sanctis*. Amen.

SERMONES FESTIVI.

SERMO I.

In vigilia Nativitatis Domini.

Oportet prævenire solem ad benedictionem tuam, et ad ortum lucis te adorare, Sap., XVI. Cras celebraturi sumus ortum Solis æterni, ideo monemur in istis verbis præparari ad ortum ejus. Et notantur hic duo. Primo, nasciturus commendatur; secundo, quid sit nobis faciendum demonstratur. Christus commendatur in duobus. Primo, quia sol; secundo, quia lux. Duo etiam nobis facienda indicuntur. Primum prævenire, secundum adorare. Primum, ibi : *solem;* secundum, ibi : *ad ortum lucis;* tertium, ibi : *prævenire;* quartum, ibi : *adorare*. Prævenire hodie, adorare cras.

Circa primum sciendum quod Christus dicitur sol. Malach., III : *Vobis timentibus Deum orietur Sol justitiæ*. In hoc autem quod dicitur Sol, notantur septem beneficia quæ exhibuit generi humano, nascendo, sicut sol corporalis septem effectus exercet in corporibus. Primus effectus est generatio, secundus vivificatio, tertius nutritio, quartus augmentatio, quintus perfectio, sextus purgatio, septimus renovatio. His omnibus sol ad generationem sensibilium corporum emittitur, et ad vitam ea movet, nutrit, et auget, et perficit, purgat et renovat. Hæc fecit Christus nobis, nascendo. Generavit,

filios Dei faciendo. Joan., I : *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Jacob, III : *Voluntarie genuit nos verbo veritatis.* Vivificavit, vitam gratiæ et gloriæ largiendo. Joan., I : *Vita erat lux hominum.* Ephes., II : *Et nos convivificavit in Christo.* Joan., XVI : *Et ego vitam æternam do eis.* Nutrit pane Eucharistiæ, et verbi divini. Joan., VI : *Ego sum panis vivus,* etc. Sapient., XVI : *Panem de cœlo præstitisti eis.* Psal. XXX : *Educes me et enutries me.* Augmentavit, plenitudinem gratiæ et donorum largiendo. Joan., I : *De plenitudine ejus omnes accepimus.* Ephes., IV : *Veritatem autem facientes in caritate, crescamus in illo.* Perficit, statum perfectionis inducendo. Matth., V : *Estote perfecti sicut Pater vester perfectus est.* Purgavit, sordes peccatorum auferendo. Hebr., I : *Purgationem peccatorum faciens.* Renovavit, vetustatem culpæ destruendo, et nova omnia faciendo. De primo, Rom., VI : *Vetus homo noster simul crucifixus est,* etc. De secundo, Apoc., XXI : *Et dixit qui sedebat in throno : Ecce nova facio omnia.* Sic fuit nobis sol, fuit et lux.

Et nota, in hoc quod dicitur lux, sex alios effectus quos fecit nobis nascendo. Sex enim sunt effectus lucis. Primus, illuminatio; secundus, fecundatio ; fecunditas enim est ab influentia lucis; tertius, præservatio : est enim lux præservativa; quartus, ordinatio; quintus, ornatio : Dionysius : « Lux confusum et inordinatum ordinat et ornat; sextus, sui effusio : est enim lux effusiva sui. Fecundavit, virtutum radios infundendo, et ad bona opera commovendo. Isa., LVIII : *Implebit splendoribus animam tuam ;* et post : *Et eris hortus irriguus,* etc. Ubi nota quod fecunditas est ex influentia lucis. Præservavit. Joan., XVII : *Ego servabam eos,* etc. Ordinavit. Cant., II : *Ordinavit in me caritatem.* Ornavit., Eccli., XLVII : *Ornavit tempora usque ad consummationem vitæ.* Job, XXV : *Spiritus Domini ornavit cœlos,* scilicet Domini nostri Jesu Christi. Seipsum effudit, pro nobis moriendo. Gal., III : *Tradidit semetipsum pro me,* scilicet Christus.

Cum multis ergo bonis natus est nobis sol iste, et lux ista. Dignum est ergo prævenire ortum ejus, et ad nativitatem adorare.

Prævenire autem debemus septem modis. Primo, ab omni nos peccati sorde abluendo. Secundo, omnem amorem terrenum excludendo. Tertio, in amorem ipsius firmiter persistendo. De his tribus, Num., XI : *Sanctificamini hodie, et cras comedetis carnes.* Sanctus enim idem est quod mundus, sine terra et firmus. Quarto, divinis laudibus insistendo. Psal. XCIV : *Præoccupemus faciem ejus in confessione.* Quinto, perseveranter, ut digni simus participes nativitatis ejus fieri, orando. Psal. LXXXVII : *Mane oratio mea præveniet te.* Idem. Psal. CXVIII : *Præveni in maturitate, et clamavi.* Sexto, quanta beneficia largitus sit nobis, diligenter meditando. Psal. CXVIII : *Prævenerunt oculi mei ad te diluculo, ut meditarer eloquia tua.* Septimo, de tanto Deo gratias referendo. Hoc est quod dicitur prævenire ad benedictionem.

Adorare debemus ad ortum lucis, id est nativitatem Christi, quinque modis. Primo, corde credendo; secundo, ore confitendo; tertio, opere quodam sacrificium ejus devote et digne sumendo; quarto, largas eleemosynas faciendo; quinto, noctes et dies in ejus laudibus expendendo. De primis duobus, Rom., X : *Corde creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem.* De tertio, Rom., XII : *Obsecro vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam sanctam,* etc. De quarto, Isa., XXVIII : *Hæc est requies mea : reficite lassum et hoc est meum refrigerium.* De quinto docent angeli, qui hanc diem tam solemniter cantarunt. Luc., II : *Et subito facta est cum angelo multitudo militiæ cœlestis.*

SERMO II.

In Nativitate Domini, ex Epistola.

Parvulus natus est nobis, Isa., IX. In istis verbis tria notantur circa nativitatem Domini. Primo, natus describitur; secundo, ipsa nativitas subditur; tertio, nativitatis utilitas sequitur. Primum, ibi : *Parvulus;* secundum ibi : *natus est;* tertium, ibi : *nobis.* Natus est ergo parvulus, sed cujusmodi parvulus? admirabilis, amabilis, ineffabilis, formidabilis, venerabilis, desiderabilis. De his hoc est quod postea sequitur : *Et vocabitur nomen ejus admirabilis,* ecce primum; et amabilis, quia est *consiliarius;* ineffabilis, quia *Deus;* formidabilis, quia *fortis;* venerabilis, quia *pater futuri sæculi;* desiderabilis, quia *princeps pacis.* Admirabilem istum cœli enarrant, angeli clamant, Magi

nuntiant, pastores prædicant. Cœli stellam emittendo, angeli laudando, Magi adorando, pastores quæ viderant enarrando. De primo, Matth., II. De secundo, Luc., II. De tertio, Matth., II. De quarto, Luc., II. Est admirabilis tripliciter : quia creator creatura efficitur, virginitas in sui partu non perditur, hoc ab homine rationali creditur. Hæc tria miracula fecit hodie Dominus. Primum, quod Deus factus est homo; secundum, quod Virgo peperit; tertium, quod cor humanum credidit. Est ergo admirabilis propter majestatem, sed est amabilis propter bonitatem, quæ apparet in tribus. Primo, ex sui effusione, seipsum hodie effundendo. Dionysius : « Bonum est diffusivum sui. » Joan., I : *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis*, etc. Secundo, ex benignitatis suæ ostensione; unde cantamus in epistola ad Titum, III : *Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei*, etc. Tertio, ex optimorum adductione. Dionysius : « Optimi est optima adducere. » Adduxit autem nobis tria optima : scilicet optimum scientiæ, gratiæ et gloriæ. De his in evangelio tertiæ missæ : *Vidimus gloriam ejus*, quoad optimum gloriæ ; *plenum gratiæ*, quoad optimum gratiæ ; *et veritatis*, quoad optimum scientiæ. Est ergo amabilis. Sed est ineffabilis propter tria. Primo, propter æternitatem ; secundo, propter eamdem cum Patre æqualitatem; tertio, propter divinitatem. De his tribus, Joan., I : *In principio erat Verbum*, ecce æternitas; *et Verbum erat apud Deum*, ecce æqualitas; *et Deus erat Verbum*, ecce deitas. Est ergo ineffabilis. Est et venerabilis, quia omnicreator, omnigubernator et omnirecreator. Ista tria habentur in epistola : *Per quem fecit et sæcula*, ecce creator; *portans omnia verbo virtutis suæ*, ecce gubernator; *purgationem peccatorum faciens*, ecce recreator. Est ergo venerabilis, est etiam desiderabilis propter speciositatem, quia speciositas est quidam partium situs cum quadam coloris suavitate. Omnis enim pulchritudo in duobus consistit : in luminibus et characteribus, sive figuris, et coloribus. Ista duo habentur in epistola, ibi : *Qui cum sit splendor gloriæ*, quoad pulchritudinem coloris, *et figura substantiæ ejus*, quoad pulchritudinem figuræ. Ps. XLIV : *Speciosus forma præ filiis hominum*. Quoad pulchritudinem coloris, Cant., V : *Dilectus meus candidus et rubicundus*. Est ergo desiderabilis. Sed est et formidabilis propter tria. Primo, quia lux ut omnia videat; secundo, potens, ut omnia valeat; tertio, justus, ut de omnibus justitiam faciat. De primo, Joan., I : *Lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt*, etc. De secundo, Hebr., I : *Sedet ad dexteram majestatis*. De tertio, ibidem : *Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem*, etc. Debemus ergo eum admirari, ut obstupescamus; amare, ut ardescamus; ineffabilem cogitare, ut humiliemur; formidabilem, ut timeamus; venerabilem, ut laudemus; desiderabilem, ut ad eum festinemus.

Circa nativitatem sciendum hic quod triplex est ejus nativitas. Æternalis ex Patre, temporalis ex Matre, spiritualis ex corde. Hoc significant tres missæ in die Nativitatis.

Circa utilitatem breviter sciendum quod duplicem utilitatem consecutus est homo de ejus nativitate : scilicet malorum omnium remotionem et bonorum omnium acquisitionem. Hoc dixerunt angeli, Luc., I : *Annuntio vobis gaudium magnum*, quoad bonorum adeptionem ; *quia natus est vobis Salvator*, quoad malorum remotionem, scilicet qui nos salvabit ab omni malo opere. Ipse parvulus hodie natus faciat nos tanti gaudii participes, qui vivit et regnat in sæcula. Amen.

SERMO III.

De eadem, ex Evangelio.

Vita erat lux hominum, Joan., I. In hoc evangelio puer iste qui natus est vocatur Verbum, lux et vita. Primum, ibi : *In principio erat Verbum;* secundum et tertium, ibi : *Vita erat lux hominum*. Et notatur per hoc multiplex utilitas quam in ejus nativitate consecutus est homo. Fuit enim Verbum hominem docendo, lux illuminando, vita ad æternitatem perducendo. De primo, Matth., IV : *Circuibat Jesus docens*. Docuit autem nos tria : scilicet rerum qualitatem, Scripturæ veritatem, vitæ sanctitatem. Rerum qualitatem, quia docuit mundum fallacem, diabolum mendacem, Deum veracem et hujusmodi. De secundo, Lucæ, ult. : *Aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas*. De tertio, Matth., V : *Beati mites, beati pacifici*, etc., per totum. Et sic in primo docuit physicam, quæ

inquirit naturas rerum; in secundo, logicam, quæ probat verum; in tertio, ethicam, quæ docet honestatem morum. Joan., XIII : *Vos vocatis me Magister et Domine, et bene dicitis,* etc. Item lux illuminando. Illuminat autem tripliciter : noctem culpæ expellendo, diem gratiæ inducendo, luminaria magna, id est sanctos, per mundum diffundendo. De primis duobus, Rom., XIII : *Nox præcessit, dies autem appropinquavit.* De tertio, Philip., II : *Inter quos lucetis sicut luminaria in mundo.* Item fuit vita, vitam nostram reparando, vitam gratiæ largiendo, vitam gloriæ tribuendo. De primo : « Et vitam resurgendo reparavit. » De secundo, Joan., II : *Ego sum resurrectio et vita.* De tertio, Joan., XVIII : *Ego vitam æternam do eis.* Ad quam perducat nos qui est benedictus in sæcula. Amen.

SERMO IV.

In festo sancti Stephani, ex Epistola.

Stephanus autem plenus gratia, et fortitudine faciebat prodigia et signa magna in populo, Act., VI. Stephanus interpretatur coronatus : et dignus fuit ut tali vocaretur nomine, qui primo meruit corona martyrii coronari. Ideo dicitur protomartyr, id est primum martyr. Est autem ipse coronatus, et coronantur omnes sancti quadruplici corona : argentea, stellea, aurea et gemmea. De prima, Zach., VI : *Sume argentum, et facies coronam.* De secunda, Apocal., XII : *Et in capite ejus corona stellarum duodecim.* De tertia, Eccli., XLV : *Corona aurea super caput ejus.* De quarta, Psalm. XX : *Posuisti super caput ejus coronam de lapide pretioso.* Argentea corona est cordis claritas, quæ corpus mirabiliter decorabit, Isa., LXI : *Sicut sponsum decoratum corona.* Stellea corona est perfecta de omnibus scientia. Eccli., VI : *Corona gratulationis super te;* dicitur de sapientia. Aurea corona est ipsa de divinitate jucunditas. Isa., XXXVIII : *In illa die erit tibi Dominus corona gloiræ.* Gemmea corona est æternitas. I Petri, V : *Percipietis immarcescibilem æternæ gloriæ coronam.*

Sunt octo pro quibus Dominus electos suos debet coronare. Primum, Dei miseratio. Psalm. CII : *Qui coronat te in misericordia et miserationibus.* Secundum, puritatis conservatio. Sapient., II : *O quam pulchra est casta generatio cum claritate!* et post subditur : *Coronata triumphat.* Tertium, carnis mortificatio. Isa., LXI : *Dabo coronam pro cinere,* etc. Quartum, justitiæ labor. II Timoth., IX : *De reliquo reposita est mihi corona justitiæ.* Quintum, tentationum superatio. Jac., I : *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam, cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.* Sextum, populorum conversio. I Thess., III : *Quæ est spes et consolatio nostra.* Septimum, bene administrata prælatio. Prov., XXVII : *Agnosce vultum pecoris tui,* etc. Octavum, tolerata pro Christo passio. Apoc., II : *Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ.*

Coronantur et mali aliis coronis : coronantur enim corona florea, frondea, aurichalca, spinea. Florea, in carnis voluptatibus. Sap., II : *Coronemus nos rosis.* Frondea, in mundi vanitatibus. II Mach., VI : *Coronati hedera Libero circuire cogebantur.* Isa., XIII : *Væ coronæ superbiæ.* Aurichalca, in divitiis sæcularibus, quæ videntur divitiæ, sicut aurichalcum videtur aurum, sed non sunt. Apoc., IX : *Habebat coronam similem aurichalco.* Spinea, in pœnis æternalibus. Psal. XXXIII : *Coronans coronabit te tribulatione.* Sunt ergo istæ coronæ cavendæ, illæ appetendæ, etc.

SERMO V.

In festo sancti Joannis.

Numquid ad præceptuum tuum elevabitur aquila? Job, XXXIX. Ista verba satis bene conveniunt hodiernæ festivitati, in qua transitus beati Joannis de morte ad vitam recolitur. Circa quam tria in istis verbis notantur : modus transeundi, utilitas transitus, dignitas transeuntis. Primum, ibi : *numquid ad præceptum tuum;* secundum, ibi : *elevabitur;* tertium, ibi : *aquila.*

Circa primum sciendum quod quatuor præcepta fecit ei Dominus. Primum, ut nuptias desereret; secundum, ut post eum iret; tertium, ut statum utriusque Ecclesiæ scriberet; quartum, ut, relicta præsentis vitæ miseria, ad paradisum transiret. De primo, Hieronymus in *Prologo super Joannem :* « Quem de nuptiis volentem nubere vocavit Deus, ut virginem virgo servaret. » De secundo, Matth., IV : *Invenit Jacobum Zebedæi, et Joannem fratrem ejus,* etc. De tertio, Apoc., I : *Quod vides, scribe in libro,*

et mitte septem Ecclesiis. De quarto, in legenda sua : « Veni ut cum fratribus tuis epuleris. »

Circa secundum nota quod quatuor modis fuit elevatus in morte. Primo, ad eam voluntarie eundo ; secundo, dolorem mortis non sentiendo ; tertio, ab ea cito, sicut creditur, resurgendo ; quarto, de ipsa ad cœlum ascendendo. De primis duobus in *Prologo super Joannem :* « Descendit in defossum sepulcrum, sive locum, et facta oratione appositus est ad patres suos, » ecce primum ; « tam extraneus a dolore mortis, quam a corruptione carnis invenitur alienus, » ecce secundum. De aliis duobus in legenda.

Circa tertium sciendum quod beatus Joannes dicitur aquila propter tria. Primo, propter videndi perspicacitatem ; secundo, propter volandi sublimitatem ; tertio, propter quarumdam actionum proprietatem. Videndi perspicacitas in aquila consistit in duobus : quia videt splendidissima et remotissima, qui solem in rota videt, de cœlo leporem in terra. Sic beatus Joannes vidit solem in rota, id est Christum in Patre. Joan., I : *In principio erat Verbum.* Vidit remotissima, quia quæ ventura sunt in fine mundi vidit in Apocalypsi. Item volavit altissime dupliciter, scilicet contemplando et scribendo. De primo, Apoc., I : *Fui in spiritu in dominica die, et audivi post me vocem magnam tanquam tubæ,* etc. De secundo, Ezech., X : *Facies aquilæ desuper ipsorum quatuor,* quia Joannes scribendo cæteros evangelistas transcendit. Augustinus : « Si paulo altius intonasset, totus mundus eum capere non posset. » Item dicitur aquila propter duplicis actionis proprietatem. Primo, pullos collocavit in Deo. I Joan., IV : *Qui manet in caritate, in Deo manet.* Secundo, petram in nido posuit, id est Christum. I ad Cor., X : *Petra autem erat Christus.* De hac aquila patet in epistolis suis per totum. De ista aquila dicitur Ezech., XVII : *Aquila grandis magnarum alarum,* ubi commendatur in multis.

Moraliter : si volumus in altum elevari, debemus esse aquila propter septem. Primo, ut de veteri statu in novum mutemur. Psal. CII : *Renovabitur ut aquilæ juventus tua.* Secundo, ut in altum conversando volemus. Philipp., III : *Nostra conversatio in cœlis est.* Tertio, ut virtutum varietate plumemur. Ezech., XXVII : *Plenam plumis et varietatibus,* etc. Quarto, ut ad cœlum ire festinemus. II Reg., I : *Aquilæ velociores.* Hebr., IV : *Festinemus ingredi in illam requiem.* Quinto, ut bona nostra per rectam intentionem occultemus. Prov., XXX : *Tria sunt mihi difficilia : via aquilæ in cœlo,* etc. Matth., VI : *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis.* Sexto, ut petram, id est Christum, in nido cordis collocemus. Ephes., III : *Christum habitare per fidem in cordibus vestris.* Septimo, ut in bono opere usque in finem perseveremus. Isa., XL : *Assument pennas ut aquilæ, volabunt et non deficient,*

SERMO VI.

De eodem, ex Epistola.

Cibavit illum pane vitæ et intellectus, Eccli., XI. In hac epistola ostenditur quod quatuor bona, quæ multum consueverunt ab homine appeti, facit Dominus his qui diligunt eum et timent. Primum, deliciarum lætitiam ; secundum, beatorum gloriam ; tertium, divitiarum copiam ; quartum, justis æternitatem. Primum, ibi : *Cibavit eum ;* secundum, ibi : *In medio Ecclesiæ ;* tertium, ibi : *Jucunditatem et exultationem thesaurizavit ;* quartum, ibi : *Et nomine æterno hæreditavit illum.*

Circa primum nota quod tres delicias dat Dominus servis suis in via. Primæ, consistunt in corporis dominici sumptione ; secundæ, in sacræ Scripturæ lectione ; tertiæ, in divinæ bonitatis prægustatione. Primæ notantur, ibi : *Cibavit illum pane vitæ.* Joan., VI : *Ego sum panis vitæ, qui de cœlo descendi.* Secundæ, ibi : *intellectus.* Proverb., VI : *Edite panem meum.* Tertiæ, ibi : *Aqua sapientiæ,* etc. Sapientia enim dicitur a sapore. Sapient., XXVII : *Panem de cœlo præstitisti eis, omne delectamentum in se habentem.* Vere omne delectamentum : quia si quis gustaverit de eo, delicias mundi tanquam amarissimas despiciet. Gregorius : « Gustato spiritu, desipit omnis caro. »

Circa secundum notandum quod in tribus ponitur beatorum gloria. Primo, in eloquentia ; secundo, in sapientia ; tertio, in vestium gloria. Primum, ibi : *In medio Ecclesiæ aperuit os ejus.* Secundum, ibi : *Et implevit eum Dominus spiritu sapientiæ.* De his duobus, Luc., XXII : *Ego dabo vobis os et*

sapientiam. Tertium, ibi : *Stolam gloriæ induit eum,* quæ est honesta exterior conversatio, quæ intexitur ex filis bonorum morum. Isa., vi : *Induit me vestimento salutis.*

Divitiarum copia ponitur similiter in tribus. Primo, in eorum delectabilitate; secundo, in pretiositate; tertio, in gloriositate. Primum, ibi : *jucunditate* intrinsecus et extrinsecus; sunt enim jucundæ illæ divitiæ, non amaræ, sicut divitiæ mundi. Secundum, ibi : *thesaurizavit;* thesaurus enim non fit nisi de pretiosis. Tertium, ibi : *super eum,* quia totus repletus est divitiis. Psalm. cxi : *Beatus vir qui timet Dominum;* et ibidem : *gloria et divitiæ in domo ejus.*

Circa quartum notandum quod tria æterna promittit eis : æternitatem nominis, æternitatem hæreditatis et æternitatem vitæ. Primum, ibi : *Et nomine æterno.* Psal. cxi : *In memoria æterna erit justus.* Secundum, ibi : *hæreditavit.* I Petr., ii : *In hæreditatem incorruptam et incontaminatam.* Tertium, ibi : *eum.* Joan., x : *Ego vitam æternam do eis.*

Sunt ergo duodecim bona quæ promittit Deus his qui timent eum, et ideo optimum est timere eum, etc.

SERMO VII.

In festo SS. Innocentium, ex Epistola.

Cantabant sancti canticum novum ante sedem Dei, Apoc., xiii. Tria notantur hic. Primum, quia cantabant optimi cantatores, quia *sancti.* Secundo, quia cantabant optimam cantationem, quia *canticum novum.* Tertio, ubi cantabant, quia in optimo loco, quia *ante sedem Dei.*

Circa primum notandum quod bonos cantores faciunt tria : scilicet bonæ vocis instrumentum, artis documentum, usus exercitamentum. Bonæ vocis instrumentum tria faciunt : reumatis expurgatio, pectoris dilatatio, oris apertio. Primum est peccatorum expulsio. Eccli., xv : *Non est speciosa laus in ore peccatoris.* Psal. cxii : *Laudate pueri Dominum.* Secundum est amicorum dilectio. II Cor., vi : *Cor nostrum dilatatum est; dilatamini et vos.* Exod., xv : *Cantemus Domino,* etc. Tertium est intentionis ad Deum directio. Psal. cxviii : *Os meum aperui;* item Psal. l : *Domine, labia mea aperies.* Ad artis documentum sunt tria necessaria. Primo, ut scias vocem levare; secundo, deprimere; tertio, concordare. Vox elevatur per contemplationem. I Paral., x : *Cantabant;* et post : *Resonabant sonitus lætitiæ in excelsis.* Vox deprimitur per sui humiliationem. Dan., iv : *Benedicite sancti et humiles corde Domino.* Concordatio vocis fit concordiæ et unitatis conservatione. Ephes., i : *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis,* vel per mentis cum corde concordatione. I Corinth., xiv : *Psallam spiritu, psallam et mente.* Ad usus exercitium sunt tria necessaria, ut cantet frequenter, diligenter et fortiter. De primis duobus, Isa., xxv : *Bene cane, frequenta canticum, ut memoria tui sit.* De tertio, Ps. xcvii : *Psallite Domino in voce tubæ.* Tales debent esse cantores; sed quid debent cantare? canticum novum.

Canticum novum cantatur quatuor modis. Primo, si cantat novus homo. Ephes., iv : *Renovamini spiritu mentis vestræ.* Secundo, si cantet nova, scilicet spiritualia. Ephes., v : *Cantantes in canticis spiritualibus.* Tertio, si cantet pro novis, id est pro æternis. Apocal., xx : *Ecce nova facio omnia.* Psal. xcv : *Cantate Deo canticum novum.* Quarto, si cantet novo modo, id est delectabiliter. Psalm. xcvii : *Jubilate Deo nostro,* etc. Ecce quod debemus cantare.

Ante sedem Dei, ut libenter audiat summus Pontifex, ut magnas præbendas conferat largissimus princeps, ut magna munera tribuat. De primo, Cant., ii : *Sonet vox tua in auribus meis;* et angeli libenter audiunt ibidem; *Amici auscultant, fac me audire vocem tuam.* De secundo, Apocal., iii : *Faciam illum columnam in templo Dei.* De tertio, Lucæ, xxi : *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum.*

SERMO VIII.

In festo sancti Thomæ.

Beatus vir qui in sapientia morabitur, Eccli., xiv. In his verbis notatur meritum sanctorum et præmium. Primo, ibi : *qui in sapientia;* secundo, ibi : *morabitur.*

Circa primum sciendum quod duplex est sapientia in qua morandum est : increata et creata. De prima, Eccli., xxiv : *Ego ex ore Altissimi prodivi.* De secunda, Eccli., i : *Omnis sapientia a Domino Deo est.*

In increata debemus morari tripliciter. Primo, per fidem secundum rationem in

ejus veritate; secundo, per spem secundum irascibilem in ejus majestate; tertio, per caritatem secundum concupiscibilem in ejus bonitate. De primo, Joan., XV : *Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint.* De secundo, ibid. : *Manete in dilectione mea.* De tertio, Joan., III : *Deus caritas est.* Ista tria necessaria sunt ad beatitudinem acquirendam. De primo, Hebr., X : *Oportet accedentem ad Deum credere.* De secundo, Rom., VIII : *Spe autem salvi facti sumus.* De tertio, I Corinth., XIII : *Si linguis hominum loquar et angelorum, caritatem autem non habeam ..., nihil sum.*

Item debemus in sapientia creata tripliciter morari. Primo a malis recedendo; secundo, bona faciendo; tertio, in his perseverando. Ista est triplex sapientia sanctorum. De primis duobus, Job, XXIV : *Ecce pietas ipsa est sapientia,* quoad bene agendum; *et recedere a malo intelligentia,* quoad malum. De tertio, Eccli., XVII : *Homo sanctus manet in sapientia; præmium sapientiæ est beatitudo.* Beatitudo autem est « status omnium bonorum aggregatione perfectus, » sicut Boetius dicit.

Est autem duplex beatitudo : in via et in patria; utraque acquiritur per sapientiam. Nam in via habet quamdam similitudinem illius quæ est in patria, in qua sunt septem dotes. Habet enim claritatem per vultus hilaritatem; ita et in via habet modo suo sapiens illas dotes. Eccli., VIII : *Sapientia hominis lucet in vultu ejus;* ista est prima dos. Secunda est impassibilitas, quam habet per patientiam vel mansuetudinem. Philosophus : Mitis est qui non patitur nec deducitur. Item *Glossa* super Matth. : « Mitis est qui nullam amaritudinem animi sentit. » Prov., XIV : *Qui patiens est, multa gubernatur sapientia.* Tertia, dos est subtilitas, quam acquirit sapiens per occultorum penetrationem; nam sapienti omnia quasi patientia sunt. Eccli., XXXIX : *Occulta proverbia exquirit sapiens.* Prov., XIV : *Quomodo in aquis resplendet vultus prospicientium, sic corda hominum manifesta sunt prudentibus.* Quarta agilitas, quam acquirit sapiens per velocem omnium apprehensionem. Sap., VIII : *Attingit a fine usque ad finem fortiter.* Vel claritas acquiritur per prudentiam, impassibilitas per fortitudinem, subtilitas per sobrietatem, agilitas per justitiam, quæ quatuor habent qui in sapientia morantur. Sapient., VIII : *Sobrietatem enim et sapientiam docet, et justitiam et virtutem, quibus nihil utilius est in vita hominibus.* Quinta dos est cognitio, quæ datur, quia docet omnem sapientiam. Sapient., VIII : *Et si multitudinem scientiæ desiderat quis, scit præterita, et de futuris æstimat,* etc. Sexta dos est dilectio, quæ est vere in sapientia. Prov., VIII : *Ego diligentes me diligo.* Sap., VII : *Et sine invidia communico.* Septima dos est omnis boni fruitio. Sap., VII : *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.* Hanc beatitudinem acquirit qui in sapientia, id est in Christo, et gratia Christi moratur; sed in patria habebit veram beatitudinem. Est autem beatitudo « status omnium bonorum congregatione perfectus, » ut dicit Boetius; est enim ibi omne bonum, et nullum malum. Deut., VIII : *Ubi absque ulla penuria comedes panem tuum, et rerum omnium abundantia perfrueris,* etc.

SERMO IX.

De eodem, ex Evangelio.

Ubi ego sum, illic et minister meus erit, Joan., XII. Duo notantur in hoc : meritum, et præmium. Primum, ibi : *minister meus;* secundum, ibi : *ubi ego sum,* etc.

Circa primum notandum quod minister magni Regis debet esse formosus in specie, intelligens in discretione, fidelis in opere. Primo, formosus debet esse per munditiæ puritatem, morum honestatem, vestium varietatem. Debet ergo minister Christi habere cordis puritatem. Proverb., XXII : *Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum suorum habebit regem,* etc. Ps. C : *Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat.* Morum honestatem. I Petr., II : *Conversationem vestram inter gentes habentes bonam,* etc. Vestium, id est virtutum, speciositatem. Apoc., IV : *Ambulabunt in albis mecum.* De his duobus, Exod., XL : *Applica Aaron et filios ejus ut ministrent mihi, et lotos indues sacris vestibus.* In vestibus virtutum varietas, in unctione morum honestas, ex qua exit odor bonæ famæ. III Reg., X : *Videns regina ordinem ministrorum et vestes ..., non habebat ultra spiritum.* Item debet esse in discretione intelligens, ut intelligat domini voluntatem, serviendi congruitatem, servitii utilitatem. De primo, Psal., CII : *Ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus.* De secundo, Luc., II : *Quis, putas,*

est fidelis servus et prudens? De tertio, Rom., VI : *Rationabile obsequium vestrum.* Id est fit de eo quod magis est utile; hæc est pietas. I Tim., IV : *Exerce teipsum ad pietatem,* etc.

Debet esse ergo minister intelligens : sed debet esse etiam fidelis, ne bona sua auferat, vel cum hostibus prodat, nec ipsum deserat. Bona Dei aufert qui de servitio Dei gloriam quærit, quam sibi soli servavit. Isa., XLII : *Gloriam meam alteri non dabo.* Hostibus prodit Dominum qui in cameram suam, id est animam suam, introducit diabolum. Psal. LXXXVII : *Traditus sum, et non egrediebar.* Item, Psal. XL : *Homo pacis meæ, in quo speravi.* Derelinquit etiam eum. Deut., XXXII : *Incrassatus, dilatatus, impinguatus dereliquit Dominum factorem suum.* Talis debet minister esse, et sic consequitur præmium.

Sed quod præmium? ibi : *Ubi ego sum, illic et minister meus erit.* Ubi es, Domine Jesu? In Patre. Joan., XIV : *Ego in Patre, et Pater in me est.* In cœlo. Joan., III : *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis,* etc. In dextera majestatis. Hebr., I : *Sedet ad dexteram majestatis in excelsis.* In luce inaccessibili. I Timoth., VI : *Lucem habitat inaccessibilem.* In throno. Apoc., III : *Sedenti in throno Dei.* In principio. Joan., I : *In principio erat Verbum.* Per hoc quod dicitur esse in Patre, notatur gloria; in luce, claritas; in dextera Dei, jucunditas, id est in potioribus bonis Dei; in cœlo, loci amœnitas; in throno, dignitas; in principio, æternitas.

Promittit ergo Dominus ministris suis per hoc quod dicitur : *Ubi ego sum, illic et minister meus erit,* gloriam, claritatem, jucunditatem, loci amœnitatem, dignitatem æternam, ad quam nos perducat, etc.

SERMO X.

In festo sancti Sylvestri.

Ecce sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo, et inventus est justus.

Quære in festo sancti Nicolai.

SERMO XI.

De eodem, ex Evangelio.

Homo quidam peregre proficiscens vocavit servos suos et tradidit illis bona sua, Matth., XXV. Homo iste Christus est, qui peregre profectus est in incarnatione, in passione, in ascensione. In prima peregrinatus est in mundo; in secunda, in inferno; in tertia, in cœlo. De primo, Gen., XII : *Egressus est Abraham ut peregrinaretur in Ægyptum.* Abraham, Christus; Ægyptus, mundus. De secundo, Lucæ, ult. : *Tu solus peregrinus es in Jerusalem?* dixerunt reverso ab inferis. De tertio, Lucæ, XIX : *Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam.* In prima peregrinatione egressus est ad peregrinandum ad tria : ad addiscendum, ad negociandum, ad orandum. Peregrinatur scholaris ut addiscat, negotiator ut acquirat, vir justus ut oret; sic Christus peregrinatus est in mundo, ut disceret malum quod non sciebat per experientiam; hoc docetur in terra ista. Hebr., V : *Didicit ex his quæ passus est, obedientiam,* etc. Item ut negociaretur; et constituit mirabiles nundinas, in quibus vendidit denario paupertatis regnum cœlorum, denario vilitatis gloriam, denario mortis vitam. De his tribus, Augustinus : « Venale habeo, quid? regnum cœlorum. Quanti emitur? paupertate regnum, vilitate gloria, luctu gaudium, morte vita. » Matth., V : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum,* jure scilicet emptionis. Item ad orandum. Luc., XXII : *Et factus in agonia prolixius orabat.* In infernum egressus est ad peregrinandum propter tria : ut prædam perditam recuperaret; ut hostem, id est diabolum, superaret; ut civitatem fortissimam expugnaret; propter hæc tria reges et principes consueverunt exire peregre. De primo. Ephes., IV : *Christus ascendens in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus.* De secundo, Apocal., XX : *Apprehendit diabolum, et ligavit eum in abysso,* id est in inferno. De tertio, Psal. CVI : *Contrivit portas æreas.* In cœlum peregre profectus est propter tria. Primo, ut regionem famis et omnis miseriæ desereret, ut habitaret in regione totius amœnitatis et abundantiæ, ut regnum sibi acquireret. Propter hæc tria consueverunt peregrinari homines. De primo, Ruth, I : *Facta est fames in terra, abiitque homo de Bethlehem Juda ut peregrinaretur,* etc. De secundo, Gen., XXXV : *Venit Jacob in Mambre, hæc est Hebron, in qua peregrinatus est Abraham et Isaac.* Hebron interpretatur claritudo. Hebron visio sempiterna significat paradisum. De tertio, Luc., XIX : *Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam,*

In prima peregrinatione apparuit ejus humilitas, in secunda ejus caritas, in tertia ejus majestas. De prima, Philip., II : *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit.* De secundo, Joan., XV : *Majorem caritatem nemo habet.* De tertio, Actuum, I : *Viri Galilæi, quid admiramini aspicientes in cœlum?* Psal. VIII : *Elevata est magnificentia tua super cœlos.*

Est ergo in prima imitandus, ut humiliemur. Matth., X : *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.* In secunda diligendus, ut eum reamemus. I Joan., IV : *Diligamus Deum, quia ipse prius dilexit nos.* In tertia desiderandus, ut ad eum festinemus. Joan., XIV : *Iterum veniam, et assumam vos,* etc. Hebr., IV : *Festinemus ingredi in illam requiem,* ad quam nos perducat. Amen.

SERMO XII.

In Circumcisione Domini, ex Epistola.

Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem et sæcularia desideria, sobrie, et juste, et pie vivamus in hoc sæculo, Tit., II. Quoniam Dominus noster Jesus venit in mundum peccatores ad se trahere, attrahuntur autem maxime per benignitatem; ideo voluit benignus hominibus apparere. Et hoc est quod dicitur : *Apparuit.* Apparuit autem benignitas ejus tripliciter : in ejus actionihus, locutionibus et passionibus.

In actionibus ostendit benignitatem quadrupliciter. Primo, pro peccatoribus carnem assumendo. I Tim., I : *Fidelis sermo, et omni acceptione dignus, quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere,* etc. Secundo, specialem familiaritatem peccatoribus demonstrando. Lucæ, XV : *Erant appropinquantes ad Jesum publicani et peccatores, ut audirent illum.* Tertio, magnos peccatores, magnos sanctos faciendo, sicut patet in Matthæo, Magdalena et Paulo. Quarto, languores infirmorum benigne curando, ut in leproso quem tetigit, Matth., VII, et Lucæ, VI : *Sanabat omnes.* Idem, IV : *At ille singulis manus imponens, curabat eos,* etc.

In locutionibus ostendit similiter benignitatem quadrupliciter. Primo, omnibus benigne loquendo, Lucæ, IV : *Mirabantur omnes in verbis gratiæ quæ procedebant de ore ejus,* etc. Secundo, peccatores ad se venientes dulciter alloquendo, sicut patet Joan., VIII, in adultera, et Luc., VII, in Magdalena. Tertio, suum proditorem benigne alloquendo, Matth., XXVI : *Amice, ad quid venisti?* Quarto, pro ipsis crucifixoribus orando. Lucæ, XXIII : *Dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.*

In passionibus ostendit benignitatem similiter quatuor modis. Primo, ipsos crucifixores benigne recipiendo. Joan., XVIII : *Jesus autem sciens omnia quæ ventura erant super eum processit, et dixit eis : Quem quæritis?* Secundo, ipsam passionem benignissime recipiendo. Psal. LIII : *Sicut ovis ad occisionem ductus est.* Jer., X : *Ego quasi agnus mansuetus qui ducitur ad victimam.* Tertio, nulli injuriando. I Petr., I : *Cum malediceretur, non maledicebat.* Quarto, multos de suis crucifixoribus sanctificando, sicut Longinus, qui perforavit lancea latus ejus, et postea fuit sanctus, sicut dicitur in *Martyrologio;* et Act., III, dicitur quod tria millia qui consenserunt in mortem ejus, baptizati sunt una die. Debemus ergo ad tantam benignitatem recurrere, ad quam nos perducat, etc.

SERMO XIII.

De eadem, ex Evangelio.

Vocatum est nomem ejus Jesus, Lucæ, II. Sicut dicit beatus Petrus : *Non est aliud nomen datum sub cœlo hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri,* nisi in isto, Act., IV. Unde cum prædicator intendat hominem ad salutem inducere, debet de eo frequenter prædicare. Est nomen istud in corde retinendum, in ore habendum, in aure servandum, in manu ferendum, in fronte scribendum. In corde, quia gaudium; in ore, quia jubilus; in aure, quia melos; in manu, quia virtus; in fronte, quia honor. De primis tribus, Bernardus : « Jesus in corde gaudium, in ore jubilus, in aure melos. » De quarto, Psal. LXII : *In nomine tuo levabo manus meas.* De quinto, Apocal., XIV : *Habentes nomen ejus et nomen Patris ejus scriptum in frontibus.*

In isto nomine est ambulandum, est orandum, est spatiandum, est operandum et est loquendum. De primo, Michææ, IV : *Nos autem in nomine Dei nostri ambulabimus.*

De secundo, Joan., II : *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* De tertio, Psal. XXXIX : *Beatus vir cujus est nomen Domini spes ejus.* De quarto et quinto, Coloss., III : *Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi facite, gratias agentes Deo et Patri per ipsum,* etc. Est enim nomen istud admirabile, amabile, laudabile. Admirabile, quia in virtute ejus omnia creantur, dæmones fugantur et omnes languores curantur. De primo, Apoc., XIX : *Et nomen ejus vocabitur Verbum Dei,* et in Verbo Dei facta sunt omnia. Psal. CXLVIII : *Ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt.* De secundo et tertio, Matth., ultim. : *In nomine meo dæmonia ejicient.* Ergo est admirabile. Genes., XXXIV : *Cur quæris nomen meum, quod est ineffabile?* Est et amabile, quia peccatores justificat, justos lætificat, tentatos adjuvat, justis gratiam augmentat, et omnes qui ipsum invocant, salvat. De primo, Cant., I : *Oleum effusum nomen tuum.* In oleo misericordia, in effusione abundantia misericordiæ. De secundo, Psal. XCIX : *Laudate nomen ejus, quoniam suavis est Dominus.* De tertio, Psal. CXXIII : *Adjutorium nostrum in nomine Domini.* De quarto, Prov., XVIII : *Turris fortissima, nomen Domini : ad ipsam currit justus, et exaltabitur.* De quinto, Joel, III : *Omnis quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit,* etc. Est ergo amabile, Psal. V : *Gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomen tuum.* Est laudabile, quia gloriosum, quia sanctum, quia magnum, quia novum, quia æternum. De primo, Dan., VI : *Gloriosum nomen ejus.* De tertio, Psal. CXLIV : *Confiteantur tibi, Domine, omnia opera mea.* De quarto, Isa., LXI : *Vocabitur tibi nomen novum.* De quinto, auctoritas : « Genuit puerpera Regem, cui nomen æternum. »

Istud nomen illuminat rationalem, confortat irascibilem, delectat concupiscibilem. De primo, Zach., VI : *Oriens nomen ejus;* unde procedit lux. Malach., ultim. : *Vobis timentibus nomen meum orietur sol justitiæ,* etc. De secundo, Zach., X : *Confortabo eos in Domino Deo suo,* etc. De tertio, Psal. XCIX : *Laudate nomen ejus,* etc.

Istud debent inferi formidare, terrestres adorare, cœlestes laudare. Inferi debent formidare, quia in eo sunt expoliati; terrestres adorare, quia in eo sunt redempti; cœlestes laudare, quia in eo sunt restaurati. De his Philip., II : *In nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum,* etc. Rogemus, etc.

SERMO XIV.

In Epiphania Domini, ex Epistola.

Omnes de Saba venient, aurum et thus deferentes, Isa., LX. Verba hæc exponuntur de Magis. Moraliter autem possunt exponi de peccatoribus a statu culpæ redeuntibus et ad Deum revertentibus. Et nota hic tria quæ sunt peccatori necessaria. Primum est a peccato recessio, ibi : *Omnes de Saba venient;* secundum est bona operatio, ibi : *aurum et thus;* tertio, gratiarum actio, ibi : *Laudem Domino annuntiantes.*

Circa primum sciendum quod Saba interpretatur captiva vel captivitas, et significat peccatum, in quo a dæmonibus anima captivatur. Rom., VII : *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem ; video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis,* etc. Thren., III : *Venatione ceperunt me, quasi avem, inimici mei gratis.* Dicitur autem peccator captivus, quia a dæmonibus capitur, vinculo constringitur, in carcere ponitur, et multis aliis miseriis affligitur. De primo et secundo, Prov., V : *Iniquitates suæ capiunt impium, et funibus peccatorum suorum constringitur.* Isa., III : *Cadent, et conterentur, et irretientur et capientur.* De tertio, Thren., III : *Circumædificavit adversum me, ut non egrediar; aggravavit compedem meum.* Psal. CXLII : *Collocavit me in obscuris sicut mortuos sæculi ; et anxiatus est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.* De quarto, Jer., II : *Vide quia malum et amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum, et non esse timorem ejus apud te.* Job, XXX : *Egestate et fame steriles, qui rodebant in solitudine, squallentes calamitate et miseria,* etc. Saba ergo peccatum est. De Saba venire est de peccato redire. Psal. XIII : *Avertit captivitatem plebis suæ.* Hoc est primo pœnitenti necessarium. Isa., I : *Quiescite agere perverse.*

Secundo, bona opera. Ibidem : *Discite benefacere.* Hæc notantur ibi : *aurum et thus.* Sunt autem necessaria homini bona vita et bona fama. Augustinus : « Duæ res sunt mihi necessariæ, bona conscientia

et bona fama : conscientia propter me, bona fama propter proximum. » Bona vita notatur in auro, fama, in thure. Dicitur autem bona vita aurum propter quatuor. Est enim aurum pulchrum in colore, pretiosum in valore, ponderosum in gravitate, incorruptibile in soliditate. Omnis pulchritudo consistit in luminibus et characteribus. Lumina sunt virtutes illuminativæ, ut perficiant intellectum; affectivæ, ut perficiant affectum. Cant., v : *Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus : caput ejus aurum optimum, comæ ejus sicut elatæ palmarum, nigræ quasi corvus.* Pretiositas est humilitas. Isa., xiii : *Pretiosior erit vir auro, et homo mundo obrizo.* Tanto magis quis valet apud Deum, quanto magis se humiliat. Ponderositas est morum honestas. Psal. xxxiv : *In populo gravi laudabo te.* Incorruptibilitas est perseverantia. Matth., x : *Non qui cœperit, sed qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit,* etc. Genes., ii : *Aurum terræ illius optimum est.* Hæc quatuor faciunt bonam vitam : cordis puritas, morum gravitas, humilitas, perseverantia. Aurum ergo vitam significat, thus significat bonam famam, quia est per sui fumum diffusivum, vicini aeris immutativum, odor latius ex eo generatur, Domino immolatur : sic fama est diffusiva; unde dicitur : Fama volat. Matth., iv : *Odor ejus in totam Syriam.* Aerem vicinum, id est proximum, ad bonum immutat per imitationem. I Thess., ii : *Vos enim imitatores facti estis, fratres, Ecclesiarum Dei quæ sunt in Judæa in Christo Jesu,* etc. Odorem generat. Bernardus : « Odor bonus fama bona. » II Corinth., ii : *Christi bonus odor sumus.* Deo offertur, quia bona fama Deo debet offerri. Matth., v : *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona,* etc. Bona ergo vita et bona fama notantur in thure et auro.

Circa tertium, scilicet gratiarum actionem, sciendum quod anima conversa ad Deum debet Deo quadruplicitur carmen decantare : scilicet carmen triumphale, nuptiale, joculare et festivale. Triumphale, quia de dæmonibus triumphavit; nuptiale, quia Christus eam sibi copulavit; joculare, quia munera magna virtutum et donorum spiritualium Rex cœlestis donavit; festivale, quia tota curia cœlestis de conversione ejus festum solemne celebravit. De primo, Isa., xiv : *Erit in die cum requiem dederit tibi Dominus a labore tuo, et a concussione tua et a servitute dura qua ante servisti.* De secundo, Oseæ, ii : *Sponsabo te mihi in fide,* etc. De tertio, Ezech., xvi : *Vestivi te discoloribus, et calceavi te hyacintho.* De quarto, Lucæ, xv : *Gaudium est angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente.*

SERMO XV.

De eadem, ex Evangelio.

Obtulerunt ei munera, aurum, thus et myrrham, Matth., ii. Illi reges Magi vocantur, id est sapientes. Vere habuerunt multiplicem sapientiam, sicut ex textu hodierni evangelii colligitur. Habuerunt logicam, profundissimam quæstionem faciendo; astronomiam, astra cognoscendo; arithmeticam, numerum mirabilis virtutis eligendo; musicam, adorando (musica enim est laus, et in adoratione laudatur Deus); ethicam, percipiendo ista. Est enim vere moralis scientia, scire humiliari. De primo : *Ubi est qui natus est rex Judæorum?* De secundo : *Vidimus stellam ejus in oriente, et venimus adorare eum.* De tertio : *Obtulerunt ei munera.* Cognoverunt enim sicut arithmetici vim hujus numeri, qui multiplex est. Dicit Philosophus, in lib. *Cœli et mundi,* per hunc numerum nos magnificare unum Deum creatorem, eminentem omnibus creaturis : loquitur de Trinitate. De quarto, *adoraverunt.* De quinto, *procidentes.* Sciunt quoque metaphysicam, primam causam cognoscendo. Cognoverunt autem tria de prima causa, quæ confessi sunt per tria munera quæ obtulerunt; cognoverunt enim illum puerum qui est prima causa, omnium creatorem, omnium gubernatorem, omnium reparatorem. Creatorem confessi sunt in auro, ubi notatur potentia, sicut cantat Ecclesia. « In auro, ut ostendatur Regis potentia, » quæ apparuit in creatione tripliciter : in modo, in causa, in materia. In modo, quia verbo fecit omnia. Psal. xxxii : *Ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt.* In causa qui magna fecit. Psalm., cx : *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus.* In materia, quia de nihilo fecit. Genes., i : *In principio creavit Deus cœlum et terram. Terra autem erat inanis et vacua.* Conservatorem confessi sunt vel gubernatorem in myrrha, quia præservativa est. Gubernat autem triplici-

ter : universaliter omnia in esse conservando; specialiter, omnia animalia educando; particulariter, individua multiplicando. De primo, Sapient., II : *Quomodo aliquid permanere posset, nisi tu voluisses?* De secundo, Psalm. CXXXV : *Qui dat escam omni carni.* De tertio, Psalm. IV : *A fructu frumenti, vini et olei multiplicati sunt.* Reparatorem confessi sunt in thure. Thus immolatur Deo ; Christus autem immolatus fuit in cruce pro expiatione totius mundi. Psalm. CXL : *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo*, etc. Fecit autem tria fumus hujus thuris : diabolum fugavit, peccatores purgavit et mundum Deo reconciliavit. De primo, Tob., VI : *Fumus ejus extricat omne genus dæmoniorum.* De secundo, Apoc., I : *Qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo* De tertio, Ephes., V : *Et semetipsum oblationem et hostiam Deo obtulit*, etc.

SERMO XVI.

In festo SS. Fabiani et Sebastiani, ex Epistola.

Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones, Hebr., XI. In his verbis tria notantur de his sanctis. Primo, inimicorum superatio ; secundo, bona operatio ; tertio, præmii pro victoria adeptio. Primum, ibi : *Sancti per fidem vicerunt regna;* secundum, ibi : *Operati sunt justitiam,* tertium, ibi : *Adepti sunt repromissiones.*

Circa primum sciendum quod sancti vicerunt quatuor regna, quæ significata sunt per quatuor regna mundi maxima, quæ significaverunt quatuor bestiæ in Daniel, VIII. Primum regnum dæmoniorum, secundum hæreticorum, tertium tyrannorum, quartum falsorum christianorum. De his quatuor, Ephes., VI : *Quoniam non est colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus.* Primum est regnum Chaldæorum, id est ferocium, hoc est dæmonum, et istud significatur per leænam. Petr., VI : *Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret.* Secundum Persarum, id est tentationum, hoc est tyrannorum, qui tentant patientiam sanctorum, quod significatur per ursum crudelem. Proverb., XXVIII : *Leo rugiens, et ursus esuriens.* Tertium Græcorum, id est ruminantium, hoc est hæreticorum, qui Scripturas ore ruminant, sed nunquam ad intellectum veniunt. II Tim., III : *Semper discentes, et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes.* Hi perditi sunt. Jerem., XIII : *Si potest pardus mutare pellem suam;* quod vix hæreticus convertitur. Quartum regnum, quod significatur per bestiam quæ credulior est omnibus, est regnum antichristianorum. Matth., XXIV : *Surgent pseudoprophetæ et pseudochristi, et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi.* Eodem cap. : *Erit tribulatio qualis antea non fuit,* etc.; et I Joan., IV : *Nunc autem antichristi multi facti sunt.* Hoc circa primum.

Circa secundum sciendum quod sancti operantur quadruplicem justitiam, quæ colligitur ex eo verbo : *sancti.* Prima est a malo recedere; secunda, omnium mundana contemnere ; tertia, seipsos pro Christo crucifigere ; quarta, in his usque ad finem persistere. De primo, Isa., I : *Quiescite agere perverse.* De secundo, Jacob., IV : *Qui volunt esse amici hujus mundi, inimici Dei constituuntur.* De tertio, Galat., V : *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt,* etc. De quarto, Matth., XXIII : *Non qui inceperit, sed qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Per primum est homo sanctus, id est mundus ; per secundum est sanctus, id est sine terra ; per tertium est sanctus, id est sanguine tinctus ; per quartum est sanctus, id est firmus.

Circa tertium sciendum quod sancti consequuntur septem promissiones, quas fecit Dominus victoribus suis in Apocalypsi, quæ significantur per septem præmia vincentia. Primum est ab omni malo liberatio. Apoc., II : *Qui vicerit, non lædetur a morte.* Secundum, corporum sanctificatio. Apocal., III : *Qui vicerit, vestietur vestibus albis,* id est dotibus corporis. Tertium, regni cœlestis possessio. Apoc., III : *Qui vicerit, dabo illi sedere in throno.* Quartum, de omnibus perfecta cognitio. Apoc., II : *Qui vicerit, dabo illi stellam matutinam*, id est cognitionem bonorum omnium. Quintum, plena in visione hominis Christi dilectio. Apoc., II : *Qui vicerit, dabo illi coronam vitæ,* per quod intelligitur Christus. Sextum, perfecta di-

vinitatis fruitio. Apoc., II : *Qui vicerit, dabo illi manna absconditum.* Septimum, in istis omnibus æternitas. Apocal., III : *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, et foras non egredietur amplius.* Amen.

SERMO XVII.

De eadem, ex Evangelio.

Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei, Luc., VI. Frequenter loquitur Scriptura de pauperibus; unde sunt tria circa eos consideranda. Primo, quot bona Dominus pauperibus faciat; secundo, quot bona ipsa paupertas conferat; tertio, quot bona fieri pauperibus ab aliis Dominus præcipiat.

Circa primum sciendum quod in sacra Scriptura possunt colligi multa bona, quæ Dominus facit pauperibus : scilicet a malis liberat et bona donat. Liberat autem a malis tripliciter. Primo, ab inimicorum molestia, a tribulationum angustia, a necessitatum inopia. De primo, Job, IV : *Eruet de manu violenti pauperem.* De secundo, Job, XXXIII : *Eripiet pauperem de angustia sua.* De tertio, Psal. CVI : *Adjuvit pauperem de inopia.* Sic a malis liberat. Confert autem multa bona; exaudit in precibus, exaltat in hominibus, satiat dilectionibus, ditat divitiis cœlestibus, dat vitam æternam in his omnibus. De primo, Psal. IX : *Desiderium pauperum exaudivit Dominus.* De secundo, Job; XXXVI : *Judicium pauperibus tribuit.* De tertio, Psalm. XXI : *Edent pauperes et saturabuntur.* De quarto, Matth., V : *Beati pauperes spiritu.* De quinto, Eccle., VI : *Quid vero pauperi nisi ut pergat illuc ubi est vita?*

Circa secundum sciendum quod paupertas facit hominem timoratum, a malis removendo; disciplinatum, bonis moribus ornando. De his duobus, Eccli., X : *Pauper gloriatur per disciplinam et timorem suum.* Humilem, in loquendo. Prov., XVIII : *Cum obsecrationibus loquitur pauper.* Patientem, adversa tolerando. Eccli., XIII : *Pauper læsus tacebit.*

Circa tertium sciendum quod Scriptura ostendit quid non sit pauperibus faciendum. Non sunt exprobrandi in verbis, non sunt exasperandi in factis, non sunt opprimendi in judiciis. De primo, Prov., XVII : *Qui despicit pauperem, exprobrat factori ejus.* De secundo, Eccli., IV : *Non exasperes pauperem.* De tertio, Isa., III : *Væ qui condunt leges iniquas;* et post : *Ut opprimant in viis pauperem.* Ecce quod non est eis faciendum. Sed quid est faciendum eis? Sunt expediendi in causis, eleemosyna eis danda in necessitatibus, audiendi in precibus. De primo, Prov., XXXI : *Aperi os tuum mutuo, et causis omnium filiorum qui pertranseunt.* De secundo, Eccli., XIV : *Et secundum vires tuas exporrigens da pauperi.* De tertio, Prov., II : *Qui obturat aures suas ad clamorem pauperis, et ipse clamabit et non exaudietur.*

Sunt autem quatuor maxime reprehensibilia in pauperibus : superbia, gloria, otiositas et deliciæ. De primo, Eccli., XXV : *Tres species odivit anima mea : pauperem superbum, et divitem mendacem, et senem fatuum et insensatum.* De secundo, Eccli., X : *Qui autem gloriatur in paupertate, quanto magis in substantia?* De tertio et quarto, Augustinus : « Ne in monasterio, ubi quantum possunt fiunt divites laboriosi, fiant pauperes delicati. » Rogemus ergo Dominum, etc.

SERMO XVIII.

In festo sanctæ Agnetis, ex Epistola.

Liberasti me a lingua injusta, iniqua, coinquinata, Eccli., ult. Verba sunt ista sanctæ Agnetis gratias agentis pro sua liberatione. Clamat autem se a triplici lingua liberatam : scilicet coinquinata, injusta et iniqua. Inquinata fuit lingua impii ad coinquinationem exhortantis, lingua injusta præsidis ad sacrificandum idolis imperantis, lingua iniqua turbæ ut occideretur acclamantis. Prima, lingua mala; secunda, pejor; tertia, pessima. Possunt istæ tres linguæ significare tres linguas quæ conveniunt ad destructionem mundi. Prima, diaboli ab Eva quærentis; secunda, Evæ dubitative respondentis, tertia, Adæ imprudenter excusantis. Diabolus primo quæsivit; secundo, falsum conclusit; tertio, mendacium subjunxit. Primo, ibi : *Cur præcepit vobis Deus,* etc.; secundo, ibi : *Nequaquam moriemini,* etc.; tertio, ibi : *Eritis sicut dii,* Eva quod pro certo sciebat, dubitative posuit, ibi : *Ne forte moriamur.* Adam peccatum quod admisit imprudenter, excusavit, ibi : *Mulier quam dedisti mihi in sociam, dedit mihi de ligno, et comedi,* Genes., III. Istæ linguæ istis modis mortem in mun-

dum vocaverunt. Sap., I : *Deus mortem non fecit, et impii,* id est diabolus, Adam et Eva, *manibus et verbis accersierunt illam.* Vel hæ sunt tres linguæ, quæ usque hodie mundum confundunt. Lingua coinquinata est lingua coinquinatoris vel leonis; iniqua, perjurii vel blasphematoris; injusta, detractoris. De prima, Eccli., XXXVII : *Lingua multos fortes dejecit.* De secunda, Proverb., XVIII : *Malus odit linguæ iniquæ.* Proverb., VII : *Sex sunt quæ odit Dominus : linguam mendacem,* etc. De tertio, Prov., XVIII : *Sepi aures tuas spinis,* etc., et Sap., I : *A detractione parcite linguæ,* etc. Rogemus, etc.

SERMO XIX.

De eadem, ex Evangelio.

Media nocte clamor factus est. Ecce sponsus venit : exite obviam ei, etc., Matth., XXV. Tria notantur in verbis istis circa adventum Domini ad judicium. Primo, veniendi necessitas; secundo, veniendi congruitas; tertio, venientis dignitas. Primum, ibi : *Media nocte.* Nox enim erit in universo mundo; et ideo necessarius erit et tunc adventus veri Solis, qui illuminet noctem illam horrendam. Secundum, ibi : *clamor factus est;* congruum enim erit ut adventus tanti sponsi prænuntietur. Tertium, ibi : *ecce sponsus.*

Circa primum sciendum quod tempus illud circa finem sæculi dicitur nox propter quatuor. Primo, propter errorum obscuritatem; secundo, propter soporis profunditatem; tertio, propter peccandi securitatem; quarto, propter caritatis frigiditatem. De primo, Matth., XXII : *Cum venerit Filius hominis, putas inveniet fidem in terra?* De secundo, I Thess., V : *Qui dormiunt, nocte dormiunt,* etc. Matth., XXV : *Dormitaverunt omnes, et dormierunt.* De tertio, I Thess., V : *Cum dixerint pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus.* De quarto, Matth., XXVI : *Et quoniam abundavit iniquitas, refrigescet caritas multorum,* etc.

Circa secundum sciendum quod quadruplex clamor præcedet adventum judicis : angelorum ad judicium citantium, omnium creaturarum accusantium et impugnantium, malorum flentium et ululantium, bonorum gaudentium et exultantium. De primo, I Thess., IV : *In voce archangeli et in turba Dei descendet de cœlo,* etc. De secundo, Habac., II : *Lapis qui de pariete clamabit,* etc. Sap., V : *Armabit creaturam in ultionem inimicorum.* De tertio, Apoc., I : *Tunc plangent se super eum omnes tribus terræ,* etc. De quarto, Isa., LXV : *Ecce servi mei clamabunt præ exultatione cordis.*

Circa tertium sciendum quod magnus sponsus quatuor modis vadit ad magnam sponsam. Primo, cum multa societate; secundo, cum ornamentorum pretiositate; tertio, cum magna jucunditate; quarto, cum multorum munerum largitate. Istis quatuor modis veniet Dominus ad judicium ad bonos et malos. Malis apparebit judex iratus, sed bonis vel justis sponsus benignus. De primo, Isa., III : *Dominus ad judicium veniet.* De secundo, Isa., LXVI : *Gaudens gaudebo in Domino,* etc. De tertio, Psal. XCVII : *Flumina plaudent manu, simul montes exultabunt.* De quarto, Prov., III : *Longitudo dierum in dextera ejus,* etc. Ista notantur in Evangelio. Matth., XXV : *Cum venerit Filius hominis.* Quia ergo venit placidus, debet exiri obviam ei cum amore; quia gloriosus, cum festinatione; quia largus, cum gratiarum actione, etc. Rogemus, etc.

SERMO XX.

In festo sancti Vincentii.

Vincenti dabo edere de ligno vitæ, Apoc., III. Hæc verba possunt exponi de B. Vincentio, et notantur hic duo. Primo, ejus martyrium; secundo, ejus præmium. Primum, ibi : *Vincenti;* secundum, ibi : *dabo edere de ligno vitæ.*

Circa primum sciendum quod beatus Vincentius fuit secundum nomen suum vincens triplex bellum : scilicet hostile, civile et intestinum. Bellum hostile est bellum dæmonum, bellum civile mundi, bellum intestinum carnis. De his tribus, Ephes., III : *Non est nobis colluctatio adversus carnem,* supple tantum, ecce intestinum; *sed adversus mundi rectores,* ecce civile; *contra spiritualia nequitiæ,* ecce hostile. Bellum hostile vicit firmiter in fide persistendo; bellum mundi, ipsum principem vincendo; unde dixit : « Victi sumus. »

Circa secundum sciendum quod arbor vitæ dicitur Christus, quoniam ab eo oritur fructus triplicis vitæ : vitæ naturæ, vitæ gratiæ et vitæ gloriæ. De primo, Gen., I :

Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, etc. De secundo, Joan., VI : *Verba quæ ego loquor vobis, spiritus et vita sunt*, etc. Faciendo enim spirituales conferunt vitam gratiæ. Ephes., VI : *Convivificavit nos in Christo.* De tertio, Joan., VI : *Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes*, etc. Joan., X : *Ego vitam æternam do eis.* Primo, beatus Vincentius comedit fructum vitæ naturæ, tandem gratiæ, finaliter comedit fructum gloriæ. Vel moraliter. Vincenti quatuor regna (de quibus dicitur in sermone *Sancti per fidem vicerunt regna*) septem debentur præmia, de quibus dicitur Apoc., III.

Quære in festo sancti Sebastiani, etc.

SERMO XXI.

De eodem.

Beatus vir qui in sapientia morabitur. Item : *Ubi ego sum, illic et minister meus erit.*

Require utrumque in festo sancti Thomæ archiepiscopi, etc.

SERMO XXII.

In Conversione sancti Pauli.

Vas electionis mihi est iste, ut portet nomen meum coram gentibus, et regibus, et filiis Israel, etc., Actuum, IX. Verba ista sunt de beato Paulo, in quibus duo dicuntur de eo. Primum est quod est vas electionis; secundum, ad quid electum. Primum, ibi : *Vas electionis;* secundum, ibi : *ut portet.*

Circa primum sciendum quod beatus Paulus fuit vas pretiosum, speciosum, dilectum, electum. Pretiosum, quia argenteum, aureum, gemmeum, cœlicum. Argenteum, puritatem munditiæ conservando. Proverb., XV : *Aufer rubiginem de argento.* Aureum, caritatem ferendo. Roman., VIII : *Quis nos separabit a caritate Christi? Tribulatio*, etc. Gemmeum, incorruptibiliter in tribulationibus persistendo. Roman., VIII : *Certus sum quod neque mors, neque vita, neque angeli*, etc., *separabunt nos a caritate Dei*, etc. De his duobus, Proverb., XX : *Aurum et multitudo gemmarum et vas pretiosum, labia scientiæ.* Vas cœlicum fuit, universum orbem illuminando. Eccli., XLIII : *Sol in aspectu nuntians in exitu, vas admirabile, opus Excelsi.* Illuminavit autem miraculis coruscando, verbis prædicando, exemplis demonstrando. De his tribus, Roman., XV : *Non enim audeo loqui aliquid eorum quæ per me non efficit Christus in verbo te factis, in virtute signorum et prodigiorum.* Fuit ergo vas pretiosum.

Fuit speciosum, quia multis tunsionibus depuratum, opere divino sanctificatum, omni lapide pretioso ornatum. De primo, II Corinth., XI : *In laboribus plurimis, in carceribus abundantius*, etc. II Timoth., II : *Si quis emundaverit se, erit vas sanctificatum, ad omne opus bonum paratum.* De secundo, Jerem., XVIII : *Et conversus fecit illud vas aliud, sicut placuit in oculis ejus ut faceret.* Eccli., XLIII : *Vas admirabile, opus Excelsi.* De tertio, Eccli., LI : *Quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso.* Fuit ornatum novem lapidibus pretiosis, id est novem ordinibus angelorum, quorum officia exercuit, sicut patet in epistolis suis. Ezech., XVIII : *Omnis lapis pretiosus, operimentum*, etc. Fuit ergo vas pretiosum.

Fuit electum ad augurandum, ad potandum. De primo et secundo, Genes., XLIV : *Scyphus quem furati estis, ipse est in quo bibit Dominus meus, et augurari solet.* De tertio, Act., IX : *Ut portet nomem meum coram gentibus, et regibus, et filiis Israel.* Auguratus est Dominus in isto scypho futuras iniquitates iniquorum, resurrectionem mortuorum, pœnas reproborum et gaudia beatorum. Da primo, II Tim., III : *Scito quod in novissimis diebus instabunt tempora periculosa.* De secundo, II Corinth., XV : *Seminatur corpus animale, resurget corpus spirituale*, etc. Item propinavit vinum mordicans corrigendo, lætificans consolando, inebrians prædicando. De primo, Psal. CIX : *Potasti nos vino compunctionis.* Gal., III : *O insensati Galatæ*, etc. De secundo, Psal. CIII : *Vinum lætificat cor hominis.* I Thess., IV : *Itaque consolamini invicem in verbis istis.* De tertio, Isa., LI : *Calix aureus Babylon in manu Domini, inebrians omnem terram.*

Item fuit electum ad portandum tria munera Domino. Gen., XLIII : *Sumite de optimis terræ frugibus in vasis vestris, et ferte viro munera.* Verbum est ad patriarchas, id est apostolos, quorum quilibet portavit munus suum, id est populum per se conversum; sed maximum inter omnes portavit Paulus. Item nomen Christi, ut hic : *Portet nomen meum.*

Fuit etiam vas dilectum a Deo Patre,

eum consolando. II Corinth., I : *Benedictus Deus et Pater ..... qui consolatur nos,* etc. Ab angelis, cum eis conversando. II Corinth., XII : *Scio hominem raptum usque ad tertium cœlum*, etc. Philip., IV : *Nostra conversatio in cœlis est.* A sanctis, ejus gratiam admirando. II Petr., III : *Sicut carissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis.* A peccatoribus, post eos currendo. Rom., XV : *Ab Illyrico usque Jerusalem replevit Evangelium Christi.* Portavit autem Christum in corde, semper de eo cogitando. Ephes., IV : *Habitare Christum per fidem in cordibus,* etc. In fronte, de eo gloriando. Rom., XV : *Habeo igitur gloriam in Christo,* etc. In ore, semper de eo loquendo. In manu, omnia in nomine ejus faciendo. Coloss., III : *Omnia quæcumque facitis sive in verbo sive in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi.* In conversatione, eum imitando. I Corinth., IV : *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi.* In toto corpore mortem repræsentando. II Cor., IV : *Semper mortificationem Jesu Christi in corpore nostro circumferentes.* In calamo, semper de eo scribendo. Rom., I : *Paulus servus Jesu Christi.* Fere in omnibus epistolis suis scribebat Jesum Christum, etc.

SERMO XXIII.

In Purificatione B. Mariæ, ex Epistola.

Statim veniet ad templum sanctum suum Dominator, quem vos quæritis, Malach., III. Hæc verba possunt exponi de adventu Domini ad templum materiale. Secundo, secundum allegoriam de adventu ejus in uterum Virginis.

Secundum primum notantur quatuor in his verbis. Primo, veniendi velocitas, ibi : *Statim veniet,* scilicet post quadraginta dies a nativitate ; noluit enim plus differre, quin statim templum visitaret. Secundo, loci ad quem veniet, sanctitas, ibi : *templum sanctum.* Tertio, advenientis dignitas, ibi : *Dominator et angelus.* Dominator, quia Deus ; angelus, quia homo. IV Tim., II : *Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus.* Quarto, Simeonis et Annæ, et aliorum expectantium aviditas, ibi : *quæritis, et quem vultis;* vultis quoad effectum, quæritis in affectu. Isa., XLV : *Quærite Dominum dum prope est,* etc. Quinto, adventus utilitas, ibi : *Testamenti.* Fecit enim nobis in adventu suo testamentum de æterna hæreditate. Hebr., IX : *Ideo Novi Testamenti mediator est.*

Possunt autem hæc intelligi de adventu in uterum Virginis. Ipsa enim est templum Dei mirabile præ omnibus sanctis. Primo, quia mirabiliter magnum secundum longitudinem per latitudinem caritatis. Sicut enim plus habuit de fide, spe et caritate quam aliqua creatura, sic plus habuit de magnitudine. III Reg., VI : *Domus quam ædificavit Salomon, habebat cubitos sexaginta longitudinis.* Secundo, quia desiderabiliter pulchrum. III Reg., VI : *Nihil erat in templo quod non auro tegeretur,* quia nihil in Virgine quod non sanctitate plenum esset. Cant., V : *Tota pulchra es, amica mea,* etc. Tertio, quia variis picturis depictum, quia omnium sanctorum et angelorum virtutibus decoratum. III Reg., VI : *Fecit in templo cherubim et picturas.* Quarto, quia columnis miris et magnis ornatum. Prov., IX : *Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem.* Per septem columuas possunt intelligi septem virtutes quæ notantur in beata Virgine in hodierno evangelio. (Quære in alio processu.) Quinto, opere totius Trinitatis consecratum. Psal. XLV : *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.* Luc., I : *Spiritus sanctus superveniet in te.* Sexto, quia magna dignitate privilegiatum est, ut omnes rei et malefactores qui ad illum currunt ex toto corde, salventur, sicut patet in Theophilo et aliis pluribus. Bernardus : « Ille taceat laudes tuas, Virgo, qui te in suis necessitatibus invocatam defuisse senserit ; » et omnes orationes quæ in eo funduntur, exaudiuntur. III Reg., VIII : *Exaudies in cœlo orationes eorum.* Septimo, quia ut Dei Filius ibi homo fieret, ædificatum. Hebr., VII : *Sicut et Christus semetipsum non glorificavit, sed qui locutus est ad eum : Filius meus es tu.* In ista fuit rex et sacerdos.

Adeamus ergo cum fiducia ad templum gratiæ, ut misericordiam inveniamus in tempore opportuno, etc. Rogemus, etc.

SERMO XXIV.

De eadem, ex Evangelio.

Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ, secundum legem Moysi, tulerunt puerum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino, Luc., II. In isto evangelio possunt notari

septem virtutes in beata Virgine. Prima, humilitas in purgatione, cum non indigeret. Secunda, amor puritatis in superabundanti purgatione, et ista duo, ibi : *dies purgationis*..... Quarto, reverentia ad Filium in portatione, ibi : *tulerunt*. Quinta, devotio in locorum visitatione, ibi : *in Jerusalem*. Sexta, gratiarum actio in Filii oblatione, ibi : *ut sisterent eum Domino,* quia tibi, Domine, quem dedisti, offerimus. Septima, paupertas in oblatione, ibi : *duos turtures,* etc., quæ erat oblatio pauperum.

In hoc quod beata Virgo voluit purgari cum non indigeret, docuit quomodo nos, qui indigemus, debeamus purgari. Debemus autem purgari septem modis, sicut potest colligi ex textu. Primo, a peccati coinquinatione. Eccli., XLVII : *Dominus purgavit peccata*. Hebr., I : *Purgationem peccatorum faciens*. Secundo, in cognitione quoad intellectum. I Tim., I : *Ex corde puro,* id est « intellectu sine errore, » dicit *Glossa*. Jac., VI : *Purificate corda duplices animo*. Tertio, in affectu quoad dilectionem. I Tim., V : *Qui invocant Deum de conscientia pura*. Quarto, in mente per rectam intentionem. I Cor., V : *Expurgate vetus fermentum,* id est hypocrisim. Luc., XVII : *Attendite a fermento pharisæorum, quod est hypocrisis*. Quinto, in ore, quoad locutionem. Prov., XV : *Sermo pulcherrimus firmabitur ab eo*. Sexto, in manibus, quoad operationem. II Tim., II : *Levantes puras manus*. Septimo, in toto corpore, quoad conversationem. Octavo, in rebus, quoad superfluorum resecationem. Joan., XV : *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, purgabit eum,* etc. Rogemus, etc.

SERMO XXV.

In festo sanctæ Agathæ.

Dabo tibi ubera mea, Cant., I. Possent esse hæc verba beatæ Agathæ ad Christum. Commendatur in his verbis a tribus. Primo, a magna circa sponsum suum caritate, ibi : *tibi dabo*. Quando quis dat id quod carum habet, signum est quod diligit. Secundo, ab intentionis puritate, ibi : *tibi;* hoc est, ad honorem tuum dimittam mihi præcidi mamillas. Tertio, a patientiæ firmitate, ibi : *ubera mea*. Ubera enim sunt sensitiva doloris. Tamen in hoc quod libenter sustinuit in passione earum, commendatur ejus patientia ; unde in legenda : « Ita ego delector in pœnis, sicut qui ad magnas epulas invitatur. »

Moraliter autem per duo ubera possunt intelligi intellectus et affectus ; ex illo fluit lac veritatis, ex isto lac bonitatis elicitur. Ista duo ubera debemus dare Domino, intellectum scilicet et affectum. Intellectum quatuor modis. Primo, eum ab errore purgando ; secundo, a curiositate inanis scientiæ abstinendo ; tertio, eum sub fide Christi captivando ; quarto, eum totum in Dei contemplatione occupando. De primo, Ephes., IV : *Hoc dico et testificor in Domino, ut jam non ambuletis sicut gentes ambulant, in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati a vita Dei per ignorantiam, quæ est in illis propter cæcitatem,* etc. De secundo, Rom., I : *Evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum*. De tertio, II Cor., X : *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi*. De quarto, Psalm. XLV : *Vacate, et videte quoniam suavis est Dominus*. Debemus ei dare affectum quatuor modis. Primo, eum ab omni malitia purgando. Jerem., IV : *Lava a malitia cor tuum*. Secundo, omnem illicitum amorem ab eo excludendo. Tertio, licitum amorem, si non est propter Christum, ab eo expellendo. Augustinus : « Minus te amat, qui tecum aliud amat. » Quarto, eum totum amore Christi replendo. Deut., VI : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo,* id est nihil sit ibi vacuum ab amore Christi.

Si autem sic dederimus Domino intellectum et affectum, uterque remunerabitur quatuor modis in futuro. Primum præmium intellectus erit plena de omnibus cognitio. I Cor., XIII : *Tunc cognoscam sicut et cognitus sum*. Secundum certa de omnibus comprehensio. Augustinus : « Habemus unum doctorem intellectus, quem semel vidisse, totum didicisse est ; » Isa., L : *Tunc videbis, et afflues, et dilatabitur cor tuum,* etc. Tertium, perfecta de visione Christi exultatio. Augustinus : « Gaudium plenum erit, videre hominem hominis conditorem. » Quartum, beata divinitatis contemplatio. I Joan., III : *Tunc videbimus eum sicuti est*. Item primum præmium affectus erit ab omnibus miseriis liberatio. Apoc., XXI : *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum,* id est omnem causam lacrymarum. Secundum, de cunctis crea-

turis exultatio. Genes., XVIII : *Vide ad aquilonem et meridiem*, etc. Tertium, de visione suppliciorum damnatorum jucundatio. Ps. LVII : *Lætabitur justus cum viderit vindictam* impiorum. Isa., ult. : *Egredientur, et videbunt cadavera mortuorum.* Augustinus in lib. *De civit. Dei* : « Neque enim Deus illum, non dico angelum, sed merum hominem crearet, quem malum futurum præsciret esse, nisi pariter nosset quibus eum beatorum usibus accommodaret; unde ordinem sæculorum, tanquam pulcherrimum carmen, quasi quibusdam antidotis honestaret. » Quartum, de æternis deliciis perfruitio. Deut., VII : *Rerum omnium abundantia perfrueris.* I Corinth., XV : *Deus erit omnia in omnibus.* Isa., XVIII : *In die illa erit Dominus corona gloriæ,* etc. Rogemus, etc.

SERMO XXVI.

De eadem.

Liberasti me a lingua coinquinata. Quære in festo sanctæ Agnetis.

Item : *Inventa una pretiosa margarita.* Quære in festo sanctæ Margaritæ.

SERMO XXVII.

In Cathedra sancti Petri.

Beatus Simon Barjona, Matth., XVI. In hoc evangelio fit mentio de Christo, de Petro et de Ecclesia.

De Christo dicuntur tria : ejus humanitas, divinitas et æternitas. Primum ibi : *Tu es Christus;* secundum quod homo dicitur Christus, id est unctus. Damascenus : « Unctionem ad humanitatem pertinere nemo qui sane sapiat, dubitat; ipse enim inquantum homo, unctus est oleo Spiritus. » Secundum ibi : *Filius Dei,* scilicet per naturalem et æternam generationem; et sicut homo generat hominem, sic Deus Deum. Damascenus : « Generare est genus suum vel materiam alteri dare. » Psal. II : *Ego hodie genui te.* Tertium ibi : *vivi;* vivum enim proprie dicitur quod nunquam moritur, nunquam desinit esse, quod soli Trinitati convenit. Boetius : « Æternitas est vitæ interminabilis tota simul et perfecta possessio. »

De Petro dicuntur etiam tria. Sanctitas, ibi : *Beatus es Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelavit tibi,* quæ polluunt, quod est contrarium sanctitati. Revelatio, ibi : *Sed Pater meus qui in cœlis est,* supple revelavit. Item infra : *Tu es Petrus,* id est cognoscens. Dignitas, ibi : *Tibi dabo claves regni cœlorum.*

De Ecclesia similiter dicuntur tria. Primum fundamenti soliditas, ibi : *Super hanc petram.* Secundum, ejus dignitas, ibi : *Ecclesiam,* et non malignantium, sed *meam,* quæ est gloriosa, munda et recta. De quibus tribus, Ephes., V : *Ut eam sanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ.* Tertium, ejus inseparabilitas vel perpetuitas, ibi : *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Portæ inferi sunt peccata. Psal. CVI : *Appropinquaverunt usque ad portas mortis.* Item tyranni. Ibidem : *Portas ferreas confregit,* id est tyrannos humiliavit. Item hæretici et dæmones, de quibus duobus, Job, XXXVIII : *Numquid apertæ sunt tibi portæ mortis?* quoad dæmones; *aut ostia tenebrosa vidisti?* quoad hæreticos. Item portæ inferi. Isa., XXXVII : *Ego dixi : In dimidio dierum meorum;* et post : *Vadam ad portas inferi.* Omnes istæ portæ non prævalent adversus sanctos, quia in securo positi sunt. Psal. LXXXIII : *Beati qui habitant in domo tua, Domine,* etc. Rogemus ergo, etc.

SERMO XXVIII.

In festo sancti Matthiæ apostoli.

Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos, Matth., VI. In his verbis quinque notantur. Primo, magna Dei benignitas. Secundo, magna ejus bonitas. Tertio, magna ejus largitas. Quarto, magna nostra necessitas. Quinto, magna eundi ad eum utilitas. Primum, ibi : *Venite.* Magna prorsus benignitas, quod excelsus Deus vocat tam vilissimum servulum; sed ipse potest conqueri : Servum meum vocavi ore proprio, et non respondit mihi. Secundum, ibi : *ad me;* bonum enim est, sicut dicit Dionysius, diffusivum sui; unde in hoc quod seipsum effundit, seipsum dat, notatur magna bonitas ejus. Gen., V : *Ego sum merces tua magna nimis.* Tertium, ibi : *omnes;* est enim infinita bonitas sua; ideo vult se infinitis et omnibus communicare. I Tim., VI : *Qui vult omnes homines salvos fieri.* Quartum, ibi : *Qui laboratis et onerati*

estis. Laboramus onerati sub multiplici onere in præsenti. Primum est peccati gravitas. Psal. LXXIII : *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum.* Secundum dæmonum malignitas. Deut., XXVI : *Afflixerunt vos Ægyptii,* id est dæmones, *imponentes onera gravia.* Tertio, prælatorum austeritas. Matth., XXII : *Alligant onera gravia,* etc. Quarto, corruptibilitas. Sap., IX : *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam.* Quinto, terrenorum cupiditas. Genes., XIII : *Et nequibant habitare communiter, erant quippe onerati,* dicit alia translatio. Zach., V : *Iniquitas sedet super te.* Sexto, tyrannorum, vel sæcularium principum crudelitas. Oseæ, VIII : *Quiescent paulisper ab onere regis et principum.* Septimo, morum bestialium hominum gravitas. Isa., XLVI : *Bestiis et jumentis onera vestra portavimus gravi pondere usque ad lassitudinem,* etc. Octavo, mundi vanitas. Nahum, I : *Onus Ninive,* id est mundi, dicit *Glossa.* Nono, pœnarum multiplicitas, Habac., I : *Onus quod vidit Habacuc;* et post loquitur de multis pœnis. Decimo, legum, constitutionum, observantiarum multiplicitas. Act., XV : *Ut quid tentatis imponere onus quod nec nos, nec patres nostri portare potuerunt?* Undecimo, proximorum indigentia. Gal., VI : *Alter alterius onera portate.* Duodecimo, moriendi necessitas. Eccli., XL : *Occupatio magna creata est hominibus,* etc. Sub tot laboribus pressi necesse habemus concurrere ad Deum, qui nos liberare promittit, ibi : *Ego reficiam vos,* etc. Quo cibo? Pane vitæ. Joan., VI : *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Manna abscondito. Apoc., II : *Dabo ei manna absconditum.* Ligno vitæ. Apoc., II : *Vincenti dabo edere de ligno vitæ.* Primum est corporis sui præceptio. Secundum spiritualis devotionis dulcedo. Tertium sancti arboris vitæ magnus in fructibus spiritus. Galat., V : *Fructus spiritus gaudium, pax, patientia,* etc. Hæc in præsenti. Sed in futuro quid? Quod dicitur Isa., XXV : *Faciet Dominus in monte hoc convivium pinguium,* ad quod nos perducat Christus. Amen.

SERMO XXIX.

In festo sancti Gregorii, ex Evangelio.

Amen dico vobis, super omnia bona sua constituet eum, Matth., XXII. Dominus facit tria in isto evangelio. Primo, monet ut vigilemus; secundo, ut nos a fure observemus; tertio, ut in bono opere perseveremus. Primum, ibi : *Vigilate;* secundum, ibi : *Beatus ille servus;* tertium, ibi : *super omnia bona sua constituet eum.*

Circa primum sciendum quod debemus vigilare quatuor modis : Deum incessanter diligendo, semper ipsum considerando, eum devote laudando, sollicite orando. De primo, Cant., V : *Ego dormio et cor meum vigilat;* quasi dicat : Sive comedam, sive bibam, sive dormiam, semper cor meum in amore sponsi mei vigilat. De secundo, Psal. LXII : *Anima mea desiderat te Deus meus;* Psal. XLI : *Ad te de luce vigilo.* De tertio, Bernardus : « Consurge, lauda in principio vigiliarum tuarum. » De quarto, I Petr., IV : *Vigilate in oratione.* Lucæ, XXII : *Vigilate, et orate,* etc.

Circa secundum sciendum quod debemus nos custodire a quadruplici fure. Fur est diabolus animam furando, detractor famam rapiendo, inanis gloria mercedem tollendo, dies Domini improvisus veniendo. De primo, Joan., X : *Fur non venit nisi ut furetur et mactet.* De secundo, Eccli., XX : *Potior est fur quam assiduitas viri mendacis.* De tertio, Oseæ, VIII : *Fur ingressus est,* etc. De quarto, I Thess., V : *Dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet,* etc. A diabolo debemus nos custodire, ei resistendo. Jac., IV : *Resiste diabolo.* A detractore, bene conversando. I Petr., II : *Conversationem vestram inter gentes habentes bonam.* Ab inani gloria. Matth., IV : *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis,* etc. A die Domini semper eam in sanctitate expectando. I Thess., V : *Vos autem, fratres, non estis in tenebris, ut vos dies illa comprehendat.*

Tertio, monet perseverare. Debemus perseverare, a bono non deficiendo, in bono proficiendo, spem mercedis non nisi in adventu Domini ponendo. De primo, Gal., VI : *Bonum autem facientes non deficiamus.* De secundo, Psal. VIII : *Ibunt de virtute in virtutem.* De tertio, Jac., V : *Patientes igitur estote, fratres, usque ad adventum Domini,* etc.

Circa quartum sciendum quod bona Domini dividuntur in tria, temporalia, spiritualia et æterna. Temporalia dat Dominus servis suis ad sustentationem, spiritualia ad sanctificationem, æterna ad glorificationem. De primo, II Cor., VII : *Qui dat panem serenti.* De secundo, Hebr., II : *Qui sanctifi-*

cat, et qui sanctificatur, ex uno omnes. De tertio, ibi habetur : *Super omnia bona sua constituet eum.* Quæ bona det nobis Christus. Amen.

SERMO XXX.

In festo sancti Benedicti, ex Epistola.

Dilectus Deo et hominibus, etc., Eccli., XLV. Hæc verba possunt exponi de beato Benedicto. Leguntur secundum litteram de Moyse, qui præfiguravit beatum Benedictum propter sex. Primo, propter desertionem Ægypti ; secundo, propter eremi petitionem ; tertio, propter multorum in eremum introductionem ; quarto, propter multorum miraculorum operationem ; quinto, propter futurorum prædictionem ; sexto, propter interpretationem. Patent hæc de Moyse et de beato Benedicto. Ille Ægyptum deseruit, iste mundum ; ille desertum dilexit, iste eremum ; ille filios Israel in desertum introduxit, iste monachos ; ille dedit legem, iste regulam ; ille multa miracula fecit, et iste ; ille fuit Moyses re et nomine, et iste Benedictus re et nomine ; fuit enim assumptus de aquis carnalis concupiscentiæ. Hæc de Moyse in Exodo, et hæc de Benedicto in dialogo. Dicatur ergo : *Dilectus Deo et hominibus.* Tria sunt enim quæ faciunt hominem dilectum Deo. Primum est cordis puritas. Prov., XXII : *Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam habebit amicum regem.* Secundum, humilitas. Jac., III : *Humilibus autem dat gratiam.* Luc., I : *Respexit humilitatem ancillæ suæ.* Tertium, caritas. Prov., VIII : *Ego diligentes me diligo.* Item tria faciunt hominem dilectum hominibus, scilicet sapientia, benignitas et dulcis loquela. De primo, Eccli., XX : *Sapiens in verbis se amabilem facit.* De secundo, Prov., V : *Mansuetis dat gratiam.* De tertio, Prov., VII : *Verbum dulce multiplicat amicos.* Habuit ista beatus Benedictus ; ideo fuit dilectus Deo et hominibus. Sed cum omnes homines appetant diligi, debent studere habere ista tria, quæ faciunt dilectum Deo et hominibus.

SERMO XXXI.

De eodem, ex Evangelio.

Nemo accendit lucernam et in abscondito ponit, neque sub modio, sed super candelabrum, Luc., XI. Moraliter candelabrum est vir justus. Exod., XXI : *Facies candelabrum ductile,* etc. Ductile dicitur, quia multis tribulationibus ad perfectionem ducitur. Act., XIV : *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Aureum totum, quia facit omnia in caritate. Col., VI : *Omnia vestra in caritate fiant.* Tres calami ex uno latere, tres partes pœnitentiæ, quæ respiciunt statum pœnitentiæ ; tres ex alio, tres virtutes theologicæ, quæ respiciunt statum gratiæ. Scyphi sunt beatitudines, alias fructus spiritus, sportulæ, dona Spiritus sancti. De beatitudinibus, Matth., V. De fructibus spiritus, Gal., V. De donis Spiritus sancti, Ps. XI. In isto candelabro ponentur septem lucernæ. Prima ratio. Job, VIII : *Lucerna, quæ super caput ejus est,* id est in superiori parte animæ, *extinguetur,* id est obtenebrescet propter multa peccata. Psal. IV : *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.* Secunda, divina inspiratio. Prov., XX : *Lucerna Domini spiraculum hominis.* Tertia, verbum et lex divina. Psal. CXVIII : *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Prov., V : *Mandatum lucerna est, et lux lex.* Quarta, virtus infusa. Job, XXIX : *Quis mihi tribuat;* et post : *Ut sim juxta menses pristinos? Quando splendebat lucerna ejus super caput meum?* id est mentem. Quinta, bona operatio. Ps. XVII : *Tu illuminas lucernam meam, Domine,* quia a Deo est quod opera nostra luminosa sint. Matth., V : *Sic luceat lux vestra coram hominibus,* etc. Sexta, recta intentio. Matth., VI : *Lucerna corporis tui est oculus tuus,* id est intentio. Septima, Christus. Apocalyp., XXI : *Lucerna ejus est agnus* propter multa. Zach., IV : *Vidi, et ecce candelabrum aureum totum, et septem lucernæ ejus,* etc. Rogemus, etc.

SERMO XXXII.

In Annuntiatione beatæ Mariæ, ex Epistola.

Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, Isa., XI. Hæc verba prophetæ fuerunt de conceptione Domini nostri Jesu Christi. Circa quam tria dicuntur in eis. Primo, dignitas concipientis ; secundo, dignitas concepti ; tertio, utilitas conceptionis. Primum, ibi : *Egredietur;* secundum, ibi : *de radice;* tertium, ibi : *requiescet.*

Circa primum notandum quod beata Virgo est speciosa, gratiosa et gloriosa.

Speciosa propter candorem virginitatis, ruborem caritatis et rectitudinem sanctitatis, benignitatem humilitatis, propter flores desiderabilium morum, propter pulcherrima folia dulcium verborum. De primo et secundo, Cant., I: *Ecce tu pulchra es, amica mea.* De tertio, Psal. XLIV: *Virga directionis, virga regni tui.* De quarto, Lucæ, I: *Respexit humilitatem ancillæ suæ.* Cant., III: *Quæ est ista quæ ascendit sicut virgula fumi?* De quinto et sexto, Judith, XI: *Non est talis mulier super terram* in aspectu quoad pulchritudinem, in sensu verborum quoad locutionem, et de his similibus. Cant., III: *Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani*, ecce candor puritatis; *columnas ejus,* ecce rectitudo sanctitatis; *argenteas*, quæ cantum dulcem reddunt, ecce dulcedo locutionis sive verborum; *reclinatorium aureum,* ecce humilitas; *ascensum purpureum,* ecce honestas morum; *media caritate constravit,* ecce caritas.

Est ergo speciosa, est et gratiosa propter multas utilitates quæ sunt sex. Prima, quia mare nobis divisit, id est mundum, ut transeamus. Exod., XIV: *Tu leva virgam, et percuties,* etc. Secunda, quia de petra Christus nobis produxit aquam gratiæ, ut bibamus. Num., XX: *Tolle virgam ... et loquere ad petram coram eis.* Tertia, quia mel dat nobis devotionis, ut reficiamur. I Regum, XIII: *Extendit summitatem virgæ, et intingit in favum mellis.* Quarta, quia per ipsam diabolum superamus. II Reg., XXIII: *Cumque descendisset ad eum in virga, vi extorsit hastam de manu Ægyptii,* id est diaboli. Quinta, quia per ipsam divinam clementiam impetramus. Esth., IV: *At ille ostendit ei virgam,* in qua signum clementiæ monstrabatur. Sexta, quia per eam de manibus inimicorum omnium liberamur. Ps. CIX: *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus.* De his Cant., IV: *Quæ est ista quæ ascendit per desertum?* etc. Est et gloriosa, quia floruit sine humore, fronduit sine corruptione, parturivit sine læsione. De his tribus, Num., XVII: *Inventa est virga Aaron.* Item gloriosa, quia est a Magis prophetata, ab hominibus prædicata, et ab omnibus generationibus beatificata. De primo, Num., XXIII: *Orietur stella ex Jacob.* De secundo, Isa., XV: *Egredietur virga de radice Jesse.* De tertio, Luc., I: *Beatam me dicent omnes generationes.* Est ergo ista Virgo speciosa, et gratiosa, et gloriosa. Egressus est flos, id est Christus, qui dicitur flos, quia fuit pulchritudo sanctitatis, odor benignitatis, medicina sanitatis. De primo et secundo, Cant., II: *Ego flos campi,* quoad primum; *et lilium convallium,* quoad secundum. De tertio, I Petr., III: *Cujus livore sanati sumus,* ecce dignitas concepti. Sequitur utilitas conceptionis, quæ fuit omnium peccatorum destructio, ibi: *Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ,* ut destruat luxuriam; *intellectus*, ut gulam; *consilii,* ut avaritiam; *fortitudinis,* ut accidiam; *scientiæ,* ut invidiam; *pietatis*, ut iram; *timoris,* ut superbiam, etc.

SERMO XXXIII.

De eadem.

Benedicta tu in mulieribus, etc., a Deo Patre, quia in eodem Filio secum communicas; a Filio, quia dignum habitaculum ei præparas; a Spiritu sancto, cujus operatione Salvatorem mundi generas. De his tribus, Luc., I: *Spiritus sanctus superveniet in te,* quoad Spiritum sanctum; *virtus Altissimi,* quoad Patrem; *ideoque quod nascetur ex te sanctum,* quoad Filium. Ab angelis, quia eorum vitam in terra inchoas, eorum ruinam reparas, eorum te allocutionibus humilias. Inchoavit vitam angelorum, quia instituit vitam virginum. Hieronymus: « Virginitas soror est angelorum. » Idem: « In carne præter carnem vivere, non est terrena vita, sed cœlestis. » Reparavit ruinas eorum, quia genuit eum qui reparavit. Ephes., I: *In quo proposuit reparare sive quæ in cœlis sunt, sive quæ in terra.* Eorum allocutionibus consentiendo se humiliavit. Luc., I: *Ecce ancilla Domini.* Benedicta ergo ab angelis. Benedicta et a peccatoribus, quia eos de angustia liberas, in periculis adjuvas, et de peccatis veniam impetras. De primo, Bernardus: « Ille taceat tuas laudes, Virgo beata, qui te in suis necessitatibus invocans se senserit deceptum. » De secundo idem: « In periculis, in rebus dubiis Mariam cogita, Mariam invoca. » De tertio, recordare Theophilum liberatum; item exemplum fratris Martini Cisterciensis; exemplum domini, cujus filius fuit captus; exemplum sororis regis Franciæ, quomodo postea habuit raptus. Item benedicta a justis, quia exaudis in precibus, liberas in tentationibus, augmen-

tas gratiam in virtutibus. De secundo et tertio, in hymno :

Pia Mater et humilis,
Naturæ memor fragilis,
In hujus vitæ fluctibus
Nos rege tuis precibus.

Bernardus : « O homo, securum habes accessum ad Deum, » etc. De primo, Num., xxiv : *Consurget virga de Israel ex his, et percutiet et duces Moab,* etc. Es ergo benedicta a justis. Es benedicta a mulieribus, quia eas ab inimicis liberas, quoad virum excusas, quoad Deum honoras. Mulieres enim per peccatum a diabolo tenebantur, a Deo aspernabantur ; sed beata Virgo ab inimicis liberavit, quia Christus filius ejus diabolum destruxit. Hebr., ii : *Ut per mortem destrueret eum qui mortis habebat imperium,* id est diabolum. Quoad virum excusat. Si dicit vir : Propter te damnor, mulier potest respondere : Per me salvaris. Item honoravit quoad Deum, quia idem est filius Dei et filius mulieris. Galat., iii : *Misit Deus Filium suum natum ex muliere.* Propter hæc tria dicitur de ea, Judith, xv : *Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi.* Es ergo benedicta a mulieribus, benedicta ab omnibus creaturis, quia earum creatorem lactas, quia eas a coinquinatione liberas, id est peccata mundas, quia eas in statum pristinum renovas. Filius enim quem genuit, creaturas omnes creavit, eas emundavit, ipsas renovavit. De primo, Joan., i : *Omnia per ipsum facta sunt.* De secundo, Apoc., i : *Lavit nos a peccatis nostris.* De tertio, Psal. ciii : *Emitte Spiritum tuum,* quo scilicet virgo concepit, *et renovabis faciem terræ.* Apoc., xxi : *Et dixit qui sedebat in throno : Ecce nova facio omnia.* Benedicat te, Virgo beata, Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus. Benedicant te angeli, peccatores, justi, mulieres et omnes creaturæ, etc.

SERMO XXXIV.

De sancto Ambrosio.

Ecce examen apum erat in ore leonis, et favus mellis, Jud., xiv. Possunt hæc verba exponi de B. Ambrosio. Et notantur hic tria ad commendationem ejus. Primo, miraculosa apum in ore ejus apparitio ; secundo, multiplex ejus commendatio ; tertio, sanctarum Scripturarum ab eo expositio. Primum, ibi : *Ecce apparuit examen.* Ad litteram, quando jacebat in cunabulis, venit examen apum, et intravit in os ejus, et post visum est volare ad cœlum, sicut dicitur in legenda sua. Secundum, ibi : *In ore leonis.* Dicitur autem leo B. Ambrosius propter septem quæ sunt in leone. Primo, nobilitas in dignitate, quia est rex ferarum ; et iste nobilis Romanus, et princeps Liguriæ. Secundo, fortitudo in virtute ; et iste fortissimus, quia quasi totus mundus conjuravit contra eum, et obtinuit. Tertio, audacia in magnanimitate, aggreditur enim omnia ardua ; et iste audax, qui aggressus imperatorem et imperatricem, et pene universum orbem. De his duobus, Prov., xxx : *Leo fortissimus bestiarum,* ecce primum ; *ad nullius pavebit occursum,* ecce secundum. Quarto, confidentia in securitate. Prov., xxviii : *Justus quasi leo confidens erit.* Quinto, benignissimus valde, sicut dicitur in legenda sua. Sexto, ferarum timor in terribilitate ; leo enim in rugitu suo terret feras, et iste hæreticos et carnales terruit rugitu prædicationis. Amos, iii : *Leo rugiet, et quis non timebit?* Septimo, prudentia in vestigiorum suorum occultatione; occultavit enim opera per bonam intentionem. Matth., xv : *Attendite ne justitiam vestram,* etc. Tertium nota ibi : *et favus mellis.* Quadrupliciter favus mellis fuit in ore ejus. Primo, sanctarum Scripturarum expositio. Prov., xviii : *Mellis favus verba composita.* Secundo, mentis devotio. Prov., xxiii : *Comede, fili mi, mel et favum dulcissimum.* Tertio, dulcis allocutio. Cant., iv : *Mel et lac sub lingua tua.* Quarto, divinitatis fruitio. Prov., xv : *Sicut qui mel multum comedit.*

Moraliter nota illa septem quæ dicta sunt de leone et quatuor de favo sunt necessaria cuilibet justo. Debet enim quilibet studere quod habeat rectam intentionem in operatione, sanctum rugitum in oratione, pietatem in compassione, magnanimitatem in arduorum aggressione, securitatem sine malo timore, fortitudinem in perseverantia, nobilitatem in bonis moribus, verbum Dei in ore, devotionem in corde, dulcem allocutionem in lingua, perfruitionem divinitatis in oratione æternitatis, ad quam nos perducat. Amen.

SERMO XXXV.

De eodem, ex Epistola.

Ecce sacerdos magnus qui in diebus suis placuit Deo. Quære in festo sancti Nicolai.

SERMO XXXVI.

In festo Paschali.

Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus et lætemur in ea. His verbis primo solemnitas resurrectionis commendatur, ibi : *Hæc dies quam fecit Dominus;* secundo, quid sit nobis faciendum indicatur, ibi : *Exultemus,* etc.

Circa primum nota quia signanter dixit : *Hæc dies,* cum pondere, quia dies admirabilis, amabilis, desiderabilis. Admirabilem cœli prædicant, terra demonstrat, inferi clamant. Cœli angelos transmittendo, terra contremiscendo, inferi mortuos restituendo. De primo, Matth., ult. : *Angelus autem Domini descendit de cœlo.* De secundo : *Ecce terræmotus factus est magnus.* De tertio, Matth., XXVI : *Multa corpora sanctorum surrexerunt,* etc. Hæc est ergo dies admirabilis, quia in eo mors superatur, vita reparatur, aditus æternitatis reseratur. De primis duobus Gregorius in præfatione : « Qui mortem nostram moriendo destruxit, et vitam resurgendo reparavit. » De tertio, idem in oratione : « Qui hodierna die æternitatis aditum nobis devicta morte reserasti. » Est ergo admirabilis. Est et desiderabilis : a cœlis, ut reparentur ; a terris, ut illuminentur ; a mortuis, ut suscitentur ; hac enim die cœli reparantur, terra illuminatur, mortui suscitantur. Cœli reparantur, quia surrexit qui cœli ruinas reparat. Ephes., I : *In quo proposuit reparare universa, sive quæ in cœlis,* etc. Et hodie illuminatur terra lumine solis et lunæ et stellarum. Sol Christus, luna angelus, stellæ Mariæ, quæ stella interpretatur. Sol enim illuminat hanc diem luce gloriæ, angelus claritatis suæ luce, Mariæ radiis lætitiæ. Christus enim hodie gloriosus tanquam sol verus de sub terris egrediens, mundum sua gloria illuminavit; angelus de cœlo descendens, claritate sua mundum illustravit. Matth., ult. : *Erat autem aspectus ejus sicut fulgur.* Mariæ tanquam stellæ surgentes tenebras tristitiæ de cordibus apostolorum radiis lætitiæ fugaverunt. Joan., XX : *Venit Maria Magdalene annuntians discipulis,* etc. Terræ ergo illuminantur, sed et mortui suscitantur. I Cor., XV : *Nunc autem Christus surrexit a mortuis primitiæ dormientium,* etc.

Exultemus et lætemur in ea : lætemur intus in anima, exultemus extra in corpore. Intus debemus lætari tripliciter. Primo, Christo resurgenti congaudendo ; secundo, a morte cum eo resurgendo ; tertio, in spe nostræ resurrectionis hodie inchoatæ jubilando. Primum, docent nos apostoli. Lucæ, ult. : *Gavisi sunt discipuli viso Domino.* De secundo, Coloss., III : *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite.* De tertio, I Cor., XV : *Si Christus resurrexit, et nos resurgemus.* Debemus extra exultare tripliciter. Primo, in novitate vitæ, quoad morum honestatem, ambulando ; secundo, diem festum celebrando ; tertio, Christo resurgenti laudes decantando. De primo, Rom., VI :*Quomodo Christus resurrexit per gloriam Patris ;* et post : *ita et nos in novitate vitæ ambulemus.* De secundo, Exod., XIII : *Celebrabitis hanc diem,* etc. De tertio, Psal. LXVII : *Psallite Deo, qui ascendit super cœlum.* Gregorius : « Neque fas est ut hac die sileat a divinis laudibus lingua carnis, in qua caro resurrexit Auctoris. » Exultemur ergo et lætemur in die resurrectionis Christi, ut tandem cum eo lætemur in die resurrectionis nostræ.

SERMO XXXVII.

In festo sancti Georgii, ex Evangelio.

Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, etc., Lucæ, IX. Duo facit Dominus in his verbis. Primo, ad eundum post se invitat ; secundo, quæ sunt necessaria ad hoc, demonstrat.

Circa primum notanda tria : primum est euntium post eum paucitas ; secundum arbitrii libertas ; tertium magna Domini bonitas. Primum, ibi : *Si quis,* quasi dicat, rarus est qui velit. Bernardus : « Quam pauci sunt, Domine Jesu, qui post te venire velint ! quanquam nonnulli qui ad te venire velint. » Secundum, ibi : *tollat,* quasi dicat, in voluntate hominis est ire et non ire : quia si facit quod in se est, habilitando se, Deus facit quod in se est, gratiam infundendo. Eccli., XV : *Apposuit tibi bonum et malum,* etc. Tertium, ibi : *post me.* Magna

prorsus bonitas, quia omnes voluit facere de familia sua, et post se ducere. Joan., v : *Eum qui venerit ad me, non ejiciam foras.* Non sic reges et principes mundi.

Circa secundum sciendum quod tria sunt necessaria euntibus post Christum. Primum est propriæ voluntatis abnegatio ; secundum carnis mortificatio ; tertium Christi imitatio. Primum, ibi : *abneget semetipsum,* id est propriam voluntatem ; secundum, ibi : *tollat crucem suam,* id est carnis mortificationem ; tertium, ibi : *sequatur me.*

Circa primum sciendum quod maxime propter tria oportet nos relinquere propriam voluntatem. Primo, quia confundit ; secundo, quia in manum inimicorum adducit ; tertio, quia abnegatio propriæ voluntatis de inferno eripit. De primo, Oseæ, x : *Confundetur Israel a voluntate sua.* De secundo, Eccli., xviii : *A voluntate tua avertere ;* et post : *Faciet te in gaudium,* etc. De tertio, Bernardus : « Tolle propriam voluntatem, et non erit infernus. »

Circa secundum sciendum quod crucem debemus tollere in corde, ut de ea semper cogitemus ; in fronte, ut de ea gloriemur ; in toto corpore, ut mortificemur. De primo, Hebr., iii : *Recogitate eum qui adversus semetipsum talem sustinuit contradictionem,* etc. De secundo, Galat., iii : *Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi,* etc. De tertio, ibidem : *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt,* etc. II Cor., iv : *Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes,* etc.

Circa tertium sciendum quod in tribus maxime debemus eum imitari : in caritate, humilitate et benignitate. De primo, Joan., ii : *Hoc est præceptum meum ut diligatis invicem.* De secundo, Matth., xii : *Discite a me, quia mitis sum,* etc. De tertio, Ephes., v : *Estote invicem benigni, donantes vobis invicem, sicut Christus donavit vobis,* etc. Rogemus, etc.

SERMO XXXVIII.

In festo sancti Marci, ex Evangelio.

Pater meus agricola est, Joan., xv. Jesu dicit Patrem suum agricolam, quia colit multiplicem agrum. Quatuor sunt agri : mundus, Christus, justus et cœlestis paradisus. De primo, Matth., xiii : *Ager est mundus.* De secundo, Psal. xlix : *Pulchritudo agri mecum est.* De tertio, Prov., ii : *Diligenter exerce agrum tuum,* id est temetipsum : loquitur de viro justo. De quarto, Prov., xiii : *Consideravit agrum, et emit ipsum.* Augustinus : « Inardescamus, obsecro, ad possidendum agrum illum, ubi tanta pulchritudo est. »

Primum agrum, id est mundum, colit iste agricola quatuor modis. Primo, diversa semina, id est multiplices creaturas, in eo seminando. Secundo, eadem semina et creaturas multiplicando. Tertio, ne sata, id est creaturæ, deficiant, conservando. Quarto, zizania supernascentia extirpando. De primo, Matth., xx : *Seminavit bonum semen in agro suo.* De secundo, Genes., i : *Germinet terra herbam virentem,* etc. De tertio, Joan., i : *Quod factum est, in ipso vita erat.* Sap., xi : *Quomodo aliquid potest permanere, nisi tu voluisses ?* De quarto, Matth., xiii : *Colligite primum zizania,* etc. Primum facit in opere creationis ; secundum, in opere propagationis ; tertium, in opere gubernationis ; quartum, retributionis.

Agrum secundum Christus colit similiter quatuor modis. Primo, omnia virtutum semina in eo seminando ; secundo, gratiarum aquis irrigando ; tertio, ipsum fodi permittendo ; quarto, fimum sputorum et opprobriorum poni dimittendo. De primo, Gen., xxvii : *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni,* etc. De secundo, Gen., ii : *Fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, qui inde dividitur in quatuor capita.* Christus quidem dividitur in quatuor capita, quia *de plenitudine ejus omnes accepimus.* Joan., i : *Vidimus gloriam ejus,* etc. De tertio, Psal. xxi : *Foderunt manus meas,* etc. De quarto, illud Psal. lxviii : *Infixus sum in limo profundi ;* et Thren., ii : *Saturabitur opprobriis.*

Agrum tertium, id est justum, colit similiter quatuor modis. Primo, fructificationem vitiorum extirpando ; secundo, aratro contritionis scindendo ; tertio, semina virtutum seminando ; quarto, aquis lacrymarum irrigando. De primo, Boetius : « Qui serere volet ingenuum agrum, liberet arva fructibus. » De tertio et secundo, Isa., xxviii : *Numquid quotidie arabit arans ?* et post : *Seret gith et cyminum.* De quarto, Eccli., xxiv : *Rigabo hortum meum.*

Agrum quartum, id est paradisum, colit quatuor modis. Primo, malas herbas extirpando, id est dæmones. Secundo, arbo-

res pulcherrimas, id est ordines angelorum, in eo plantando. Tertio, flores pulcherrimos, id est lilia virginum, et rosas martyrum, et violas confessorum, in eo plantando. Quarto, fluminibus gaudiorum irrigando. De primo, Apocal., XII : *Projectus est draco ille magnus*, etc. *Propterea lætamini cœli,* etc. De secundo, Ezech., XXXI : *Cedri non fuerunt altiores illo in paradiso Dei*. De tertio, Cant., II : *Flores apparuerunt in terra nostra*. Cant., IV : *Dilectus meus, qui pascitur inter lilia*. De quarto, Ezech., XLV : *Ecce aqua redundat,* etc.

Primus fluvius est gaudium de creatura corporali ; secundus, de societate angelorum ; tertius, de Christo homine ; quartus, de gloria divinitatis ; et istud non potest transmeari, quia infinitum est, etc. Rogemus, etc.

SERMO XXXIX.

De eodem, ex Evangelio.

In domo Patris mei mansiones multæ sunt, Joan., XIV. Domus ista est vita æterna. Psal. CXXI : *In domum Domini lætantes ibimus*. In hac domo possumus distinguere sex mansiones. Tres sunt angelorum et tres sanctorum.

In prima mansione stat superior hierarchia, quæ continet tres cameras. In prima calor, in secunda splendor, in tertia quies : quia in prima seraphim, in secunda cherubim, in tertia throni. In secunda mansione stat media hierarchia, quæ continet tres cameras. In prima exhibetur Regi reverentia, in secunda dantur Regis imperia, in tertia sunt milites qui exercent prælia. In prima principatus, qui docent reverentiam ; in secunda dominationes, quæ distribuunt dominia ; in tertia potestates, quæ arcent potestates aereas. In tertia mansione est tertia hierarchia, quæ continet tres cameras. In prima declaratur Regis majestas ; in secunda revelantur ejus secreta ; in tertia nuntiatur ejus voluntas. In prima sunt virtutes, quæ miracula faciunt ; in secunda archangeli, qui majora secreta prædicant ; in tertia angeli, qui Dei voluntatem nuntiant hominibus. Istæ sunt mansiones angelorum.

Sunt ibi et mansiones sanctorum. In prima stant milites, quorum fortitudine Ecclesia defensatur ; in secunda sapientes, quorum consiliis gubernatur ; in tertia domicelli et domicellæ, quorum pulchritudine decoratur. In prima sunt martyres, in secunda confessores, in tertia virgines. In prima mansione militum sunt tres cameræ. Alii enim pugnant pro amore Regis, alii pro defensione Regis, alii pro zelo justitiæ. Quidam enim sunt martyres pro fide, quidam pro doctrina, quidam pro justitia. Primi mortui sunt pro Christi amore, ut Stephanus et alii plures : isti pertinent ad seraphim ; quidam pro doctrina, ut prophetæ : isti pertinent ad cherubim ; quidam pro justitia, ut Joannes Baptista, et plures alii : isti pertinent ad thronos, ad quos pertinet justitia. In secunda mansione continentur similiter tres mansiones. Confessorum enim quidam sunt religiosi, quidam prælati, quidam conjugati. Primi pertinent ad principatum, secundi ad dominationes, tertii ad potestates. In tertia autem mansione sunt similiter tres cameræ. Virgines enim quædam sunt mulieres, quidam homines, et quidam pueri ; mulieres ad virtutes, homines ad archangelos, pueri ad angelos pertinent. Videat quilibet in quo ordine est et quam cameram habebit in cœlo.

Sunt autem sex quæ nos debent movere ut curramus ad domum istam. Primo, magnitudo. Baruch., III : *O Israel, quam magna est domus Dei?* Secundo, pulchritudo, Psal. XXIII : *Domine, dilexi decorem domus tuæ et locum habitationis tuæ*. Tertio, abundantia gloriæ. Psal. CXI : *Gloria et divitiæ in domo ejus*. Quarto, lætitia. Psal. CXXI : *In domum Domini lætantes ibimus*. Quinto, laus continua. Psal. LXXXIII : *Qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te*. Sexto, æternitas. II Cor., V : *Domum habemus non manufactam, æternam in cœlis,* etc.

SERMO XL.

In Inventione sanctæ Crucis, ex Epistola.

Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, Galat., VI. Gloriari oportet in cruce tribus modis. Gloriari in cruce, id est in amore Christi, quem ostendit nobis in cruce ; vel gloriari in cruce, id est in imitatione.

Circa primum sciendum quod in quinque ostendit maxime amorem suum nobis in cruce. Primo, quia dilexit nos plus quam

Matrem, cujus dolorem pro nobis contempsit. Secundo, plusquam proprium sanguinem, quem pro nostra ablutione fudit. Tertio plusquam animam, quam pro nostra redemptione posuit. Quarto, plusquam vitam suam, quam ut nos vivificaret dedit. Quinto, plusquam corpus proprium, quod percutienti, ne homo percuteretur, apposuit. De primo, Luc., II : *Tuam ipsius animam pertransibit gladius*. De secundo, Apoc., II : *Qui dilexit, et lavit nos in sanguine suo*. De tertio, Joan., XV : *Majorem caritatem nemo habet ut animam suam ponat quis pro amicis suis*. De quarto : « Qui mortem nostram moriendo destruxit, » etc. De quinto, Isa., XXXV : *Propter scelus populi mei percussi eum*.

Circa secundum sciendum est quod quinque bona maxime fecit Christus in cruce. Primum est quod ab inferno liberavit; secundum, quia virtutem peccati debilitavit; tertium, quia diabolum expugnavit; quartum, quia mortem superavit; quintum, quia cœlum reseravit. De primo et quarto, Oseæ, XIII : *Ero mors tua, o mors*, etc. De secundo, Rom., VI : *Vetus homo noster crucifixus est*, etc. De tertio, Hebr., III : *Ut per mortem destrueret eum qui mortis habebat imperium*. De quinto, Isa., XXIII : *Dabo ei clavem David, super humerum ejus*, etc. David Christus, domus est paradisus, clavis est crux, quam ad litteram portavit super humerum suum. Joan., XIX : *Et bajulans sibi crucem*, etc.

Circa tertium sciendum quod quinque maxime ostendit in cruce, in quibus ipsum imitari debemus. Primo, in caritate. Joan., XV : *Majorem caritatem nemo habet*. Secundo, in humilitate. Tertio, in obedientia. De his, Philipp., II : *Humiliavit semetipsum factus obediens*, etc. Quarto, in patientia. I Petr., II : *Qui cum malediceretur, non maledicebat*. Quinto, in mansuetudine, Jer., XII : *Ego quasi agnus mansuetus ad occisionem ductus*, etc.

SERMO XLI.

In festo sancti Joannis ante portam Latinam, ex Evangelio.

Vidit illum discipulum quem diligebat Jesus, Joan., ult. Commendatur in hoc evangelio B. Joannes a sex. Primo, ab humilitate, ibi : *discipulum*, secundo, a Dei caritate ibi : *quem diligebat*; tertio a Dei familiaritate, ibi : *qui recubuit*; quarto, ab amoris suavitate, ibi : *sic eum volo manere*, hoc est sine martyrio transire ; quinto, a sapientiæ profunditate, ibi : *qui testimonium perhibet de his*, scilicet tam profundis; sexto, a testimonii veritate, ibi : *et scimus quia verum est testimonium ejus*.

Moraliter vidit illum discipulum quem diligebat Jesus, qui dilexit lectiones quas ipse docuit. Sunt autem novem quæ Scriptura docet nos facere. Primum, a malo discedere. Deut., IV : *Discant timere Deum*. In timore autem Domini declinatur a malo, sicut dicitur Eccli., I. Secundo, de malis præteritis justitiam facere. Isa., XXVI : *Misereamur impio, et non discet justitiam*. Gregorius : « Justus debet discere ejus justitiam. » Tertio, bonum cognoscere. Deut., VI : *Discite ea*; loquitur de mandatis. Quarto, in bono delectari. Prov., V : *Discite sapientiam*, quæ est cognitio cum gustu. Quinto, bene operari. Isaiæ, I : *Discite bene facere*. Sexto, in omnibus bene conversari. Eccli., XVI : *Audi me, fili, et disce disciplinam sensus*. Septimo, in omnibus operibus rectam intentionem habere. Sap., IX : *Quæ tibi placent, didicerent homines*. Octavo, in omnibus bonis humiliari. Matth., XI : *Discite a me, quia mitis sum*. Nono, regno Dei approximari. Matth., XXIII : *Ab arbore fici discite parabolam*. Ista novem sunt necessaria, et sufficiunt ad salutem. Primo, necesse est ut quis a malo recedat; secundo, ut pœnitentiam agat; tertio, quod bonum faciendum cognoscat; quarto, quod bonum ipsum sibi sapiat; quinto, quod bonum cognitum faciat; sexto, quod bene exterius conversetur; septimo, quod in omnibus bonam intentionem habeat; octavo, quod de bonis non superbiat; nono, quod mercedem de istis omnibus accipiet, ne deficiat, recogitet. Beatus iste discipulus qui ista didicerit. Psal. XCIII : *Beatus homo quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum*.

SERMO XLII.

In festo sancti Barnabæ apostoli, ex Epistola.

Barnabas erat vir bonus, plenus Spiritu sancto et fide, Act., XI. Duo sunt necessaria homini : interior perfectio et exterior conversatio. Primum, propter se; secundum, propter proximum. Interior perfectio con-

sistit in duobus : scilicet in cognitione veritatis et dilectione bonitatis. Primum est perfectio intellectus; secundum, perfectio affectus. Exterior conversatio consistit in duobus : scilicet in actuum unitate et morum gravitate. Hæc quatuor dicuntur in his verbis ad commendationem beati Barnabæ : intellectus illuminatio, affectus inflammatio, actuum utilitas et morum gravitas. Primum, ibi : *plenus fide.* Fides est lumen intellectus. Augustinus : « Fides est illuminatio veritatis, qua quis illuminatur a prima luce ad vivendum spiritualia. Secundum, ibi : *plenus Spiritu sancto.* Spiritus sanctus dicitur amor et donum, in quo omnia dona donantur, sicut dicit Augustinus. Recte dicitur plenus Spiritu sancto, quia plenus caritate. Rom., v : *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris.* Tertium, ibi : « Vir sapiens, » gravis, non puer levis. Psal. xxxiv : *In populo gravi laudabo te.* Quartum notatur ibi : *bonus.* Bonum est sicut dicit Dionysius, diffusivum sui; unde per hoc notatur utilitas actionis, in qua homo se effundit; dicitur enim bonum dupliciter : essentialiter et per participationem. Primum de creatore tantum. Matth., xix : *Unus est bonus Deus,* solummodo dicitur de Creatore. Bonum per participationem dicitur de creatura sex modis. Primum bonum vere, id est rei secundum quod est. Secundum bonum ex genere, seu existentia respectu finis. Tertium bonum actionis ex debita circumstantia ad finem tamen in se. Quartum bonum actionis hominis. Quintum bonum gratiæ, id est meriti. Sextum bonum gloriæ. Hæc omnia bona habuit beatus Barnabas; unde proprie est dictus *bonus vir,* etc. Rogemus, etc.

SERMO XLIII.

In festo Ascensionis.

Viri Galilæi, quid admiramini aspicientes in cœlum? etc., Act., i. Tria faciunt angeli in verbis istis : tollunt admirationem, asserunt ascensionem, prædicant reversionem.

Primum, ibi : *quid statis aspicientes in cœlum?* Circa quod notantur quatuor. Aspiciebant apostoli stupentes, dolentes, timentes, confidentes. Stupebant de ascensione, quæ in tanta gloria et virtute fiebat, de quo etiam stupebant ipsi angeli. Isaiæ, xliii : *Quis est iste?* Et nota hic virtutem ascensionis et differentiam ab aliis qui assumpti sunt a terra. Dolebant de discessione, quia discedebat ab eis tantus consolatur. Joan., xvi : *Plorabitis et flebitis vos, mundus autem gaudebit.* Tob., x : *Heu me? fili mi, ut quid te misimus peregrinari, lumen oculorum nostrorum?* etc., et est vox Ecclesiæ hodie in persona apostolorum. Timebant de mundi persecutione, quia remanebant soli inter pressuras mundi, de qua prædixerat eis. Joan., xvi : *In mundo pressuram habebitis.* Confidebant de promissione. Joan., xiv : *Vado ad Patrem* per corporalem subtractionem; *et veniam ad vos* per Spiritus sancti missionem. Joan., xiv : *Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis.* Matth., ult. : *Ego vobiscum sum.* Secundum, ibi : *Hic Jesus qui assumptus est.* Circa quod notantur quatuor in modo. Assumptus est enim videntibus apostolis. Actuum, i : *Ecce duo viri astiterunt juxta illos,* etc. Mediante nube; i Actuum : *Et nubes suscepit eum ab oculis eorum.* Considerandum enim est unde assumptus, quia de terra; quo assumptus, quia in cœlum; qua via, quia per aerem; quis assumptus, quia Jesus Christus; ut sic ex omni parte omnia attestentur merita assumptionis : terra per apostolos, cœlum per angelos, Deus per nubem, ipse Jesus per manuum elevationem, ut ostenderetur, quia iste idem ascendebat in carne, qui crucifixus fuerat et resurrexerat. Et per hæc quatuor potes similiter procedere ad ædificationem communem.

Tertium nota ibi : *Sic veniet.* Circa adventum ad judicium nota quatuor, secundum illa quatuor ostensa in modo ascendendi. Unde *sic veniet, quemadmodum,* sic scilicet videntibus tam justis quam impiis, mediante nube; *elevatis manibus,* ad percutiendum scilicet peccatores, astantibus angelis, qui præcedent portando insignia passionis. Et congregabuntur ad judicium omnes. Matth., xxiv : *Et videbunt Filium,* ecce primum; *venientem in nubibus,* ecce secundum; *cum virtute magna et potestate,* ecce tertium; *et mittet angelos suos,* ecce quartum; et procedet super his dies judicii, etc.

SERMO XLIV.

In vigilia Pentecostes.

Spiritus Domini ornavit cœlos, Job, XXVI. Per cœlos intelliguntur apostoli, propter tria quæ sunt in cœlis. Primo propter motum continuum in cœlis; ita enim motus continuus in apostolis fuit, quia per universum orbem discurrerunt. Joan., XV : *Posui vos ut eatis,* etc. Secundo, propter ordinem ; est enim ordo in cœlis. Job, XIII : *Numquid nosti ordinem cœli?* Sic ordo fuit in apostolis, quia omnia ordinate faciebant, et nihil inordinatum. I Cor., XIV : *Omnia secundum ordinem fiant in vobis.* Tertio, propter concordiam; habent enim cœli concordiam. Job, XV : *Qui facit concordiam in sublimibus suis;* ita discipuli Domini abrenuntiando omnia. Actuum, IV : *Erat illis cor unum et anima una.* Istos cœlos ornavit Spiritus Domini stellis; ornamentum enim cœlorum stellæ sunt. Eccli., XLIII : *Species cœli gloria stellarum;* posuit enim in eis quinque ordines stellarum. Primus ordo, virtutes theologicæ. I Cor., XIII : *Nunc manent fides, spes, caritas, tria hæc.* Secundus, virtutes politicæ. Sap., VIII : *Sobrietatem et sapientiam docet et virtutem; quibus nihil est in vita utilius.* Tertius, septem dona Spiritus. Isa., XI : *Requiescet super eum Spiritus Domini,* et cætera quæ ibi sunt. Quartus, octo beatitudines. Matth. : *Beati pauperes, beati mites,* et per totum. Quintus, duodecim fructus Spiritus sancti. Galat., V : *Fructus autem spiritus sunt gaudium,* etc. Isti ordines virtutum designantur per quinque ordines stellarum, de quibus dicitur Job, IX : *Qui facit arcturum et oriona, hyadias, et interiora austri.* De sexto, Job, XXXVIII : *Numquid conjungere valebis micantes pleiadas,* etc.

SERMO XLV.

In die Pentecostes.

Paraclitus Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ipse vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, Joan., XIV. In his verbis circa missionem Spiritus sancti tria notantur. Primo, mittentium eum auctoritas, ibi : *quem mittet Pater in nomine meo;* secundo, missi benignitas, ibi : *Paraclitus;* tertio, missionis utilitas, ibi : *docebit et suggeret.*

Circa primum ostenditur quod mittentes sunt Pater et Filius; spirant enim Spiritum sanctum, et Spiritus sanctus una notione procedit a Patre et Filio. Joan., XVI : *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre.* Si spirare est mittere eum, et Pater mittit et Filius; vide ergo quod Pater et Filius spirant Spiritum sanctum, et sic tota Trinitas; Pater mittens, et Filius per quem mittitur, et Spiritus sanctus qui mittitur.

Benignitas missi notatur, ibi : *Paraclitus,* quod interpretatur consolator vel advocatus, quia ista duo sunt specialiter officia bonitatis, et bonitas attribuitur Spiritui sancto; ideo ipse dicitur consolator in miseriis et advocatus in beneficiis. Advocatus in beneficiis, quia lex divinæ bonitatis, quam Spiritus sanctus allegavit pro nobis (quia sibi attribuitur bonitas) causa est, qua fluunt in nos beneficia Dei. Defluunt autem tria beneficia. Primo, naturæ. Psal. CIII : *Emitte Spiritum tuum, et creabuntur;* in quo declaratur quia a Spiritu sancto fluunt beneficia naturæ. Secundo, gratiæ. Rom., V : *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris,* etc. Tertio, gloriæ, Rom., XIV : *Regnum Dei non est esca et potus, sed gaudium in Spiritu sancto.* Advocat ergo in beneficiis, et consolatur in miseriis tripliciter. Primo, cœlestes consolationes in tribulationibus largiendo. I Tim., I : *In tribulatione multa cum gaudio Spiritus sancti.* Secundo, bona charismatum in tribulationibus augmentando. Rom., V : *Gloriamur in tribulationibus, scientes quoniam tribulatio patientiam operatur,* etc. Psal. IV : *In tribulatione dilatasti mihi.* Tertio, quanta sint gaudia, quæ pro istis tribuuntur, demonstrando. Rom., VIII : *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam,* etc.

Tertium est docere nos, ibi : *omnia suggeret.* Duplex utilitas missionis; prima bonum docet, secunda, ad bonum movet; prima, ut bonum cognoscamus; secunda, ut faciamus. Primum, ibi : *docebit vos omnia.* Sunt autem quinque scientiæ necessariæ ad salutem. Primo, Deus timere; secundo, a malo recedere; tertio, bona facere; quarto, mala pati; quinto, in his perseverare. Ista est scientia sanctorum. De primis duobus, Job, XXVIII : *Ecce timor Domini ipsa est sapientia, et recedere a malo intelligentia.* De aliis tribus, Augustinus : « Sapientia sanctorum est benefacere et mala pati, et in his perseverare. » Secun-

dum, ibi : *et suggeret,* etc. Movet ad bonum, et suggerit illud tripliciter. Primo, quasi compellendo. Isa., xxx : *Spiritus ejus velut torrens inundans,* etc. II Cor., v : *Caritas Dei urget nos.* Secundo, alliciendo. Sap., xii : *O quam bonus et suavis est, Domine, Spiritus tuus in omnibus!* Tertio, seipsum pignus pro mercedis certitudine tribuendo. II Cor., i : *Qui dedit pignus Spiritus in cordibus nostris;* quod pignus æquale est rei; secundo, est de re, ita quod qui habet pignus Spiritus hæreditatis, securus est quod perveniet ad hæreditatem cœlestem, ad quam, etc.

SERMO XLVI.

In festo sanctæ Trinitatis, ex Epistola.

O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt in justitia ejus, et investigabiles viæ ejus! Rom., xi. Tria notantur in istis verbis quæ considerantur in Deo, scilicet divinitas, unitas, trinitas; vel sic, divinitas, et in divinitate trinitas, et in trinitate unitas. Divinitas majestatis, trinitas personarum, unitas essentiæ, et hoc secundum quod tripliciter contingit errare circa Deum. Quidam enim errant circa divinitatem ejus, non ponentes esse Deum. Psal. xiii : *Dixit insipiens in corde suo : Non est Deus,* etc. Vel quod Dei est, attribuentes creaturæ, et colentes eam pro Deo, Rom., i. Quidam circa trinitatem, negantes personarum trinitatem esse in Deo. Quidam circa unitatem, ponentes multitudinem deorum.

Primum ergo, scilicet divinitas, notatur, ibi : *O altitudo divitiarum,* etc. Circa quod notandum tria quæ sunt in Deo, scilicet altitudo, plenitudo et latitudo; et hæc secundum tria quæ sunt in Deo, scilicet natura, virtus et operatio. Est quoque altus in natura, sic enim habitat lucem inaccessibilem; et plenus in virtute, sic sunt apud eum divitiæ sapientiæ ; latus et immensus in operatione, sic sunt judicia ejus incomprehensibilia, et viæ ejus investigabiles. Judicia quibus disponit, viæ per quas exequitur suas operationes. Et ad hæc tria possunt referri tria quæ sequuntur post hæc verba immediate : *Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? aut quis prior dedit ei, et retribuetur ei?* Adapta singula singulis.

Secundum, scilicet trinitas : *quoniam ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia.* Circa quod nota similiter quod tripliciter distinguuntur personæ divinæ. Aliquando per propria personarum, ut cum dicitur Pater, et Filius, et Spiritus sanctus; aliquando per appropriata Patris, ut enim per potentiam intelligitur Pater, per sapientiam Filius, per bonitatem Spiritus sanctus. Rom., i : *Invisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Aliquando per notas naturaliter ex adjuncto significantes distinctionem in personnis, sicut hic : *ex ipso; ex* enim notat auctoritatem principii; et ideo : *ex ipso* intelligitur Pater, apud quem est fons et origo divinitatis. *Per* notat modum operationis; et ideo in hoc *per ipsum* intelligitur Filius, per quem operationes operatur. *In* notat conservationem in esse; et ideo per hoc *in ipso* intelligitur Spiritus sanctus.

Tertium, unitas, ibi : *Ipsi gloria.* Non dixit « ipsis, » sed *ipsi.* Circa quod similiter notanda tria, secundum quæ similiter tripliciter debet sibi referri gloria, scilicet gloria cordis, gloria oris, gloria operis. Vel gloria una propter creationem, gloria altera per redemptionem, gloria tertia per glorificationem, etc.

SERMO XLVII.

De eadem.

Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum et Spiritus sanctus, I Joan., ult. Moraliter per cœlum intelliguntur sancti, et dicuntur cœlum propter septem. Primo, propter continuum motum de virtute in virtutem. Psal. lxxxiii : *Ibunt de virtute in virtutem.* Secundo, propter concordiam. Job, xxvi : *Qui facit concordiam in sublimibus suis.* Ephes., iii : *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis.* Act., i : *Erat illis cor unum,* etc. Tertio, propter ordinem. Job, xxxiii : *Numquid nosti ordinem cœli?* I Cor., xiv : *Omnia secundum ordinem fiant in vobis.* Quarto, quia casa illos, id est Dei. I Cor., iv : *Nescitis quia templum Dei estis?* Quinto, propter conversationem cœlestem. Philip., iv : *Nostra conversatio est in cœlis.* Sexto, quia semper habent cor in cœlo. Matth., vii : *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo;* item : *Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.* Septimo,

quia habent solem, et lunam, et stellas : solem caritatis, lunam fidei et stellas aliarum virtutum.

In isto cœlo dant testimonium Pater, Verbum et Spiritus sanctus tripliciter. Primo, secundum naturam in creatione; secundo, secundum gratiam in justificatione; tertio, secundum gloriam in glorificatione. In creatione Pater per memoriam, Filius per intelligentiam, Spiritus sanctus per voluntatem vel notitiam, memoriam vel amorem.

In justificatione Pater dat testimonium ponendo potentiam, Filius sapientiam, Spiritus sanctus benignitatem. Potentia sanctorum apparet in tribus : quia potentes ad pugnandum, et ad laborandum, et ad sperandum. De primo, Hebr., XI : *Fortes facti sunt in bello.* De secundo, Phil., IV : *Omnia possum in eo qui me confortat.* De tertio, Isa., XL : *Qui autem sperant in Domino, mutabant fortitudinem,* etc. Sapientia sanctorum apparet in tribus. Primo, in conversatione. Eccli., VIII : *Sapientia hominis relucet in vultu ejus.* Secundo, in locutione. Eccli., XXII : *Sapiens in verbis seipsum amabilem facit.* Prov., XV : *Lingua sapientis disseminat sapientiam.* Tertio, in injuriarum perpessione. Prov., XIX : *Doctrina autem viri per patientiam dignoscitur.* Bonitas sanctorum apparet in tribus. Primo, in sui effusione. Dionysius : « Bonum est sui effusivum. » Secundo, in benignitatis ostensione. II Cor., XII : *Libenter impendam et superimpendar ergo ipse pro animabus vestris.* Tertio, in optimorum adductione. Dionysius : « Optimi est optima adducere. »

In glorificatione Pater dat testimonium in cœlo, id est in sanctis per æternitatem. Matth., XIX : *Vitam æternam do eis.* Dan., XII : *Fulgebunt justi tanquam stellæ in perpetuas æternitates.* Et per æternitatem dabit omnem scientiam. Augustinus : « Habemus unum doctorem in cœlis, quem semel vidisse, totum didicisse est. Dabit et gloriam. Psal. LXXXIII : *Gratiam et gloriam dabit Dominus.* Ad quam nos, etc.

SERMO XLVIII.

In festo sancti Joannis Baptistæ, ex Evangelio.

Quis, putas, puer iste erit? Lucæ, I. Et potest responderi interrogationi, quia sponsus speciosus, et gratiosus, et gloriosus. Sponsus speciosus, propter virginitatis candorem, martyrii ruborem et admirabilem circa Christum pulchritudinem, et similitudinem, et figurationem. De primo, Lucæ, I : *Puer erat in deserto.* De secundo, Marc., VI : *Misso spiculatore, fecit amputari caput Joannis.* Tertio, quod tantam habuit similitudinem cum Christo quod fuit creditus Christus. Luc., III : *Existimante autem omni populo, et cogitantibus omnibus in cordibus suis de Joanne, ne forte ipse esset Christus.* Ergo speciosus.

Est et gratiosus propter utilitatem. Sanctus enim fuit, quia plenus Spiritus sancti gratia. Lucæ, I : *Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ.* Quia vestitus nimia vestimentorum duritia. Marc., I : *Erat Joannes vestitus de pilis camelorum.* Quia præditus nimia abstinentia. Ibid. : *Esca ejus erat locusta,* etc. Humilis fuit in baptizatione. Matth., IV : *Ego a te debeo baptizari,* etc. In sua pharisæis responsione. Joan., I : *Ego vox clamantis in deserto,* etc. In discipulorum eruditione. Joan., III : *Illum oportet crescere, me autem minui,* etc. Utilis fuit in baptizando. Matth., III : *Tunc exhibant ad eum omnes ... et baptizabantur ab eo.* Prædicando et conversando. De his duobus, Joan., V : *Ille erat lucerna ardens,* per exemplum, « lucens » per verbum.

Item fuit gloriosus per dignitatem, quæ apparet propter novem. Primo, quia antea est prophetatus. Malach., III : *Ecce ego mitto angelum meum.* Secundo, quia ab angelo nuntiatus. Lucæ, I : *Elisabeth uxor tua pariet tibi filium.* Tertio, quia miraculose generatus. Lucæ, I : *Et non erat eis filius, eo quod esset Elisabeth sterilis, et ambo processissent in diebus suis.* Quarto, quia in utero sanctificatus. Luc., I : *Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ.* Quinto, quia cum multis miraculis natus. Luc., I : *Apertum est autem illico os ejus, et prophetavit.* Sexto, quia ante Dominum. Matth., II : *Hic est de quo scriptum est : Ecce ego mitto angelum meum.* Septimo, quia præcursor Regis. Luc., I : *Ipse præibit ante illum.* Octavo, quia baptizavit Christum. Matth., III : *Venit Jesus a Galilæa in Jordanem ad Joannem, ut baptizaretur ab eo.* Nono, quia testis lucis. Joan., I : *Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine.*

Moraliter autem, si quis vult venire ad gloriam æternitatis, necesse est ut studeat

esse puer, id est purus. In tribus necessaria est puritas. Primo, in corde; secundo, in ore; tertio, in manu. Puritas cordis est voluntatis. De primo, Jac., IV : *Purificate corda duplices animo.* De secundo, Prov., XV : *Sermo purus pulcherrimus.* De tertio, I Tim., II : *Levantes puras manus,* etc. Rogemus, etc.

SERMO XLIX.

In festo SS. Joannis et Pauli, ex Epistola

Propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oves occisionis, Rom., VIII. In verbis istis quinque notantur. Primo, recta sanctorum intentio, ibi : *Propter te,* non propter inanem gloriam, sicut hypocritæ. Matth., XII : *Exterminant facies suas, ut videantur ab hominibus.* Secundo, eorum mortificatio, ibi : *mortificamur.* Mortificantur autem sancti multis modis. Primo, cum vitiis seipsos macerando. Coloss., III : *Mortificate membra vestra.* Secundo, carnem spiritui subjiciendo. Rom., VIII : *Si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Tertio, se Christi passioni configurando. II Cor., III : *Semper mortificationem Jesu Christi in corpore nostro circumferentes.* Quarto, detractionum malignitatem tolerando. Psalm. CVIII, ubi loquitur de detractore : *Compunctum corde mortificare.* Quinto, inimicorum persecutione sustinendo. Psal. XXXVI : *Considerat peccator justum et quærit mortificare.* Tertio, mortificationis continuatio, ibi : *tota die,* hoc est usque ad finem; non sicut illi de quibus dicitur Gal., V : *Sic stulti estis, ut cum spiritu cœperitis, nunc carne consumamini?* Quarto, eorum ab impiis irrisio, ibi : *Æstimati sumus sicut oves occisionis.* Oves occisa tota est utilis. Est enim utilis pellis ad vestiendum, caro ad victum, fibræ ad musicum instrumentum. Quinto, ex magna mortificatione utilitatis consecutio, ibi : *occisionis.* Est enim utilitas in pelle propter pauperum subventionem. In carne, carnalis proximorum mortificatio. Gal., V : *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.* Fibræ sunt potentiæ animæ, ex quibus fit musicum instrumentum ad laudandum Deum. Ephes., V : *Cantantes et psallentes in cordibus vestris Deo.* Hæc omnia convenire possunt istis gloriosis sanctis, etc.

SERMO L.

In festo SS. Apostolorum Petri et Pauli.

Sol vertetur in tenebras et luna in sanguinem, Joel, III. Possunt hæc verba exponi de beatorum apostolorum Petri et Pauli festivitate. Per solem intelligitur Petrus, per lunam Paulus. Gen., I : *Fecit Deus duo magna luminaria,* etc.

Significat autem sol Petrum propter tria : quia sol est fons splendoris, fornax ardoris et causa generationis. Fons splendoris fuit in cognitione, fornax ardoris in amore, causa generationis in prædicatione. De primo, Matth., XVI : *Beatus es Simon, Barjona,* etc. De secundo, Joan., ult. : *Domine, tu scis quia amo te.* De tertio, Luc., V : *Ex hoc eris homines capiens.* Quot homines cepit, tot filios Domino generavit. Propter primum dictus est Petrus, id est cognoscens. Propter secundum dictus est Simon, id est obediens; mandatum enim spiritualiter datum, cui est obediendum, est obedientia. Joan., XV : *Hoc est præceptum meum ut diligatis invicem.* Propter tertium dictus est Cephas, id est caput Ecclesiæ, cujus generationis causa fuit prædicando. De isto sole dicitur Eccli., XLIII : *Sol in aspectu annuntians in exitu,* etc. Conversus autem fuit sol iste in tenebras tripliciter. Culpæ in negatione. Marc., XIV : *Tunc cœpit abnegare, et detestari, quia non novi hominem.* Mœstitiæ in ploratione. Matth., XXVI : *Egressus foras, flevit amare.* Pœnæ in passione. Joan., XXI : *Cum autem senueris, alius præcinget te, et ducet quo tu non vis.*

Paulus dicitur luna similiter propter tria : quia lux noctis, fons roris et causa frigidationis. Lux noctis, erroris tenebras illuminando. Rom., III : *Abjicite opera tenebrarum,* etc. Patet per diversas epistolas suas quam diversos errores expulerit. Fons roris, gratiam prædicando. Ephes., II : *Gratia enim estis salvati.* Patet quasi in omnibus verbis suis gratiam prædicando. Causa frigidationis, virginitatem commendando. I Cor., VII : *De virginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium autem do,* et cætera per totum. Item fuit luna in se, tenebras noctis et erroris expellendo. Fons roris, gratiam suscipiendo. I Cor., XV : *Gratia Dei sum id quod sum.* Causa frigidationis, virginitatem vel castitatem conservando. I Corinth., VII : *Volo autem*

omnes homines esse sicut meipsum, etc. : loquitur de castitate. Item Eccli., XLIII : *In omni tempore suo,* etc. Ista luna versa fuit in triplicem sanguinem. Homicidii in Stephani lapidatione. Actuum, XXII : *Et cum effunderetur sanguis Stephani testis tui, ego astabam, et consentiebam, et custodiebam vestimenta interficientium illum.* In sua flagellatione. I Cor., II : *Ter virgis cesus sum;* et in capitis abcissione, ut patet in legenda sua. Moraliter sol intellectus, luna voluntas. Sol, id est intellectus, convertitur in tenebras erroris; luna, id est voluntas, in sanguinem peccati, etc.

SERMO LI.

In Commemoratione sancti Pauli.

Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi : de reliquo reposita est mihi corona justitiæ, II Tim., III. In istis quatuor clausulis quatuor notantur in beato Paulo ad commendationem ipsius. Primum est probitas, ibi : *Bonum certamen certavi;* secundum, velocitas, ibi : *cursum consummavi;* tertium, fidelitas, ibi : *fidem servavi;* quartum, dignitas, ibi : *de reliquo reposita est mihi corona justitiæ.*

Circa primum sciendum est quod triplex certamen beatus Paulus habuit. Primum, hostile paganorum. I Cor., XV : *Adversus bestias pugnavi Ephesi.* Secundum, civile Judæorum. I Thess., II : *Sicut et ipsi a Judæis, qui et Dominum occiderunt Jesum et prophetas, et nos persecuti sunt.* Tertium, intestinum falsorum christianorum. II Cor., XI : *Periculis in falsis fratribus.*

Circa secundum sciendum quod tripliciter cursum consummavit. Cucurrit enim primo, in mundo prædicando. Gal., I : *Contuli cum eis Evangelium, ne forte in vanum currerem,* etc. Secundo, in cœlo conversando. Philipp., III : *Nostra conversatio in cœlis est.* II Cor., XI : *Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim (sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit) raptum hujusmodi usque ad tertium cœlum.* Tertio, in paradiso contemplando. Ibidem : *Scio hominem, quoniam raptus est in paradisum.*

Circa tertium sciendum est quod in tribus maxime apparuit et servavit fidem. Primo, se totum in servitium Dei sui exponendo. Galat., II : *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum.* Secundo, regnum ejus fortiter augmentando. Rom., XV : *Usque in Illyricum replevi Evangelium Christi.* Tertio, omnia ei attribuendo. I Cor., XV : *Gratia Dei sum id quod sum.*

Circa quartum sciendum est quod beatus Paulus meruit coronam auream et aureolam. Auream pro labore caritatis. I Cor., IX : *Omnis quidem qui in agone contendit ..... illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam,* etc. Aureolam meruit triplicem : virginitatis, martyrii et prædicationis. Prima est meritum concupiscibilis; secunda, irascibilis; tertia, rationalis, etc. Fuit enim ipse virgo, sicut dicitur I Cor., VII : *Volo omnes homines esse sicut meipsum.* Fuit prædicator; unde II Tim., I, dicitur magister gentium : *In quo positus sum ego prædicator et apostolus et magister gentium in fide et veritate.* Fuit et martyr, sicut patet in legenda sua.

Nos quoque si bonum certamen certaverimus, perveniemus ad coronam æternam. De qua corona require in festo sancti Stephani, etc.

SERMO LII.

De beata Margarita.

Inventa una pretiosa margarita, abiit, et vendidit omnia quæ habuit, et emit eam, Matth., XIII. In his verbis tria dicuntur. Primum, margaritæ inventio; secundum, margaritæ commendatio; tertium, ejusdem margaritæ emptio. Primum, ibi : *Inventa;* secundum, ibi : *pretiosa;* tertium, ibi : *vendidit omnia*, etc. Per margaritam istam intelligitur Dei Filius. Dicitur autem Christus margarita propter quinque. Primo, quia parvus per humilitatem. Matth., XI : *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde,* etc. Secundo, candidus propter puritatem. I Petr., II : *Qui peccatum non fecit.* Tertio, quia solidus per sanctitatem. Dan., IX : *Ungatur sanctus sanctorum.* Pretiosus per deitatem. Rom., IX : *Qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.* Quinto, rore cœli conceptus, id est operatione Spiritus sancti. Lucæ, I : *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Talis margarita est lapis parvus, invenitur in profundo maris, in ventre piscis, et in mensa campsoris. In his tribus locis consuevit inveniri margarita; sic Christus invenitur in mari, id est Maria, per incarnationem. *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei,* Luc., I. In

pisce, id est in Christo homine per unionem. II Cor., v : *Deus erat in Christo.* In altari, per sacramenti transubstantiationem. Joan., vi : *Ego sum panis vivus,* etc. Ps. xxii : *Parasti in conspectu meo mensam.* De quinque primo dictis de hoc lapide Christo dicitur Hebr., vii : *Talis decebat ut esset nobis pontifex, sanctus,* quoad soliditatem; *innocens* quoad humilitatem; *impollutus,* quoad puritatem; *segregatus a peccatoribus,* quoad conceptionem, quia non sicut alii peccatores ex peccato conceptus; *excelsior cœlis factus,* quoad pretiositatem deitatis.

Circa secundum nota quod hæc margarita est pretiosa propter tria. Primo, propter pretiositatem albedinis. Hebr., i : *Qui cum sit splendor gloriæ et figura substantiæ ejus,* etc. Secundo, propter utilitatem, quia omne malum expellit; liberat enim ab omni malo, et omne bonum inducit. Sap., vii : *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa,* etc. Tertio, propter incorruptionis æternitatem. Sap., viii : *Clara est et quæ nunquam marcescit sapientia.*

Circa tertium sciendum quod margarita emitur triplici denario : scilicet æneo, argenteo et aureo. Æneus est substantia mundi, argenteus corpus, aureus anima. Æneo emit qui dat divitias pro ista margarita; argenteo, qui dat corpus; aureo, qui dat animam. Primum fit per renuntiationem divitiarum; secundum, per corporis mortificationem; tertium, per propriæ voluntatis abnegationem. De primo, Matth., ix : *Qui non renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* De secundo et tertio, Lucæ, xvi : *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum,* quoad propriæ voluntatis abnegationem, *et tollat crucem suam,* per corporis mortificationem.

Possunt autem exponi de ista beata, quæ fuit pretiosa margarita propter speciositatem virginitatis, propter prædicationis utilitatem et propter insuperabilem soliditatem; quam invenit mercator cœlestis et emit sanguine suo Christus Deus noster, qui est benedictus in sæcula. Amen.

SERMO LIII.

In festo sanctæ Mariæ Magdalenæ.

Arcum meum ponam in nubibus cœli, et erit signum fœderis inter me et terram, Genes., ix. Possunt hæc verba exponi de beata Maria Magdalena, quæ intelligitur per arcum cœlestem propter tria : ratione formæ, ratione finis, ratione materiæ. Est enim materia arcus nubes aquosa radiis solis percussa. Nubes aquosa, Maria lacrymosa. Lucæ, viii : *Lacrymis cœpit rigare pedes ejus.* Sol Christus, radius gratia Christi, quæ nubem aquosam percussit cum Mariæ lacrymanti gratiam infudit. Ratione formæ; est enim triplex : cerulea, rubea et versus terram tenet brachia extensa. Color ceruleus est Mariæ humilitas, rubeus caritas. De primo, ibi : *Stetit retro secus pedes Domini.* De secundo, ibidem : *Quoniam dilexit multum.* Brachiorum usque ad terram extensio est magna quam habet ad peccatores misericordia. Est enim ipsa sancta interventrix peccatorum, et advocatrix eorum; didicit enim ex experientia peccatorum misereri. Prov., ult. : *Manum suam aperuit inopi,* id est peccatori, *et palmas suas extendit ad pauperem.* Ratione finis : est enim triplex finis ejus. Primo, præteritum judicium, per aquam significatum; secundo, futurum judicium, per ignem prænuntiatum. Tertium pactum quod est inter Deum et terram demonstrare, quia de cœlo extendit brachia sua ad terram. Primum, in colore ceruleo; secundum, in rubeo; tertium, in viridi. Sic beata Maria Magdalena est signum duplicis judicii in peccatore pœnitente : unius quod fit per aquam lacrymarum, alterius quod fit per ignem compunctionis. De utroque, Psal. lxv : *Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium.* Item est signum pacti inter Deum terram, id est peccatores. Est autem signum septemplicis fœderis inter Christum et peccatorem. Primum, quia benigne recipit peccatores, qui ad Deum confugiunt; secundum, quia multum se familiarem eis exhibet; tertium, quia eos qui irrident, confundit; quartum, quia pro eis advocat; quintum, quia eorum fidem multum commendat; sextum, quia omnia peccata dimittit; septimum, quia eis dulciter loquitur. Hæc septem nota in Evangelio per ordinem. Primum, in hoc quod eam in nullo increpavit, contra nequitiam hypocritarum, qui videntur contra peccatores fulminare. Secundo, in hoc quod dedit pedes ad osculandum, ibi : *Et osculari pedes ejus.* Tertio, in hoc quod pharisæum, qui eam despiciebat, confundit, ibi : *Si-*

mon, habeo tibi aliquid dicere. Quarto, in hoc quod eam bonam, conferendo et laudando probavit, ibi : *Hæc autem ex quo intravi, non cessavit osculari pedes meos,* etc. Quinto, ibidem : *Mulier, fides tua te salvam fecit.*

Currant ergo omnes peccatores ad fontem benignitatis, etc.

SERMO LIV.

In festo sancti Jacobi, ex Evangelio.

Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Matth., xx. Per calicem intelligitur passio Christi. Matth., xxvi : *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste.* Calix iste est calix amaricans, inebrians et sanans. De primo, Psal. LXVIII : *Dederunt in escam meam fel.* De secundo, Psalm. XXII : *Calix meus inebrians quam præclarus est!* De tertio, Psal. CXV : *Calicem salutaris accipiam.*

Fuit autem amaricans, quia calix aceti, myrrhæ et fellis. Ista tria dederunt ei bibere. Tria autem fecerunt passionem Christi amaram. Primum est, quia passus est ab impiis. Marc., XIV : *Filius hominis tradetur in manus peccatorum.* Secundo, quia pro beneficiis. Joan., X : *Multa bona opera operatus sum in vobis : propter quod horum vultus me lapidare?* Act., VIII : *Qui pertransivit benefaciendo,* etc. Tertio, quia in membris mundis. I Petr., II : *Qui peccatum non fecit;* non enim habuit membra corrupta et mortificata per peccatum.

Item est calix inebrians tripliciter. Primo, præsentium oblivionem inducens. Thren., IV : *Ad te quoque perveniet calix* inebrians animam, divitias relinquendo, nudum Dominum sequendo. Secundo, insensibilem ad dolorem reddens. Bernardus : « Considerate dolores Domini nostri, et lèvius dolores vestros portabitis. » Gregorius : « Si passio Domini ad memoriam reducatur, nihil est adeo durum quod non æquo animo toleremus. » Hinc est quod sancti habitabant in petris. Tertio, animos nostros aptos ad bella faciens. II Mach., VI : *Ostenderunt elephantis sanguinem uvæ et mori, ut animarent eos ad bellum.*

Item calix sanans a triplici morbo. Primo, culpæ contractæ. Ephes., II : *Eramus omnes filii iræ,* per peccatum scilicet originale. Secundo, culpæ commissæ. Isa., LIII : *Ipse attritus est propter peccata nostra ;* et post : *Ejus livore sanati sumus.* Tertio, pœnæ inflictæ. Isa., LIII : *Vere langores nostros ipse tulit,* etc. De his tribus, I Petr., II : *Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum;* peccata dicit in plurali, ubi nota originale et actuale : *cujus livore sanati sumus,* quoad pœnæ inflictionem. Rogemus ergo, etc.

SERMO LV.

In festo sancti Petri ad vincula.

Dirupisti, Domine, vincula mea : tibi sacrificabo hostiam laudis, Psal. CXV. Satis patet quomodo possunt hæc verba exponi de vinculis sancti Petri. Et notantur in his verbis tria. Primo, vinculorum ejus disruptio, ibi : *Dirupisti vincula mea;* secundo, gratiarum actiones, ibi : *tibi sacrificabo hostiam laudis;* tertio, divini nominis invocatio, ibi : *Domine.*

Circa primum sciendum est quod ligatus fuit tribus generibus vinculorum B. Petrus. Primo vinculis iniquitatis in negatione. Proverb., V : *Funibus peccatorum suorum unusquisque constringitur.* Matth., XXVI : *Antequam gallus cantet, ter me negabis,* etc. Secundo, vinculis pœnalitatum in corporis passione. Joan., ult. : *Cum autem senueris, alius cinget te, et ducet quo tu non vis.* Tertio, vinculis materialibus in sui incarceratione. Act., XII : *Erat Petrus vinctus catenis duabus.* Vincula peccatorum suorum disrupit Christus gratiam conferendo. Matth., XXVI : *Respexit Jesus Petrum,* id est gratiam infudit. Vincula materialia disrupit angelum transmittendo. Actuum, VII : *Angelus autem Domini astitit.* Vincula pœnalitatum disrupit, æternam gloriam conferendo. Matth., XIX : *Vos qui secuti estis me,* dixit Dominus Petro, *in regeneratione cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.*

Circa secundum sciendum quod sacrificavit ei triplicem hostiam. Primo, hostiam contritionis. Psal. L : *Sacrificium Deo spiritus contribulatus : cor contritum et humiliatum Deus non despicies.* Secundo, hostiam laudis. Psal. XLIX : *Immola Deo hostiam laudis.* Tertio, hostiam proprii corporis. Rom., XII : *Obsecro vos ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem,* etc. Primo, hostiam immolavit, amare flendo, sive plorando post Christi negationem. Matth., XXVI : *Egressus foras, flevit amare.* Secundo, laudando post

suam de carcere liberationem. Act., XII : *Nunc scio quia misit Dominus angelum suum, et eripuit me de manu Herodis.* Tertio, corpus Deo immolando in passione. Joan., XIII : *Animam meam pono pro te.*

Circa tertium sciendum quod ipse invocavit nomen Domini Jesu tripliciter. Primo, prædicando. Act., II : *Baptizetur unusquisque in nomine Domini nostri Jesu Christi.* Rom., XIV : *Omnis quicumque invocat nomen Domini, salvus erit.* Secundo, orando. Matth., XIV : *Salvos non fac, Domine : perimus.* Tertio, laudando. Act., III : *Non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri.*

Est autem invocandum nomen Domini : primo, quia peccatores justificat; secundo, quia justos vocatos salvat, et propter alia plura, etc.

SERMO LVI.

In festo sancti Dominici.

Sol illuminans per omnia respexit, et gloria Domini plenum est opus ejus, Eccli., XLII. Possunt hæc verba de beato Dominico exponi, et notantur ibi duo. Primo, beatus Dominicus laudatur, ibi : *Sol illuminans.* Secundo, ejus opus, id est Prædicatorum ordo commendatur, ibi : *et gloria Domini plenum est opus ejus.*

Circa primum sciendum quod B. Dominicus dicitur sol propter septem. Sol enim corporalis septem effectus exercet in corporibus, et sol typicus septem in spiritibus. Primus effectus est generatio, secundus vivificatio, tertius nutritio, quartus augmentatio, quintus perfectio, sextus purgatio, septimus renovatio. De his dicitur in auctoritate : « Sol ad generationem sensibilium corporum committitur, et ad vitam ea nutrit et auget, et perficit, et purgat, et renovat. » Ista septem fecit B. Dominicus spiritualiter. Primo, generavit prædicando, ut diceret cum Apostolo I Cor., IV : *In Christo Jesu per Evangelium ego vos genui;* patet quod generavit. Secundo, vivificavit, ad vitam gratiæ reducendo. Jac., V : *Si quis converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum;* patet quod reduxit de morte ad vitam. Tertio, nutrivit, in statu gratiæ conservando. I Thessal., I : *Tanquam si nutrix foveat filios suos;* testatur quasi viderit eum, quanta benignitate fovebat quos generavit. Quarto, augmentavit, de virtute in virtutem attrahendo. Ephes., IV : *Veritatem autem facientes, in caritate crescamus in illo per omnia qui est caput Christus.* Quinto, perficit, statum perfectionis instituendo. Matth., XIX : *Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et veni, sequere me.* Sexto, purgavit, omnia superflua et minimas negligentias dure corripiendo. Joan., XV : *Et omnem qui fert fructum purgabit eum, ut fructum plus afferat.* Septimo, renovavit, ad statum novitatis reducendo. Ephes., IV : *Renovamini spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est.*

SERMO LVII.

In festo sancti Laurentii, ex Epistola.

Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi, II Cor., IX. In his verbis notantur quinque ad commendationem beati Laurentii. Primo, prudentia, ibi : *Dispersit, dedit.* Sunt autem dispergendæ divitiæ. Primo, quia si congregantur, sunt possessoribus suis in tormentum; secundo, quia si congregantur, pereunt; tertio, quia ducunt ad æternum supplicium. De quibus tribus, Eccle., V : *Divitiæ congregatæ in malum domini sui,* ecce primum; *pereunt enim,* ecce secundum; *in afflictione pessima,* ecce tertium. Afflictio enim mala est cum congregantur, pejor cum relinquuntur, pessima cum pro eis avari æternaliter puniuntur. Jac., V : *Agite nunc, divites, plorate et ululate in miseriis quæ advenient vobis,* etc. Congregare ergo stultitia est, sed dispergere est prudentia, propter tria. Primo, quia dispersa, sunt semina quæ multiplicata resurgunt. Secundo, quia vita æterna acquiritur. De his duobus, Matth., XIX : *Omnis qui reliquerit domum vel fratres ... propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit.* Tertio, quia non possunt amitti, eo quod in tuto loco sunt positæ. Matth., VI : *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo,* etc.

Secundo, notatur largitas, ibi : *dedit.* Invitant autem ad dandum tria : Creator, creatura et Scriptura. Creator, quia dedit cœlum cum sideribus, terram cum bestiis et arboribus, corpus cum sensibus, animam cum viribus, Filium cum tormentis, mun-

dum cum elementis, Spiritum sanctum cum donis. Dicit Augustinus : « Erubescat homo avarus esse, cum tantam largitatem experitur Creatoris. » Invitat creatura, quia omnis creatura dat seipsam et quidquid habet. Sol dat se totum et lumen suum totum; terra similiter. Omnis ergo creatura invitat ad dandum. Invitat Scriptura, quæ ex hoc tanta promittit. Matth., VII : *Date, et dabitur vobis.*

Tertio, notatur fidelitas, ibi : *pauperibus;* et fuit fidelitas dare pauperibus, propter tria. Primo, quia bona Ecclesiæ sunt bona pauperum. Hieronymus : « Bona Ecclesiæ bona pauperum sunt; quicquid præter victum vel necessaria reservasti, sacrilegium commisisti. » Secundo, quia hoc præcepit Dominus, qui habet generale dominium in omnibus. Tertio, quia ab eis non expectatur ulla retributio. De quibus duobus, Luc., XIV : *Cum facis prandium aut cœnam, noli vocare amicos tuos neque fratres tuos neque vicinos divites; ne forte te et ipsi reinvitent, et fiat tibi retributio; sed ... voca pauperes, debiles, claudos et cæcos.*

Quarto, nota ibi : *justitia ejus manet in sæculum sæculi.* Consistit autem justitia in tribus. Primo, in rectæ voluntatis conservatione propter se. Secundo, in justorum susceptione. Augustinus : « Justitia est in miserendo miseris. » Tertio, in juris sui unicuique redditione. Isidorus : « Justitia est virtus jus suum unicuique tribuens. » De primo patet quomodo primum B. Laurentius conservavit, quia nulla peccata potuerunt cum eo a rectitudine removere. De secundo patet, quia thesaurum Ecclesiæ dedit pauperibus. De tertio patet, quia reddidit majoribus obedientiam, minoribus utilitatem, paribus æqualitatem.

Quinto, notatur perseverantia, ibi : *in sæculum sæculi.* Et fuit laudabilis perseverantia ejus propter tria. Primo, quia fuit flagellis probata; secundo, fide consummata; tertio, quia in igne fuit examinata; et ideo meruit pervenire ad vitam æternam. Matth., XXIV : *Non qui inceperit, sed qui perseveraverit, hic salvus erit,* etc.

SERMO LVIII.

In Assumptione B. Mariæ Virginis, ex Epistola.

Quasi cedrus exaltata sum in Libano, etc., Eccli., XXIV. Per sex arbores quibus comparatur exaltatio B. Virginis in ista epistola, intelligi possunt sex ordines beatorum. Cedrus significat angelos propter naturæ sublimitatem. Ezech., XXXI : *Cedri non fuerunt altiores illo in paradiso Dei,* id est angeli non fuerunt sublimioris naturæ Lucifero. Cypressus significat patriarchas et prophetas per odoris suavitatem; unde de uno dictum est Genes., XXVII : *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni cui benedixit Dominus.* Palma significat apostolos, propter gloriosum de universo mundo triumphum. Palma etiam significat victoriam. Apoc., VI : *Et palmæ in manibus eorum.* Rosa significat martyres per effusionem sanguinis, qui habet colorem rubeum. Eccli., XXXIX : *Et quasi rosa plantata super rivos aquarum fructificavi.* Oliva significat confessores propter oleum. Psal. LI : *Ego autem sicut oliva fructifera.* Platanus significat virgines propter frigiditatem libidinis incendium extinguentem; crescit enim juxta aquas. In aqua frigiditas notatur : *Sicut cinnamomum et balsamum aromatizans odorem dedi suavitatis,* Eccli., XXIV. Quanto subtilius, tanto melius est, et magis odoriferum, et per hoc intelligitur humilitas. Balsamum autem quanto gravius et ponderosius, tanto melius; unde probatur in aqua; et si cito descendat ad fundum, habetur probatum; per hanc proprietatem potest intelligi gravitas morum. Hæc autem duo dant odorem suavitatis. Est ergo sensus quod Virgo est exaltata, sicut angeli, patriarchæ et prophetæ, apostoli, martyres, confessores et virgines; et est liptote, qui pauca dicit, significatque magna. Fuit enim exaltata super choros angelorum et super omnes sanctos; nec mirum si est exaltata, sicut angeli, patriarchæ, etc.; habuit enim meritum angelorum angelice vivendo. Hieronymus : « In carne præter carnem vivere, non terrena vita est, sed cœlestis. » Idem : « Virginitas soror est angelorum. » Habuit etiam meritum prophetæ, prophetando. Luc., I : *Beatam me dicent omnes generationes;* vidit enim spiritu prophetico, et prophetavit quod debebat beatificari ab omnibus gentibus, et quod omnes gentes debebant recipere Filium Dei et suum. Habuit meritum apostolorum et evangelistarum, docendo. Multa enim scripta sunt et prædicata, quæ non potuerunt sancti nisi per revelationem ejus scire, sicut de ingressu angeli in conceptione, et

aliis pluribus. Habuit meritum martyris, mortem crucis cum Filio patiendo. Lucæ, II : *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Habuit meritum confessorum, devote Domino confitendo. Luc., I : *Magnificat anima mea Dominum.* Habuit meritum virginum, inchoando virginitatem et conservando. Luc., I : *Ingressus est angelus Gabriel ad Mariam Virginem.* Et sicut habuit meritum omnium et amplius, ita congruum fuit ut super omnes ponatur hic sermo : *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens?*

SERMO LIX.

In festo B. Bernardi.

Aurum, et multitudo gemmarum, et vas pretiosum labia scientiæ, Prov., XX. Possunt hæc verba exponi de beato Bernardo et commendatur hic ab utilitate prædicationis. Prædicavit autem tria principaliter, de Deo, de moribus et virtutibus, et de dulcedine contemplationis et devotionis. Hæc tria notantur in his verbis. Primum, ibi : *Aurum;* secundum, ibi : *multitudo gemmarum;* tertium, ibi : *vas pretiosum labia scientiæ.* Aurum fuit omnibus os ejus de Deo loquendo ; multitudo gemmarum de moribus et virtutibus loquendo ; vas pretiosum, loquendo de dulcedine contemplationis et devotionis. Fuit ergo os ejus os aureum, os gemmeum et os pretiosum, quia per aurum intelligitur divinitas ; ideo dicitur Cant., V : *Caput illius aurum optimum.* Gregorius : « Caput Christi est Deus et caput aureum ; ergo aurum est divinitas. » Quod per gemmas intelligantur virtutes, habetur Apoc., XXI. Ibi *Glossa* per duodecim lapides intellexit duodecim virtutes. De tertio, Jerem., LI : *Calix aureus Babylon in manu Domini, inebrians omnem terram.* Patet quomodo vino dulcedinis inebriavit totum mundum. Fuerunt ergo labia ejus aurea, gemmea et pretiosa. Vel aurum fuit beatus Bernardus per voluntatis sanctitatem ; multitudo gemmarum per morum honestatem et virtutum multiplicitatem ; vas pretiosum per virginitatis puritatem. Hæc tria cantantur de eo : « Beatus Bernardus quasi vas auri, » ecce aurum ; « solidum, » ecce pretiosum ornamentum ; « omnium lapidum pretiosorum, » ecce multitudo gemmarum.

Fuerunt autem in hoc novem gemmæ, de quibus dicitur Eccli., XXVII : *Omnis lapis pretiosus operimentum, sardium, topazium,* etc. Lapides isti significant novem ordines angelorum, quibus fuit dotatus beatus Bernardus, quia habuit in se virtutes et officia omnium ordinum angelorum, sicut dicitur in libro ubi scribuntur acta ejus, etc.

SERMO LX.

In festo sancti Bartholomæi.

Ficum meam decorticavit, albi facti sunt rami ejus, Joel, I. Possunt hæc exponi de beato Bartholomæo et passione ipsius, circa quam notantur tria. Primo, passus describitur, ibi : *Ficum meam;* secundo, ejus passio exprimitur, ibi : *decorticavit;* tertio, ipsius præmium subjungitur, ibi : *albi facti sunt rami ejus.* Intelligitur B. Bartholomæus per ficum propter tria, quæ sunt in ficu, scilicet lignum, folia et fructus. In ligno intelligitur ejus cordis sanctitas ; in foliis, locutionis veritas ; in fructibus, actuum ejus suavitas. In ligno sunt tria : medulla, lignum et cortex. In medulla est candor, in ligno fortitudo, in cortice utriusque conservatio. Sic tria sunt necessaria ad cordis suavitatem : scilicet candor fidei, sive sapientiæ quoad rationalem ; fortitudo spei, quoad irascibilem ; conservatio, quæ est in caritate, quoad concupiscibilem. De primo, Sap., VII : *Candor est lucis æternæ, et speculum sine macula.* De secundo, Isa., XXX : *In silentio et spe erit fortitudo vestra.* De tertio, Rom., VIII : *Quis nos separabit a caritate Christi? tribulatio, an angustia?* etc. Ergo in ligno notatur cordis sanctitas ; in foliis vero locutionis utilitas. Sunt autem tria in foliis, scilicet lacteitas in humore, viriditas in colore et asperitas in palpatione ; et significant tria quæ sunt necessaria in locutione, scilicet puritas, delectabilitas et utilitas. Puritas in veritate, delectabilitas in honestate et utilitas in verborum bonitate. Lacteitas per candorem, scilicet puritatem ; viriditas, quæ est color delectabilis, propter delectabilitatem ; asperitas significat utilitatem. Sicut enim blandus sermo est noxius, quia seducit, sic asper utilis, quia corrigit. Quod hæc sint necessaria, patet. De primo, Prov., XV : *Purus sermo pulcherrimus,* etc. De secundo, Prov., XVI : *Favus mellis verba composita.* De tertio, Ephes., IV : *Omnis sermo malus ex ore*

vestro non procedat, etc. Sic ergo notatur in foliis locutionis utilitas, in fructu autem notatur actionis sanctitas. Considerantur autem tria in fructu, intus rubicunditas, extra viriditas, in gustu vero suavitas, et significant hæc tria quæ necessaria sunt ad salutem. Oportet enim quod actio fiat in caritate, quæ intelligitur in rubore; in medietate, ut non accedat ad extrema, ne fiat plus vel minus : hoc intelligitur in viriditate ; est enim viriditas color medius; item ut fiat in humilitate, quæ intelligitur in nigredine; item ut fiat cum hilaritate, quæ intelligitur in gustus suavitate. Hæc sunt necessaria in actione. De primo, I Cor., XVI : *Omnia vestra in caritate fiant*. De secundo, Rom., VIII : *Rationabile obsequium vestrum*, ne fiat scilicet plus vel minus. De tertio, Luc., XVII : *Cum omnia bona feceritis, dicite, quia servi inutiles sumus*, etc. Gregorius : « Qui cæteras virtutes sine humilitate congregat, in ventum pulverem portat. » De quarto, II Cor., VIII : *Non ex tristitia aut ex necessitate, hilarem enim datorem diligit Deus.*

Hæc omnia habuit beatus Bartholomæus, et ideo congrue est significatus per ficum. Ergo passus describitur, sed in decoriatione passio exprimitur. Fuit enim ipse excoriatus propter tria. Primo, ut Deo tanquam verus agnus in holocaustum offerretur. Levit., I : *Detractaque pelle hostiæ, artus in frustra concident, et subjicient in altari ignem strue lignorum ante composita*, etc. Secundo, ut ab omni humore exsiccaretur, sic decoriatur arbor ut siccetur. De hac ficu Matth., VII : *Numquid colligunt de tribulis ficus?* Item fuit excoriatus ut sicut serpens in æternitate renovaretur. Matth., X : *Estote prudentes ut serpentes*. Prudentia serpentis est corium deponere, ut renovetur. Præmium subjungitur, ibi : *Albi facti sunt rami ejus*. Rami animæ, memoria, intelligentia et voluntas; rami vero corporis sensus corporis. Memoria dealbabitur per comprehensionem æternitatis; intelligentia in cognitione omnis veritatis; voluntas in perfruitione omnis desiderabilis. Rami corporis, id est sensus, dealbabuntur, quia quilibet sanctus recipiet jucunditatem. Dealbari ergo potentias animæ et sensus corporis, nihil aliud est quam glorificari in receptione albæ stolæ. Apoc., VII : *Laverunt stolas suas, et candidas eas fecerunt in sanguine agni*, etc. Ad quam perducat, etc.

SERMO LXI.

De beato Augustino.

Profunda quoque fluviorum scrutatus est, et abscondita in lucem produxit, Job, XXVIII. Satis proprie conveniunt hæc verba beato Augustino, et notantur hic duo. Primo, secretorum perscrutatio; secundo, eorum manifestatio. Primum, ibi : *Profunda quoque fluviorum scrutatus est;* secundum, ibi : *et abscondita produxit in lucem.*

Circa primum sciendum quod beatus Augustinus scrutatus est profunda quatuor fluviorum : scripturæ, creaturæ, culpæ et gratiæ. Scrutatus est autem profunda triplicis scripturæ, scilicet philosophorum, hæreticorum et sanctorum. Propter primum fuit philosophus, propter secundum fuit hæreticus, propter tertium fuit catholicus. De prima, Jerem., II : *Quid tibi vis in via Assyriorum, ut bibas aquam fluminum?* De secundo, ibidem : *Quid tibi in via Ægypti, ut bibas aquam turbidam?* De tertio, Psal. XCII : *Elevaverunt flumina, Domine, elevaverunt flumina vocem suam*, id est Scripturæ. Quod scrutatus sit ipse libros philosophorum, dicit ipse in lib. *Confess.*, ubi dicit quod ab utroque doctore didicit omnes libros et artes quas liberales vocant; quod libros hæreticos, dicit ipse in eodem libro; quod catholicos, testatur ibidem. Scrutatus est quoque profunda triplicis creaturæ, spiritualis, corporalis et compositæ, hoc est angelicæ, humanæ, corporeæ. Primum patet in libro quem fecit *De hierarchia angelica;* secundum, in libro *De spiritu et anima (a);* tertium, in libro *Gen. ad litteram*. Sic patet quod scrutatus est profunda fluminis creaturæ. Dicitur autem creatura fluvius, quia fluit semper de esse ad non esse per corruptionem, et de non esse ad esse per generationem. Apoc., XVII : *Aquæ multæ, populi multi*. II Reg., XIV : *Omnes morimur, et quasi aqua dilabimur*. Scrutatus est etiam profunda tertii fluminis, id est culpæ, et triplicis, scilicet originalis, actualis, mortalis et venialis. De primo dicit in lib. I *Confes.* De secundo, a secundo libro usque ad nonum. De tertio, in decimo libro. De his fluminibus dicitur in Psal. CXXXVI : *Super flumina Babylonis illic sedimus, et flevimus, dum recordaremur tui, Sion*. Item scrutatus est profunda quarti fluminis, hoc est gratiæ

(a) Non est Augustini.

triplicis, scilicet prævenientis, subsequentis et perficientis; unde loquitur in libro *De gratia* de his omnibus. Similiter loquitur in *Enchiridion* de his fluminibus. Joan., VIII : *Qui credit in me, flumina fluent de ventre ejus aquæ vivæ;* et sic commendatur hic a diligenti secretorum perscrutatione.

Secundo, commendatur ab absconditorum manifestatione, ibi : *abscondita produxit in lucem,* scilicet cognitionis, abscondita Trinitatis, cœlestis civitatis et Scripturæ veritatis. Primum patet in lib. *De Trinitate;* secundum, in libro *De civitate Dei;* tertium, in *Expositione Isaiæ, Joannis, Canticorum et Genesis,* et aliorum multorum. Multa quoque alia abscondita produxit in lucem cognitionis, sicut patet in libris multis quos fecit, etc.

SERMO LXII.

In Decollatione sancti Joannis Baptistæ.

Justus de angustia liberatus est, Prov., XI : Justus dicitur beatus Joannes Baptista propter tria. Primo, propter omnium virtutum possessionem; secundo, propter carnis mortificationem; tertio, propter liberam malorum correptionem. His tribus modis sumitur justitia. De primo, Luc., I : *Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ.* De secundo, Matth., I : *Erat indutus de pilis camelorum.* De tertio, Matth., III : *Genimina viperarum,* etc. Marc., VI : *Joannes arguebat Herodem.* Fuit liberatus hodie a triplici angustia, scilicet carceris, corporis et sæculi. De primo, Marc., VI : *Decollavit eum in carcere et attulit caput ejus in disco, et dedit illud puellæ, et puella dedit matri suæ.* De secundo, Psal. CXLII : *Educ de custodia animam meam.* Verbum potest esse beati Joannis Baptistæ. Rom., VII : *Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus?* De tertio, I Joan., ult. : *Totus mundus in maligno positus est.* Joan., XV : *In mundo pressuram habebitis.* Ps. CXXXVI : *Super flumina Babylonis, illic sedimus et flevimus.*

Impius fuit Herodes specialiter propter tria in decollatione ejus. Primo, quia innocentem et sanctum condemnavit. Marc., VI : *Sciens eum virum justum et sanctum, custodiebat eum, et multa audito eo faciebat, et libenter audiebat eum.* Secundo, quia eum qui salutem suam procurabat, decapitavit. Ibidem : *Non licet tibi habere uxorem fratris tui.* Tertio, quia caput prophetæ Dei donavit pro uno saltu. Marci, VI : *Cumque introisset filia ipsius Herodiadis, et saltasset, et placuisset Herodi, simulque recumbentibus, rex ait puellæ : Pete a me quod vis,* etc. Fuit autem traditus Herodes in triplicem angustiam pro beato Joanne : in angustiam regni amissionis, incarcerationis et æternæ damnationis. Tradit enim Josephus quod parum post decollationem beati Joannis, exercitus regis Archelai eum regno privavit, et captum ligavit, et postmodum eum Deus æternis tormentis damnavit : ideo malum est esse impium. Prov., XVI : *Impium quoque ad diem malum.* Sed pium est esse justum. Prov., X : *Justitia vere liberabit a morte,* etc.

SERMO LXIII.

In Nativitate beatæ Mariæ.

Egredietur virga de radice Jesse, Isa., XI. Quære in Annuntiatione beatæ Mariæ.

SERMO LXIV.

In Exaltatione sanctæ Crucis.

Ego si exaltatus fuero, omnia traham ad meipsum, etc., Joan., IX. In his verbis duo notantur : scilicet modus patiendi et utilitas ipsius passionis. Modus dicitur ibi : *Si exaltatus fuero;* utilitas, ibi : *Omnia traham ad meipsum.* Phil., II : *Propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit* illi nomen quod est super omne nomen.* Psal. CIX : *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.* Tertio, quia merito suæ passionis exaltavit nos, cum essemus vilissimi et abjecti. Jerem., II : *Quam vilis facta es nimis, iterans vias tuas! et ab Ægypto confunderis, sicut confusa es ab Assur.* Psal. CXVII : *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me,* super angelos. Psal. VIII : *Elevata est magnificentia tua super cœlos.* Joan., XII : *Volo, Pater, ut ubi sum ego, illic et minister meus sit.* Quarto, ut ostendatur quia quod vile est in conspectu hominum, exaltatum est in conspectu Dei; et e contra humile in conspectu hominum exaltatum est in conspectu Dei. Quinto, ut ostenderet modum exaltationis, quia per humilitatem; unde humiliavit se, formam servi accipiens. Luc., XIV : *Qui se humiliat, exaltabitur.*

* *Donavit.*

Sequitur : *omnia traham ad meipsum.* At-

tractio naturaliter fit sex modis. Primo, per quamdam assimilationem, sicut faciunt aucupes; ita Christus suscepit formam hominis ut ad se traheret. Rom., VIII : *Deus mittens Filium suum in similitudinem carnis peccati, de peccato damnavit peccatum in carne, ut justificatio legis impleretur in nobis.* Homo enim erat in regione dissimilitudinis; unde dixit ironice Gen., III : *Ecce Adam factus est quasi unus ex nobis.* Secundo, per quamdam concavitatem, sicut spongia aquam. Concavitas Christi ejus humanitas fuit. Matth., XV : *Venite ad me omnes;* et statim subjungit : *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.* Bernardus : « Omnino currimus post te, Domine, propter mansuetudinem tuam. » Tertio, per colligationem : Dominus attraxit nos miserabilibus funibus. Oseæ, IX : *In funiculis Adam traham te.* Quarto per dulcem allectionem. Joan., VI : *Verba vitæ æternæ habes;* et idem : *Nunquam sic locutus est homo.* Augustinus in lib. *Confess.* : « Vulnerasti cor meum verbo tuo, et amavi te. » Quinto, per repromissiones. Dan., XII : *Et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ fulgebunt in perpetuas æternitates.* Matth., XX : *Ite et vos in vineam meam : et quod justum fuerit dabo vobis.* Sexto, propter naturalem appetitionem, sicut ignis extendit se sursum, terra vero deorsum; unde quia centrum est sursum, nunquam potest quiescere deorsum. Unde Joan., XVIII : *In mundo pressuram habebitis, in me autem pacem.* Augustinus in lib. *Conf.* : « Suspensus eram ad te, » etc. Gregorius : « Cum omnia sint facta ad quærendum Deum, nihil humanæ menti sufficit quod non sit Deus. » Augustinus : « Tantæ siquidem dignitatis est humana conditio, ut nullum bonum, præter summum, possit sufficere. » Unde ex ipso verbo ipse probat peccatores non esse : *Cum exaltatus fuero, omnia traham ad meipsum,* id est peccatores; et non fuerunt tracti : ergo peccatores nihil sunt. Homo dicitur omnia, quia est finis omnium, quia ultimo factus, quia propter eum facta sunt omnia; Psal. VIII : *Omnia subjecisti sub pedibus ejus;* vel quia est capax omnium, vel quia habet participationem cum omnibus, sicut dicit Gregorius super illo verbo : *Prædicate Evangelium omni creaturæ.* Rogemus ergo Dominum.

Require in Inventione sanctæ Crucis.

SERMO LXV.

In festo sancti Matthæi apostoli.

Vidit Jesus hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine, etc., Matth., IX. In isto evangelio tria notantur. Primo, magna Domini nostri Jesu Christi benignitas; secundo, beati Matthæi sanctitas; tertio, magna pharisæorum cæcitas.

Magna Dei benignitas notatur in quinque. Primo, in Matthæi sanctificatione; secundo, in ejus ad apostolatum vocatione; tertio, in familiari cum eo et cum aliis publicanis comestione; quarto, in pharisæorum peccatorum confutatione; quinto, in ipsius misericordiæ commendatione. Magna enim benignitas fuit quod tam magnum peccatorem justificavit vel sanctificavit, quod ad apostolatum vocavit, quod cum eo tam familiariter manducavit; quod pharisæos qui peccatores contemnebant, confutavit; quod tantum divinam misericordiam commendavit. Primum, ibi : *Vidit.* Deus eum vidit quadruplici oculo : scilicet gratiam infundendo. Eccli., XI : *Est homo marcidus, egens recuperatione;* et post : *Oculis Dei respexit illum in bono;* quod totum satis bene exponitur de beati Matthæi vocatione. Secundum, ibi : *Vocavit eum.* Isa., XLI : *Vocavi te, et non cognovisti,* etc., hoc est, non cognoscebas, cum esses magnus peccator, et vocavi te ad apostolatum. Tertium, ibi : *Et factum est cum discumberet in domo.* Quartum, ibi : *Non est opus valentibus medico, sed male habentibus;* quasi dicat, vos non me indigetis, quia vos sanos reputatis. Quintum, ibi : *Euntes, discite quid est : quia misericordiam volo, et non sacrificium.*

Sanctitas Matthei notatur similiter in quinque. Primo, in omnium desertione; secundo, in veloci obedientia; tertio, in Christi imitatione; quarto, in hospitalitatis exhibitione; quinto, in omnium peccatorum suorum manifestatione. Primum, ibi : *relictis omnibus.* Secundum, ibi : *surgens;* statim enim Domino præcipienti obedivit. Psal. XVII : *In auditu auris obedivit mihi.* Tertium, ibi : *Secutus est eum* imitando. Ephes., V : *Imitatores Dei estote.* Hoc est totum bonum hominis, sicut dicit Augustinus, ut imitetur Christum, ut fugiat quæ ipse contempsit et eligat quæ ipse elegit. Quartum, ibi : *Fecit ei convivium magnum;* Hebr., XI : *Hospitalitatis nolite*

oblivisci : per hanc enim quidam placuerunt Deo, angelis hospitio receptis; quanto magis recepto ipso Domino? Quintum, ibi : *Publicanus Matthæus nomine.* Cum enim fuerit binomius, voluit se vocare illo nomine quo magis erat notus, ut sic magis cognosceretur peccatum suum. Alii autem evangelistæ vocaverunt eum nomine suo.

Pharisæorum cæcitas notatur in quinque. Primo, quia peccata sua gravia non videbant. Secundo, quia aliorum minus gravia judicabant; habebant enim in corde suo superbiam, quæ est maximum peccatorum omnium, et invidiam, vel avaritiam, vel luxuriam, quæ sunt minora, contemnebant. Matth., VII : *Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui,* etc. Tertio, quia quem laudare debebant, vituperabant. Laudandus est quis de misericordia et benignitate corporali; hæc reprehendebant. Prov., XXII : *Novit justus,* id est Christus, *animas jumentorum suorum*, scilicet per prædestinationem, *viscera autem impiorum,* id est phariseæorum hypocritarum, *crudelia.* Quarto, quia unde debebant gaudere, invidebant. Invidebant Deum misericordem. Psal. LXXXVIII : *Misericordias Domini in æternum cantabo.* Quinto, quia unde debebant illuminari, excæcabantur: quoniam de Dei misericordia detrectabant. Eccli., XXXVI : *Ostende nobis lucem miserationum tuarum.* Hæc fiebant ibi : *Et mirabantur pharisæi, dicentes : Quare cum publicanis et peccatoribus manducatis et bibitis?*

Pharisæorum cæcitas est fugienda, Matthæi sanctitas imitanda, et Dei benignitas diligenda et laudauda, etc. Rogemus.

Quære in festo sancti Joannis apostoli : *Cibavit illum pane vitæ et intellectus,* etc.

SERMO LXVI.

In festo sancti Michaelis.

In omni loco oculi Domini contemplantur bonos et malos, Prov., XV. In his verbis notantur tria. Primo, Dei providentia; secundo, ejus bonitas; tertio, ipsius justitia. Primum, ibi : *In omni loco;* secundum, ibi : *bonos;* tertium, ibi : *et malos.*

Circa primum sciendum quod in triplici loco contemplatur Dominus, secundum quod in triplici loco contingit esse rationabilem creaturam : in loco luminoso, in loco tenebroso, et in loco luminoso et tenebroso. Locus luminosus est cœlum empyreum, ubi est lumen sine tenebris; locus tenebrosus est infernus, ubi sunt tenebræ sine lumine; locus luminosus et tenebrosus est iste mundus, ubi est lumen et tenebræ. Primus locus intrinsecus, secundus extrinsecus, tertius medius. In primo contemplatur tantum bonos, in secundo tantum malos, in tertio bonos et malos. De primo, Gen., II : *Fons egreditur de loco voluptatis.* De secundo, Lucæ, XVII : *Ne ipsi veniant in locum tormentorum.* Deut., XXXII : *Invenit eum in terra deserta, et in loco horroris et vastæ solitudinis.* De tertio, Job, XXIV : *Deus dedit ei locum pœnitentiæ, et ille abutitur eo in superbiam.* Propter hoc enim ponitur homo in mundo isto, ut agat pœnitentiam. Jud., II : *Ascendit angelus Domini de Galgala in locum flentium.* Est autem timenda visio Dei maxime ex tribus. Primo, quia judicat; secundo, quia videt tenebrosa; tertio, quia nemo se potest a visione ejus abscondere. Abscondita, quia nullus potest post parietes latere; occulta videt, quia omnes cogitationes cordis. De his omnibus, Eccli., XXXIV : *Oculi ejus multo lucidiores sole.* Sic ergo hic notatur Dei providentia.

In hoc quod addit *bonos,* significat ad bonum. Videt autem eos primo ut ab omni malo eripiat; secundo, ut orationes eorum exaudiat; tertio, ut misericordiam exhibeat; quarto, ut bonum gratiæ conferat; quinto, ut in omnibus protegat; sexto, ut bonum gloriæ tribuat. De primo, Psal. XXXII : *Oculi Domini super metuentes eum.* De secundo, Psal. XXXIII : *Oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum.* De tertio, Jer., XXIV : *Et ponam super eos oculos meos ad planctum.* De quarto, Eccli., XI : *Oculus Domini respexit illum*, id est in bonum. De quinto, Psal. XXXII : *Oculi Domini super timentes eum;* et sequitur : *In eis qui sperant super misericordia ejus.* De sexto, Isa., XLIX : *Glorificatus est in oculis Domini.* Videt ergo bonos ex sua bonitate; videt autem malos ex sua justitia. Videt autem eos quatuor modis. Primo, eorum opera considerando; secundo, super malis eorum indignando; tertio, condemnando; quarto, eis non parcendo; quinto, pœnam velociter inferendo. De primo, Eccli., IX : *Opera omnis carnis,* id est carnalium, *coram illo; et non est quicquam absconditum ab oculis ejus.* De secundo, Isa., LIX : *Et vidit*

Dominus, et malum apparuit in oculis ejus. De tertio, Amos, IX : *Oculi Domini super regnum peccatoris, ut conterat illud.* De quarto, Ezech., XVI : *Non pepercit super te oculus.* Videt ergo malum ex justitia. Isti sunt duo oculi : bonitas, qua respicit bonos, et justitia, qua videt malos. In estis ergo notatur Dei providentia, et ejus bonitas, et ipsius justitia. Providentia reverenda, bonitas diligenda, justitia metuenda.

SERMO LXVII.

De eodem.

Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, Matth., XVIII. In his verbis notantur tria de angelis. Primo, angelorum benignitas ; secundo, sanctorum angelorum jucunditas ; tertio, jucunditatis æternitas. Primum, ibi : *Angeli eorum ;* secundum, ibi : *faciem Patris;* tertium, ibi : *semper.*

Magna benignitas angelorum notatur in hoc quod dicuntur nostri ; et bene nostri, quia quam cito anima creatur, datur ei angelus, quia sine dubio maximum est tam nobilem creaturam servire homini peccatori et ingrato frequenter. Servire autem dicuntur nobis tripliciter : scilicet purgando, illuminando et perficiendo. Istæ enim tres operationes conveniunt omnibus hierarchiis, sicut dicit Dionysius. Primum pertinet ad mali remotionem ; secundum, ad intellectus illuminationem ; tertium, ad affectus perfectionem. Primo enim a malis purgamur, in intellectu illuminamur, in affectu perficimur. Purgamur per remotionem pravitatis et dissimilitudinis ; illuminamur per susceptionem divini luminis ; perficimur per inflammationem divini amoris. De primo, Dionysius : « Oportet purgandos puros effici, et ab omni liberari dissimilitudinis effusione. » De secundo, ibidem : « Oportet illuminandos impleri divino lumine, et ad contemplandam placidissimam virtutem castissimis mentis oculis reducendos. » De tertio, ibidem : « Oportet instaurandos participes fieri sacramentorum perfectivæ scientiæ. » Et quia nobis hæc faciunt, dicuntur angeli nostri, quia faciunt nobis octo servitia. (De quibus quære in processu primæ dominicæ Quadragesimæ.) Sic ergo notatur eorum benignitas.

Beatitudinis eorum jucunditas notatur, ibi : *faciem Patris mei.* Facies quippe ejus est admirabilis, delectabilis, amabilis et desiderabilis. Admirabilis, propter majestatis infinitatem ; delectabilis, propter gratiarum multiplicitatem ; amabilis, propter ineffabilis pulchritudinis claritatem ; desiderabilis, propter gloriæ æternitatem. De primis duobus, Esther, IX : *Valde es admirabilis, Domine, et facies tua plena gratiarum.* Augustinus : « Tanta est jucunditas divini aspectus, ut nunquam videri possit sine amore. » De secundo, I Petr., I : *In quem desiderant angeli prospicere.* Satis jucundum est videre faciem tam admirabilem, tam delectabilem.

Tertio notatur beatitudinis æternitas, ibi : *semper,* et importat tria quod sine intermissione, sine fine, et tota jucunditas eorum erit simul. Ergo sancti angeli, etsi ad exteriora officia admittantur, ab intimis comtemplationibus nunquam recedunt. Boetius : « Æternitas est vitæ possessio tota simul. » Ad quam æternitatem perducat nos, etc.

SERMO LXVIII.

De beato Francisco.

Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei, Sap., XI. In his verbis notantur duo. Primo, sanctorum meritum, ibi : *Justum deduxit.* Secundo, præmium sanctorum, ibi : *Ostendit illi regnum.*

Circa meritum notantur tria. Primo, causa a qua est meritum ; secundo, in qua est meritum ; tertio, secundum quam est meritum. Causa efficiens meriti est Deus ; causa in qua est meritum, est justum ; causa secundum quam est meritum, est via recta. Hæc est formalis. Primum, ibi : *Dominus;* secundum, ibi : *justum;* tertium, ibi : *per vias rectas.* Est autem Dominus causa efficiens meriti quatuor modis. Primo, faciendo idoneum ad merendum ; secundo, movendo ad volendum ; tertio, juvando ad faciendum ; quarto, conservando ad perseverandum. Primum facit per gratiam prævenientem ; secundum, per gratiam subsequentem ; tertium, per gratiam proficientem ; quartum, per gratiam consummantem. De primo, I Cor., IV : *Deus est qui operatur in nobis.* De quarto, Phil., I : *Qui cœpit in vobis opus bonum, ipse*

perficiet usque in diem Christi Jesu, etc. De his, I Cor., xv : *Gratia Dei sum id quod sum, et gratia ejus in me vacua non fuit.*

Circa secundum sciendum quod justus dicitur multipliciter, secundum quod justitia dicitur multipliciter. Justitia enim dicitur innocentia. *Glossa,* super illud Exod., XIII : *Occidit Dominus omne primogenitum :* « Mors primogenitorum est amissio justitiæ naturalis, qua sibi homines sociales sunt. » Secundo, dicitur justitia humilitas. Matth., III : *Sic decet nos implere omnem justitiam; Glossa :* « id est humilitatem. » Tertio, dicitur justitia bona voluntas. Anselmus : « Justitia est rectitudo voluntatis conservata propter se. » Quarto, justitia dicitur misericordia. Augustinus : « Justitia est in miserendo miseris. » Quinto, justitia dicitur jus reddens unicuique quod suum est. Isidorus : « Justitia est virtus, qua redditur unicuique quod suum est. » Sexto, justitia dicitur gratia justificans. Rom., v : *Justificati gratis per gratiam ipsius.* Septimo, justitia dicitur omnis bonitas. Hebr., I : *Dilexisti justitiam ; Glossa :* « id est omnem bonitatem. » Octavo dicitur justitia perseverantia in bono opere ; unde in definitione : « Justitia est constans et perpetua voluntas animi. » Justus ergo dicitur qui servat innocentiam, qui habet gratiam justificantem, rectam voluntatem, humilitatem et misericordiam, qui reddit unicuique quod suum est qui habet omnem bonitatem et perseverantiam in bonitate.

Sequitur : *per vias rectas.* Rectæ sunt illæ per quas recte itur ad vitam æternam. Illæ autem sunt quinque. Primo, caritas. I Cor., XIII : *Adhuc excellentiorem vobis viam demonstro.* Secundo, paupertas. Matth., v : *Beati pauperes spiritu.* Tertio, « tribulationum tolerantia. » Act., XIII : *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Quarto, obedientia. Gregorius, super illud Matth., II : *Per aliam viam reversi sunt in regionem suam :* « Per aliam viam redire monemur, ut qui propter inobedientiam a paradiso cecidimus, per obedientiam revertamur. » Quinto, veritas. Anselmus : « Veritas est rectitudo sola mente perceptibilis. » Ps. XXIV : *Universæ viæ Domini misericordia et veritas.*

Sic ergo in præmissis notatur sanctorum meritum ; in sequentibus præmium ostenditur, ibi : *ostendit illi regnum Dei.* Regnum Dei dicitur civitas cœlestis, sive beatitudo æterna, quæ dicitur proprie regnum Dei, ad quod nos perducat, etc.

SERMO LXIX.

De sancto Dionysio.

Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, Gal., VI. Require in Inventione sanctæ Crucis.

Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos, Matth., XI.

Quære in festo sancti Matthiæ apostoli.

SERMO LXX.

De eodem.

Vocans ab oriente avem, et de terra longinqua virum voluntatis meæ, Isa., XLVI. Possunt hæc verba exponi de beato Dionysio, et notantur hic tria ad ejus commendationem. Primo, ejus dignitas ; secundo, sapientiæ ipsius claritas ; tertio, contemplationis sublimitas. Primum, ibi : *Vocans.* Magna dignitas est vocari a Rege cœli, a Dominatore angelorum, a Domino omnium. Secundum, ibi : *ab oriente ;* tertium, ibi : *avem.*

Circa primum sciendum quod Dominus vocavit B. Dionysium quadrupliciter: Primo, ad sanctitatem, radiis virtutum eum illuminando ; secundo, ad prædicationis effectum, eum in episcopali dignitate sublimando ; tertio, a Græcia in Franciam deducendo, et eam per ipsum illuminando ; quarto, de mundo ad cœlum cum gloria martyrii coronando. De primo, Actuum, XVII : *In quibus et Dionysius Areopagita credidit.* De aliis tribus in legenda sua. In hoc ergo quod dicitur *vocans,* notatur ejus dignitas.

Ab oriente, sapientiæ claritas, et exponitur tribus modis. Primo, ad litteram : ab oriente enim venit in occidentem, ut tanquam verus sol partes occiduas illuminaret. Secundo, *ab oriente,* id est ab Athenis. Oriens enim est principium luminis, cum ab eo veniat omne lumen, et Athenis principium et caput erat tunc omnis philosophiæ et sapientiæ. Tertio, *ab oriente,* id est sapientis claritate ; habuit enim multiplicem sapientiam, cum philosophus fuerit.

Contemplationis ejus sublimitas notatur, ibi : *avem ;* volavit enim tanquam avis,

altissima contemplando. Volavit autem tripliciter in cœlum : in cœlum humanæ naturæ, in cœlum angelicæ naturæ, in cœlum sanctissimæ Trinitatis. In primo cœlo vidit subcœlestem hierarchiam; in secundo vidit cœlestem hierarchiam, etc.

De eodem : *Sancti per fidem vicerunt regna.* Require in festo sancti Fabiani.

SERMO LXXI.

De sancto Luca Evangelista.

Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos, Luc., x. In his verbis tria notantur. Primo, datur sanctis confidentia; secundo, subjungitur eorum innocentia; tertio, subditur iniquorum malitia.

Primum notatur, ibi : *Ecce ego mitto vos;* qui sum bonus, ut velim defendere; sum sapiens, ut sciam protegere; sum omnipotens, ut possim eripere. Cum ego, inquam, sic bonus, sic sapiens, sic potens mittam vos, debetis in omnibus confidere. De primo, Joan., x : *Ego sum pastor bonus : bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis,* scilicet defendendis. De secundo, Joan., xviii : *Cum essem cum eis, servabam eos.* De tertio, Isa., xl : *In brachio suo protegit agnos,* id est in potentia sua defendit eos. In brachio enim intelligitur fortitudo.

Secundum vero ibi : *sicut agnos.* Agni dicuntur sancti propter tria. Primo, propter innocentiam; secundo, propter simplicitatem; tertio, propter mansuetudinem. Sic sancti sunt innocentes malum non faciendo; sunt simplices, intentionem suam ad Deum dirigendo, mansueti, mala illata sine animi amaritudine sustinendo. De primo, II Cor., vi : *Nemini dantes ullam offensionem.* II Petr., iii : *Satagite immaculati inveniri.* De secundo, Matth., x : *Estote simplices sicut columbæ.* De tertio, Jer., i : *Ego quasi agnus mansuetus qui portatur ad victimam,* etc.

Iniquorum malitia notatur, ibi : *inter lupos;* et dicuntur mali lupi propter tria. Primo, propter nequitiam; secundo, propter invidiam; tertio, propter sævitiam. Lupus est animal rapax : ideo significat in malis nocendi nequitiam; habet visum corruptivum, quia aufert homini vocem, si primo eum videat quin videatur ab eo : ideo significat invidiam; est animal crudele : ideo significat malorum sævitiam. De nocendi nequitia, Jer., v : *Lupus ad vesperam vastavit eos.* De invidia, Genes., xvii : *Fera pessima devoravit filium meum Joseph,* id est invidia. De tertio, Sophon., iii : *Judices ejus lupi vespere non derelinquebant in mane,* etc.

Beatus iste sanctus, sicut agnus innocens; similiter masuetus in medio iniquorum cum dicta protectione, sapientia et bonitate custoditus, reductus est ad ovile vitæ æternæ, ad quam nos perducat, etc.

SERMO LXXII.

De eodem.

Cibavit illum pane vitæ et intellectus, et aqua sapientiæ salutaris potavit illum, et firmabitur in illo, Eccli., xv. Quære in festo sancti Joannis evangelistæ.

Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Quære in festo sancti Fabiani.

SERMO LXXIII.

De SS. Simone et Juda, ex Evangelio.

Vos non estis de hoc mundo, sed ego elegi vos de mundo : propterea odit vos mundus, Joan., xv. In his verbis notantur tria. Primo, sanctorum dignitas; secundo, Christi benignitas; tertio, mundi malignitas.

Primum, ibi : *Vos non estis de hoc mundo,* Magna est dignitas sanctorum, quod non sunt cives hujus sæculi nequam, sed sunt cives cœli. Ephes., ii : *Estis cives sanctorum.* Dicuntur autem sancti non esse de mundo, propter tria. Primo, quia mundum, et omne quæ ejus sunt, despiciunt; secundo, quia mundus eos persequitur; tertio, quia non secundum morem mundi vivunt. De primo, Matth., ii : *Ecce nos reliquimus omnia.* I Joan., ii : *Nolite diligere mundum.* Philip., iv : *Omnia arbitratus sum ut stercora.* De secundo, Joan., xv : *Si de mundo essetis, mundus quod suum est diligeret : quia vero de mundo non estis, propterea odit vos mundus.* Item non vivunt secundum mores mundi. Mores mundi sunt gaudere, deliciis affluere; mores vero sanctorum sunt tristari, flere et affligi. Joan., xvi : *Mundus gaudebit : vos autem contristabimini.* Item dicit Apostolus : *Nostra conversatio in cœlis est,* et non in mundo.

Benignitas Christi notatur in secunda

clausula, ibi : *Ego elegi vos de mundo.* Primo elegit tam viles servos quam eligeretur. Joan., xv : *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos,* etc. Elegit autem Dominus sanctos de mundo propter tria. Primo, propter ipsius mundi malignitatem ; secundo, propter pœnarum, quæ in eo sunt, multiplicitatem ; tertio, propter pereundi necessitatem. De primo, Joan., v : *Totus mundus in maligno positus est.* De secundo, Gregorius : « Contemnendus est hic mundus, etiam si rebus prosperis animam demulcet ; nunc autem quia tot calamitatibus premit, quid aliud nisi ut contemnatur clamat? De tertio, I Joan., II : *Et mundus transit et concupiscentia ejus.*

Mundi malignitas notatur in tertia clausula, ibi : *Propterea odit vos mundus;* et apparet magna iniquitas, qua mundus odit sanctos, maxime propter tria. Primo, quia ab ipsis mundus illuminatur ; secundo, quia per ipsos a periculis liberatur ; tertio, quia per ipsos salvatur. De primo, Matth., v : *Vos estis lux mundi.* Philip., III : *Vos estis testes lucis in mundo.* De secundo, Genes., XIX : *Si invenero ibi justos, parcam eis,* etc. Unde sequitur quod sancti sunt causa quod mundus non perit. Item mundus per sanctos salvatur ; unde uni ex eis dictum est, Gen., XLI : *Vocavit nomen ejus Salvatorem mundi;* et Isa., XIX : *Mittet eis Salvatorem,* etc.

Patet quod sanctis istis conveniant verba ista. Ipsi non fuerunt de mundo, sed electi a Deo ; ideo mundus odivit eos et occidit, et propter hoc venerunt ad vitam æternam, ad quam, etc.

De eodem : *Propter te mortificamur tota die.* Quære in festo SS. Joannis et Pauli.

SERMO LXXIV.

In festo omnium Sanctorum, ex Evangelio.

Videns Jesus turbas, ascendit in montem, Matth., v. In his verbis duo notantur, scilicet Dei benignitas et ipsius majestas. *Videns Jesus turbas,* quas Deus vidit diversis temporibus oculis suæ bonitatis. Prima fuit turba angelorum, quam vidit in initio temporis, eos in beatitudine confirmando. Gen., I : *Vidit Deus lucem, quod esset bona,* id est angelicam naturam, dicit Augustinus. Secunda, patriarcharum, quam vidit, eos fide illuminando. Oseæ, IX : *In cacumine ejus vidit patres eorum,* id est in sublimitate sanctitatis. Tertia, turba prophetarum, quam vidit prophetali radio illuminando. Jer., I : *Priusquam te formarem in utero, novi te.* Quarta, turba apostolorum, quam vidit eos ad prædicationis officium mittendo. Matth., IV : *Vidit duos fratres, et ait illis : Venite post me ; faciam vos fieri piscatores hominum.* Quinta, turba martyrum, quam vidit, eos in passione consolando. Psal. XXXIII : *Oculi Domini super justos.* Sexta, turba confessorum, quam vidit, eos luce scientiæ illuminando. Psal. XXXII : *Oculi Domini super timentes eum.* Septima, turba virginum, quam vidit, sibi inseparabiliter copulando. Apoc., XIV : *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati;* et post : *Hi sequuntur Agnum quocumque ierit.* Istæ sunt septem turbæ, de quibus dicitur in Evangelio.

Primæ turbæ convenit primo beatitudo, scilicet : *Beati pauperes spiritu,* id est angeli humiles, qui pauperes extiterunt superbia, qua dives et plenus fuit Lucifer cum suis sequacibus. Secunda, patriarchis, qui fuerunt mites, qui tot minis lacessiti mansuetudinem servabant, et ideo data est eis terra promissionis. Tertia, prophetis, qui propter mala quæ videbant, fletibus vacabant. Quarta, apostolis, qui tantam habuerunt famem justitiæ quod, ut satiari possent, eam per totum mundum quærebant. Quinta, scilicet misericordia, martyribus qui ita fuerunt pleni misericordia ut eam suis persecutoribus impenderint. Sexta, virginibus, qui munditiam corpore et mente servabant. Septima, confessoribus, qui, ut pacifice possent vivere, ab omni inquietudine se segregabant.

In visione ergo turbarum apparet ejus bonitas, sed in montis ascensione apparet ejus majestas. Ascendit, inquam, in montem ; ascendit in triplicem montem. Primus mons, Patris divinitas ; secundus, Matris virginitas ; tertius, cœli sublimitas. De primo, Psal. LVII : *Mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo.* Dominus enim inhabitat inaccessibilem lucem æternitatis. I Timoth., I : *Lucem inhabitat inaccessibilem.* De secundo, Dan., IV : *Lapis abscissus est de monte sine manibus,* quia natus est Christus de Virgine sine opere humano. De tertio, Psal., XXIII : *Qui ascendet in montem Domini?* Primum montem ascendit ab æterno in sua a Patre generatione ; secundum, in

incarnatione; tertium, in ascensione. De primo, Matth., ult. : *Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum;* hoc est, ascendisse me ab æterno, modo apparet. De secundo, Isa., XIX : *Ascendit Dominus super nubem levem,* etc. De tertio, Ephes., III. In prima ascensione apparet æternitas, in secunda ejus humanitas, in tertia ejus gloria. In prima, est adorandus ; in secunda, amandus; in tertia, desiderandus, etc.

SERMO LXXV.

De sancto Martino.

Scidi pallium meum, evulsi capillos et barbam, et sedi mœrens, Esth., IX. Hæc verba possunt exponi de beato Martino, et notantur hic tria, quæ fecit in triplici statu : scilicet in statu militis, in statu monachi, et in statu episcopi; fuit enim miles, monachus et episcopus. Miles pallium scidit ad litteram, et pauperi nudo dedit. Isa., IV : *Cum videris nudum, operi eum.* Monachus capillos evulsit, id est temporalia reliquit, quæ per capillos designantur; episcopus mœrens sedit, quia ad episcopum pertinet peccata subditorum flere. Jerem., II : *Quis dabit capiti meo aquam ... ut lugeam peccata populi mei?*

Moraliter in verbis istis notantur tria necessaria pœnitenti: scilicet contritio, confessio et carnis maceratio. Primum, ibi : *mœrens.* Est enim contritio dolor de peccatis. Psal. VI : *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo,* etc. Secundum, ibi : *Evulsi capillos et barbam,* id est peccata mentis et carnis, scilicet carnalia et spiritualia, quæ radenda sunt novacula confessionis. Ezech., V : *Sume tibi gladium acutum radens pilum,* etc. Carnis maceratio pertinet ad satisfactionem. Nota ibi : *Scidi pallium.* Per pallium intelligitur corpus, Cant., V : *Tulerunt pallium meum,* id est corpus; vox est Martini, etc.

SERMO LXXVI.

De sancta Cæcilia.

Mulier diligens, corona est viro suo, Prov., XII. Hæc verba possunt exponi de beata Cæcilia, et notantur hic tria de ea. Primo, ipsius natura exprimitur; secundo, virtus subjungitur; tertio, virginitatis præmium exprimitur. Primum, ibi : *Mulier;* secundum, ibi : *diligens;* tertium, ibi : *corona est viro suo.*

Circa primum sciendum quod beata Cæcilia fuit mulier speciosa, gratiosa et gloriosa. Speciosa propter tria. Primo, propter virginitatis candorem; secundo, propter martyrii ruborem; tertio, propter corporis decorem. Fuit ergo virgo, martyr et pulchra. De primis duobus, Cant., I : *Ecce tu pulchra es, amica mea.* De tertio, in legenda sua. Gratiosa fuit in tribus. Deo per humilitatem, angelis per puritatem, et hominibus per benignitatem. De primo, I Petr., I : *Humilibus dat gratiam.* Gloriosa fuit propter tria : in rationabili propter aureolam prædicationis, in irascibili propter aureolam martyrii, in concupiscibili propter aureolam virginitatis. Fuit enim prædicatrix, martyr et virgo. Patent hæc in legenda sua.

Circa secundum sciendum quod fuit diligens in quinque. Primo, in carnis maceratione; secundo, in Dei dilectione; tertio, in devota oratione; quarto, in eleemosynarum elargitione; quinto, in aliorum conversione. De primo : « Cilicio Cæcilia carnem domabat. » De secundo : « Cantantibus organis Cæcilia soli Deo decantabat. » De tertio : « Non diebus nec noctibus a collocutione Dei et oratione cessabat. » De quarto, in legenda de pauperibus quos misit ad Urbanum. De quinto, patet in conversione viri confratris; unde sequitur : *Corona est viro suo* in vita æterna; fuit viro suo moraliter.

De coronis quære in festo sancti Stephani, etc.

SERMO LXXVII.

De sancto Clemente.

Aquæ multæ non potuerunt extinguere caritatem, etc., Cant., VIII. Satis patet quomodo hæc verba conveniunt beato Clementi. Tanta enim fuit in eo caritas quod omnes aquæ maris non potuerunt eam extinguere. Notantur autem hic tria circa passionem ejus. Primo, ejus passionis acerbitas; secundo, perseverantiæ constantia; tertio, ipsius caritas. Primum, ibi : *Aquæ multæ,* id est marinæ, quod est omnium aquarum congregatio, in quo fuit submersus beatus Clemens. Secundum, ibi : *non*

potuerunt extinguere. Nulla enim tribulatio eum potuit ab amore Christi separare. Rom., VIII : *Quis nos separabit a caritate Christi? Tribulatio,* etc. Tertium, ibi : *caritatem.* Sunt enim quatuor actus caritatis specialiter, qui fuerunt in beato Clemente. Primus actus est unire diligentem cum dilecto, id est hominem cum Deo. Secundus vivificare ; et de his duobus Augustinus (alius Auctor) in lib. *De spiritu et anima :* « Quid est caritas, nisi vita copulans diligentem cum dilecto? » Tertius diligere. Dionysius : « Amorem, inquit, sive divinum, sive angelicum, sive intellectualem, sive naturalem dicimus quamdam unitivam virtutem superiora moventem ad inferiora in providentiam æquiformem, in socialem vicissitudinem, novissimam substantiam ad meliorum et superpositorum conversionem. » Quartus actus caritatis est desiderare præsentiam dilecti continuam. Augustinus in lib. *De moribus :* « Caritas est rectissima animæ nostræ conversio qua nos jungimur Deo. » Cant., II : *Nuntiate dilecto, quia amore langueo,* etc.

SERMO LXXVIII.

De sancta Catharina.

Sapiens mulier ædificat domum suam, Prov., XIV. Hæc verba possunt exponi de beata Catharina, et notantur hic duo. Primum, ejus sapientia; secundum, utilitas. Primum, ibi : *Sapiens mulier;* secundum, ibi : *ædificat domum suam.*

Circa primum sciendum quod beata Catharina significatur per tres mulieres sapientes, de quibus invenitur in textu. Prima mulier sapiens Abigail. I Reg., XXV : *Erat autem mulier sapiens et speciosa.* Secunda, mulier Thecuitis. II Reg., XIV : *Misit, et tulit inde mulierem sapientem.* Tertia, mulier Debora. Judicum, V : *Et clamavi mulier sapiens,* etc. Prima mulier fuit sapiens in ethica; miro enim modo philosophata est de moribus, sicut patet ibidem. *Malitia,* inquit, *non inveniatur in te omnibus diebus vitæ tuæ.* Secunda mulier sapiens fuit in physica, quia locuta est de naturis rerum. *Omnes,* inquit, *morimur, et quasi aquæ dilabimur in terram quæ non revertuntur.* Tertia mulier fuit sapiens in logica; est enim logica rationalis scientia, inquirens verum. Ipsa rationabiliter loquendo respondebat veritatem. Hæc est quæ dicit : *Nonne ego sum quæ impendo veritatem?* etc.

Et in ista triplici sapientia fuit sapiens B. Catharina, sicut in legenda sua dicitur. Prima mulier liberavit Nabal per suam sapientiam, secunda Absalon, tertia civitatem. B. Catharina sua sapientia liberavit philosophos a damnatione perpetua ad Christi fidem convertendo; liberavit fideles in fide Christi confirmando; liberavit Ecclesiam a confusione, regem et philosophos convertendo. Per Nabal, qui interpretatur stultus, significantur illi quorum sapientiam stultam fecit Deus. I Corinth., I : *Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi?* Per Absalon fideles interpretantur; est enim patris luctus vel amaritudo; Christus autem pro fidelibus flevit, et passiones et amaritudines sustinuit. II Petr., II : *Christus passus est pro nobis,* etc. Thren., III : *Recordare paupertatis et transgressionis meæ,* etc. Civitas vero figurat Ecclesiam. Psal. CXXI : *Jerusalem, quæ ædificatur ut civitas.*

Fuit ergo sapiens mulier, scilicet quia utilitas sapientiæ ejus ædificavit Ecclesiam tripliciter. Primo, lapides in ejus ædificio construendo; secundo, constructos confirmando; tertio, destructori resistendo. Primum patet in philosophis, quos in ædificationem Ecclesiæ collocavit; secundum, patet in fidelibus, quos verbis et exemplis confirmavit. Tertium, in rege, quem confutavit. Et propter istas sapientias habuit quinque alias sapientias, quæ sunt sapientiæ sanctorum. Prima est Deum timere. Secunda, a malo recedere. De his duobus Job, XXVIII : *Ecce timor Domini, ipse est sapientia,* ecce primum; *et recedere a malo intelligentia*, ecce secundum. Tertia, sapientia sanctorum est bona agere. Quarta, mala pati. Quinta, in his perseverare. Augustinus : « Sapientia sanctorum est bona agere, et pati mala, et in his perseverare. » In istis sapientiis studere debemus, etc.

SERMO LXXIX.

De sancto Andrea, ex Evangelio.

At illi continuo, relictis retibus, secuti sunt eum, Matth., IV. Tria docent nos hic isti apostoli exemplo suo. Primum, continuo Deo obedire; secundum, retia relinquere; tertium, post ipsum ire. Primum,

ibi : *continuo;* secundum, ibi : *relictis retibus;* tertium, ibi : *secuti sunt eum.*

Circa primum nota quod propter quatuor maxime debemus continuo Deo obedire. Primo, quia continuo desinimus; secundo, quia continuo veniet inobedientibus ira illius; tertio, quia continuo datur obedientibus præmium; quarto, quia continuo sibi irrationales creaturæ obediunt. De primo, Sapient., II : *Et nos nati continuo desinimus esse.* De secundo, Eccli., V : *Subito veniet ira illius.* De tertio, Isa., LX : *Ego sum, subito faciam illud :* loquitur de præmio sanctorum. De quarto, Matth., XX : *Arefacta est continuo ficulnea,* ex quo præcepit ei Dominus.

Circa secundum nota quod quadruplex est rete quod est cavendum. Primum sunt divitiæ sæculares. Job, XVIII : *Misit in rete pedes suos.* Secundum, mala mulier. Habac., I : *Congregavit in rete suum.* Bernardus de sorore sua dixit quod erat rete diaboli. Tertium, adulator amicus proditor. Proverb., XXIX : *Homo qui blandis fictisque sermonibus loquitur amico suo, rete expandit gressibus ejus.* Quartum, ultio divina. Oseæ, VIII : *Expandi super eos rete meum.*

Circa tertium nota quod Dominus promittit quatuor sequentibus se. Primo, vitæ claritatem. Joan., VIII : *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Secundo, judiciariam potestatem. Matth., XIX : *Vos qui secuti estis me, sedebitis super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.* Tertio, thesaurum cœlestem. Ibidem : *Veni, sequere me, et habebis thesaurum in cœlis.* Quarto, loci amœnitatem. Joan., XI : *Si quis mihi ministrat, me sequatur; et ubi ego sum, illic et minister meus erit.* Primum est præmium rationalis; secundum, irascibilis; tertium, concupiscibilis; quartum, corporis; ad quod perducat nos Deus, etc.

SERMO LXXX.

De eodem.

Ascendam in palmam, et apprehendam fructus ejus, Cant., VIII. In his verbis tria notantur ad laudem beati Andreæ, cujus verba hæc possunt esse. Primo, patiendi voluntas, ibi : *Ascendam ;* secundo, passionis qualitas, ibi : *in palmam;* tertio, passionis utilitas, ibi : *et apprehendam fructus ejus.*

Circa primum nota quod octo sunt gradus ascendendi in palmam, id est in crucem. Primus gradus, persecutoris aggressus. Secundus, devota martyrii processio ; de his duobus in vita sua. Tertius, devota de cruce prædicatio ; in legenda, ibi : « O si scires virtutem crucis, » etc. Quartus, carceris toleratio, ibi : « Jussit eum in carcerem detrudi. » Quintus, populorum eum liberare volentium prohibitio, ibi : *Nolite sanctum.* Sextus, funium procellatio, ibi : « Jussit eum funibus cædi. » Septimus, devota ut pati mereretur oratio, ibi : « O beata crux. » Ezech., XL : *Et septem graduum erat ascensus ejus.*

Circa passionem notandum quod passus est desideranter, ibi : « Jam concupiscenti animo præparata ; » confidenter, ibi : « Securus ; » lætanter, ibi : « Gaudens venio ad te ; » constanter, quia nunquam a prædicatione cessabat ; » longanimiter, ibi : « biduo ; » gratanter, gratias agendo ; perseveranter, quia nunquam nisi mortuus descendere voluit.

Circa tertium nota quod ipse collegit duodecim fructus de palma illa , id est duodecim gaudia paradisi. Apoc., XXII : *Et lignum afferens fructus duodecim per singulos menses,* etc.

SERMO LXXXI.

De sancto Nicolao, ex Epistola.

Ecce sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo, et inventus est justus, Eccli., XLIV. In his verbis commendatur iste sanctus a sex. Primo, a divina ad sacerdotium vocatione, ibi : *Ecce quia hic est quem Dominus elegit.* Hebr., V : *Nemo assumit sibi honorem, nisi qui vocatur a Deo.* Secundo, a sacerdotalis officii executione, ibi : *sacerdos,* id est sacer dux populum per bona exempla ad vitam æternam ducendo. I Tim., IV : *Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate,* etc. Vel sacra dans, sacramenta devote tribuendo. Matth., ult. : *Baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Vel sacra docens, doctrinæ insistendo. II Tim., VI : *Prædica verbum, insta opportune, importune.* Tertio, a virtutum splendore, ibi : *in diebus suis.* Habuit enim septem dies. Diem Solis, id est donum sapientiæ; diem Lunæ id est donum intellec-

tus : diem Martis, id est fortitudinis ; diem Mercurii, id est consilii ; diem Jovis, id est scientiæ ; diem Veneris, id est pietatis ; diem Saturni, id est timoris. De his septem diebus, Deut., XVIII : *Septem diebus non apparebit fermentum,* quia in istis diebus nihil habere debemus de hypocrisi, vel inani gloria. Luc., XII : *Attendite a fermento pharisæorum, quod est hypocrisis.* Quarto, commendatur a recta intentione, ibi : *placuit Deo,* non hominibus. Gal., I : *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.* Quinto, a sancta conversatione, ibi : *inventus est justus,* id est apparuit. I Petr., II : *Conversationem vestram inter gentes habentes bonam.* II Petr., II : *Aspectu enim et auditu iustus erat.* Sexto, a devota oratione, ibi : *Factus est reconciliatio;* per orationem enim fit reconciliatio. Sap., XVIII : *Properans enim homo sine querela deprecari pro populis, proferens servitutis suæ scutum orationem, et per incensum deprecationem alligans, restitit iræ, et finem imposuit necessitatis.*

NOTA. *Qui in diebus suis placuit Deo.* Illos dies debemus studere habere, qui expellunt septem noctes septem vitiorum. Timor expellit superbiam, pietas iram, scientia invidiam, fortitudo accidiam, consilium avaritiam, intellectus gulam, sapientia luxuriam, etc.

SERMO LXXXII.

De beata Lucia.

Qui gloriatur, in Domino glorietur, II Cor., X. Omnis rationalis creatura appetit gloriam, quia ad hoc creata est; ideo Apostolus docet hic ubi invenitur vera gloria. Est enim gloria falsa in divitiis temporalibus. Psal. XI : *In multitudine divitiarum suarum gloriantur.* Vana in honoribus sæcularibus. Psal. IX : *Gloriantur in simulacris suis,* id est in sæculi dignitatibus. Jerem., VIII : *Non glorietur sapiens in sapientia sua, et non glorietur fortis in fortitudine sua,* etc. Stulta in voluptatibus ; stultum est enim gloriari in escis mortalibus. I Tim., V : *Quæ in deliciis est, viva mortua est.* Mala in iniquitatibus. Psal. LI : *Quid gloriaris in malitia?* Prima convertetur in inopiam. Job, XXVII : *Dives cum dormierit, nihil secum auferet, aperiet oculos suos, et nihil inveniet,* etc. Secunda, in ignominiam. Oseæ, XI : *Gloria eorum in ignominiam commutatur.* Tertia, in luctus angustiam. Apoc., XVIII : *Quantum se glorificavit et in deliciis fuit, tantum date ei tormentum et luctum,* etc. Quarta, in æterna tormenta. Psalm. XX : *Pluet super peccatores laqueos.* Isa., ult. : *Vermis eorum non morietur,* etc. Vera gloria in Domino est gloriari in ejus cognitione. Jer., IX : *In hoc glorietur qui gloriatur, scire et nosse me : quia ego sum Dominus, qui facio misericordiam et judicium et justitiam in terra.* Item in mirabilium ejus consideratione. Eccli., XVIII : *Gloriari in mirabilibus ejus.* Item in Dei dilectione. Psal. V : *Gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomen tuum.* Item in Dei laudatione. Psal. CV : *Gloriemur in laude tua.* Item in Dei perfruitione. Psal. XVI : *Satiabor cum apparuerit gloria tua,* etc.

SERMO LXXXIII.

De sancto Thoma apostolo.

Dedit abyssus vocem suam ; altitudo manus suas levavit, Habacuc, III. Possunt hæc verba exponi de beato Thoma, et notantur hic duo. Primum, Thomæ fidelitas, ibi : *altitudo manus suas levavit;* secundum divina bonitas, ibi : *debit abyssus vocem suam.*

Abyssus dicitur Thomas propter tria. Primo, propter nominis rationem; secundo, propter etymologiæ significationem ; tertio, propter definitionem. Propter nominis rationem, quia Thomas interpretatur abyssus. Propter etymologiæ significationem, quia abyssus dicitur ab *a,* quod est sine, et *byssus,* quod est pannus candidus, id est sine candore lucis ; fuit enim aliquando sine candore et luce fidei. Propter definitionem, quia abyssus est profunda aquarum congregatio. Aquæ profundæ sunt verba profunda, quæ fuerunt in beato Thoma. Proverb., XVII : *Aqua profunda verba ex ore viri.* Hic abyssus dedit quintuplicem vocem. Prima dilectionis. Joan., XI : *Eamus et nos, et moriamur cum illo.* Secunda dubitationis. Joan., XX : *Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, et mittam digitum meum in locum clavorum, et mittam manum meam in latus ejus, non credam,* etc. Tertia confessionis. Joan., XX : *Dominus meus et Deus meus.* Quarta obedientiæ : *Domine, quo vis mitte me.* Quinta justitiæ, quando rogavit ut ille qui eum percusserat, puniretur in præsenti. Dedit etiam et sextam

vocem, scilicet prædicationis Judæorum, et sponsi et sponsæ conversionem.

Bonitas Dei notatur, ibi : *Altitudo manum suam levavit.* Altitudo Christus, quia tunc manus ad litteram levavit, quando eas Thomæ ad dandam fidem de sua resurrectione vera ostendit. Levavit autem Dominus manus ad quatuor. Primo, ad offerendum sacrificium pro mundi expiatione. Psal. CXL : *Elevatio manuum mearum, sacrificium vespertinum.* Secundo, ad dandam benedictionem. Lucæ, ult. : *Elevatis manibus, benedixit eis.* Tertio, ad potentiæ suæ ostensionem. Deut., XXXII : *Et levabo manus meas ad cœlum.* Quarto, ad malorum percussionem. Eccli., XXXVI : *Alleva manum tuam super gentes alienas.* Pro prima allevatione debemus eum diligere ; pro secunda ei gratias agere ; pro tertia eum timere ; pro quarta sibi obedire. De prima, Bernardus : « Super omnia, » etc. De secunda, Ephes., I : *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nobis in omni benedictione spirituali in cœlestibus.* De tertia, Matth., X : *Eum timete qui potest et animam et corpus perdere in gehennam.* De quarto, Deuteron., XVIII : *Qui autem verba ejus quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam,* etc. Ad quam benedictionem perducat nos Christus. Amen.

OPUSCULUM V.

OFFICIUM DE FESTO CORPORIS CHRISTI

AD MANDATUM URBANI PAPÆ IV DICTUM FESTUM INSTITUENTIS.

(EDIT. ROM. LXVII.)

AD PRIMAS VESPERAS.

Antiph. Sacerdos in æternum Christus Dominus secundum ordinem Melchisedech, panem et vinum obtulit. *Psalm.* Dixit Dominus [1].

Antiph. Miserator et misericors Dominus escam dedit timentibus se in memoriam suorum mirabilium. *Psalm.* Confitebor.

Antiph. Calicem salutaris accipiam, et sacrificabo hostiam laudis. *Psalm.* Credidi.

Antiph. Sicut novellæ olivarum Ecclesiæ filii sint in circuitu mensæ Domini. *Psalm.* Beati omnes.

Antiph. Qui pacem ponit fines Ecclesiæ, frumenti adipe satiat nos Dominus. *Psalm.* Lauda, Jerusalem.

CAPITULUM.

Dominus Jesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, et gratias agens fregit, et dixit : Accipite, et manducate : hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur [2]. ℟. Deo gratias.

℟. Homo quidam fecit cœnam magnam, et misit servum suum hora cœnæ dicere invitatis ut venirent : Quia parata sunt omnia. ℣. Venite, comedite panem meum. et bibite vinum meum, quod miscui vobis. Quia. Gloria. Quia.

HYMNUS.

Pange, lingua, gloriosi
Corporis mysterium,
Sanguinisque pretiosi,
Quem in mundi pretium,
Fructus ventris generosi
Rex effudit gentium.
Nobis datus, nobis natus,
Ex intacta Virgine,
Et in mundo conversatus,
Sparso verbi semine,
Sui moras incolatus
Miro clausit [3] ordine.
In supremæ nocte cœnæ
Recumbens cum fratribus,
Observata lege plene
Cibis in legalibus,
Cibum turbæ duodenæ
Se dat suis manibus.
Verbum caro panem verum,
Verbo carnem efficit;
Fitque [4] sanguis Christi merum,
Et si sensus deficit,

[1] *Ps.* Laudate, pueri. *Ps.* Laudate Dominum. *Ps.* Lauda, anima. *Ps.* Laudate Dominum. *Ps.* Lauda, Jerusalem — Sic Breviarium FF. Prædicatorum mss. n. 10484 Biblioth. reg. Parisiensis, nec ulla alia datur antiphona ad psalmos, nisi « Sacerdos in æternum. » — [2] « Hoc facite in meam commemorationem. » Sic prædictum Breviarium. — [3] Breviarium reg. : « claudit. » — [4] Breviarium reg. : « Et sic sensus deficit. »

Ad firmandum cor sincerum
Sola fides sufficit.
Tantum ergo sacramentum
Veneremur cernui;
Et antiquum documentum
Novo cedat ritui;
Præstet fides supplementum
Sensuum defectui.
Genitori genitoque
Laus et jubilatio,
Salus, honor, virtus quoque
Sit et benedictio,
Procedenti [1] ab utroque
Compar sit laudatio. Amen,

℣. Panem de cœlo præstitisti eis.
℟. Omne delectamentum [2] in se habentem.

Ad Magnificat *Antiph.* O quam suavis est, Domine, spiritus tuus! qui ut dulcedinem tuam in filios demonstrares, pane suavissimo de cœlo præstito, esurientes reples bonis, fastidiosos divites dimittis inanes.

ORATIO.

Deus qui nobis sub sacramento mirabili passionis tuæ memoriam reliquisti, tribue quæsumus ita nos corporis et sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuæ fructum in nobis jugiter sentiamus. Qui vivis, etc.

AD COMPLETORIUM [3].

Antiph. Miserere. *Psal.* Cum invocarem *cum cæteris.*

Ad Nunc dimittis *Antiph.* Alleluia, alleluia. Panis quem ego dedero, Alleluia. Caro mea est pro mundi vita, Alleluia.

AD MATUTINAS.

Invitatorium. Christum regem adoremus dominantem gentibus. Qui se manducantibus dat spiritus pinguedinem. *Psal.* Venite.

HYMNUS.

Sacris solemniis juncta sint gaudia,
Et ex præcordiis sonent præconia.
Recedant vetera, nova sint omnia,
Corda, voces et opera.
Noctis recolitur cœna novissima,
Qua Christus creditur agnum et azyma
Dedisse fratribus juxta legitima
Priscis indulta patribus,
Post agnum typicum expletis epulis,
Corpus dominicum datum discipulis
Sic totum omnibus quod totum singulis,
Ejus fatemur manibus.
Dedit fragilibus corporis ferculum,
Dedit et tristibus sanguinis poculum,
Dicens : Accipite quod trado vasculum,
Omnes ex eo bibite.
Sic sacrificium istud instituit,
Cujus officium committi voluit
Solis presbyteris, quibus sic congruit,
Ut sumant, et dent cæteris.
Panis angelicus fit panis hominum,
Dat panis cœlicus figuris terminum.
O res mirabilis! manducat Dominum
Pauper servus [4] et humilis.
Te trina deitas unaque poscimus,
Sic nos [5] tu visita, sicut te colimus,
Per tuas semitas duc nos quo tendimus
Ad lucem quam inhabitas [6]. Amen.

In primo Nocturno.

Antiph. Fructum salutiferum gustandum dedit Dominus mortis suæ tempore. *Psal.* Beatus vir.

Antiph. A fructu frumenti et vini multiplicati fideles in pace Christi requiescunt. *Psal.* Cum invocarem.

Antiph. Communione calicis, quo Deus ipse sumitur, non vitulorum sanguine, congregavit nos Dominus. *Psal.* Conserva.

℣. Panem cœli dedit eis.
℟. Panem angelorum manducavit homo.

LECTIO I.

Immensa divinæ largitatis beneficia exhibita populo christiano inæstimabilem ei conferunt dignitatem. Neque enim est aut fuit aliquando tam grandis natio, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut adest nobis Deus noster. Unigenitus siquidem Dei Filius suæ divinitatis volens nos esse participes, naturam nostram assumpsit, ut homines deos faceret factus homo. Et hoc insuper quod de nostro assumpsit, totum nobis contulit ad salutem. Corpus namque suum pro nostra reconciliatione in ara

[1] Breviarium reg. : « Procedentis. » — [2] Breviar. reg. : « delectamentum suavitatis. » — [3] Completorium hic in Breviar. reg. desideratur. — [4] Breviar. reg. : « Servus pauper. » — [5] Breviar. reg. : « sicut nos visitas. » — [6] Breviar. reg. : « quam habitas. »

crucis hostiam obtulit Deo Patri; sanguinem suum fudit in pretium simul et lavacrum, ut redempti a miserabili servitute, a peccatis omnibus mundaremur.

℟. Immolabit hædum multitudo filiorum Israel ad vesperam paschæ. * Et edent carnes, et azymos panes.

℣. Pascha nostrum immolatus est Christus, itaque epulemur in azymis sinceritatis et veritatis. * Et edent.

LECTIO II.

Ut autem tanti beneficii jugis in nobis maneret memoria, corpus suum in cibum et sanguinem suum in potum sub specie panis et vini sumendum fidelibus dereliquit. O pretiosum et admirandum convivium, salutiferum et omni suavitate repletum! Quid enim hoc convivio pretiosius esse potest, in quo non carnes vitulorum et hircorum, ut olim in lege, sed nobis sumendus proponitur Christus verus Deus? Quid hoc sacramento mirabilius? In ipso namque panis et vinum in Christi corpus et sanguinem substantialiter convertuntur. Ideoque Christus Deus et homo perfectus, sub modici [1] panis et vini specie continetur.

℟. Comedetis carnes, et saturabimini panibus. * Iste est panis quem dedit vobis Dominus ad vescendum.

℣. Non Moyses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum. * Iste.

LECTIO III.

Manducatur itaque a fidelibus, sed minime laceratur, quinimo diviso sacramento integer sub qualibet divisionis particula perseverat. Accidentia autem [2] sine subjecto in eodem subsistunt, ut fides locum habeat, dum visibile invisibiliter sumitur aliena specie occultatum, et sensus a deceptione reddantur [3] immunes, qui de accidentibus judicant sibi notis. Nullum etiam sacramentum est isto salubrius, quo purgantur peccata, virtutes augentur, et mens omnium spiritualium charismatum abundantia impinguatur. Offertur in Ecclesia pro vivis et mortuis, ut omnibus prosit quod est pro salute omnium institutum.

℟. Respexit Elias ad caput suum subcinericium panem, qui surgens comedit et bibit. * Et ambulavit in fortitudine cibi illius. Usque ad montem Dei.

℣. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. * Et ambul. Gloria. * Usque.

In secundo Nocturno.

Antiph. Memor sit Dominus sacrificii nostri, et holocaustum nostrum pingue fiat. *Psal.* Exaudiat.

Antiph. Paratur nobis mensa Domini adversus omnes qui tribulant nos. *Psal.* Dominus regit.

Antiph. In voce exultationis resonent epulantes in mensa Domini. *Psal.* Quemadmodum.

℣. Cibavit eos ex adipe frumenti.

℟. Et de petra melle saturavit eos.

LECTIO IV.

Suavitatem denique hujus sacramenti nullus exprimere sufficit; per quod spiritualis dulcedo in suo fonte gustatur, et recolitur memoria illius, quam in sua passione Christus monstravit, excellentissimæ caritatis [4]. Unde ut arctius hujusmodi caritatis immensitas fidelium cordibus infigeretur, in ultima cœna quando pascha cum discipulis celebrato transiturus erat de hoc mundo ad Patrem, hoc sacramentum instituit tanquam passionis suæ memoriale perenne, figurarum veterum impletivum, miraculorum ab ipso factorum maximum, et de sua contristatis absentia solatium singulare reliquit [5].

℟. Panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita. Litigabant ergo Judæi dicentes: * Quomodo potest hic nobis dare carnem suam ad manducandum?

℣. Locutus est populus contra Dominum: Anima nostra nauseat super cibo isto levissimo. * Quomodo.

LECTIO V.

Convenit itaque devotionibus [6] fidelium solemniter recolere institutionem tam sa-

[1] Breviar. reg. non habet « modici. » — [2] Breviar. reg. : « accidentia enim. » — [3] Breviar. reg. : « immunes redduntur. » — [4] Hic in Brev. reg. lectio III^a desinit, et lectio IV^a sic incipit : « Et ut ejus immensitas cordibus infigeretur fidelium. » — [5] Breviarium reg. omittit : « reliquit. » — [6] Breviar. reg. : « devotioni. »

lutiferi tamque mirabilis sacramenti, ut ineffabilem modum divinæ præsentiæ in sacramento visibili veneremur; et laudetur Dei potentia, quæ in sacramento eodem tot mirabilia operatur; nec non et de tam salubri tamque suavi beneficio exolvantur Deo gratiarum debitæ actiones[1]. Verum etsi in die cœnæ quando sacramentum prædictum noscitur institutum, inter missarum solemnia de institutione ipsius specialis mentio habeatur; totum tamen residuum ejusdem diei officium ad Christi passionem pertinet, circa cujus venerationem Ecclesia illo tempore occupatur. Ut autem[2] integro celebritatis officio institutionem tanti sacramenti recoleret plebs fidelium, romanus Pontifex Urbanus IV[3], hujus sacramenti devotione affectus, pie statuit præfatæ institutionis memoriam prima quinta feria post octavas Pentescostes a cunctis fidelibus celebrari; ut qui per totum anni circulum hoc sacramento utimur ad salutem, ejus institutionem illo tempore specialiter[4] recolamus quo Spiritus sanctus corda discipulorum edocuit ad plene cognoscenda hujus mysteria sacramenti. Nam et in eodem tempore cœpit[5] hoc sacramentum a fidelibus frequentari[6].

℟. Cœnantibus illis accepit Jesus panem, et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, et ait : * Accipite, et comedite : hoc est corpus meum.

℣. Dixerunt viri tabernaculi mei : Quis det de carnibus ejus, ut saturemur? * Accipite.

LECTIO VI.

Ut autem prædicta quinta feria, et per octavas sequentes, ejus[7] salutaris institutionis honorificentius agatur memoria, et solemnitas de hoc celebrior habeatur; loco distributionum materialium, quæ in ecclesiis cathedralibus largiuntur existentibus[8] horis canonicis nocturnis pariterque diurnis; prælatus romanus Pontifex eis qui hujusmodi horis in hac solemnitate personaliter in ecclesiis interfuerint[9], stipendia spiritualia, apostolica largitione concessit; quatenus per hæc fideles ad tanti festi celebritatem avidius et copiosius convenirent. Omnibus igitur vere pœnitentibus et confessis, qui matutinali officio hujus festi præsentialiter in ecclesia ubi celebrabitur aderunt, centum dies; qui vero missæ, totidem; illis autem qui interfuerint in primis ipsius festi vesperis, similiter centum; qui vero in secundis, totidem; eis quoque qui Primæ, Tertiæ, Sextæ, et Nonæ, ac Completorii aderunt[10] officiis, pro qualibet ipsarum quadraginta; illis vero qui per ipsius festi octavas in matutinalibus vespertinis missæ ac horarum prædictarum officiis præsentes extiterint[11] singulis diebus octavarum ipsarum centum dies de injunctis sibi pœnitentiis relaxando, indulgentiam tribuit perpetuis temporibus duraturam[12].

℟. Accepit Jesus calicem postquam cœnavit dicens : * Hic calix novum testamentum est in meo sanguine. * Hoc facite in meam commemorationem.

℣. Memoria memor ero, et tabescet in me anima mea. * Hic. Gloria. * Hoc.

In tertio Nocturno.

Antiph. Introibo ad altare Dei, sumam Christum qui renovat juventutem meam. *Psal.* Judica me Deus.

Antiph. Cibavit nos Dominus ex adipe frumenti, et de petra melle saturavit nos. *Psal.* Exultate Deo.

Antiph. Ex altari tuo, Domine, Christum sumimus, in quem cor et caro nostra exultant[13]. *Psal.* Quam dilecta.

℣. Educas[14] panem de terra.

℟. Et vinum lætificet cor hominis.

LECTIO VII.

Secundum Joannem.

In illo tempore dixit Jesus discipulis suis et turbis Judæorum : Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. Et reliqua.

[1] Hic in Breviar. reg. explicit lectio quarta. — [2] Breviar. reg. : « unde ut integro. » — [3] Breviar. reg. : « hujus nominis quartus. » — [4] Breviar. reg. : « illo specialiter tempore. » — [5] Breviar. reg. : « incœpit. » — [6] Breviar. reg. hic addit : « Legitur enim in Actibus apostolorum quod erant perseverantes in doctrina apostolorum, et in communicatione fractionis panis, et orationibus, statim post Spiritus sancti missionem. » — [7] Breviar. reg. : « ejusdem. » — [8] An « assistentibus? » — [9] Breviar. reg. : « interessent. » — [10] Breviar. reg. : « adesset. » — [11] Breviar. reg. : « existerint. » — [12] Breviar. reg. : « relaxavit, hujusmodi indulgentia futuris temporibus in perpetuum duratura. » — [13] Breviar. reg. : « exultavit. » — [14] Breviar. reg. : « educat. »

Homilia beati Augustini episcopi.

Cum enim cibo et potu id appetant homines ut non esuriant neque sitiant; hoc veraciter non præstat nisi iste cibus et potus, qui eos a quibus sumitur, immortales et incorruptibiles facit, id est ipsa societas sanctorum, ubi pax erit, et unitas plena atque perfecta. Propterea quippe, sicut ante nos intellexerunt homines Dei, Dominus noster Jesus Christus corpus et sanguinem suum in eis rebus commendavit quæ[1] ad unum aliquid rediguntur[2]. Ex multis namque gravis unus panis conficitur, et ex multis racemis vinum confluit.

℟. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, *in me manet et ego in illo.

℣. Non est alia natio tam grandis quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest nobis. * In me.

LECTIO VIII.

Denique jam exponit quomodo id fiat quod loquitur, et quid sit manducare corpus ejus et sanguinem bibere. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in eo. Hoc est ergo manducare illam escam et illum bibere potum, in Christo manere, et illum manentem in se habere. Ac per hoc qui non manet in Christo, et in quo non manet Christus, proculdubio non[3] manducat spiritualiter ejus carnem (licet carnaliter et visibiliter premat dentibus sacramenta corporis et sanguinis Christi); sed magis tantæ rei sacramentum ad judicium sibi manducat et bibit qui immundus præsumit ad Christi accedere[4] sacramentum, quod alius non digne sumit, nisi qui mundus est; de quibus dicitur : Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.

℟. Misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem; * Et qui manducat me, vivet[5] propter me.

℣. Cibavit eum Dominus pane vitæ et intellectus. * Et qui.

LECTIO IX.

Sicut[6] me misit, inquit, vivens Pater, et ego vivo propter Patrem; et qui manducat me, et ipse vivet[7] propter me[8]. Non enim Filius participatione Patris fit melior qui est Patri[9] æqualis[10], sicut[11] participatione Filii per unitatem corporis et sanguinis[12] quam[13] illa manducatio potatioque significat, nos efficit meliores. Vivimus ergo nos propter ipsum, manducantes eum, id est[14] per Christum accipientes vitam æternam, quam non habemus ex nobis. Vivit[15] autem ipse propter Patrem missus ab eo, quia semetipsum exinanivit, factus obediens usque ad mortem, mortem[16] autem crucis. Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem; et qui manducat me, et ipse vivet propter me; ac si diceret : Et ego vivo[17] propter Patrem, id est ut ad illum tanquam ad majorem referam vitam meam, exinanitio mea fecit, in qua me misit; ut autem quisque vivat propter me, participatio facit, qua manducat me. Ego autem humiliatus vivo propter Patrem, et ille erectus vivit propter me[18]. Non de ea natura dixit, qua semper est æqualis Patri,

[1] Augustinus, *Tract.* XXVI *in Joan.*, II, 17 : « quæ ad unum aliquid rediguntur ex multis. Namque aliud in unum ex multis granis confit; aliud in unum ex multis acinis confluit. » — [2] Breviar. reg. : « rediguntur ex multis. Namque aliud in unum, puta panis, ex multis gravis conficitur; aliud in unum, puta virum, ex multis acinis confluit. Deinde jam exponit, » etc. — [3] Breviar. reg. : « nec manducat ejus carnem, nec bibit sanguinem, etiam si tantæ rei sacramentum ad judicium sibi manducat et bibit. » Et sic explicit lectio septima. — [4] Augustinus, ibi, num. 18 : « sacramenta, quæ aliquis non digne sumit, » etc.; et paulo ante : « sacramentum corporis, » etc., pro « sacramenta corporis, » et mox : « quia » pro « qui. » — [5] Brev. reg. : « vivit. » — [6] Hic in Breviar. reg. lectio VIII incipit. — [7] Breviar. reg. : « vivit. » — [8] Breviar. reg. : « non ait : sicut manduco Patrem et ego vivo propter Patrem; et qui manducat me et ipse vivit propter me. Non enim Filius. » — [9] Breviar. reg. : « quis est natus æqualis, » omisso « Patri. » — [10] Idem.: « quis est natus æqualis. » — [11] Breviar. reg. : « Sicut participatio ... sanguinis quod illa ... id est ipsum accipientes ... quod non habebamus ... vivit autem propter Patrem ... mortem autem crucis. Si enim secundum id accipimus : vivo propter Patrem, quod alibi ait : Pater major me est; sicut et nos vivimus propter ipsum qui major est nobis, hoc ex eo quod missus est factum est; missio quippe ejus exinanitio suimetipsius est, et formæ servilis acceptio; quod recte intelligitur servata etiam Filii cum Patre æqualitate naturæ. » Et sic lectio VIII explicit. — [12] Idem : « corporis ejus. » — [13] Idem : « quod. » — [14] Idem : « id est, ipsum accipientes æternam vitam, quam non habemus ex nobis. » — [15] Al. : « vivet. » — [16] Augustinus tantum : « usque ad mortem crucis. » — [17] Augustinus : « Ut ego vivam propter Patrem; et mox : « Ego itaque humiliatus » pro « ego autem. » — [18] Sequentia usque ad finem lectionis in editis Augustini non habentur.

sed de ea in qua minor factus est Patre; de qua etiam superius dixit : Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso (*a*).

℟. Unus panis et unus corpus multi sumus. * Omnes qui de uno pane et de uno calice participamus.

℣. Parasti in dulcedine tua pauperi Deus, qui habitare facis unanimes in domo. * Omnes. Gloria. Participamus.

℟. Comedi favum meum cum melle meo.

℣. Bibi vinum meum cum lacte meo.

IN LAUDIBUS.

Antiph. Sapientia ædificavit sibi domum, miscuit vinum, et posuit mensam. Alleluia. *Psal.* Dominus regnavit.

Antiph. Angelorum esca nutrivisti populum tuum, et panem de cœlo præstitisti eis[1]. Alleluia.

Antiph. Pinguis est panis Christi, et præbebit delicias regibus. Alleluia.

Antiph. Sacerdotes Dei incensum et panes offerunt Deo. Alleluia.

Antiph. Vincenti dabo manna absconditum, et nomen novum. Alleluia.

CAPITULUM.

Dominus Jesus, etc., *ut in primis Vesperis.*

HYMNUS.

Verbum supernum prodiens.
Nec Patris linquens dexteram,
Ad opus suum exiens,
Venit ad vitæ vesperam.
In mortem a discipulo
Suis tradendus æmulis,
Prius in vitæ ferculo
Se tradidit discipulis.
Quibus sub bina specie
Carnem dedit et sanguinem,
Ut duplicis substantiæ
Totum cibaret hominem.
Se nascens dedit socium,
Convescens in edulium;
Se moriens in pretium,
Se regnans dat in præmium.
O salutaris hostia,
Quæ cœli pandis[2] ostium;
Bella præmunt hostilia,
Da robur, fer auxilium.
Uni trinoque Domino
Sit sempiterna gloria,
Qui vitam sine termino
Nobis donet in patria. Amen.

℣. Posuit[3] fines tuos pacem.

℟. Et adipe frumenti satiat te.

Ad Benedictus *Antiph.* Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi; si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.

Oratio ut in primis Vesperis.

Ad primam et ad omnes horas Antiphonæ Laudum, quarta excepta. ℟. Jesu Christe. ℣. Qui natus est de Virgine Maria; *et dicatur per totam octavam.*

Ad Tertiam Cap. Dominus Jesus. ℟. Panem cœli dedit eis. Alleluia, Alleluia. ℣. Panem angelorum manducavit homo. Alleluia. Alleluia. Gloria. Panem. ℣. Cibavit eos[4] etc.

Ad Sextam Cap. Quotiescumque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat. ℟. Cibavit eos, etc. Alleluia, Alleluia. ℣. Et de petra, etc. Alleluia. Alleluia. Gloria. Cibavit. ℣. Educas panem.

Ad Nonam Cap. Quicumque manducaverit panem et biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. ℟. Educas panem, etc. Alleluia. Alleluia. ℣. Et vinum lætificet, etc. Alleluia.

[1] Breviar. reg. : « illis. » — [2] Brev. reg. : « Cœli pandit. » — [3] Breviar. reg. : « ℣. Omnia a te expectant. * ℟. Ut des illis escam in tempore. » — [4] Brev. reg. : « Cibavit illos, » hic et infra.

(*a*) In Breviar. reg. :

« LECTIO IX.

» Major est enim Pater Filio homine, sed æqualem habet Deum Filium, cum idem ipse sit et Deus et homo, Dei Filius, et hominis Filius, unus Christus Jesus. In quam sententiam, si recte accipiantur hæc verba, ita dixit : Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem, et qui manducat me, et ipse vivit propter me; ac si diceret : ut ego vivam propter Patrem, id est ad illum tanquam majorem referam vitam meam, exinanitio mea fecit, in quo me misit; ut autem vivat quisque propter me, participatio facit qua manducat me. Ego ita humiliatus vivo propter Patrem; ille erectus vivit propter me. Si autem ita dictum est : Vivo propter Patrem, quia ipse de illo, non ille de ipso est, sine detrimento æqualitatis dictum est. Nec tamen dicendo : Et qui manducat me et ipse vivit propter me, eamdem nostram et suam æqualitatem significavit, sed gratiam mediatoris ostendit. »

Alleluia. Gloria. Educas. ℣. Posuit fines tuos pacem. ℟. Et adipe frumenti satiat te.

Ad Vesper. super Psal. Antiphonæ Laudum. Psal. [1], Cap., Hymn., ℣., sicut in primis Vesperis.

Ad Magnificat *Antiph.* O sacrum convivium! in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis ejus, mens impletur gratia, et futuræ gloriæ nobis pignus datur. Alleluia. Alleluia.

Oratio ut in primis Vesperis.

Per octavam Invitator. Christum panem angelorum et hominum, Venite adoremus.

Ad Benedictus *Antiph.* Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi; qui manducat ex hoc pane, vivet in æternum.

Ad Magnificat *Antiph.* [2]. Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus, escam dedit timentibus se.

Cætera omnia fiant sicut in die.

AD MISSAM.

Cibavit eos ex adipe frumenti, Alleluia; et de petra melle saturavit eos. Alleluia, Alleluia, Alleluia.

℣. Exultate Deo adjutori nostro, jubilate Deo Jacob. Gloria Patri, etc.

Gloria in excelsis, etc.

ORATIO.

Deus, qui nobis sub sacramento mirabili passionis tuæ memoriam reliquisti, tribue, quæsumus, ita nos corporis et sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuæ fructum in nobis jugiter sentiamus; qui vivis, etc.

Lectio Epistolæ beati Pauli apostoli ad Corinthios.

Fratres, ego enim accepi a Domino quod et tradidi vobis; quoniam Dominus Jesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, et gratias agens fregit et dixit : Accipite et manducate : hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur; hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem, postquam cœnavit, dicens : Hic calix novum testamentum est in meo sanguine; hoc facite, quotiescumque sumitis, in meam commemorationem. Quotiescumque enim manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annnuntiabitis donec veniat. Itaque quicumque manducaverit panem vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo; et sic de pane illo edat, et de calice bibat. Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini.

℟. Oculi omnium in te sperant, Domine; et tu das illis escam in tempore opportuno.

℣. Aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione. Alleluia.

℟. Caro mea vere [3] est cibus, et sanguis meus vere est potus; qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in eo [4].

SEQUENTIA.

Lauda, Sion, Salvatorem,
Lauda ducem et pastorem,
In hymnis et canticis.
Quantum potes, tantum aude;
Quia major omni laude,
Nec laudare sufficis.
Laudis thema specialis,
Panis vivus et vitalis,
Hodie proponitur.
Quem in sacræ mensa cœnæ,
Turbæ fratrum duodenæ
Datum non ambigitur.
Sit laus plena, sit sonora;
Sit jucunda, sit decora
Mentis jubilatio.
Dies enim solemnis agitur,
In qua mensæ prima recolitur
Hujus institutio.
In hac mensa novi Regis,
Novum pascha novæ legis;
Phase vetus terminat.
Vetustatem novitas,
Umbram fugat veritas,
Noctem lux eliminat [5].

[1] Brev. reg. : « *Ps.* Dixit Dominus. *Ps.* Confitebor tibi. *Ps.* Credidi propter. *Ps.* Beati omnes. *Ps.* Lauda, Jerusalem. » — [2] In Missali reg. XVI sæc. 8887 : « ℣. Qui posuit fines tuos pacem; ℟. Et adipe frumenti satiat te. » — [3] Missale reg. 8887 omittit : « vere, » hic et infra. — [4] Missale reg. addit : « ℣. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in eo. » — [5] Missale reg. 8887 : « illuminat. »

Quod in cœna Christus gessit,
Faciendum hoc expressit
In sui memoriam.
Docti sacri institutis,
Panem, vinum, in salutis
Consecramus hostiam.
Dogma datur christianis,
Quod in carnem transit panis,
Et vinum in sanguinem.
Quod non capis, quod non vides,
Animosa firmat fides
Præter rerum ordinem.
Sub diversis speciebus,
Signis tantum, et non rebus,
Latent res eximiæ.
Caro cibus, sanguis potus;
Manet tamen Christus totus
Sub utraque specie.
A sumente non concisus,
Non confractus, non divisus,
Integer assumitur.
Sumit unus, sumunt mille;
Quantum isti, tantum ille;
Nec sumptus consumitur[1].
Sumunt boni, sumunt mali,
Sorte tamen inæquali,
Vitæ vel interitus[2].
Mors et malis, vita bonis.
Vide paris sumptionis
Quam sit dispar exitus!
Fracto demum sacramento,
Ne vacilles; sed memento
Tantum esse sub fragmento
Quantum toto tegitur.
Nulla rei fit scissura,
Signi tantum fit fractura,
Qua nec status nec statura
Signati minuitur.
Ecce panis angelorum,
Factus cibus viatorum,
Vere panis filiorum,
Non mittendus canibus.
In figuris præsignatur,
Cum Isaac immolatur,
Agnus paschæ deputatur,
Datur manna patribus.
Bone pastor, panis vere,
Jesu nostri miserere,
Tu nos pasce[3], nos tuere,
Tu nos bona fac videre
In terra viventium.
Tu qui cuncta scis et vales,
Qui nos pascis hic mortales,
Tuos ibi commensales,
Cohæredes et sodales
Fac sanctorum civium. Amen.

SECUNDUM JOANNEM.

In illo tempore dixit Jesus discipulis suis et turbis Judæorum : Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo. Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem; et qui manducat me, et ipse vivet propter me. Hic est panis qui de cœlo descendit. Non sicut manducaverunt patres vestri manna, et mortui sunt; qui manducat hunc panem, vivet in æternum.

Credo.

Offertorium. Sacerdotes incensum Domini et panes offerunt Deo; et ideo sancti erunt Deo suo, et non polluent nomen ejus. Alleluia.

SECRETA.

Ecclesiæ tuæ, quæsumus, Domine, unitatis et pacis propitius[4] dona concede, quæ sub oblatis muneribus mystice designantur[5].

Præfatio. Quia per incarnati[6].

Sanctus. Divinum mysterium semper declaratur, et mens infidelium tumens excæcatur, firma spes credentium fide roboratur.

Sanctus. Fides est summopere credere in Deum, panem sanctum edere, et tractare eum. Jubens dicit : Sumite : hoc est corpus meum.

Sanctus. Panis prius cernitur; sed dum consecratur, caro Christi sic mutatur; quomodo convertitur, Deus operatur.

Dominus Deus Sabaoth. De vino similiter, si sit benedictum, et tunc est veraciter sanguis Christi dictum; credamus communiter verum et non fictum.

[1] Missale reg. 8887 : « minuitur. » — [2] Sic cod. reg. 8887; sed hanc stropham edit. Parm. omisit. — [3] Cod. reg. 8887 : « pascis. » — [4] Cod. reg. 8887 omisit : « propitius. » — [5] Cod. reg. 8887 : « designentur. » — [6] Quæ sequuntur usque ad « Communio » non inveniuntur in cod. reg. 8887. Cæterum non erat mos talia addendi hymno « Sanctus, » tempore D. Thomæ; unde has additiones spurias esse suspicamur.

Pleni sunt cœli et terra gloria tua; hosanna in excelsis. Nobis celebrantibus istud sacramentum, et cunctis fidelibus fiat nutrimentum, Judæis negantibus sit in detrimentum. *Benedictus qui venit in nomine Domini; hosanna in excelsis.*

Communio. Quotiescumque manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat. Itaque quicumque manducaverit panem vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Alleluia.

POSTCOMMUNIO.

Fac nos, quæsumus, Domine, divinitatis tuæ sempiterna fruitione repleri, quam pretiosi corporis et sanguinis tui temporalis perceptio præfigurat; qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

OPUSCULUM VI.

CONTRA ERRORES GRÆCORUM

AD URBANUM IV, P. M.

(EDIT. ROM. I.)

PROOEMIUM.

Libellum ab excellentia vestra mihi exhibitum, Sanctissime Pater Urbanæ papa, diligenter perlegi, in quo inveni quamplurima ad nostræ fidei assertionem utilia et expressa. Consideravi autem quod ejus fructus posset apud plurimos impediri propter quædam in auctoritatibus sanctorum Patrum contenta, quæ dubia esse videntur, et bene[1] possent materiam ministrare errorum[2], et contentionis dare occasionem et calumniæ. Et ideo, ut remota omni ambiguitate, ex auctoritatibus in prædicto libello contentis veræ fidei[3] fructus purissimus capiatur; proposui primo ea quæ dubia esse videntur in auctoritatibus prædictis exponere, et postmodum ostendere quomodo ex eis veritas catholicæ fidei et doceatur et defendatur.

Quod autem aliqua in dictis sanctorum[4] inveniantur quæ modernis dubia esse videntur, ex duobus æstimo provenire. Primo quidem, quia errores circa fidem exorti occasionem dederunt sanctis Ecclesiæ doctoribus ut ea quæ sunt fidei, majori circumspectione traderent, ad eliminandos errores exortos; sicut patet quod sancti doctores qui fuerunt ante errorem Arii, non ita expresse locuti sunt de unitate divinæ essentiæ, sicut doctores sequentes; et simile de aliis contingit erroribus, quod non solum in diversis doctoribus, sed in uno egregio doctorum Augustino expresse apparet. Nam in suis libris quos post exortam pelagianorum hæresim edidit, cautius locutus est de potestate liberi arbitrii quam in libris quos edidit ante prædictæ hæresis ortum, in quibus libertatem arbitrii contra manichæos defendens, aliqua protulit quæ in sui defensionem erroris assumpserunt pelagiani, divinæ gratiæ adversantes. Et ideo non est mirum, si moderni fidei doctores post varios errores exortos, cautius et quasi elimatius loquuntur circa doctrinam fidei, ad omnem hæresim evitandam. Unde, si aliqua in dictis antiquorum doctorum inveniuntur quæ cum tanta cautela non dicantur quanta a modernis servatur, non sunt contemnenda aut abjicienda; sed nec etiam ea extendere oportet, sed exponere reverenter. Secundo, quia multa quæ bene sonant in lingua græca, in latina fortassis bene non sonant, propter quod eamdem fidei veritatem aliis verbis Latini confitentur et Græci. Dicitur enim apud Græcos recte et catholice, quod Pater, et Filius, et Spiritus sanctus sunt tres hypostases; apud Latinos autem non recte sonat, si

[1] Parm. : « unde. » — [2] Cod. Vict. : « erroris et contentionis, et dare occasionem calumniæ. » — [3] Al. : « vitæ fidei. » — [4] Parm. addit : « Græcorum. »

quis dicat quod sunt tres substantiæ ; licet hypostasis sit idem apud Græcos quod substantia apud Latinos secundum proprietatem vocabuli. Nam apud Latinos substantia usitatius pro essentia accipi solet, quam tam nos quam Græci unam in divinis confitemur. Propter quod, sicut Græci dicunt tres hypostases, nos dicimus tres personas, ut etiam Augustinus docet in VII *De Trinitate*. Nec est dubium quin etiam simile sit in aliis multis.

Unde ad officium boni translatoris pertinet ut ea quæ sunt catholicæ fidei transferens, servet sententiam, mutet autem modum loquendi secundum proprietatem linguæ in quam transfert. Apparet enim quod si ea quæ in latino litteraliter dicuntur, vulgariter exponantur, indecens erit expositio, si semper verbum ex verbo sumatur. Multo igitur magis quando ea quæ in una lingua dicuntur, transferuntur in aliam, ita quod verbum sumatur ex verbo, non est mirum si aliqua dubietas relinquatur.

LIBER I.

CAPUT I.

Quomodo intelligatur hoc quod dicitur Filius habet esse a Patre sicut causatum a causa.

Potest autem apud aliquos esse dubium quod in plerisque locis harum auctoritatum dicitur, Patrem esse causam Filii, et Patrem et[1] Filium esse causam Spiritus sancti. Et hoc quidem habetur primo in verbis Athanasii, quæ in nicæna synodo dixisse refertur, ubi dicit : « Quidquid habet Filius a Patre, habet sicut verbum a corde, splendor a sole et fluvius a fonte, et a causa omne causatum. Qui autem injuriatur vel negat causatum, equidem et causam ejus negat. Dicit causatus genitus Filius : Qui me spernit, spernit eum qui me misit. » Et alibi : « Non est imprincipiatus Spiritus, » hoc est sine principio et causa, « sed potius ipsum demonstrat Deum verum, principiatum tamen non ex tempore, sed ex causa vera originis. » Item Basilius episcopus : « Spiritus sanctus ab ipso Deo missus, causam habet ipsemet. » Et iterum Theodoritus[2] *Super epistolam ad Hebr.* : « Causa Filii Pater est. » Apud Latinos autem non est consuetum quod Pater dicatur causa Filii vel Spiritus sancti, sed solum principium vel auctor. Et hoc propter tria. Primo quidem, quia Pater non posset intelligi causa Filii per modum causæ formalis vel materialis vel finalis, sed solum per modum causæ originantis, quæ est causa efficiens. Hanc autem semper invenimus secundum essentiam esse diversam ab eo cujus est causa. Et ideo, ne Filius intelligeretur esse alterius essentiæ a Patre, non consuevimus dicere Patrem esse causam Filii; sed magis utimur illis nominibus quæ significant originem cum quadam consubstantialitate, sicut fons, caput et alia hujusmodi. Secundo, quia causa apud nos correspondet effectui, unde patrem non dicimus esse causam, ne aliquis intelligat filium esse factum. Nam et apud philosophos prima causa Deus nominatur; omne autem causatum sub universitate creaturarum comprehenditur apud eos; et ideo si Filius causam dicatur habere, posset intelligi quod sub universitate causatorum vel creaturarum comprehenderetur. Tertio, quia de divinis non de facili debet homo aliter loqui quam sacra Scriptura loquatur. Scriptura autem sacra Patrem nominat principium Filii, ut patet Joan., I : *In principio erat Verbum.* Nunquam autem dicit Patrem esse causam, vel Filium causatum. Unde, cum causa plus dicat quam principium, non præsumimus Patrem dicere causam, nec Filium causatum. Nihil autem ad originem pertinens adeo[3] proprie dicitur in divinis, sicut hoc nomen *principium*. Quia enim ea quæ sunt in Deo, incomprehensibilia sunt, et definiri a nobis non possunt, convenientius utimur in Deo nominibus communibus quam propriis ; propter quod maxime proprium nomen ejus dicitur esse *Qui est,* quod est communissimum, ut patet Exod., III. Sicut enim causa est communius quam elementum, ita et principium quam causa ; dicitur enim punctum principium lineæ, sed non causa. Et ideo convenientissime nomine principii utimur in divinis.

Nec tamen intelligendum est quod sancti prædicti, qui nomine causæ et causati utuntur in divinis personis, intendant di-

[1] Parm. : « vel. » — [2] Cod. Victor. : « Theodoricus. » — [3] Al. : « a Deo. »

versitatem naturæ inducere, aut Filium esse creaturam. Sed per hoc volunt ostendere solam originem personarum, sicut nos nomine principii. Unde dicit Gregorius Nyssenus : « Causam autem causatumque dicentes, non naturam per hæc nomina significamus. Neque enim hæc nomina loco essentiæ vel naturæ ratione damus, sed qualiter inter se habent differentiam, demonstramus ut scilicet Filium non ingenitum esse, neque Patrem per generationem aliquam demonstramus ab aliquo. » Item Basilius dicit : « Spiritum sanctum dico ingenitum, non habere Patrem nec creaturam quia non est creatus ; sed causam habet Deum, cujus vere est spiritus, a quo et procedit. »

CAPUT II.

Quomodo intelligatur cum dicitur quod Filius sit secundus a Patre, et Spiritus sanctus sit tertius.

Item invenitur in auctoritatibus prædictorum doctorum, quod Filius sit secundus a Patre, et Spiritus sanctus sit tertius ab eodem. Dicit enim Athanasius in *Sermone ad Serapionem :* « Spiritus sanctus tertius est a Patre; a Filio tamen est secundus. » Et Basilius dicit : « Dignitate quidem, et ordine secundus est a Filio Spiritus. » Hoc autem alicui potest videri falsum. In divinis enim personis non est nisi ordo, secundum quem, ut Augustinus dicit, non est alter prior altero, sed est alter ex altero. Nullus enim modus prioritatis est, secundum quem Pater prior Filio dici possit. Neque enim prior est Pater tempore, cum Filius sit æternus ; neque prior natura, cum Patris et Filii sit una natura ; neque dignitate, cum Pater et Filius sint æquales ; neque etiam intellectu, cum non distinguantur nisi relationibus ; relativa autem sunt simul secundum intellectum, cum unum sit de intellectu alterius. Et ita patet quod ita, proprie loquendo, Filius non possit dici esse secundus a Patre, nec Spiritus sanctus tertius ab eodem.

Dicunt ergo doctores prædicti, Filium esse secundum et Spiritum sanctum esse tertium, secundum ordinem in numerando, quod patet ex ipso Basilio, qui dicit : « Recepimus Spiritum sanctum a Patre et Filio, tertium connumeratum, et conglorificatum Spiritum Filii Dei, qui tradens ordinem salutiferi baptismatis, dixit : *Euntes, baptizate omnes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Et Epiphanius dicit : « Spiritus Dei ex Patre et Filio tertius est appellatus : In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. » Quod autem dicit Basilius, quod Spiritus est secundus a Filio dignitate, videtur majorem habere calumniam, quia videtur in dignitate Trinitatis constituere gradum, cum sit par dignitas et eadem trium personarum. Potest autem hoc exponi non de dignitate naturali, sed de personali ; sicut et secundum nos dicitur quod persona est hypostasis proprietate distincta ad dignitatem pertinente. Secundum quem modum dicit Hilarius quod « Pater est major Filio propter auctoritatem originis ; Filius tamen non est minor Patre propter substantiæ unitatem. »

CAPUT III.

Quomodo intelligitur hoc quod dicitur, quod Spiritus sanctus sit tertium lumen.

Adhuc autem videtur esse magis calumniosum quod ex verbis sancti Epiphanii cypriensis episcopi inducitur, dicentis : « Spiritus sanctus spiritus est, veritatis lumen tertium a Patre et Filio. » Ubi enim est summa unitas, non est ordo primi et tertii. Pater autem et Filius et Spiritus sanctus sunt unum lumen, sicut et unus Deus. Sicut ergo non potest catholice dici quod Spiritus sanctus sit tertius Deus a Patre et Filio, ita non potest dici quod sit tertium lumen. Dicitur autem quod est tertia persona propter personarum pluralitatem. Ex hoc ergo quod dicit lumen tertium, sequitur quod sint tria lumina quod ipse postmodum expresse subjungit, dicens : « Alia vero omnia positione vel compositione sive appellatione lumina dicuntur, non tamen istis tribus luminibus similia. » Potest autem dici quod lumen originem quamdam importat ; nam lumen est quod ex aliqua luce diffunditur, et etiam ex se aliud lumen diffundere potest. Et secundum hoc, nomen luminis ad personales proprietates trahi potest ratione

[1] Parm. omittit : « summa. »

proprietatis diffusivæ, licet secundum ipsam naturam lucis ad essentiam pertineat. Et hoc attendens dictus Pater, tertium lumen et tria lumina dixit[1] in divinis licet hoc nullo modo sit ad consequentiam trahendum, sed simpliciter confitendum quod Pater et Filius et Spiritus sanctus sunt unum lumen.

CAPUT IV.

Quomodo intelligatur quod essentia sit genita in Filio, et spirata in Spiritu sancto.

Invenitur autem in dictis prædictorum Patrum, quod essentia sit genita in Filio, et spirata in Spiritu sancto. Dicit enim Athanasius in III *Sermone gestorum nicænæ synodi,* ex persona Filii adloquens : « Tuum Spiritum cum divina essentia a te genita ipsis hominibus compenso ; » et parum post : « Ex tua essentia, quam in me genuisti, Spiritum sanctum do eis, » et idem in *Epist. ad Serapionem* : « Essentiam suam in se ipse genitor retinens[2], totam in Filio suo incarnabiliter genuit; » et iterum : « Sicut Pater habet vitam in seipso, id est naturam vivam spirantem, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso ; hoc est eamdem naturam genuit in Filio spirantem[3] Spiritum vivum ; » et infra dicit : « Patris et Filii unam esse deitatem naturaliter spirantem unum Spiritum sanctum. » Ex quibus verbis habetur quod natura divina in Filio sit genita, et in Patre et Filio sit spirans. Item Cyrillus in libro *Thesaurorum contra hæreticos :* « Virtus increata et genita in Filio, Filii est per omnem modum naturæ paternæ ; » et iterum : « Pater Filio dedit vitam, id est vitam suam naturalem genuit in Filio. » Item Basilius : « Ipse Filius, quem dat nobis Pater, est Deus de Deo essentialiter genitus, habens in se totam essentiam Patris genitam. » Item Athanasius dicit in *Epist. ad Serapionem,* essentiam divinam in Spiritu sancto esse spiratam dicens quod « Spiritus sanctus est vera et naturalis imago Filii per essentiam omnimode ab eodem in se spiratam. » Hic autem modus loquendi in se[4] calumniosus est : et in sacro lateranensi concilio reprobatus, ubi reprobatur[5] et dogma Joachim, qui hunc modum loquendi contra Magistrum Petrum Lombardum defendere præsumpsit. Ostendit enim prædictus Magister Petrus in quinta distinctione primi libri *Sententiarum,* quas edidit, quod communis essentia non generat, nec generatur[6], nec procedit. Et hoc ideo, quia in divinis invenitur aliquid commune indistinctum, et aliquid quod distinguitur et non est commune. Illud ergo quod est distinctionis ratio in divinis, non potest attribui ei quod est commune et indistinctum, sed solum ei quod distinguitur. Nulla autem alia distinctionis ratio in divinis invenitur nisi ex eo quod unus generat, et alius nascitur, et alius procedit. Non ergo hoc ipsum quod est generare vel nasci vel procedere, potest essentiæ divinæ attribui, quæ est communis et omnino indistincta in tribus personis. Id autem quod est distinctum in divinis, est persona vel hypostasis vel suppositum divinæ naturæ, id est quod est habens divinam naturam. Et ideo illa quæ significant vel supponere possunt personam, recipiunt congruentem prædicationem generationis aut processionis, sicut hæc nomina « Pater, Filius et Spiritus sanctus » significant personas determinatas, et hoc nomen « hypostasis » in communi. Unde convenienter dicitur quod Pater generat Filium, et quod Filius nascitur a Patre, et quod Spiritus sanctus procedit a Patre et Filio ; et similiter quod persona generet vel spiret personam, aut generetur aut spiretur a persona. Hoc autem nomen « Deus, » quia significat essentiam communem per modum concreti (significat enim habentem deitatem) potest supponere ex modo suæ significationis pro persona ; et ideo etiam hujusmodi locutiones convenienter conceduntur, Deus generat Deum, Deus nascitur vel procedit a Deo. Hoc autem nomen « essentia, » et « divinitas, » et quæcumque in abstracto significantur, non habent ex modo suæ significationis neque quod significent neque quod supponant pro persona. Et ideo non proprie ea quæ sunt propria personarum, de hujusmodi nominibus prædicantur, ut dicatur essentia generans vel genita, li-

[1] Cod. Vict. : « posuit. » — [2] Cod. Vict. : « remanens. » — [3] Parm. : « spirante. » — [4] Parm. omittit : « in se. » — [5] Parm. omittit : « reprobatus, ubi reprobatur. » — [6] Parm. : « gignitur. »

cet quædam horum nominum propinquiora sint personis, inquantum significant principia actuum qui sunt proprie personarum, sicut « lumen, sapientia, bonitas, » et hujusmodi. Unde et quæ sunt propria personarum, de talibus minus inconvenienter prædicantur, ut cum dicitur Filius lumen de lumine, sapientia de sapientia; sed essentia de essentia magis inconvenienter dicitur. Sed licet modus significandi diversus sit cum dicitur Deus et deitas, tamen res est eadem penitus; et ideo propter rei identitatem, sicut unum de altero prædicatur, ut cum dicitur, Deus est deitas, vel persona divina sive Pater est divina essentia; ita et a sanctis interdum unum pro alio ponitur; ut sic dicatur quod essentia divina generat, quia Pater, qui est essentia divina generat, et essentia est de essentia, quia Filius, qui est essentia, est de Patre, qui est eadem essentia divina; et sic exponit Cyrillus in libro *Thesaurorum*, dicens : « Pater de se vita vivente et essentia veraciter existente, tanquam a vera radice, generando Filium, dat ei naturaliter suam naturalem vitam et essentiam. » Et sic etiam cum dicitur quod Pater genuit naturam suam in Filio, exponendum est quod per generationem suam naturam Filio dedit, sicut ex præmissis verbis Cyrilli habetur.

CAPUT V.

Quomodo intelligitur quod Jesus dicitur Filius paternæ essentiæ.

Ex hoc etiam patet qualiter exponendum sit quod idem Cyrillus in eodem libro dicere videtur : « Quomodo ergo Jesus Filius paternæ essentiæ erit creatura? » Non enim dicitur Filius essentiæ paternæ, quasi a paterna essentia genitus, sed quasi paternam essentiam per generationem accipiens. Et per hunc modum exponenda sunt omnia quæ similiter dici inveniuntur; sicut quod dicitur Filius et Spiritus essentialiter procedere, inquantum procedendo essentiam a Patre accipiunt.

CAPUT VI.

Quomodo intelligitur quod quæ sunt propria naturaliter Patris sunt propria Filii.

Potest esse dubium quod Cyrillus in eodem libro *Thesaurorum* dicit : « Omnia quæ Patris sunt propria naturaliter, sunt propria et Filii. » Aut enim hoc intelligit de essentialibus attributis, et sic patet quod[1] neque Patri neque Filio sunt propria, sed utrique communia, aut de personalibus; et sic quæ sunt propria Patris, non sunt propria Filii : sicut innascibilitas et paternitas nullo modo sunt Filii, sed solum Patris. Patet autem ex præmissis ab eo, quod loquitur de essentialibus attributis. Præmittit enim quod quæcumque naturaliter dicuntur inesse Patri, omnia illa insunt Filio, sicut vita, veritas, lux et hujusmodi. Hæc autem dicuntur esse propria Patri non in respectu ad Filium, neque in Filio respectu ad Patrem, sed utrique in respectu ad creaturam, cui in comparatione ad Deum non proprie prædicta conveniunt, vel proprium hic dicitur[2], non quod convenit uni soli, sed quod proprie et vere alicui convenit secundum se.

CAPUT VII.

Quomodo intelligitur quod Pater neque Filio neque Spiritu sancto indiget ad sui perfectionem.

Item potest esse dubium quod Athanasius dicit in *Epistola ad Serapionem*, quod « Pater per se et in se sine alicujus indigentia plenus et perfectus existens Deus, ad sui perfectionem neque Filio neque Spiritu sancto indiget. » Quod enim Pater non sit indigens, dubium non est; sic enim neque Filius neque Spiritus sanctus indigens est. Illud enim proprie est indigens cui in se considerato aliquid deest ad suam perfectionem quod non potest dici neque de Patre, neque de Filio, neque de Spiritu sancto. Sed tamen patet quod non posset esse Pater perfectus, nisi Filium haberet : quia nec Pater sine Filio esset, nec esset Deus perfectus, nisi haberet Ver-

[1] Parm. omittit : « patet quod. » — [2] Parm. omittit : « hic dicitur. »

bum, et nisi haberet spiramen vitæ, sicut idem Athanasius dicit in *Sermone gestorum nicæni concilii,* sic inquiens de arianis, qui negabant Filium et Spiritum sanctum esse consubstantiales Patri : « Dicunt sterilem esse et infructuosam naturam paternam, quæ omnibus rebus insitam et propagativam similium dedit naturam. Et mutum faciunt Patrem et sine Verbo, qui omnibus rationalibus facultatem dedit loquendi. Mortuum etiam ipsum Patrem dicunt, et expertem viventis naturæ, » inquantum scilicet negant Spiritum sanctum coessentialem Patri. In quo apparet quod non esset Pater Deus perfectus, nisi Filium et Spiritum sanctum haberet. Idem etiam Athanasius dicit in *Epistola ad Serapionem,* quod « Pater non potuit creare creaturam nisi per Verbum, et deificandis creaturis se non potest communicare nisi per idem Verbum, et similiter nec Filius in Spiritu sancto. » Commune ergo est Patri et Filio et Spiritui sancto quod nullus eorum sit indigens. Item commune est cuilibet eorum quod nullus sine aliis duobus potest esse Deus perfectus. Sed hac ratione proprie de Patre dicit Athanasius quod ad sui perfectionem Filio et Spiritu sancto non indiget, quia ipse suam perfectionem non habet ab alio; Filius autem et Spiritus sanctus suam perfectionem habent a Patre. Unde idem Athanasius dicit in *Epist. ad Serapionem :* « Non ratione Filii, nec ratione Spiritus sancti Pater existit plenus beatus Deus. Neque enim a supra se habet a quo sit, neque ab infra se habet a quo habeat, » id est quod sit a Filio, vel a Spiritu sancto.

CAPUT VIII.

Quomodo intelligitur quod Spiritus sanctus dicitur ingenitus.

Item videtur esse dubium quod Gregorius Nazianzenus in *Serm. de Epiphania* dicit quod Spiritus sanctus, secundum quod est in Deo, procedit ut sit ingenitus et non Filius, medius ingeniti genitique. » Non enim videtur quod Spiritus sanctus ingenitus dici possit. Hilarius enim dicit in lib. *De synodis* quod « si quis duos ingenitos dicit, duos deos facit. » Item Athanasius dicit in *Epistola ad Serapionem* quod « non est ingenitus Spiritus sanctus, quia imprincipiatum esse et ingenitum soli Deo patri catholica Ecclesia congregata apud nicænam recte et fideliter attribuit, et de solo Patre hoc esse credendum et prædicandum, toti mundo sub anathemate mandavit. » Sed dicendum quod « ingenitus » dupliciter accipi potest. Uno modo pro eo quod caret principio et sic soli Patri convenit, ut ex dictis Athanasii patet. Alio modo pro eo quod non est genitum, licet sit principium habens; et sic non solum Gregorius Nazianzenus in verbis præmissis, sed etiam Hieronymus in regulis definitionum contra hæreticos Spiritum sanctum dicit esse ingenitum.

CAPUT IX.

Quomodo intelligitur quod Spiritus sanctns dicitur medius Patris et Filii.

Item in præmissis verbis Gregorii Nazianzeni dubium est quod dicit Spiritum sanctum esse medium ingeniti genitique, id est Patris et Filii; cum magis dicatur esse tertius, vel tertia in Trinitate persona, ut supra habitum est. Sed dicendum quod non dicitur esse medius secundum ordinem enumerationis[1], qui respondet ordini originis; sic enim Filius medius est inter Patrem et Spiritum sanctum, sed dicitur medius quasi communis nexus amborum; est enim communis amor Patris et Filii. Et similiter exponendum est quod Epiphanius dicit in libro *De Trinitate,* quod Spiritus sanctus est in medio Patris et Filii.

CAPUT X.

Quomodo intelligitur hoc quod dicitur quod Spiritus sanctus sit imago Filii.

Item in pluribus locis harum auctoritatum dicitur quod Spiritus sanctus sit imago Filii, sicut Athanasius dicit in *Sermone tertio nicæni concilii :* « Spiritus sanctus Patris et Filii una deifica et vivifica dicitur, et est vera imago Filii, ipsum per omnia in se essentialiter tenens, naturaliter repræsentans, quemadmodum et Filius est imago Patris; » et in *Epistola ad Serapionem :* « Spiritus sanctus ipsum Filium in se con-

[1] Cod. Vict. : « enunciationis. »

tinet naturaliter, tanquam ejus vera et naturalis imago. » Item Basilius : « Spiritus sanctus dicitur digitus, spiramen, unctio, sufflatio, sensus Christi, processio, productio, missio, emanatio, effusio, vaporatio, splendor, imago, character, Deus verus; » et iterum : « Spiritus sanctus a Patre et Filio virtus vera et naturalis imago Patris et Filii existit, ipse utrumque nobis naturaliter repræsentans. Apud Latinos autem non consuevit dici quod Spiritus sanctus sit imago Patris vel Filii. Dicit enim Augustinus in VI *De Trinitate* quod per Verbum solus Filius accipitur, et quod sic Verbum dicitur quomodo imago, et quod solus Filius est imago Patris, quemadmodum et Filius. Richardus etiam de Sancto Victore, in suo libro *De Trinitate,* assignat rationem quare Spiritus sanctus non possit dici imago, sicut Filius, quia Spiritus sanctus, licet Patri sit similis in natura, sicut et Filius, non tamen convenit cum eo in aliqua proprietate relativa, sicut convenit Filius cum Patre in aspiratione activa Spiritus sancti.

Quidam autem hujus rationem assignant quod propter hoc Spiritus sanctus non potest dici imago, quia esset imago duorum, scilicet Patris et Filii, cum sit a duobus; non potest autem esse duorum una imago. In auctoritate autem sacræ Scripturæ, quam prætergredi non licet de divinis loquentes, expresse habetur quod Filius sit imago Patris; dicitur enim Coloss., I : *Transtulit nos in regnum filii dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem peccatorum, qui est imago Dei invisibilis;* et Hebr., I, 3, dicitur de Filio : *Cum sit splendor gloriæ et figura substantiæ ejus.*

Sed sciendum quod a sanctis græcis duæ auctoritates sacræ Scripturæ inducuntur, in quibus videtur dici quod Spiritus sanctus sit imago Filii. Dicitur enim Rom., VIII, 29 : *Quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui.* Imago autem Filii nihil aliud videtur esse quam Spiritus sanctus. Item I ad Cor., XV, 49, dicitur : *Sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem cœlestis,* id est Christi, per quam imaginem intelligunt Spiritum sanctum, licet in his auctoritatibus non expresse Spiritus sanctus imago dicatur. Potest enim intelligi quod homines conformentur imagini Filii, vel quod portent imaginem Christi, inquantum ipsi homines sancti per dona gratiarum, ut sint similes Christo, perficiuntur, secundum illud Apostoli II ad Cor., III, 18 : *Nos autem revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem tanquam a Domini spiritu.* Hic enim imaginem non dicit esse spiritum Christi, sed aliquid a spiritu Dei in nobis existens.

Sed quia præsumptuosum est tantorum doctorum tam expressis auctoritatibus contraire, possumus quidem dicere Spiritum sanctum esse imaginem Patris et Filii, ita quod per imaginem nihil aliud intelligatur quam existens ab alio et ejus similitudinem gerens. Si autem per imaginem intelligatur aliquid existens ab altero, ex ipsa suæ originis ratione habens quod similitudinem gerat ejus a quo existit, inquantum ab altero, ut Filius genitus, vel ut Verbum conceptum : sic solus Filius dicitur imago; de ratione enim Filii est quod similitudinem Patris habeat in quacumque natura; et similiter de ratione Verbi est quod sit similitudo ejus quod Verbo exprimitur, cujuscumque sit Verbum; sed non est de ratione spiritus vel amoris, quod sit similitudo ejus cujus est, in omnibus; sed hoc in spiritu Dei verificatur propter divinæ essentiæ unitatem et simplicitatem, ex qua oportet quod quicquid est in Deo sit Deus. Nec obstat ad rationem imaginis quod Spiritus sanctus non convenit cum Patre in aliqua personali proprietate, quia similitudo et æqualitas personarum divinarum non attenditur secundum proprietates personales, sed secundum attributa essentialia. Neque enim inæqualitas et dissimilitudo secundum personalium proprietatum differentiam in divinis dici debet, sicut Augustinus dicit in libro *Contra Maximum.* Cum enim dicitur Filius a Patre genitus, non ostenditur inæqualitas substantiæ, sed ordo naturæ. Similiter etiam non obstat quod Spiritus sanctus est a duobus. Est enim a duobus, inquantum sunt unum, cum Pater et Filius sint unum principium Spiritus sancti.

CAPUT XI.

Quomodo intelligitur quod Filius sit in Patre sicut in sua imagine.

Adhuc autem videtur esse magis dubium, quod Athanasius dicit in *Epistola ad Serapionem :* « Filius est in suo Patre tanquam in propria sua imagine. » Non enim Pater est imago Filii, sed magis Filius est imago Patris. Sed dicendum quod imago hic improprie sumitur pro exemplari ; sic enim quandoque abusive accipitur.

CAPUT XII.

Quomodo intelligitur quod Spiritus sanctus sit verbum Filii.

Item videtur esse falsum quod Basilius dicit in III *Sermone de Spiritu sancto contra Eunomium hæreticum :* « Sicut, » inquit, « Filius se habet ad Patrem, eodem modo Spiritus sanctus se habet ad Filium. » Et propter hoc dicitur quod Verbum Patris est Filius, Verbum autem Filii Spiritus. *Portat,* inquit Apostolus (Hebr., I, 3), *omnia verbo virtutis suæ.* Verbum enim, ut Augustinus dicit in lib. *De Trinitate,* solus Filius est. Unde et Joannes nomen Verbi pro nomine Filii ponit ; nam in principio sui Evangelii dicit : *In principio erat Verbum;* qui etiam in sua canonica (I, v, 7,) dicit : *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo : Pater, Verbum et Spiritus sanctus.* Nec refert, si quis translationem mutet, ut loco verbi eloquium ponat ; nam id quod quis loquitur, verbum ejus est. Unde sicut solus Filius in divinitate est Verbum, ita solus est eloquium. Sed dicendum quod verbum Dei quandoque dicitur etiam sermo divinitus inspiratus et prolatus , et de hoc verbo hic Basilius intelligit, dicens Spiritum sanctum esse Verbum vel eloquium Filii effective, inquantum sancti ab eo inspirati de Filio sunt locuti, secundum quod dicitur Joan., XVI, 13, de Spiritu sancto : *Quæcumque audiet, loquetur.* Et quod hic sit intellectus Basilii, patet ex eo quod subdit : « Ex quo eloquium Filii per Apostolum : *Gladium spiritus,* dicit, *sumite, quod est verbum Dei.* » Ipsum enim verbum fidei a sanctis prolatum, gladius spiritus manifeste dicitur.

CAPUT XIII.

Quomodo intelligitur quod dicitur quod nomine Christi intelligitur Spiritus sanctus.

Item dubium esse videtur quod Cyrillus in lib. *Thesaurorum* videtur dicere quod aliquando nomine Christi Spiritus sanctus intelligatur, sic inquiens : « Apostolus appellatione Christi Spiritum sanctum Christum vocavit : ait enim : Si in vobis Christus est, corpus quidem mortuum est, » etc. ; et post pauca : « Spiritus sanctus in nomine Christi operando, et eumdem Christum in se repræsentando, nomen Christi accipere, et Christus ab Apostolo operari dicitur. » Hoc autem videtur esse contra personarum distinctionem, ut nomen unius personæ alteri attribuatur. Sicut enim Pater nunquam est Filius, nec e converso, ita Filius nunquam est Spiritus sanctus, nec e converso. Non potest ergo nomen Christi de Spiritu sancto prædicari, neque igitur pro Spiritu sancto poni. Sed dicendum quod dictus Pater appellatione Christi dicit Spiritum Christum vocari, vel nomen Christi accipere, et Christum appellari, non quasi Christus de Spiritu sancto prædicetur, vel e converso (hoc enim esset sabellianæ impietatis) ; sed intelligitur in nomine Christi Spiritus sanctus ratione concomitantiæ, quia ubicumque est Christus est Spiritus Christi, sicut ubicumque est Pater est Filius. Unde interponit : « Numquid in hoc veritatis prædicator, » scilicet Apostolus, veritatem inconfusibilium personarum confudit sabellizando ? Non ; sed potius hoc Ecclesiæ indicare curavit ut Spiritus sanctus non sit alienus a natura Verbi. »

CAPUT XIV.

Quomodo intelligitur quod dicitur : Spiritus sanctus non mittit Filium.

Item dubium potest videri quod Athanasius dicit in III *Sermone nicæni concilii,* loquens de arianis. « Non, » inquit, « ut asserunt alienati a gratia Evangelii, et privati Domini spiritu, Spiritus gratificat et mittit Filium, propter hoc quod audierunt : *Et tunc Dominus misit me, et Spiritus ejus,* Isa, LXVIII ; et alibi : *Spiritus Domini super*

me, Isa., LXI. Hoc enim videtur esse contrarium ei quod Augustinus dicit in lib. *De Trinitate*, quod Filius sit missus a Spiritu sancto, probans hoc per auctoritates inductas. Nec solum a Spiritu sancto, sed etiam a seipso probat eum missum, quia est missus a tota Trinitate. Sed dicendum est quod in missione divinæ personæ duo possunt considerari : primo, auctoritas personæ mittentis ad personam quæ mittitur; secundo, effectus in creatura, ratione cujus persona divina mitti dicitur. Cum enim personæ divinæ sint ubique per essentiam, præsentiam et potentiam; secundum hoc persona divina mitti dicitur, secundum quod novo modo per aliquem novum effectum incipit esse in creatura; sicut Filius dicitur esse missus in mundum, inquantum novo modo incepit esse in mundo per visibilem carnem quam assumpsit, secundum illud Apostoli Gal., IV, 4 : *Misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege.* Dicitur etiam mitti spiritualiter et invisibiliter ad aliquem, inquantum per sapientiæ donum in eo incipit inhabitare; de qua missione dicitur Sap., IX, 10 : *Mitte illam,* scilicet sapientiam, *a sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit et mecum laboret.* Similiter etiam Spiritus sanctus ad aliquem mitti dicitur inquantum ipsum inhabitare incipit per donum caritatis, secundum illud Rom., v, 5 : *Caritas dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Si ergo in missione divinæ personæ consideretur auctoritas mittentis ad personam missam, sic sola persona potest aliam mittere a qua est persona missa, et secundum hoc Pater mittit Filium, et Filius Spiritum sanctum, non autem Spiritus sanctus Filium, et sic Athanasius loquitur. Si autem in missione personæ divinæ consideretur effectus, ratione cujus persona mitti dicitur, cum effectus sit communis toti Trinitati (nam tota Trinitas operata est carnem Christi, et operatur sapientiam et caritatem in sanctis), tunc potest dici quod persona mittitur a tota Trinitate, et sic intelligit Augustinus.

Sed tamen sciendum est quod, licet persona divina interdum secundum Augustinum dicatur mitti a persona a qua non procedit, non tamen persona quæ a nullo procedit potest dici quod mittatur. Pater enim, quia a nullo est, a nullo mittitur, licet per aliquod novum gratiæ donum hominem inhabitet, et ad hominem venire dicatur, secundum illud Joan., XIV, 23 : *Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Sic ergo in persona quæ mittitur, requiritur quod essentialiter ab aliqua[1] persona procedat, sed non est necessarium quod procedat æternaliter ab illa persona a qua mittitur, sed sufficit quod ab illa persona sit effectus secundum quem mittitur. Et hoc dico secundum modum quo Augustinus loquitur de missione. Sed secundum Græcos, persona non mittitur nisi ab illa a qua procedit æternaliter; unde Filius non mittitur a Spiritu sancto, nisi[2] secundum quod est homo. Propter ea[3] Basilius auctoritates prædictas exponit, ut per Spiritum intelligatur Pater, secundum quod Spiritus essentialiter sumitur, ut dicitur Joan., IV, 24 : *Deus spiritus est;* et sic etiam Hilarius exponit in lib. *De Trinitate.*

CAPUT XV.

Quomodo intelligitur quod dicitur quod Spiritus sanctus vere per Filium operatur.

Item dubium est quod Basilius dicit in libro *Contra Eunomium* quod Spiritus sanctus vere per Filium operatur; quod quidem videtur esse falsum. Nam persona dicitur operari per illam quæ ab ipsa est, sicut Pater per Filium, et non e converso. Sed dicendum quod Spiritus sanctus dicitur operari per Filium secundum naturam humanam, non autem secundum divinam.

CAPUT XVI.

Quomodo intelligitur quod dicitur in Ecclesia, Deus non erat per gratiam in hominibus ante Christi incarnationem.

Item dubium esse videtur quod Athanasius dicit *Ad Serapionem :* « Impossibile erat secundum prædestinationem[4] divinæ rationis ut Ecclesia domini invisibilem for-

[1] Sic cod.; Parm. : « quod æternaliter ab alia persona procedat. » — [2] Parm. addit : « forte. » — [3] Parm. : « propter quod. » — [4] Parm. : « prædeterminationem. »

mam et incorpoream immediate nudam reciperet; sed consubstantiavit se Dominus eidem Ecclesiæ, formam ejus in se assumens. » Ex quo videtur quod ante Christi incarnationem Deus per gratiam in hominibus non habitaret. Quod etiam quidam hæretici dicere præsumpserunt occasione illius quod dicitur Joan., VII, 39 : *Nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus.* Utrumque autem eodem modo est intelligendum. Nam sicut dicitur quod Spiritus sanctus non fuerit ante datus, quia non in tanta plenitudine datus fuerat, in quanta apostoli eum post Christi resurrectionem acceperunt; ita etiam Ecclesia in tanta plenitudine gratiæ donum accipere non potuit secundum ordinem divinum, in quanta recepit per Christi incarnationem, quia *gratia et veritas per Jesum Christum facta est,* ut dicitur Joan., I, 17. Unde in *Sermone nicæni concilii* Athanasius dicit : « Equidem ipsos consummari et perfici impossibile est, nisi ego perfectum suscipiam hominem. » Quod eodem modo intelligendum est sicut quod supra dictum est. Ideo autem dicit « secundum prædestinationem divinam, » quia possibile erat Deo alio modo quam per Christi incarnationem, perfectionem gratiæ humano generi conferre, loquendo de potentia absoluta, sed non potuit humanum genus hanc plenitudinem aliter consequi, supposita Dei ordinatione.

CAPUT XVII.

Quomodo intelligitur divinam essentiam increatam, conceptam esse et natam.

Item videtur esse dubium quod Athanasius dicit in *Epistola ad Serapionem,* « essentiam divinam increatam, conceptam esse et natam ex Virgine matre. » Magister enim, in III *Sentent.,* dist. VIII, dicit quod « quæ res non est de patre genita, non videtur esse de matre nata, ne res aliqua filiationis nomen habeat in humanitate quæ non habet in divinitate. » Et sic, cum divina essentia non sit nata de Patre, non potest dici esse de matre. Sed dicendum quod sicut improprie essentia divina dicitur generans vel genita secundum generationem æternam, inquantum essentia ponitur pro persona, ut intelligatur essentiam generare, quia Pater, qui est essentia generat ; secundum eumdem modum dicitur essentia divina nata de Virgine, quia Filius Dei, qui est divina essentia, natus est de Virgine.

CAPUT XVIII.

Quomodo intelligitur cum dicitur deitas homo facta.

Item potest esse dubium quod Athanasius dicit in *eadem epistola :* « Deitas homo facta, per suum spiritum sibi Ecclesiam conformavit. » Dicit enim Magister tertio libro *Sententiarum,* quod non debet dici quod « divina natura sit caro facta, sicut dicitur : *Verbum caro factum est.* » Sic autem dicitur Verbum caro factum, quia Verbum homo factus est. Non ergo debet dici quod divina essentia, sive deitas, facta sit homo. Sed dicendum quod non dicitur deitas esse facta homo quasi[1] divina natura sit conversa in humanam ; sed per illum modum quo dicitur quod natura divina assumpsit naturam humanam in una persona, scilicet Verbi. Sicut etiam Damascenus dicit quod « natura deitatis in una personarum suarum incarnata est, » id est carni unita.

Sciendum tamen quod alia ratione dicitur quod Verbum est homo, et quod deitas est homo. Cum enim dicitur : Verbum est homo, est prædicatio per informationem, quia scilicet persona Verbi est subsistens in humana natura. Cum vero dicitur : deitas est homo, non est prædicatio per informationem, quia humana natura non informat divinam, sed est prædicatio per identitatem ; sicut etiam cum dicitur : essentia divina est Pater, vel : essentia divina est Filius ; homo enim supponit pro persona Filii, cum dicitur : deitas est homo. Et eadem ratio veritatis, cum dicitur : deitas est facta homo, quia incepit esse persona Filii incarnata, quod importatur in nomine hominis, licet non inceperit esse persona Filii ; semper enim deitas fuit Filius, sed non semper fuit homo.

[1] Parm. : « quia. »

CAPUT XIX.

Quomodo intelligatur quod Filius Dei assumpsit humanam naturam in sua essentia.

Item dubium videtur quod Athanasius dicit in III *Sermone nicæni concilii,* de Filio Dei loquens : « In sua usia, » id est essentia, « naturam nostram a nobis assumpsit. » Cum enim assumptio ad unionem terminetur, sicuti unio non est facta in natura, sed in persona, ita non videtur quod humana natura sit assumpta in essentia Filii. Dicendum est ergo quod locutio est impropria, et sic exponenda : assumpsit nostram naturam in sua usia, id est ut esset unita suæ usiæ in una persona.

CAPUT XX.

Quomodo intelligitur cum dicitur hominem esse assumptum.

Item videtur esse dubium quod Athanasius dicit in *eodem sermone,* hominem esse assumptum ; sic inquiens, ex persona Filii loquens : « Pro pleno homine assumpto, plenum et perfectum hominibus Spiritum sanctum dedi ; » et in *Epistola ad Serapionem :* « Communio essentiæ est a Patre per Filium in Spiritu sancto per deificum et Deum factum hominem ab eodem Filio assumptum. »

Sciendum est autem quod cum nihil sumat seipsum, oportet semper esse diversum assumens et assumptum, recipiens et receptum. Si ergo homo dicitur assumptus a Filio Dei, oportet quod id quod supponitur nomine hominis, sit diversum ab eo quod supponitur nomine Filii Dei. Nomine autem hominis potest supponi vel aliqua persona hominis completa, vel saltem aliquod suppositum hominis, non habens rationem personæ. Si ergo dicatur quod homo sit assumptus, secundum quod homo supponit pro aliqua persona humana, sic sequetur quod persona divina assumpsit humanam personam, et sic erunt duæ personæ in Christo, quod est hæresis nestoriana; et ideo Augustinus (Fulgentius) dicit in lib. *De fide ad Petrum,* quod « Deus verbum non accepit personam hominis, sed naturam. »

Quidam vero dixerunt, volentes hunc errorem vitare, quod cum dicitur homo assumptus a Verbo, in nomine hominis intelligitur quoddam suppositum humanæ naturæ, quod est hic homo, non tamen est persona hominis, quia non est per se separatum existens, sed est unitum alicui digniori, scilicet Filio Dei. Et quia hoc suppositum hominis, quod significatur assumptum, cum dicitur homo assumptus est aliud a supposito Filii Dei, dicunt in Christo duo supposita, sed non duas personas. Sed ad hanc positionem sequitur quod hæc propositio non sit vera : Filius Dei est homo. Impossibile est enim quod duorum quorum unum est aliud secundum suppositum ab altero, unum de altero vere prædicetur. Et ideo communiter tenetur quod sit unum tantum suppositum, quod supponitur nomine hominis, et nomine Filii Dei. Ex quo sequitur quod hæc sit falsa vel impropria : Homo est assumptus; sed est exponenda : Filius Dei assumpsit hominem, id est humanam naturam.

CAPUT XXI.

Quomodo intelligitur quod dicitur quod Deus fecit hominem esse Deum.

Item dubium est de hoc quod Athanasius dicit in *eadem epistola :* « Filius Dei, ut hominem ad se reduceret, hominem in sua hypostasi assumens deificando Deum fecit ; » et in III *Sermone nicæni concilii :* « Ipsos consummari impossibile est, nisi ego suscipiam perfectum hominem, et deificem, et mecum Deum faciam. » Ex quibus datur intelligi quod hæc sit vera : Homo factus est Deus. Sed sciendum quod, secundum illam opinionem quæ in Christo dicit duo supposita, æqualiter utraque est vera : Deus est factus homo, et homo factus est Deus. Est enim sensus secundum eos, cum dicitur : Deus factus est homo : suppositum divinæ naturæ unitum est supposito humanæ naturæ, et e converso cum dicitur : Homo factus est Deus, sensus est : suppositum humanæ naturæ est unitum filio Dei. Sed tenendo quod in Christo sit unum tantum suppositum, hæc est vera et propria : Deus factus est homo, quia ille qui fuit Deus ab æterno, incepit esse homo ex tempore. Hæc autem non est vera proprie loquendo : Homo factus est Deus, quia

suppositum æternum quod supponitur nomine hominis, semper fuit Deus; unde exponenda est sic : Homo factus est Deus, id est, factum est ut homo sit Deus.

CAPUT XXII.

Quomodo intelligitur amotam esse a Christo imaginem primi parentis.

Item dubium est quod dicit Athanasius in prædicta *epistola*, ex persona Christi loquens : « Post resurrectionem amota a me imagine parentis, et abolita per trophæum crucis, ego jam immortalis vos Patri meo in filios adopto. » Sciendum est enim quod imaginem primi parentis tripliciter quis potest habere. Primo qnidem, quantum ad similitudinem naturæ, sicut dicitur Genes., v, 3 : *Vixit Adam centum triginta annis, et genuit filium ad imaginem et similitudinem suam.* Secundo, quantum ad culpam; de quo dicitur I Cor., xv, 49 : *Sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem cœlestis.* Tertio, secundum pœnalitatem, sicut habetur Zach., XIII, 5 : *Homo agricola ego sum, quoniam Adam exemplum meum ab adolescentia mea.* Primam ergo Adæ imaginem Christus assumpsit cum nostra natura, et nunquam deposuit; secundam vero nunquam habuit; tertiam quidem assumpsit, sed in resurrectione deposuit, et de hac loquitur Athanasius.

CAPUT XXIII.

Quomodo intelligitur quod dicitur quod creatura non potest cooperari Creatori.

Item videtur esse dubium de hoc quod Athanasius in *Sermone nicæni concilii* dicit : « Aut quomodo Creatori creatura cooperatur, intiment nobis. » Ex quo datur intelligi quod creatura Creatori cooperari non possit : quod videtur esse falsum, cum sancti dicantur esse Dei adjutores et cooperatores, secundum Apostolum. Sed sciendum quod aliquid dicitur cooperari alicui dupliciter. Uno modo, quia operatur ad eumdem effectum, sed per aliam virtutem sicut minister domino, dum ejus præceptis obedit, et instrumentum artifici, a quo movetur. Alio modo dicitur aliquid cooperari aliqui, inquantum operatur eamdem operationem cum ipso, sicut si diceretur de duobus portantibus aliquod pondus, vel de pluribus trahentibus navem, quod unum alteri cooperatur. Secundum igitur primum modum, creatura potest dici Creatori cooperari quantum ad aliquos effectus qui fiunt mediante creatura; non tamen quantum ad illos effectus qui sunt immediate a Deo, ut creatio et sanctificatio. Secundo autem modo creatura Creatori non cooperatur, sed solum tres personæ sibi invicem cooperantur, quia earum est operatio una; non autem ita quod quælibet earum partem virtutis possideat, per quam operatio completur, sicut accidit in multis trahentibus navem; sic enim cujuslibet virtus esset imperfecta, sed ita quod tota virtus ad operationem sufficiens est in qualibet trium personarum.

CAPUT XXIV.

Quomodo intelligitur quod dicitur creaturam Creatori non esse propriam.

Item dubium videtur esse quod Basilius dicit *Contra Arium*, quod creatura Creatori non est propria; quod est contra id quod dicitur Joan., I, 13 : *In propria venit, et sui eum non receperunt.* Sed hoc solvit Gregorius in quadam *Homilia*, dicens, quod creatura est propria Dei secundum potestatem, aliena vero secundum naturam, id est alterius naturæ a Deo existens.

CAPUT XXV.

Quomodo intelligitur quod in angelis, quantum ad naturam, non dicimus esse secundum et tertium.

Item dubium est quod Basilius dicit *Contra Eunomium* : « In angelis ordinatum dicimus unum principem, alium autem subjectum in natura, tamen non dicimus secundum et tertium. » Ex quo videtur quod omnes natura sunt æquales a Deo creati, ut posuit Origenes. Apud nos autem dicitur quod sicut differunt in donis gratiarum, ita etiam in naturalibus bonis. Sed dicendum quod hoc quod dicit Basilius, in angelis non esse quantum ad naturam secundum et tertium, non est intelligendum quod unus non sit perfectioris naturæ quam alius, sed quia omnes communicant

in una natura generis, licet non in natura speciei.

CAPUT XXVI.

Quomodo intelligitur quod dicitur quod, docente Paulo, etiam seraphim addiscit.

Item dubium est quod dicit Cyrillus in libro *Thesaurorum,* quod, « docente Paulo, non solum humana ratio addiscit, verum etiam et seraphim supernis mysteria cordis paterni occulta reserantur. » Ex quo videtur quod ad angelos etiam summos cognitio devenerit[1] per homines. Et videtur hoc esse dictum propter id quod habetur Ephes., III, 8 : *Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc, in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi,* etc., *ut innotescat principibus et potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei.* Sed contrarium hujus docet Dionysius in IV cap. *Angelicæ hierarchiæ*, ostendens quod cognitio divinorum prius ad angelos quam ad homines pervenit, et in VII cap. ejusdem libri dicit quod seraphim immediate a Deo edocentur. Et Augustinus dicit *Super Genesim ad litteram* quod non latuit angelos mysterium regni cœlorum quod opportuno tempore revelatum est pro nostra salute. Et ideo dicendum est quod cum angelorum non sit futura prænoscere, sed Dei solius, licet angeli ipsum mysterium nostræ redemptionis a sæculo cognoverint, ut Augustinus dicit, tamen aliquas hujus redemptionis circumstantias plene nesciverunt quamdiu erant futuræ; sed eis completis, eorum notitiam acceperunt, sicut et aliorum quæ præsentialiter fiunt. Non ergo sic intelligendum est quod, docente Paulo, mysteria divina supernis seraphim sint revelata, quasi ipsi a Paulo didicerint; sed quia Paulo prædicante et aliis apostolis, perficiebantur ea quæ præsentialiter angeli cognocebant, et futura ignoraverant. Et hoc sonant verba dicentis, « angelicas dignitates præfatum mysterium ad purum non intellexisse, donec completa est passio Christi, et apostolorum prædicatio per gentes dilatata. »

[1] Parm. : « deveniat. »

CAPUT XXVII.

Quomodo intelligitur cum dicitur quod spiramen quod inspiravit Deus in faciem hominis, non est anima rationalis, sed sancti Spiritus effusio.

Item dubium est quod Cyrillus dicit quod, cum dicitur Genes., II, 7, quod *inspiravit Deus in faciem hominis spiraculum vitæ, ut fieret homo in animam viventem,* ipsum spiramen non dicimus animam; sic enim esset anima inconvertibilis, et non peccaret, quia de essentia esset divina, sed sancti Spiritus effusionem in ipso principio suppositam animæ humanæ dicit Moyses; quod est contra expositionem Augustini, qui animam humanam per illud spiramen ponit, et ostendit quod non propter hoc sequitur quod sit de substantia divina ; est enim tropica locutio, ut dicatur inspirasse non corporaliter, sed quia spiritum, id est animam, fecit ex nihilo. Et quod est amplius, videtur esse repugnans dicit Apostoli, qui I ad Cor., XV, 45, dicit : *Factus est primus homo Adam in animam viventem; novissimus Adam in spiritum vivificantem; sed non prius quod spirituale est, sed quod animale.* Ubi expresse illam vitam animæ dicit esse aliam a vita quæ est per Spiritum sanctum; unde illa inspiratio per quam dicitur homo factus in animam viventem, non potest de gratia Spiritus sancti intelligi. Unde dicendum est quod expositio Cyrilli non potest esse litteralis, sed solum allegorica.

CAPUT XXVIII.

Quomodo intelligitur quod eum qui semel blasphemavit, impossibile est non blasphemare.

Item dubium potest esse de hoc quod Athanasius dicit in *Epistola ad Serapionem,* quod arianos qui non semel tantum, sed pluries blasphemarunt, impossibile est non blasphemare; quod videtur esse libertati arbitrii repugnans. Sed dicendum quod impossibile hic pro difficili sumitur, quæ difficultas ex consuetudine provenit; sicut et Jer., XIII, 23, dicitur : *Si mutare potest*

Æthiops pellem suam et pardus varietates suas, et vos poteritis bene facere, cum didiceritis malum.

CAPUT XXIX.

Quomodo intelligitur quod dicitur quod fides non sit prædicabilis.

Item dubium est quod Chrysostomus dicit in *Sermone de fide,* quod fides est non prædicabilis. Sed intelligendum est, id est per prædicationem non perfecte explicabilis.

CAPUT XXX.

Quomodo intelligitur quod dicitur quod fides non sit nobis ministrata per angelos.

Item dubium est de hoc quod Athanasius dicit quod fides nobis administrata est non ab angelis, neque a signis et portantis, cum dicatur Hebr., II, 4, quod fides annuntiata est *contestante Deo signis et portentis.* Sed intelligendum est quod fides nostra non habet auctoritatem neque ab angelis, neque ab aliquibus miraculis factis, sed a revelatione Patris, et Filii, et Spiritus sancti [1], licet etiam angeli ea quæ sunt fidei nostræ, revelaverint aliquibus, ut Zachariæ, et Mariæ, et etiam Joseph, et etiam ad fidei robur miracula plurima facta sint.

CAPUT XXXI.

Quomodo intelligitur quod dicitur littera mortalis etiam Novi Testamenti.

Item dubium esse videtur quod Athanasius dicit in *Epistola ad Serapionem :* « Littera mortalis hæc est : Ab initio et ante sæcula creata sum, » etc.; et subjungit multa testimonia de Veteri et de Novo Testamento. Littera autem novæ legis non videtur esse littera mortalis [2]; sic enim non differret a littera veteris legis, de qua dicitur II Cor., III, 6, quod *littera occidit.* Sed dicendum quod neque littera Novi Testamenti neque Veteris occidit nisi per occasionem. Sed occasionem mortis ex litteris accipiunt aliqui dupliciter. Uno modo inquantum ex littera sacra accipiunt occasionem erroris, et hoc commune est tam litteræ Veteris Testamenti, quam Novi; unde et Petrus dicit, II canonicæ, ult., 16, quod in epistolis Pauli *sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti et instabiles depravant, sicut et cæteras Scripturas, ad suam damnationem.* Alio modo inquantum ex præceptis in littera sacræ Scripturæ contentis sumitur occasio male vivendi, dum per prohibitionem concupiscentia augetur, et gratia adjuvans non confertur; et sic littera Veteris Testamenti dicitur mortalis, non autem littera Novi.

CAPUT XXXII.

Quomodo intelligitur quod sola definitio nicæni concilii est unica et vera possessio fidelium.

Item dubium est de hoc quod dicit Athanasius in *eadem epistola,* quod « sola definitio [3] nicæni concilii, enuntiata spiritu et littera [4], est unica et vera possessio orthodoxorum. » Posset enim aliquis intelligere quod definitio dicti concilii, auctoritate præferatur litteræ Veteris vel Novi Testamenti, quod est omnino falsum. Intelligendum est autem quod per dictum concilium verus intellectus ex sacra Scriptura est acceptus quem soli catholici habent, licet littera sacræ Scripturæ sit communis catholicis et hæreticis et Judæis.

PROLOGUS [5].

His igitur expositis, ostendendum est quomodo ex auctoritatibus in prædicto libello contentis vera fides docetur, et contra errores defenditur.

Considerandum si quidem est, quod in *hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvantur opera diaboli,* ut dicitur I Joan., III, 8 ; unde et diabolus versa vice ad hoc totum suum conatum apposuit et apponit, ut ea quæ sunt Christi, dissolvat. Quod quidem primo per tyrannos facere tentavit, Christi ministros corporaliter occidentes; sed postmodum per hæreticos, per quos spiritualiter plurimos interfecit. Unde si quis diligenter

[1] Parm. : « per Filium et Spiritum sanctum. » — [2] Parm. : « mortis. » — [3] Cod. non habent, ut in Parm. : « paterna. » — [4] Parm. : « enunciatio a spiritu et non littera. » — [5] Parm. non habet hunc titulum.

inspiciat hæreticorum errores, ad hoc principaliter videntur tendere, ut Christi derogent dignitati. Derogavit namque Arius dignitati Christi, dum Filium Dei coessentialem Patri esse negavit, eum asserens creaturam. Derogavit etiam Macedonius, qui, dum Spiritum sanctum creaturam esse dixit, Filio subtraxit anctoritatem spirandi divinam personam. Derogavit et Manichæus, qui, dum visibilia a malo Deo creata esse asseruit, per Filium omnia esse creata negavit. Dissolvit etiam quæ sunt Christi Nestorius, qui, dum aliam personam esse filii hominis, aliam Filii Dei docuit Christum esse aliquid unum negavit. Dissolvit et Eutyches, qui, dum ex duabus naturis, divina scilicet et humana, in Christi incarnatione unam conficere voluit, utramque subtraxit; quod enim ex duobus conficitur, neutrum eorum veraciter dici potest. Dissolvit et Pelagius, qui, dicens gratia nos non indigere ad capessendam salutem, adventum Filii Dei in carnem frustravit : *gratia enim et veritas per Jesum Christum facta est,* Joan., I, 17. Derogavit etiam Christo Jovinianus, qui, dum virgines in conjugio viventibus æquavit, dignitati Christi detraxit, qua eum natum ex Virgine confitemur. Derogavit et Vigilantius, qui, dum paupertatem pro Christo susceptam impugnavit, perfectioni, quam Christus servavit et docuit, contradixit; unde non immerito dicitur I Joan., IV, 3 : *Omnis spiritus qui solvit Jesum, ex Deo non est, et hic est antichristus.* Sic ergo et in hoc tempore aliqui esse dicuntur qui solvere Christum tentant, ejus dignitatem, quantum in ipsis est minuentes. Dum enim dicunt Spiritum sanctum a Filio non procedere, ejus dignitatem minuunt, qua simul cum Patre est Spiritus sancti spirator[1]. Dum vero unum caput Ecclesiæ esse negant, sanctam scilicet romanam Ecclesiam, manifeste unitatem corporis mystici dissolvunt; non enim potest esse unum corpus, si non fuerit unum caput, neque una congregatio, si non fuerit unus rector; unde Joan., X, 16, dicitur : *Fiet unum ovile, et unus pastor.* Dum vero sacramentum altaris ex azymis posse[2] confici negant, manifeste ipsi Christo repugnant; quem prima die azymorum, quando nihil fermentatum secundum legem debebat in Judæornm domibus inveniri, evangelistæ tradunt hoc sacramentum instituisse. Videntur etiam puritati ipsius sacramentalis corporis Christi derogare, ad quam Apostolus fideles exhortatur, dicens I ad Cor., V, quod non est epulandum *in fermento malitiæ et nequitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis.* Hujus etiam sacramenti virtutem minuunt dum purgatorium negant. Sacramentum quidem[3] in Ecclesia communiter pro vivis et mortuis consecratur, cum purgatorio sublato, in mortuis nullam efficaciam possit habere. Non enim prodest iis qui sunt in inferno, *ubi nulla est redemptio,* neque illis qui sunt in gloria, qui suffragiis nostris non egent. Quomodo igitur ex præmissis auctoritatibus errores hujusmodi confutentur, breviter ostendam, incipiens prius a processione Spiritus sancti.

LIBER II.

CAPUT I.

Quod Spiritus sanctus est spiritus Filii.

Ad ostendendum autem quod Spiritus sanctus a Patre procedat et Filio, primo sumendum est quod etiam ab ipsis errantibus negari non potest, cum expresse auctoritate sacræ Scripturæ probetur : quod scilicet Spiritus sanctus sit spiritus Filii. Dicitur enim ad Galat., IV, 6 : *Quoniam autem estis filii Dei, misit Deus spiritum Filii sui in corda vestra clamantem : Abba pater;* et Rom., VIII, 9 : *Si quis spiritum Christi non habet, hic non est ejus;* et Actuum, XVI, 7 : *Cum venissent Misiam, tentabant ire in Bithyniam et non permisit eos spiritus Jesu.* Dicitur etiam I Cor., II, 16 : *Nos autem sensum Christi habemus;* quod de Spiritu sancto necesse est intelligi, ut patet per ea quæ ab Apostolo præmittuntur. Dicitur etiam Spiritus sanctus spiritus veritatis, Joan., XV, 26, ubi dicitur : *Cum venerit Paraclitus, quem mittam vobis a Patre, spiritum veritatis.* Dicitur et spiritus vitæ, Rom., VIII, 2 : *Lex spiritus vitæ in Christo Jesu;* unde cum Filius de se dicat, Joan., XIV, 6 : *Ego sum via, veritas*

[1] Parm. : « spiratio. » — [2] Cod. Victor. omittit : « posse. » — [3] Parm. : « dum purgatorium negant, quod in Ecclesia. »

et vita, concludunt doctores Græcorum, quod sit spiritus Christi; quod similiter adstruunt ex hoc quod habetur in Ps. XXXII, 6 : *Verbo Domini cœli firmati sunt et spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Nam os Patris Filius dicitur, sicut et verbum.

Sed ne aliquis possit dicere quod alius sit spiritus qui a Patre procedit, et alius qui est Filii, ostenditur ex Scripturis, quod idem Spiritus scilicet sit Patris et Filii. Nam Joan., XV, simul dicitur : *Spiritus veritatis* et *qui a Patre procedit,* et Rom., VIII, postquam dixerat : *Si spiritus Dei habitat in vobis,* statim subjungit : *Si quis spiritum Christi non habet,* ut ostendat eumdem esse spiritum Patris et Filii. Unde Basilius dicit *Contra Eunomium,* postquam prædicta verba Apostoli induxerat : « Ecce in Patre et Filio et spiritus Patris et Filii, unum spiritum vidit, » scilicet Apostolus; et Theodoritus dicit *Super epist. ad Rom.,* exponens idem verbum Apostoli : « Communis est Patris et Filii Spiritus sanctus. »

Quærendum est ergo quomodo Spiritus sanctus sit spiritus Filii, vel spiritus Christi.

Potest autem aliquis dicere quod sit spiritus Christi quasi in homine Christo plenarie inhabitans, secundum illud Luc., IV, 1 : *Jesus plenus Spiritu sancto regressus est a Jordane : de cujus plenitudine nos omnes accepimus,* ut dicitur Joan., I, 16. Hæc autem responsio sustineri non potest, ut scilicet hac tantum ratione Spiritus sanctus spiritus Christi dicatur. Invenitur enim a doctoribus Græcorum, quod Spiritus sanctus sit naturalis spiritus Filii. Dicit enim Athanasius in *Sermone* III *nicæni concilii :* « Sicut in Christo vivit nostra natura deifice, et ipse in ea regnat, ita et nos in suo naturali spiritu simus, vivamus et regnemus. » Idem in *Epistola ad Serapionem :* « Accepistis spiritum adoptionis, id est naturalem spiritum de natura filii naturalis. » Et Cyrillus dicit *Super Joan. :* « Existit siquidem filius in proprio genitore, habens in seipsum gignentem se. » Et sic Patris spiritus, veraciter et naturaliter Filii videtur et est Spiritus. Spiritus autem non est naturalis Christo secundum humanitatem, quia non pertinet ad naturam humanitatis, sed gratis a Deo in naturam humanitatis effunditur. Non ergo potest propter hoc dici spiritus Filii, quia Christum excellenter replevit secundum humanitatem. Item Athanasius dicit in *Sermone de incarnatione Verbi,* quod ipse Christus mittebat e sursum sicut Deus Filius, et ipse deorsum accipiebat spiritum ut homo. Ex ipso ergo in ipsum habitat de deitate ejus et humanitate ejusdem. » Non solum ergo Spiritus sanctus est spiritus Christi, quia humanitatem ejus replevit, sed magis quia est ex divinitate ipsius.

Potest autem aliquis dicere quod Spiritus sanctus est Filii secundum deitatem, sicut a Filio Dei datus et missus, non autem sicut a Filio personaliter et æternaliter existens. Sed hoc etiam stare non potest. Dicit enim Cyrillus *Super Joannem :* « Proprius est Spiritus sanctus Dei Patris; sed non est minus ipsius Dei Filii non tanquam alius et alius spiritus. » Idem dicit in *Exhortatorio sermone ad Theodosium imperatorem :* « Spiritus sanctus sicut est proprius Patris, a quo procedit; sic et in veritate est ipsius Filii. » Si ergo Patris est, non solum quia ab ipso temporaliter datur et mittitur, sed etiam quia ab ipso æternaliter existit; eadem etiam ratione et Filii erit, quasi ab eo æternaliter existens. Item Cyrillus dicit *Super Joan. :* « Veracissimus fructus essentiæ ipsius Filii existit Spiritus sanctus. » Est ergo Filii, quasi a Filio essentiam habens. Patet ergo quod ex hoc quod Spiritum sanctum Spiritum Christi confitentur, necesse est quod ulterius dicant eum esse a Filio ab æterno.

CAPUT II.

Quod Filius mittit Spiritum sanctum.

Similiter autem patet ex auctoritate sacræ Scripturæ quod Filius mittit Spiritum sanctum. Dicitur enim Joan., XV, 26 : *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis,* etc., et XVI, 7 : *Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos.* Habetur etiam ex auctoritate Scripturæ, quod Pater dat Spiritum sanctum; Joan., XXI, 16 : *Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis.* Sed quod et Filius det eumdem Spiritum sanctum, dicitur Joan., XX, 22, quod post resurrectionem Dominus discipulis insufflavit, et dixit eis : *Accipite Spiritum sanctum;* quod et Athanasius confitetur in *Sermone nicæni concilii,* dicens ex persona Filii : « Quomodo erunt consummati ipsi, nisi ego verbum tuum consummem, » id est perfectum assumam, « et perficiam in me hominem, et eis mihi æqualem per

omnia mihi cooperantem donem Spiritum sanctum? » et idem in *Epistola ad Serapionem :* « Hunc Spiritum sanctum a Filio te recepisse credo, o sancte Sacerdos. » Dicit autem idem Athanasius in *eadem epistola :* « Hic est ordo naturæ divinæ a Patre et Filio, ut qui a nullo est, a nullo mittatur, et qui est ab alio, in nomine suo non veniat, sed in nomine illius a quo existit. Ita et Spiritus sanctus, qui a se non est, a se venire non debuit, sed in nomine illius a quo est, et a quo habet ut hypostasis sit Deus; quemadmodum de eo dicit Filius : Paraclitus Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo. » Patet ergo quod ex hoc quod Spiritus sanctus mittitur a Filio, sequitur quod a Filio existat æternaliter, et ab eo habeat quod sit Deus. Item Niceta dicit *Super Joan.,* v : « Non alia proprietate Pater mittit Spiritum, qua proprietate mittit[1] Filius, vel aliqua alia proprietate Filius mittit Spiritum sanctum, qua non mittit et Pater. » Ex quo patet quod eadem proprietate et ratione Pater et Filius mittunt Spiritum sanctum. Si ergo Pater mittit Spiritum sanctum quasi ab ipso æternaliter existentem, et similiter Filius Spiritum sanctum mittet quasi de se æternaliter existentem. Item Athanasius dicit in *Sermone nicæni concilii,* ex persona Filii loquens : « Sicut me perfectum genuisti Deum, et perfectum me fecisti assumere hominem, sic ex te et ex mea essentia da eis perfectum Spiritum sanctum. » Idem dicit in *Epistola ad Serapionem :* « Sicut in Filio Dei nostra sibi unita manet natura, quam de nobis assumpsit, ita et ipse manet in nobis per suum spiritum coessentialem sibi, quem de sua essentia essentialiter spirat et donat nobis. » Item dicit in *Sermone de incarnatione Verbi,* quod « datus est Spiritus sanctus discipulis de plenitudine deitatis. » Item Nicetas *Super Joan.* dicit : « Filius Spiritum sanctum de se dat ut Pater. » Ex quibus omnibus accipitur quod non solum sic dicitur Spiritus a Filio dari vel mitti, inquantum donum gratiæ, per quod Spiritus sanctus nos inhabitat, est a Filio, sed inquantum ipse Spiritus sanctus est a Filio. Impossibile est enim quod donum gratiæ, cum sit quoddam creatum, sit ex essentia Filii, sed Spiritus sanctus coessentialis est Filio; quare de essentia Filii dari potest vel mitti. Item a nullo potest dari nisi quod ejus est. Spiritus ergo sanctus datur ab eo cujus est; sicut habetur I Joannis., IV, 13 : *In hoc cognoscimus quoniam in eo manemus, et ipse in nobis, quia de spiritu suo dedit nobis.* Si ergo Filius mittit vel dat Spiritum sanctum, oportet quod sit spiritus ejus. Ex hoc autem quod est spiritus ejus, sequitur quod ab eo sit æternaliter, ut ostensum est. Ex hoc ergo quod Filius mittit vel dat Spiritum sanctum, sequitur quod ab eo similiter æternaliter existat.

CAPUT III.

Quod Spiritus sanctus accipit de eo quod est Filii.

Ulterius autem ex auctoritate sacræ Scripturæ habetur quod Spiritus sanctus accipiat de eo quod est Filii. Dicitur enim Joan., XVI, 14 : *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis.*

Potest autem aliquis dicere quod, licet Spiritus sanctus accipiat id quod est Filii, non tamen accipit a Filio ; accipit enim essentiam Patris a Patre, quæ quidem essentia est etiam Filii ; et pro tanto dicit Filius quod *de meo accipiet :* quod videtur innui ex consequentibus Domini verbis; subdit enim, quasi se exponens : *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt; propterea dixi vobis, quia de meo acccipiet.* Sed ex hac Domini expositione de necessitate concluditur quod Spiritus sanctus a Filio accipiat. Si enim omnia quæ sunt Patris sunt etiam Filii, oportet quod auctoritas Patris, secundum quam est principium Spiritus sancti, sit etiam Filii. Sicut ergo Spiritus sanctus accipit de eo quod est Patris a Patre, ita accipit de eo quod est Filii a Filio; hinc est quod Athanasius dicit in *Epistola ad Serapionem :* « De sua propria essentia Spiritum sanctum existentem Deum de se essentialiter suis apostolis et suæ sponsæ Ecclesiæ demonstrando Christus affirmavit, sic dicens : De meo accipiet, id est de mea essentia habet ut sit Deus; sic a me habet esse et loqui. » Item Athanasius in *Sermone nicæni concilii :* « Spiritus sanctus quidquid habet, habet a Verbo Dei ; » et in *Epistola ad Serapionem* dicit : « Spiritus sanctus est coessentialis Filio, a

[1] Parm. ; « qua proprietate non mittit Filius. »

quo habet omnia quæcumque habet. » Item in *eadem epistola :* « Filius ait : « Ille, » scilicet Spiritus sanctus, « me clarificabit, id est, in se meam, ut habet a me, deitatem, me gloriosum Deum demonstrabit ; » sicut et ego glorifico Patrem meum, « id est sicut in me ab ipso ejus habeo deitatem. » Et Basilius *Contra Eunomium* dicit : « Denominatio a Patre transit in Filium, ut de Deo Patre sit Deus Filius, ex Domino Dominus, ex omnipotente omnipotens, ex sapiente sapientia, ex summo loquente Verbum, ex virtute virtus ; verus filius denominationes patris habet in se. Ita etiam et Spiritus sanctus est Dominus et Deus omnipotens, sapiens, virtus ; naturaliter sumens habet a Domino Deo Patre et Filio, a quo est et datur. » Patet autem quod per hoc quod Filius habet deitatem, et quidquid habet, a Patre, æternaliter est a Patre. Spiritus ergo sanctus æternaliter est a Patre et Filio, sicut ab eis accipiens deitatem et quidquid habet.

CAPUT IV.

Quod Filius operatur per Spiritum sanctum.

Habetur et ex auctoritate sacræ Scripturæ quod Filius operetur in Spiritu sancto, vel per Spiritum sanctum. Dicit enim Apostolus, Roman., xv, 18 : *Non enim audeo aliquid loqui eorum quæ per me non efficit Christus in obedientiam gentium, verbo et factis, in virtute signorum et prodigiorum, in virtute Spiritus sancti;* et I Corinth., ii, 10 : *Nobis revelavit Deus per Spiritum suum.* Est autem Spiritus Patris et Filii. Pater ergo et Filius per Spiritum sanctum revelando operantur. Hinc est quod Athanasius dicit in *Epistola ad Serapionem :* « Filius Dei illuminando nos præveniens, et justificando in fide corroborans, et Scripturas reserando donis suæ sapientiæ non replens, non in alieno, et non suo Spiritu dona concedit, remittens peccata, et charismatibus nos imbuens, sed potius in suo proprio Spiritu sancto. » Cyrillus etiam dicit in *Sermone dogmatum Dei*, quod « Filius proprium habet in se essentialiter Spiritum sanctum, et ex se naturaliter missum, in quo operatur divina miracula, tanquam in propria et vera sua virtute. » Ex hoc autem quod Filius operatur per Spiritum sanctum, de necessitate concluditur quod Spiritus sanctus sit a Filio. Potest enim dicere aliquis quod aliquis operari dicitur per aliquod dupliciter[1]. Uno modo ex eo quod id per quod operatur, est sibi principium et causa operandi, sive efficiens et movens, sicut dicitur balivus operari per regem ; sive causa formalis, sicut dicitur homo per artem operari. Alio modo ita quod id per quod operatur, sit causa operato, et non operanti, sicut cum dicitur rex operari per balivum, et artifex operari per instrumentum ; et tunc oportet quod e contrario operans sit principium operandi ei per quod operatur, sicut rex balivo et artifex instrumento. Cum autem dicitur Filius per Spiritum sanctum operari, non potest intelligi quod Spiritus sanctus sit principium operandi Filio, quia Filius a Spiritu sancto non accipit. Relinquitur ergo quod Filius sit principium operandi Spiritui sancto : quod quidem esse non potest nisi per hoc quod dat ei virtutem operativam. Non autem dat ei tanquam prius non habenti ; sic enim daret ei tanquam indigenti, et sequeretur quod Spiritus sanctus esset Filio minor. Relinquitur ergo quod ab æterno ei dederit. Nec est aliud virtus operativa Spiritus sancti quam ejus essentia, cum Spiritus sanctus sit simplex, sicut et Pater. Relinquitur ergo quod ab æterno Filius essentiam divinam Spiritui sancto dederit. Et hoc expresse ostendit Athanasius in *Epistola ad Serapionem*, dicens : « Sicut Pater per Filium et in Filio a se deoriginato naturaliter operatur, et non e converso, ita et Filius in Spiritu sancto a se deoriginato naturaliter operatur tanquam in sua propria virtute, et non e converso. »

CAPUT V.

Quod Spiritus sanctus sit imago Filii.

Similiter et patet[2] ex auctoritate sacræ Scripturæ quod Spiritus sanctus sit imago Filii, secundum expositionem doctorum græcorum, ut supra habitum est, quia hoc quod dicitur Rom., viii, 29 : *Quos præscivit conformes fieri imaginis Filii sui,* etc.; et iterum I Cor., xv, 49 : *Sicut portavimus*

[1] Parm. : « Potest enim dici aliquis per aliquod operari dupliciter. » — [2] Parm. : « habetur etiam. »

imaginem terreni, portemus et imaginem cœlestis, exponunt per imaginem Spiritum sanctum imaginem Filii Spiritum sanctum esse dicentes. Hinc est quod Athanasius dicit in *Epistola ad Serapionem,* ex persona Filii Dei loquens : « Accipite ipsam imaginem meam Spiritum sanctum scientiæ ; » et Gregorius Cæsariensis dicit : « Spiritus sanctus est imago Filii perfecta[1]. » Constat autem quod imago deducitur ab eo cujus est imago. Ex hoc ergo quod Spiritus sanctus est imago Filii, sequitur quod Spiritus sanctus sit a Filio.

Posset autem aliquis dicere quod est imago Filii inquantum assimilatur Filio secundum aliquem effectum quem facit, sicut et Filius, vel quia est a Patre, sicut et Filius. Sed hoc excluditur per auctoritates sanctorum, qui Spiritum sanctum naturalem imaginem Filii esse dicunt. Non enim potest dici imago naturalis Filii Spiritus sanctus, nisi inquantum secundum naturam Filio similatur, accipiens a Filio naturam. Semper enim oportet quod forma imaginis proveniat a forma ejus cujus est imago. Hinc est quod Athanasius in prædicta *epistola* dicit : « Quemadmodum consubstantiavit se Deus Eccclesiæ, formam ejus in se assumens, ita ipsam eamdem sua imagine naturali, scilicet Spiritu sancto de sua essentia naturaliter existente, deifice et superabunde insignivit ; » et Cyrillus in libro *Thesaurorum :* « Qui accipit Filii imaginem naturalem, hoc est Spiritum sanctum, habet veraciter per ipsum Spiritum eumdem Filium, et Filii Patrem. Quomodo ergo connumerabitur creaturis Spiritus sanctus, cum sit naturalis et incommutabilis imago Filii Dei ? » Item Basilius dicit *Contra Eunomium :* « Naturalis Filii imago est spiramen ejus spiritus. »

Secundum vero eamdem rationem, dicunt prædicti doctores quod Spiritus sanctus sit character Filii. Dicit enim Athanasius, in præfata *epistola,* quod « Filius Spiritum sanctum tanquam characterem et suam imaginem ad reformandam Ecclesiam et sibi deifice conformandam transfundendo impressit ; » et Basilius dicit in libro *Contra Arium et Sabellium :* « Sicut Filius acquisivit nos Patri, ex Patre idem ipse, sic et Spiritus acquirit nos Filio per fidem, imprimens nobis characterem Filii in baptismate, a quo Filio existit, et ejus Spiritus et character prædicatur verus. »

Similiter etiam dicunt quod Spiritus sanctus sit sigillum Filii. Dicit enim Athanasius in prædicta *epistola :* « Equidem Spiritus sanctus est unctio et sigillum impressivum imaginis in se habitæ : in quo Spiritu vero tanquam in suo sigillo, id est imaginæ suæ naturæ, consignat et characterizat imprimendo ipsam suam imaginem Deus verbum Ecclesiæ sponsæ suæ ; » et infra : « Christus in suo proprio spiritu ungit et superungit, et eo tanquam suo sigillo continente ipsius essentiam se imprimit Ecclesiæ suæ sponsæ. » Et Chrysostomus dicit *Super epistola ad Romanos :* « Si Spiritus est character et sigillum Christi, qui non habet sigillum et characterem Christi, hic non est ipsius Christi. » Constat autem quod character et sigillum derivantur ab eo cujus sunt. Unde per auctoritates doctorum dictorum aperte ostenditur quod Spiritus sanctus a Filio derivatur. Horum autem doctorum auctoritates etiam ex auctoritate sacræ Scripturæ confirmantur. Dicitur enim II Corinth., I, 21 : *Unxit nos Deus, et signavit nos, et dedit pignus spiritus in cordibus nostris ;* quod quidem de Patre et Filio intelligi oportet, cum uterque Spiritum sanctum det, ut ostensum est ; et ad Ephes., I, 13 : *In quo,* scilicet Christo, *credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ.*

CAPUT VI.

Quod Spiritus sanctus est a Patre per Filium.

Traditur etiam a prædictis Græcorum doctoribus quod Spiritus sanctus est a Patre per Filium. Dicit enim Cyrillus in libro *Thesaurorum :* « Deus Pater per manum suam propriam, id est suam sapientiam et potentiam, cuncta produxit in esse in uno suo vero et vivifico atque deifico coessentiali sibi Spiritu, quem de se essentialiter per eumdem Filium naturaliter coæternum spiravit ; » et Basilius dicit : « Non est Filius Filii Spiritus, quia est ex Deo, scilicet Patre per Filium. » Idem dicit *Contra Euno-*

[1] Parm. : « perfecti. »

mium : « Si ex verbo tuo, o qui inimicaris veritati, ex proprio intellectu tuo spiritum producis, aerem per verbum verberans, unde ejusdem essentiæ Spiritum sanctum a Patre per Verbum unigenitum dubitas provenire? » et infra : « Ex Patre seipsum Filius nominat verbum, et ex Patre per se verbum Spiritum nobis indubitanter affirmavit. » Ex hoc autem ostenditur de necessitate quod Spiritus sanctus sit a Filio. Dictum est enim supra quod, cum dicitur aliquis per aliquid operari, oportet quod sit principium operandi ipsi operanti, vel saltem sit principium operationis ex parte ejus ad quod terminatur operatio. Filius autem non potest esse principium operandi Patri. Unde si Pater per Filium Spiritum sanctum spirat, de necessitate sequitur quod Filius sit principium Spiritus sancti. Idem autem habetur ex eo quod Gregorius Nyssenus dicit : « Spiritum sanctum ex Patre esse mediante Filio tenemus. » Sic enim dicitur Spiritus sanctus esse a Patre, mediante Filio, sicut et a Patre per Filium, inquantum Pater est principium Filii, et Filius principium Spiritus sancti.

CAPUT VII.

Quod Spiritus sanctus sit a Filio.

Sed jam accedere oportet ad ponendum auctoritates doctorum græcorum, ex quibus habetur expresse quod Spiritus sanctus sit a Filio. Dicit enim Athanasius in *Epist. ad Serapionem :* « Christus de suo Spiritu dixit : Non loquetur a semetipso, sed quæcumque audiet loquetur, id est, non est ut sit imprincipiatus Spiritus, quod est solius Patris ; sed maxime et proprie est ab ipso Filio, a quo et accipit ut sit Deus essentialiter, ab eo etiam audit quæ et loquitur. » Et Basilius dicit *Contra Arium et Sabellium :* « Quomodo adoptat in Filio Spiritus sanctus, si alienus est a Patre et Filio? Quomodo inhabitat extraneus in illis quos Christus redimit, si non est a Christo? »

CAPUT VIII.

Quod simul est a Patre et Filio.

Ne autem aliquis dicat aliter esse Spiritum sanctum a Patre, et aliter a Filio, simul ab utroque a prædictis doctoribus esse asseritur. Dicit enim Epiphanius in libro *De Trinitate :* « Deus ex Deo Patre et Filio est Spiritus sanctus. »

Si vero dicat aliquis quod Spiritus sanctus esse a Patre et Filio, dicitur tantum[1] tanquam ab eis temporaliter datus et missus, et non ab æterno ab eis existens; hoc[2] per sequentia ostenditur esse falsum. Dicit enim idem Epiphanius in libro *De vestibus pellicinis Adæ et Evæ :* « Sicut dicit Christus, Spiritus veritatis qui a Patre procedit, ita et de meo accipiet. » Ecce ex ambobus duorum semper spiritus existit. » Idem dicit in *Sermone de incarnatione Verbi :* « Pater siquidem erat semper, et Filius erat semper, et Spiritus sanctus a Patre et Filio erat semper. Est ergo æternaliter ab utroque. »

Item ex auctoritatibus prædictorum doctorum habetur quod Spiritus sanctus sit persona de personis Patris et Filii. Dicit enim Athanasius in *Sermone nicæni concilii :* « Damnat mater Ecclesia congregata adinventores hujus hæreseos, » scilicet arianorum, « et Spiritum sanctum increatum, Deum verum, hypostasim de Patris et Filii hypostasibus, eisdem coessentialem et consubstantialem[3] confitetur ; » et Epiphanius dicit in libro *Anchorali*[4] *:* « Spiritus sanctus in se est hypostasis vera, non alia a Patre et Filio essentia, nec aliena, sed ejusdem essentiæ veraciter existens, hypostasis vero per se ex hypostasibus Patris et Filii. » Non ergo solum est a Patre et Filio secundum donum gratiæ, in quo datur vel mittitur, sed ratione suæ personæ. Est ergo a Patre et Filio ab æterno.

Item ex auctoritatibus prædictorum habetur quod sit ex essentia Patris et Filii. Dicit enim Athanasius in *Sermone nicæni concilii :* « In Spiritu sancto omnium peccatorum et omnis blasphemiæ fit remissio, qui, ut dictum est, de essentia existens Patris et Filii, eorum habet virtutem,

[1] Parm. omittit : « tantum. » — [2] Parm. omittit : « hoc. » — [3] Parm. omittit : « et consubstantialem. » — [4] Cod. Vict. : *Auctorali.*

cuncta per omnia cum eisdem et disponens et creans. » Item in *Epist. ad Serapionem* dicit : « Christus de sua et Patris communi essentia sempiternaliter existentem Spiritum sanctum spiravit ; » et infra : « Christus in suo proprio Spiritu sancto, de sua, ut supra dictum est, usia existente, omnia nobis condonat. » Et in eadem *epistola :* « Ab una et eadem deitate Patris et Filii, et Filio existens Spiritus sanctus, unus est Filius[1]. »

Item habetur quod sit naturaliter a Filio. Dicit enim Cyrillus : « Quis est vita? Ille equidem qui dixit Christus : *Ego sum via, veritas, et vita,* tanquam in ipso veraciter, et de ipso naturalis Spiritus ejus existens spiritualem legem ponit. » Ex quibus omnibus habetur quod Spiritus sanctus non tantum est a Filio sicut temporaliter datus vel missus, sed sicut ab æterno ab eo procedens, utpote essentiam et naturam ab ipso accipiens. Hoc etiam haberi potest ex ipso modo loquendi, quia prædicti doctores non solum dicunt quod Spiritus sanctus est a Filio, quod posset referri ad temporalem missionem, sed etiam quod a Filio existit, quod non potest referri nisi ad æternam processionem ; existit enim unumquodque secundum quod in se est. Dicit enim Cyrillus Hierosolymitanus patriarcha : « Spiritus sanctus a Patre procedit, et ex deitate Patris et Filii existit. » Basilius etiam dicit *Contra Eunomium :* « Spiritus sanctus a Filio habet existere, et ab ipso accipere, et annuntiare nobis. »

CAPUT IX.

Item quod Filius spirat Spiritum sanctum.

Ulterius autem habetur ex auctoritatibus prædictorum expresse quod Filius spirat Spiritum sanctum. Dicit enim Athanasius in *Epistola ad Serapionem :* « Filius de Patre genitus, de sua immensa essentia non extra se, sed intra se, immensum Deum spirat Spiritum sanctum. » Item Cyrillus dicit in *Exhortatorio sermone ad Theodosium imperatorem :* « Salvator de seipso producit Spiritum, et spirat, sicut ipse Pater. »

Ne autem aliquis dicat quod Filius non proprie spirat Spiritum sanctum, nominatur a prædictis doctoribus Filius Spiritus sancti spirator, tanquam sit ex sua proprietate habens quod Spiritum sanctum spiret. Dicit enim Athanasius in *Epistola ad Serapionem :* « Hæretici ipsum Filium spiratorem veri spiritus Paracliti blasphemant et negant ; » et in *eadem epistola :* « Qui blasphemat in Spiritum spiratum, blasphemat equidem in spiratorem ejus, id est in ipsum Filium, et per Filium blasphemat in genitorem ejus. » Item Basilius dicit *Contra Eunomium :* « Filium Spiritus sancti spiratorem et datorem sine aliquo dubio credimus. »

Ut autem ostendatur quod simul et eadem spiratione Spiritus sanctus a Patre spiratur et a Filio, dicit Athanasius in prædicta *Epistola ad Serapionem* quod Filius est conspirans Patri, sic inquiens : « Deus Pater per Deum Verbum non tanquam per organum, quod absit, sed per coessentialem suæ essentiæ vere viventi conspirantem vivum et deificum spiramen spirat Deum plenum et beatum Spiritum sanctum. »

Ne quis autem dicat quod spiratio ad processionem pertinet temporalem, exprimunt prædicti doctores, quod Spiritus sanctus sit æternaliter a Filio spiritus. Dicit enim Athanasius in *Sermone nicæni concilii,* ex persona Filii loquens : « Ut credat mundus a me essentialiter Spiritum paraclitum et æternaliter spiratum. » Item Cyrillus in libro *Thesaurorum :* « Spiritum sanctum a Christo æternaliter et essentialiter credimus et confitemur spiratum existere Deum. »

Ad hoc etiam facit quod in eisdem auctoritatibus continetur, quod de essentia Filii spiratur Spiritus sanctus. Dicit enim Athanasius in *Sermone nicæni concilii :* « De essentia ipsius Verbi adoramus spiramen spiritum coæternaliter spiratum Deum ; » et in eodem : « Deus ex sua essentia spiravit Spiritum sanctum ; » et in *Epistola ad Serapionem :* « Hæretici a Filio sunt exhæredati, quia ab ejus essentia essentialiter Deum spiratum non recipiunt Spiritum sanctum ; » et in *eadem,* quasi exponens quod dicit « ex sua essentia, » id est « ex se essentia, » sic dicit : « Filius

[1] An delenda vox « Filius ? » In codice Victor. : « De Filio existens Spiritus sanctus, unus est. » Sed alia manus scripsit « de, » voxque « Filius, » deleta est.

natus a Patre in se Patris naturam tenens, equidem nomen non paternitatis, sed communicabilitatis cum ordine naturæ servavit, ut ex se sua essentia non Filium gignitive, sed Spiritum sibi per omnia æqualem Deum et coæternum spiraret ; » et hoc quidem multoties ex verbis ejus habetur. Ex quo patet quod cum dicitur Spiritus sanctus spiratus esse a Filio, non potest referri ad processionem temporalem tantum, sed ad æternam, secundum quam Spiritus sanctus a Filio essentiam divinam accepit.

CAPUT X.

Quod Spiritus sanctus emanat a Filio.

Habetur etiam ex auctoritatibus eorumdem doctorum processio Spiritus sancti a Filio sub verbo emanationis. Dicit enim Athanasius in prædicta *Epistola ad Serapionem :* « A Verbo vivente Spiritus vivus emanans, et a forti virtus indeficiens desuper effunditur Ecclesiæ. » Item Theodoricus *Super epistola ad Ephesios :* « Spiritus sanctus de sursum emanat a Christo, et sine invidia datur omnibus accipientibus. »

CAPUT XI.

Quod Spiritus sanctus profluit a Filio, et quod ab æterno.

Utuntur autem prædicti doctores ad processionem Spiritus sancti a Filio ostendendam, verbo profluxus. Dicit enim Athanasius in *Sermone nicæni concilii,* ex persona Christi loquens : « Mitte apostolos in mundum non in virtute hominis, sed in virtute Spiritus sancti ex mea usia profluentis ; » et in *eodem sermone :* « Si non ita credendum est de Spiritu sancto, et prædicandum quod sit veritas Patris et Filii coessentialis utrique, de essentia eorum profluens, quomodo in divo symbolo salutiferi baptismatis Salvator Deus Filius sibi et Patri cooperanti salutem nostram connumeraret ? » et in *Epistola ad Serapionem* dicit : « Spiritus sanctus coessentialem Patri Filium, cujus ipse erat spiritus, et eidem coessentialis, ipse tanquam de essentia ejus profluens Deus, per Patres nicænos credi et prædicari fecit. » Et Cyrillus dicit in libro *Thesaurorum :* « Quando Spiritus sanctus in nobis effunditur, configuratos demonstrat nos Deo : profluit enim a Patre et Filio. » Ex quo etiam habetur quod Spiritus sanctus ab æterno est a Filio tanquam ab ipso essentiam habens.

CAPUT XII.

Item quod Filius deoriginat Spiritum sanctum.

Ex auctoritatibus eorumdem etiam habetur quod Filius deoriginat Spiritum sanctum. Dicit enim Athanasius in *Sermone nicæni concilii,* quod « ipse Filius ex se naturaliter et coessentialiter ut est Deus, deoriginat spirando Spiritum ; » et in *Epistola ad Serapionem* dicit quod « Filius in Spiritu a se deoriginato naturaliter operatur tanquam in sua propria virtute. » Quod non videtur convenienter ad temporalem processionem posse trahi, nam ab illo deoriginatur aliquis a quo habet suum esse ; deoriginare enim est originem alicui dare.

CAPUT XIII.

Quod Filius est auctor Spiritus sancti.

Habetur etiam a prædictis doctoribus quod Filius sit auctor Spiritus sancti. Dicit enim Athanatius in *Epistola ad Serapionem :* « Apostolus quæ in eo operatur Spiritus et efficit, Filio auctori ejus attribuit ; sicut et Filius quæ ipse facit opera suo auctori Deo Patri attribuit. » Auctoritas autem in divinis personis unius ad alteram non est nisi secundum quod æternaliter una est ab alia. Est ergo Spiritus sanctus æternaliter a Filio.

CAPUT XIV.

Quod Filius est principium Spiritus sancti.

Habetur etiam in prædictis auctoritatibus quod Filius sit principium Spiritus sancti. Dicit enim Gregorius Nazianzenus in *Sermone concilii constantinopolitani :* « Necessarium est credere sanctam Trinitatem, Patrem scilicet sine principio, Filium vero principium a Patre principio, Spiritum autem sanctum cum principio Filio unum Deum esse per omnia et super omnia. » Pater autem per hoc est principium Filii quod Filius est ab eo æternaliter. Spiritus ergo sanctus æternaliter est a Filio.

CAPUT XV.

Quod Filius sit fons Spiritus sancti.

Habetur etiam ex auctoritatibus eorum quod Filius sit fons Spiritus sancti. Dicit enim Athanasius in *Sermone nicæni concilii :* « Sic Spiritus est in Filio, sicut fluvius est in fonte, et Filius est in Patre sicut splendor in sole gloriæ per naturam, sic per gratiam Spiritus sancti electi sunt in Patre et Filio. » Et in *Epistola ad Serapionem* dicit : « Est equidem Filius apud Patrem fons et lux, cujus fontis et lucis Spiritus sanctus est verus fluvius et splendor æternæ gloriæ. » Et in *eadem epistola* dixit : « Non enim Spiritus sanctus operatur in Deo Christo verbo suo, scilicet naturali fonte ; » et infra : « Filius et fons Spiritus sancti utrumque in se continet, Patrem scilicet, et Spiritum, quorum ipse medium ordinem tenet ; » et idem Athanasius in *Sermone de incarnatione Verbi* dicit : « David psallit dicens : Quoniam apud te est fons vitæ ; quoniam equidem apud Patrem Filius est fons Spiritus sancti. » Ex quo etiam habetur quod Filius sit principium Spiritus sancti sicut a se æternaliter existentis.

CAPUT XVI.

Conclusio ex omnibus quod Spiritus sanctus procedit a Filio.

Volunt autem quidam adversarii veritatis, post tot testimonia, veræ fidei confessioni resistere, dicentes quod Spiritus sanctus, quamvis probetur[1] esse, existere, spirari, emanare et profluere a Filio, non tamen est concedendum quod a Filio procedat. Hoc enim in nulla præmissarum auctoritatum continetur, neque etiam in auctoritate sacræ Scripturæ, quæ Spiritum sanctum a Patre dicit procedere, Patri in hoc Filium non adjungens, cum dicitur Joan., xv, 26 : *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit.* Ostendendum est ergo quod ex præmissis de necessitate sequitur quod Spiritus sanctus procedat a Filio.

Verbum enim processionis inter omnia quæ ad originem pertinent, magis invenitur esse commune, et minus modum originis determinare. Quicquid enim quocumque modo est ab aliquo, secundum consuetum modum loquendi ab ipso procedere dicimus ; sive sit ab eo naturaliter, sicut Petrus dicitur a suo patre processisse sive emissive[2], sicut spiramen procedit a spirante ; sive effluxive[3], sicut fluvius procedit a fonte ; sive artificialiter, sicut domus procedit ab artifice ; seu localiter tantum, sicut sponsus dicitur de thalamo procedens. Non autem quicquid est ab alio quocumque modo, potest dici spirari, vel generari, vel fluere, vel emitti[4]. Et propter hoc, verbum processionis etiam origini divinarum personarum est maxime accommodum, quia, sicut supra dictum est, divina per communia melius quam per specialia designantur. Ex quocumque ergo eorum quæ sunt ostensa, scilicet quod Spiritus sanctus existit a Filio, vel fluit, vel spiratur, vel emanat, de necessitate concluditur quod Spiritus sanctus a Filio procedat.

Item Cyrillus in *Expositione nicæni symboli* dicit : « Coessentialis est Spiritus Patri et Filio, et profluit, hoc est procedit, tanquam a fonte, ex Deo et Patre. » Ex quo habetur quod idem est in divinis personis profluere et procedere. Spiritus autem sanctus profluit a Filio, ut supra ostensum est. Ergo a Filio procedit.

Hoc autem magis confirmatur ex hoc quod in *Epistola* Nestorio directa dicit quod « Christus est veritas, et Spiritus sanctus profluit ab eo sicut ex Deo et Patre. » Si ergo idem est ipsum profluere a Patre quod procedere etiam per hoc quod a Filio profluit, ostenditur ab eodem procedens. Item Gregorius Nazianzenus in *Sermone de Epiphania :* « Spiritus sanctus unde est, inde procedit. Est autem a Filio, sicut probatum est. A Filio ergo procedit. Item Cyrillus dicit *Super Joelem :* « Spiritus sanctus est proprius ipsius Christi, et in ipso et ex ipso, quemadmodum et ab ipso intelligitur, Deo et Patre. » Et Maximus monachus in *Sermone de candelabro et septem lucernis :* « Spiritus sanctus quemadmodum per naturam existit a Deo Patre secundum essentiam, sic et a Filio secundum naturam et essentiam existit veraciter, tanquam ex Patre per Filium procedat

[1] Parm. : « probatur. » — [2] Parm. : « processisse seu emanasse. » — [3] Parm : « seu effluxisse. » —

[4] Parm. : « mitti. »

Deus; intelligitur autem et est ex Patre sicut ab ipso procedens. » Item Athanasius dicit in *Epistola ad Serapionem* : « Quemadmodum Filius se habet ad Patrem ordine naturæ, ita et Spiritus sanctus se habet ad Filium. » Et in *eadem epistola* dicit, ex persona Filii loquens : « Eumdem ordinem et eamdem naturam habet Spiritus ad me Filium, ut sit Deus de Deo, quem ordinem et quam naturam habeo ego ad Patrem, ut sim Deus de Deo. » Item Basilius *Contra Eunomium* : « Sicut Filius se habet ad Patrem, eodem modo Spiritus sanctus se habet ad Filium. » Filius autem hoc modo se habet ad Patrem sicut ab eo procedens; dicit enim Filius, Joan., VIII, 42 : *Ego ex Deo processi et veni.* Ergo et Spiritus sanctus procedit ex Filio. Sed et verbo ipso processionis utitur Epiphanius in lib. *De Trinitate,* dicens : « Secundum quem modum nemo novit Patrem nisi Filius, neque Filium novit quis nisi Pater; sic audeo dicere, neque Spiritum sanctum novit quis, nisi Pater et Filius, a quo accipit, et a quo procedit. » Et Athanasius in *Symbolo* dicit : « Spiritus sanctus a Patre et Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens. »

CAPUT XVII.

Quod ad ostendendum processionem Spiritus sancti, eisdem rationibus utantur græci et latini doctores.

Considerandum est etiam quod eisdem rationibus utuntur doctores Græcorum ad ostendendum processionem Spiritus sancti a Filio quibus et utuntur latini doctores. Argumentatur enim Anselmus in lib. *De processione Spiritus sancti* ad ostendendam processionem Spiritus sancti ex hoc quod Pater et Filius sunt unius essentiæ. Ex quo sequitur quod Pater et Filius non differant ab invicem nisi in hoc quod hic est Pater, ille Filius. Habere autem Spiritum sanctum ex se procedentem non pertinet ad rationem paternitatis, neque ad rationem filiationis. Non enim ex hoc Pater dicitur Pater, quia Spiritus sanctus ab eo procedit; neque filiationi repugnat quod habeat ex se Spiritum procedentem. Relinquitur ergo quod habere ex se Spiritum procedentem, est commune Patri et Filio. Et similiter Nicetas[1] *Super Joannem* sic argumentatur : « Ex quo Filius omnia quæ Patris sunt, essentialiter habet, habet et Spiritum; » et Cyrillus dicit in lib. *Thesaurorum* : « Vere spiritum Christi, spiritum Patris Apostolus dicit esse unum, et non plures, quoniam omnia quæ sunt Patris, veraciter et proprie transeunt secundum naturam in vero Filio. » Ex hoc autem patet quod, cum dicitur in Evangelio, Spiritum sanctum a Patre procedere, datur intelligi quod procedat a Filio, licet in Evangelio non addatur. Ea enim quæ essentialiter dicuntur de Patre et Filio, dicta de Patre, oportet quod intelligantur de Filio, etiam si cum exclusione dicantur; sicuti cum dicitur Joan., XVII, 3 : *Ut cognoscam te solum Deum verum,* et I Tim., VI, 15 : *Quem,* scilicet Christum, *suis temporibus ostendet beatus et solus potens Rex regum et Dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem.* Intelliguntur enim hujusmodi et de Filio verificari ea ratione, quia Filius et Pater secundum essentiam unum sunt, secundum quod dicitur Joan., X, 30 : *Ego et Pater unum sumus.* Cum igitur habere Spiritum ex se procedentem sit commune Patri et Filio, sicut ea quæ dicuntur essentialiter, ut ex dictis patet; cum dicitur in Evangelio, Spiritum sanctum a Patre procedere, intelligendum est quod procedat a Filio. Eadem ratione cum in Symbolo a Patribus edito dictum est quod Spiritus sanctus procedit a Patre, intelligi oportet quod procedit et a Filio; sicut cum de Patre in eodem Symbolo dicitur quod sit omnipotens, visibilium et invisibilium factor, oportet quod et de Filio intelligatur.

CAPUT XVIII.

Quod Spiritus sanctus distinguitur a Filio per hoc quod est ab eo.

Ostenditur etiam ex dictis dictorum Patrum quod Spiritus sanctus a Filio distinguitur per hoc quod ab eo est. Dicit enim Gregorius Nyssenus : « Dogma facientes de deitate, immutabilem esse naturam divinam confitemur, sed differentiam quæ est secundum causam et causatum, non negamus, » id est, secundum principium et quod

[1] Sic cod.; Parm. : « Athanasius in *Teca super Joannem?* »

est de principio, ut supra expositum est. Et postea subdit : « Item aliam differentiam intelligimus : unum nempe propinquum ex primo, » scilicet Filium ex Patre, « alium autem ex propinquo et ex primo, » scilicet Spiritum ex Filio et ex Patre. Patet ergo quod per primam differentiam Spiritus sanctus et Filius a Patre distinguuntur; per secundam autem distinguitur Spiritus sanctus a Filio, quia scilicet Filius a Patre procedit, non per Spiritum, sed Spiritus sanctus per Filium. Sic[1] et Richardus de S. Victore, in V *De Trinitate,* ostendit duarum processionum differentiam per hoc quod Filius procedit ab una tantum, Spiritus vero sanctus a duobus. Relinquitur ergo secundum utriusque sententiam quod Filius et Spiritus sanctus ab invicem non distinguerentur, si unus ab alio non esset.

CAPUT XIX.

Quod oportet distinctionem personarum esse secundum aliquem ordinem naturæ.

Item distinctio personarum oportet quod sit secundum aliquem ordinem, qui est ordo naturæ, ut Augustinus dicit. Unde et ordinem personarum distinctarum Athanasius in *Epistola ad Serapionem* catenæ assimilat, dicens : « Equidem sicut qui caput catenæ trahit, medium et aliam extremitatem trahit, sic et qui in Spiritum blasphemat, scilicet tertiam personam, et in Filium medium, et in Patrem extremum, id est principium caput catenæ tertii discreti inconfusi ordinis divini blasphemat; » sicut et e converso qui Spiritum credit et recipit Deum, recipit et Filium ejus, a quo est; sicut qui tenet unum caput catenæ ad se trahens, medium ejus tenet, et per medium aliud caput apprehendit. Et propter hoc etiam in *eadem epistola* idem dicit quod « Spiritum paraclitum dicimus terminum beati et superessentialis divini ordinis, et quod infallibiliter terminat proprium finem in se sua hypostasi, sicut et Pater tenet ipsius ordinis caput et fontale principium imprincipiatus ipse. Medium autem extremitatum ordinis veraciter tenet Filius inter Patrem et Spiritum sanctum. » Et paulo post : « Pater a se principio trini ordinis divini per medium Filium genitum terminat ipsius ordinis finem naturali proprietate in tertio spirato Spiritu. » Cyrillus etiam dicit in lib. *Thesaurorum :* « Spiritum sanctum ex Filio secundum naturam existentem, et ab ipso ad creaturam missum, renovationem Ecclesiæ operantem, et terminum sanctæ Trinitatis existentem ; » et concludit : « Si hoc ita est, Deus ergo ex Deo Filio Spiritus sanctus est. » Si enim Spiritus sanctus non esset a Filio, non magis Spiritus sanctus esset terminus Trinitatis quam Filius ; nec ordo Trinitatis assimilaretur catenæ, sed magis triangulo. Hanc etiam rationem tangit Richardus de S. Victore in IV *De Trinitate,* ubi ostendit quod in divinis personis non potest esse nisi una sola persona, a qua non procedat divina persona ; nec etiam possunt esse duæ personæ quæ sint ab una sola persona. Utrumque enim prædicto ordini, qui in divinis personis attenditur, repugnaret; quorum tamen utrumque oportet poni, si Spiritus sanctus a Filio non procederet. Hunc etiam personarum divinarum ordinem Cyrillus in lib. *Thesaurorum* ostendit sub alia similitudine ex auctoritate sacræ Scripturæ assumpta, quæ Spiritum sanctum digitum Dei nominat in Evangelio, cum dicit : *Si in digito Dei ejicio dæmonia;* loco cujus in alio Evangelio dicitur : *Si in Spiritu Dei,* etc. Filius autem dicitur brachium Patris, Isa., LI : *Induere fortitudinem brachium Domini.* Dicit ergo : « Sicut brachium et manus naturaliter a corpore innatum et propagatum existit, et a manu naturaliter fluit digitus, ita a Deo Patre naturaliter Filius brachium, et manus ejus generative a Deo oriuntur, Deus de Deo, et ab ipso Filio tanquam a naturali manu Patris naturaliter producitur profluens Spiritus sanctus dictus[2] digitus. » Concludi ergo potest quod Spiritus sanctus sit a Filio, per rationes uniformiter a doctoribus latinis et græcis prolatas.

CAPUT XX.

Quod credere Spiritum sanctum esse a Filio, est de necessitate salutis.

Quia vero inter disputantes plerumque contradictio accidit circa aliqua quæ non

[1] Parm. : « sicut. » — [2] Al. : « Deo; » Parm. : « Deus. »

sunt de necessitate salutis, ne aliquis opinetur non esse de necessitate fidei per quam salvamur, credere Spiritum sanctum esse a Filio, ostendendum est per auctoritates doctorum græcorum hoc esse de necessitate fidei et salutis. Dicit enim Athanasius in *Epistola ad Serapionem :* « Juxta quod mandat Apostolus : Hæreticum hominem post primam et secundam correctionem devita. Etiam si quos videris cum Elia volantes per aera, et cum Petro et Moyse sicco pede calcantes maria, nisi Spiritum sanctum profiteantur Deum essentialiter ex Deo Filio existentem, sicut et Filium naturaliter Deum genitum æternaliter ex Deo Patre existentem, ut nos profitemur, eos non recipias. » Et iterum : « Blasphemantibus et negantibus Spiritum sanctum Deum esse de natura Dei Filii, non communices. » Item Cyrillus dicit in libro *Thesaurorum :* « Necessarium saluti nostræ est confiteri Spiritum sanctum de essentia Filii existere, tanquam ex ipso secundum naturam existentem. » Item Epiphanius in libro *De Trinitate :* « Teipsum alienas a gratia Dei, cum non recipis a Patre Filium, neque Spiritum sanctum a Patre et Filio dicis. » Patet igitur quod nullo modo sunt tolerandi qui Spiritum sanctum a Filio procedere negant.

CAPUT XXI.

Quod Pontifex romanus est primus et maximus inter omnes episcopos.

Similis autem error est dicentium Christi Vicarium, romanæ Ecclesiæ Pontificem, non habere universalis Ecclesiæ primatum, errori dicentium Spiritum sanctum a Filio non procedere. Ipse enim Christus Dei Filius suam Ecclesiam consecrat et sibi consignat Spiritu sancto quasi suo charactere et sigillo, ut ex supra positis auctoritatibus manifeste habetur. Et similiter Christi Vicarius suo primatu et providentia universam Ecclesiam tanquam fidelis minister Christo subjectam conservat. Ostendendum est ergo ex auctoritatibus græcorum doctorum, prædictum Christi Vicarium in totam Ecclesiam Christi potestatis plenitudinem obtinere. Quod enim romanus Pontifex successor Petri et Christi vicarius sit primus et maximus omnium episcoporum, canon concilii expresse ostendit, sic dicens : « Veneramur secundum Scripturas et canonum definitionem sanctissimum antiquæ Romæ Episcopum primum esse et maximum omnium episcoporum. » Hoc autem auctoritati consonat sacræ Scripturæ, quæ inter apostolos Petro attribuit primum locum tam in Evangeliis quam in Actibus apostolorum. Unde dicit Chysostomus *Super Matth.,* super illud : *Accesserunt discipuli ad Jesum dicentes : Quis major est in regno cœlorum?* quia, « quoddam humanum scandalum conceperunt, quod et in se occultare jam non poterant, et tumorem cordis non sustinebant, in eo quod videbant Petrum sibi præferri et præhonorari. »

CAPUT XXII.

Quod idem Pontifex in totam Ecclesiam Christi universalem prælationem habet.

Ostenditur etiam quod prædictus Christi Vicarius in totam Ecclesiam Christi universalem prælationem obtineat. Legitur enim in chalcedonensi concilio quod tota synodus clamavit Leoni papæ : « Leo sanctissimus, apostolicus et œcumenicus, » id est universalis, « Patriarcha per multos annos vivat. » Et Chrysostomus *Super Matth. :* « Filius, quæ Patris est et ipsius Filii, potestatem Petro ubique terrarum concessit, et homini mortali omnium quæ in cœlo sunt, dedit auctoritatem, dando eidem claves ad hoc ut Ecclesiam ubique terrarum amplificet. » Et *Super Joan.,* in homil. LXXV : « Jacobum localiter in loco terminat, Petrum autem totius orbis ordinat magistrum et doctorem. » Item *Super Actus apostolorum :* « Petrus a Filio super omnes qui filii sunt potestatem accepit, non ut Moyses in gente una, sed in universo orbe. » Hoc etiam trahitur ex auctoritate sacræ Scripturæ; nam Petro indistincte oves suas Christus commisit, dicens, Joan., ult., 17 : *Pasce oves meas;* et Joan., x, 16 : *Ut sit unum ovile et unus pastor.*

CAPUT XXIII.

Quod idem habet in Ecclesia potestatis plenitudinem.

Habetur etiam ex prædictorum doctorum auctoritatibus quod romanus Pontifex habeat in Ecclesia plenitudinem potestatis. Dicit Cyrillus patriarcha Alexandrinus in libro *Thesaurorum :* « Sicut Christus accepit a Patre dux sceptrum Ecclesiæ gentium ex Israel egrediens super omnem principatum et potestatem, super omne quodcumque est, ut ei cuncta curventur, plenissimam potestatem; sic et Petro et ejus successoribus plenissime commisit; » et etiam : « Nulli alii quam Petro Christus quod suum est plenum, sed ipsi soli dedit; » et infra : « Pedes Christi humanitas est, scilicet ipse homo, cui tota æternitas plenissimam dedit potestatem; quem unus trium assumpsit in unitate personæ, transvexit ad patrem super omnem principatum et potestatem, ut adorent eum omnes angeli Dei; quem totum dimisit per sacramentum et potestatem Petro et Ecclesiæ ejus. » Et Chrysostomus dicit *Ad consulta Bulgarorum,* ex persona Christi loquens : « Ter te interrogo, an ames, an ames, an diligans, quia ter me trepidus et timidus negasti. Nunc autem reductus, ne credant te fratres gratiam et clavium auctoritatem amisisse, quia amas me, coram ipsis id tibi jam confirmo quod meum est plenum. » Hoc etiam trahitur ex auctoritate Scripturæ : nam Dominus, Matth., XVI, 19, universaliter Petro dixit : *Quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis.*

CAPUT XXIV.

Quod in eadem est potestate quæ collata est Petro a Christo.

Ostenditur etiam quod Petrus sit Christi Vicarius, et romanus Pontifex Petri successor in eadem potestate ei a Christo collata. Dicit enim canon concilii chalcedonensis : « Si quis episcopus prædicatur infamis, liberare habeat sententiam appellandi ad beatissimum Episcopum antiquæ Romæ, quia habemus Petrum patrem refugii, et ipsi soli libera potestate loco Dei sit jus discernendi episcopi criminati infamiam secundum claves a Domino sibi datas; » et infra : « Et omnia ab eo definita[1] teneantur tanquam a Vicario apostolici throni. » Item Cyrillus Hierosolymitanus patriarcha dicit ex persona Christi loquens : « Tu cum fine, et ego sine fine, cum omnibus quos loco tui ponam, plene et perfecte sacramento et auctoritate cum eis ero sicut sum et tecum. » Et Cyrillus in libro *Thesaurorum* dicit quod « apostoli in Evangeliis et Epistolis affirmaverunt in omni doctrina Petrum esse loco Dei, et ejus Ecclesiam, eidem dantes locum in omni capitulo et synagoga, in omni electione et affirmatione. » Et infra : « Cui, » scilicet Petro, « omnes jure divino caput inclinant, et primates mundi tanquam ipsi Domino Jesu obediunt. » Et Chrysostomus dicit ex persona Filii loquens : « *Pasce oves meas,* id est loco mei præpositus esto fratrum. »

CAPUT XXV.

Quod ad eum pertinet determinare quæ sunt fidei.

Ostenditur etiam quod ad dictum Pontificem pertineat quæ fidei sunt determinare. Dicit enim Cyrillus in libro *Thesaurorum :* « Ut membra maneamus in capite nostro apostolico throno romanorum Pontificum, a quo nostrum est quærere[2] quid tenere debemus. » Item Maximus in *Epistola Orientalibus* directa dicit : « Omnes fines orbis qui Dominum sincere receperunt, et ubique terrarum catholici veram fidem confitentes, in Ecclesiam Romanorum tanquam in solem respiciunt, et ex ipsa lumen catholicæ et apostolicæ fidei recipiunt[3]; nec immerito, nam Petrus legitur primo perfectam fidem esse confessus, Domino revelante, cum dixit, Matth., XVI : *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Unde et eidem Dominus dicit : *Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua.*

[1] Al. iterum : « ab eo. » — [2] Parm. addit : « quid credere et. » — [3] Al. : « recipiens. »

CAPUT XXVI.

Quod romanus Pontifex est Prælatus aliorum.

Patet etiam quod ipse aliis[1] patriarchis prælatus existat ex hoc quod Cyrillus dicit, quod « ipsius, » scilicet apostolici throni romanorum Pontificum, « solius est reprehendere, corrigere, statuere, solvere, disponere, et loco illius ligare qui ipsum ædificavit. » Et Chrysostomus *Super Actus Apostolorum* dicit quod « Petrus est vertex sanctissimus beati apostolici throni, pastor bonus. » Item etiam hoc patet ex autoritate Domini dicentis, Luc., XXII, 32 : *Tu aliquando conversus confirma fratres tuos.*

CAPUT XXVII.

Quod romano Pontifici subesse sit de necessitate salutis.

Ostenditur etiam quod subesse romano Pontifici sit de necessitate salutis. Dicit enim Cyrillus in libro *Thesaurorum :* « Itaque, fratres, sic Christum imitamur, ut ipsius oves vocem ejus audiamus, manentes in Ecclesia Petri; et non inflemur vento superbiæ, ne forte tortuosus serpens propter nostram contentionem nos ejiciat, ut Evam olim de paradiso. » Et Maximus in *Epistola Orientalibus* directa dicit : « Coadunatam et fundatam super petram confessionis Petri dicimus universalem Ecclesiam secundum definitionem Salvatoris, in qua necessario salutis animarum nostrarum est remanere, et ei est obedire, suam servantes fidem et confessionem. »

CAPUT XXVIII.

Quod corpus Christi conficitur de pane azymo.

Sicut autem prædicti errantes contra unitatem corporis mystici peccant, romani Pontificis potestatem plenariam abnegantes, sic contra puritatem sacri corporis Christi delinquunt, dicentes, ex azymo pane corpus Christi consecrari non posse; quod etiam græcorum doctorum auctoritatibus improbatur. Dicit enim Chrysostomus super illud Evangelii : *Prima die azymorum :* « Primam diem dicit diem Jovis, in quo incipiebant legis cultores pascha celebrare, id est azyma comedere, omni expulso fermento. Dominus ergo mittit discipulos suos die Jovis, quam dicit Evangelista primam diem azymorum, in qua ad vesperas Salvator comedit pascha. In quo facto etiam per omnia apertissime demonstravit a principio suæ circumcisionis usque ad extremum diem Paschæ, quod non erat contrarius divinarum legum. » Patet autem quod esset contrarius, si fermentato pane usus fuisset. Patet ergo quod Christus in institutione hujus sacramenti ex pane azymo corpus suum consecravit.

Sciendum tamen quod quidam dicunt Christum prævenisse diem azymorum propter passionem imminentem, et tunc fermentato eum usum fuisse. Quod quidem ostendere nituntur ex duobus. Primo ex hoc quod dicitur Joan., XIII, quod ante diem festum Paschæ Dominus cum discipulis cœnam celebravit, in qua corpus suum consecravit, sicut Apostolus tradit I Corinth., XI. Unde videtur quod Christus cœnam celebravit ante diem azymorum, et sic in consecratione sui corporis usus fuerit pane fermentato. Hoc etiam confirmare volunt per hoc quod habetur Joan., XVIII, quod feria sexta, qua Christus crucifixus est, Judæi non intraverunt prætorium Pilati, ut non contaminarentur, sed manducarent pascha. Pascha autem dicitur azyma. Ergo concludunt quod cœna fuit celebrata ante azyma.

Ad hoc autem respondet Chrysostomus *Super Joannem,* super illud : *Non contaminarentur,* etc. : « Quid est hoc dicere, nisi quia in alia die comederunt pascha et legem solverunt, ut pessimum animi sui adimplerent desiderium in morte Christi? Christus autem non præteriit tempore Paschæ diem sanctum Jovis, sed in ipso pascha comedit. »

Sed quia hoc non constat, melius potest dici quod[2] Dominus mandat Exod., XII, festum azymorum septem diebus celebrari, inter quas dies prima erat sancta atque solemnis præcipue inter alias, quæ erat quinta decima die mensis. Sed quia apud Judæos solemnitates a præcedenti vespere incipie-

[1] Parm. omittit : « aliis. » — [2] Al. : « sicut Dominus. »

bant, ideo quarta decima die ad vesperam incipiebant comedere azyma, et comedebant per septem subsequentes dies. Et ideo dicitur in eodem capitulo : « Primo mense, quarta decima die mensis ad vesperam comedetis azyma usque ad diem vigesimam primam ejusdem mensis ad vesperam, septem diebus fermentum non invenietur in domibus vestris. » Et eadem quarta decima die ad vesperas immolabatur agnus paschalis. Prima ergo dies azymorum a tribus evangelistis, Matthæo, Marco et Luca, dicitur quarta decima die mensis, quia ad vesperam comedebatur azyma, et tunc immolabatur pascha, id est agnus paschalis; et hoc erat, secundum Joannem, ante diem festum Paschæ, id est ante quintum decimum diem mensis, qui erat solemnior inter omnes, in quo Judæi volebant comedere pascha, id est panes azymos paschales, et etiam agnum paschalem.

Et sic, nulla discordia inter evangelistas existente, planum est quod Christus ex pane azymo corpus suum consecravit in cœna. Hoc etiam patet quod magis congruit puritati corporis mystici, id est Ecclesiæ, quæ in hoc sacramento figuratur. Unde dicit Gregorius Nazianzenus de pascha Domini : « Celebremus Domino festum in jubilo, non in fermento veteri malitiæ et nequitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis. »

Non autem propter hoc intendimus quod ex fermentato hoc sacramentum confici non possit. Dicit enim Gregorius papa in *Registro* : « Romana Ecclesia offert azymos panes, propterea quod Dominus sine ulla commixtione suscepit carnem; sed cæteræ Ecclesiæ offerunt fermentatum, pro eo quod Verbum Patris indutum est carne, et est verus Deus et verus homo. Ita[1] et fermentum commiscetur farinæ, et efficitur corpus Domini nostri Jesu Christi verum[2]. »

CAPUT XXIX.

Quod est purgatorium, in quo purgantur animæ a peccatis quæ non in vita præsenti purgantur.

Diminuitur autem virtus hujus sacramenti ab iis qui purgatorium negant post mortem. Nam in purgatorio existentibus præcipuum remedium ex hoc sacramento confertur. Dicit enim Gregorius Nyssenus in *Sermone de defunctis* : « Si aliquis in hac labili vita peccata purgare minus potuit, post transitum hinc, per purgatorii ignis conflationem citius magis ac magis fidelis sponsa sponso dona et hostias in passionis memoriam offert pro filiis quos ipsi sponso verbo et sacramento rei præclare genuit, pœna alacriter expeditur; secundum quod prædicamus dogma veritatis servantes, ita et credimus. » Item Theodoritus episcopus cyrensis[3] super illud I ad Corinth., III : *Si cujus opus arserit*, etc., sic dicit : « Dicit Apostolus quod salvabitur sic tanquam per conflatorium ignem purgantem quidquid intervenit per incautelam præteritæ vitæ ex pulvere saltem pedum terreni sensus; in quo tamdiu manet, quamdiu quidquid corpulentiæ et terreni affectus inhæsit, purgetur; pro quo mater Ecclesia hostia et dona pacifica devote offert, et sic per hoc mundus inde prius exiens, Domini Sabaoth purissimis oculis immaculatus assistit.

CAPUT XXX.

Conclusio.

Hæc sunt, Pater sanctissime, quæ ex auctoritatibus doctorum græcorum secundum vestram jussionem excepi exponenda, et ad confirmationem veræ fidei inducenda. Inveniuntur tamen inter prædictas auctoritates quædam indecentes expositiones interpositæ, sicut quod « logos » exponit translator fere ubique « sermonem mentalem, » cum secundum usum Scripturæ latinæ convenientius exponeret eum[4] verbum; et « hypostasim » exponit « essentialem personam; » quam expositionem sequens aliquando cogitur inconveniens dicere, sicut ubi dicit : « Deus Trinipostases, » id est trinus essentialiter personalis; hoc enim est omnino erroneum, quod Deus sit essentialiter trinus. Sufficeret autem pro hypostasi transferre simpliciter personam. Sic enim utimur nomine « personæ » in confessione fidei, sicut Græci nomine « hypostasis, » ut dicit Augustinus, licet non sit omnino eadem ratio significandi per nomen. Inducit etiam ad laudem sancto-

[1] Parm. : « item. » — [2] Parm. : « vivi. » — [3] Cod. Vict. : « cyrenensis. » — [4] Parm. omittit : « eum. »

rum Patrum aliqua quæ modum puri hominis excedunt, aliquos nominans Patres fidei, quod solius Christi est, a quo secundum Apostolum ad Hebr., II, principium accipit fides enarrandi. Cæteri vero possunt dici doctores vel expositores fidei, non autem Patres. Inducit etiam in principio hujus libelli quasdam auctoritates sacræ Scripturæ, quæ si nude proferantur, non expresse probant processionem Spiritus sancti a Filio, sicut cum inducit : *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Utitur etiam et ipse aliquibus modis loquendi quos in auctoritatibus sanctorum Patrum invenit, qui, sicut superius dictum est, magis sunt reverenter in dictis Patrum exponendi, quam ab aliis usurpandi; sicut quod in divinis personis sit primum, secundum, tertium, causa et causatum. In suis etiam expositionibus multis impropriis verbis et indecentibus utitur, sicut quod dicit quod « Filius habet proprietatem mediam [1] inter Patrem et Spiritum, ut ita [2] dicam, subalternam [3]. Per modum prædicandi, primo se habet ad Patrem tanquam subjectum ad prædicatum, et secundo ut prædicatum ad subjectum ad Spiritum sanctum. » Quod est omnino [4] erroneum. Item dicit quod « imago » in græco idem est quod « entitas secunda, » quod omnino indecenter dicitur. Item dicit quod imago non importat originem ; quod est contra Augustinum in lib. *LXXXIII Quæstionum.* Sunt autem fortassis et alia in prædicto libello quæ vel dubia esse possunt, et expositione indigent, vel [5] quæ ad fidei assertionem utilia esse possent ; sed [6] ad ea quæ prædicta [7] sunt, ut credo, fere [8] omnia possunt reduci.

[1] Parm. : « geminam. » — [2] Parm. omittit : « ita. » — [3] Parm. : « subalternam per modum prædicandi. Prima ... et secunda ut prædicatum ad subjectum, et ita ad Spiritum sanctum. » — [4] Parm. omittit : « omnino. » — [5] Parm. : « sed quæ ad fidei. » — [6] Parm. omittit : « sed. » — [7] Parm. : « præmissa. » — [8] Parm. omittit : « fere. »

OPUSCULUM VII.

IN LIBRUM BEATI DIONYSII DE DIVINIS NOMINIBUS

COMMENTARIA.

(In Edit. Rom. exstant in calce primæ Partis *Summæ theologicæ*.)

PROLOGUS.

Ad intellectum librorum beati Dionysii considerandum est quod ea quæ de Deo in sacris Scripturis dicuntur, artificialiter quadrifariam divisit. Nam in libro quodam qui apud nos non habetur, qui intitulatur *De divinis hypotyposibus,* id est characteribus, ea de Deo tradidit quæ ad unitatem divinæ essentiæ et distinctionem personarum pertinent; cujus unitatis et distinctionis sufficiens similitudo in rebus creatis non invenitur; sed hoc mysterium omnem naturalis rationis facultatem excedit. Quæ vero dicuntur de Deo in Scripturis, quarum aliqua similitudo in creaturis invenitur, dupliciter se habent. Nam hujusmodi similitudo in quibusdam quidem attenditur secundum aliquid quod a Deo in creaturas derivatur; sicut a primo bono sunt omnia bona, et a primo vivo sunt omnia viventia, et sic de aliis similibus; et alia pertractat Dionysius in libro *De divinis nominibus,* quem præ manibus habemus. In quibusdam vero similitudo attenditur secundum aliquid a creaturis in Deum translatum, sicut Deus dicitur leo, petra, sol, vel aliquid hujusmodi, sic enim Deus symbolice vel metaphorice nominatur; et de hujusmodi tractavit Dionysius in quodam suo libro quem *De symbolica theologia* intitulavit. Sed quia omnis similitudo creaturæ ad Deum deficiens est, et hoc ipsum quod Deus est, omne id quod in creaturis invenitur, excedit; quidquid in creaturis a nobis cognoscitur, a Deo removetur, secundum quod in creaturis est; ut sic post omne illud quod intellectus noster ex creaturis manuductus de Deo concipere potest, hoc ipsum quod Deus est, remaneat occultum et ignotum. Non solum enim Deus non est lapis aut sol, qualia sensu apprehenduntur, sed nec est talis vita aut essentia, qualis ab intellectu nostro concipi potest; et sic hoc ipsum quod Deus est, cum excedat omne illud quod a nobis apprehenditur, nobis remanet ignotum. De hujusmodi autem remotionibus, quibus Deus remanet nobis ignotus et occultus, fecit alium librum, quem intutilavit *De mystica,* id est occulta, *theologia.*

Est autem considerandum quod beatus Dionysius in omnibus libris suis obscuro utitur stylo; quod quidem non ex imperitia fecit, sed ex industria, ut sacra et divina dogmata ab irrisione infidelium occultaret.

Accidit etiam difficultas in prædictis libris ex multis. Primo quidem quia plerumque utitur stylo et modo loquendi quo utebantur platonici, qui apud modernos est inconsuetus. Platonici enim omnia composita vel materialia volentes reducere in principia simplicia et abstracta, posuerunt species rerum separatas, dicentes quod est homo extra materiam, et similiter equus, et sic de aliis speciebus naturalium rerum. Dice-

bant enim[1] quod his homo singularis sive[2] sensibilis non est hoc ipsum quod est homo; sed dicitur homo participatione illius hominis separati. Unde in hoc homine sensibili invenitur aliquid quod non pertinet ad speciem humanitatis, sicut materia individualis, et alia hujusmodi; sed in homine separato nihil est nisi quod ad speciem humanitatis pertinet. Unde hominem separatum appellavit per se hominem, propter hoc quod nihil habet nisi quod est humanitatis; et principaliter hominem, inquantum humanitas ad homines sensibiles derivatur ab homine separato per modum participationis. Sic etiam dici potest quod homo separatus sit super homines, et quod homo separatus sit humanitas omnium hominum sensibilium, inquantum natura humana pure competit homini separato, et ab eo in homines sensibiles derivatur. Nec solum hujusmodi abstractione platonici considerabant[3] circa ultimas species rerum naturalium, sed etiam circa maxime communia, quæ sunt bonum, unum et ens. Ponebant enim unum primum quod est ipsa essentia bonitatis, et unitatis, et esse, quod dicimus Deum; et quod omnia alia dicuntur bona, vel una, vel entia per derivationem ab illo primo. Unde illud primum nominabant ipsum bonum, vel per se bonum, vel principale bonum, vel superbonum, vel etiam bonitatem omnium bonorum, seu etiam bonitatem aut essentiam et substantiam, eo modo quo de homine separato expositum est.

Hæc igitur platonicorum ratio[4] fidei non consonat, nec veritati, quantum ad hoc quod continet de speciebus naturalibus separatis, sed quantum ad id quod dicebant de primo rerum principio, verissima est eorum opinio et fidei christianæ consona. Unde Dionysius Deum nominat quandoque ipsum quidem bonum, aut superbonum, aut principale bonum, aut bonitatem omnis boni; et similiter nominat ipsum supervitam, supersubstantiam, et ipsam deitatem thearchicam, id est principalem deitatem; quia etiam in quibusdam creaturis recipitur nomen deitatis secundum quamdam participationem.

Secunda autem difficultas accidit in dictis ejus, quia plerumque rationibus efficacibus utitur ad propositum ostendendum, et multoties paucis verbis, vel etiam uno verbo eas implicat.

Tertia, quia multoties utitur quadam multiplicatione verborum, quæ licet superflua videantur, tamen diligenter considerantibus magnam sententiæ profunditatem continere inveniuntur.

CAPUT PRIMUM.

QUÆ SERMONIS INTENTIO ET QUÆ DE DIVINIS NOMINIBUS TRADITIO.

LECTIO I.

Compresbytero Timotheo Dionysius presbyter.

Nunc autem, o beate, post theologicas hypotyposes, ad divinorum nominum reserationem, sicut est possibile, transibo... Esto autem et nunc a nobis eloquiorum lex prædefinita, veritatem de Deo dictorum nos asseverare, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in demonstratione a Spiritu virtutis motæ theologorum, secundum quam ineffabilibus et ignotis, ineffabiliter et ignote conjungimur secundum meliorem nostræ rationabilis et intellectualis virtutis et operationis unionem. Igitur universaliter non est audendum dicere aliquid nec etiam cogitare de supersubstantiali et occulta deitate præter ea quæ divinitus nobis ex sanctis eloquiis sunt expressa. Nam supersubstantialem scientiam ignorantiæ supersubstantialitatis, quæ est super rationem et intellectum, et substantiam ipsam, ipsi attribuere convenit; tantum ad superius respicientes, quantum thearchicorum eloquiorum radius seipsum immittit ad splendores superiores, et scimus circa divina temperantia et sanctitate constricti. Etenim si aliquid convenit omni sapienti et verissimæ[5] theologiæ credere, secundum proportionem uniuscujusque mentium revelantur divina et inspiciuntur thearchica bonitate in salutari justitia, a mensuratis immensuratione, sicut incomprehensibilem, ut decet Deum, segregantem. Sicut enim incomprehensibilia et incontemplabilia sunt a sensibili-

[1] Parm. : « ergo. » — [2] Parm. omittit : « sive. » — [3] Al. : « ponebant. » — [4] Al. : « positio. » — [5] Al. : « et vetustissimæ. »

bus intelligibilia, et his quæ in compositione sunt et figura, simplicia et infigurabilia, et formatis secundum corporum figuras, incorporalium intangibilis et infigurabilis formæ carentia; secundum eamdem veritatis rationem superponitur substantiis quæ est supersubstantialis, et mentibus quæ est super mentem unitas, et omnibus deliberationibus est indeliberabile, quod est super deliberationem, et ineffabile verbo omni, quod est super verbum, bonum unitas unificans omnem unitatem, et supersubstantialis substantia, et intellectus non intelligibilis, et verbum non dicibile, et irrationabilitas, non intelligibilitas, et innominabilitas, secundum nihil existentium existens [1], et causa quidem essendi omnibus, ipsum autem non existens, sicut supra omnem substantiam, et sic ut ipsum de seipso proprie et scienter enuntiet. De hac igitur, sicut dictum est, supersubstantiali et occulta deitate non est audendum dicere neque cogitare aliquid præter illa quæ divinitus nobis ex sanctis eloquiis sunt expressa. Etenim sicut ipsa de seipsa in eloquiis, ut decet bonam, tradidit; ipsius quidem quidquid est scientia et contemplatio omnibus est invia existentibus, sicut ab omnibus supersubstantialiter segregata. Et multi theologi inveniuntur non solum sicut invisibilem ipsam et incomprehensibilem laudare, sed inscrutabilem simul et non investigabilem, sicut non existente vestigio ullo eorum qui ad occultam ipsius infinitatem transierunt. Non tamen incommunicabile est universaliter bonum ulli existentium, sed in seipso singulariter supersubstantialem collocans radium uniuscujusque existentium proportionabilibus illuminationibus, benigne superapparet, et ad possibilem ipsius contemplationem, et communionem, et assimilationem extendit sanctas mentes, quæ ipsi, sicut est fas, et ut decet sanctos, se immittunt; et neque ad superius, quam convenienter data Dei apparitione superbe præsumunt, neque ad inferius ex subjectione ad pejus prolabuntur; sed firme et indeclinabiliter ad radium ipsius supersplendentem extenduntur, et commensurato amore convenientium illuminationum, cum reverentia sancta et caste, et sancte altius elevantur.

In hoc igitur libro qui *De divinis nominibus* inscribitur, more eorum qui artificiose scientias tradiderunt, primo præmittit quædam necessaria ad sequentem considerationem; secundo, incipit prosequi principale intentum in III cap. quod incipit, ibi: « Et primam, si videtur, perfectam, et totarum Dei processionem manifestativum, boni nominationem inspiciemus. » Circa primum duo facit. Primo, ostendit rationem divinorum nominum; secundo, ostendit quod nomina de quibus in hoc libro tractatur sunt communia toti Trinitati; et hoc in II cap. quod incipit, ibi : « Thearchicam totam essentiam quodcumque est per se bonitas determinans et manifestans, ab eloquiis laudatur. » Circa primum duo facit. Primo, continuat se ad præcedentem librum; ubi alloquens beatum Timotheum dicit quod « post theologicas hypotyposes, » id est divinas distinctiones, quibus personæ in Trinitate ad invicem distinguuntur, transibit « ad reserationem, » id est manifestationem, « divinorum nominum, » secundum suam possibilitatem. Perfecte enim ea exponere supra hominem esse videtur. Secundo, ibi : « Esto autem et nunc a nobis eloquiorum lex prædefinita, » incipit præmittere quædam necessaria ad sequens opus. Præmittit autem duo. Primo quidem modum procedendi in hoc opere; hoc enim necessarium est præscire in qualibet doctrina. Secundo, ostendit rationem divinorum nominum, de quibus in hoc libro intendit [2], ibi : « Has sequentes thearchicas leges ..... ad illucentes nobis in sanctis eloquii splendores extendimur. » Et hæc duo satis exprimuntur in titulo hujus capitis, qui sic habet : « Quæ sermonis intentio, » quantum ad primum; et « quæ de divinis nominibus traditio, » quantum ad secundum. Circa primum duo facit. Primo, ostendit ex quibus procedendum sit in hoc opere; secundo, quæ sint hic tradenda, ibi : « Igitur universaliter non est audendum dicere aliquid nec etiam cogitare de supersubstantiali occulta deitate, præter ea quæ divinitus nobis ex sanctis eloquiis sunt expressa. »

Circa [3] primum duo facit. Primo, ostendit ex quibus sit procedendum in hoc opere, quia non est innitendum rationi humanæ, sed revelationi divinæ; accipiens hoc ab Apostolo, qui dicit I Cor., II, 4 : *Non in persuasibilibus sapientiæ verbis ....., sed in ostensione* [4] *spiritus*. Et hoc est quod dicit : « Esto autem, » id est, sit, « et, » id est, etiam « nunc lex eloquiorum, » id est quæ in sanctis Scripturis traditur, « prædefinita, » id est prædeterminata , « a nobis, » sicut olim fuit ab Apostolo ; quæ quidem lex est « nos asseverare, » id est astruere, vel manifestare, veritatem dictorum de Deo *non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis*, id est non innitentes, sicut principalibus mediis ad probandum propositum [5] principiis humanæ sapientiæ, quæ secundum naturalem rationem procedit; « sed in demonstratione virtutis theologorum, » id est eorum qui Scripturam canonicam

[1] Al. : « et rationabilitas, non intelligibilitas, sed nihil existentium existens. » — [2] Supple « tractare. » — [3] Al. : « primo duo facit. » — [4] Parm. : « *in doctrina.* » — [5] Parm. omittit : « propositum. »

tradiderunt, scilicet apostolorum et prophetarum, « virtutis, » dico, « motæ a Spiritu, » scilicet sancto. Innititur enim in sua doctrina Dionysius auctoritati sacræ Scripturæ, quæ robur habet et virtutem secundum quod apostoli et prophetæ moti sunt ad loquendum a Spiritu sancto eis revelante, et in eis loquente.

Secundo, inducit prædictæ legis rationem, ibi : « Secundum quam et ineffabilibus et ignotis ineffabiliter et ignote conjungimur. » Et virtus suæ rationis talis est : In illis doctrinis principiis humanæ sapientiæ inniti possumus in quibus ea traduntur quæ hominibus cognoscibilia sunt et dicibilia, et ab his qui habent doctrinam illam, et cognosci et dici possunt. Sed in doctrina fidei proponuntur quædam homini ignota et indicibilia, quibus habentes fidem inhærent non[1] cognoscendo, aut perfecte verbo explicando[2], licet certius eis inhæreant et altior sit hujusmodi inhæsio quam aliqua cognitio naturalis. In doctrina igitur fidei non possumus inniti principiis humanæ sapientiæ. Et hoc est quod dicit : « Secundum quam, » scilicet virtutem revelationis procedentis a Spiritu sancto in apostolos et prophetas, nos per fidem « conjungimur ineffabilibus et ignotis, » id est veritati divinæ, quæ excedit omnem humanam locutionem et cognitionem. Nec fides sic conjungit nos[3] eis ut faciat ea ab homine credente cognosci et loqui sicut sunt, hoc enim esset apertæ visionis, sed conjungit « ineffabiliter et ignote. » *Videmus enim nunc per speculum,* ut dicitur I Corinth., XIII. Et ne aliquis hanc conjunctionem despiceret propter sui imperfectionem, subjungit : « Secundum meliorem unionem nostræ rationalis et intellectualis virtutis et operationis, » id est supra virtutem et operationem nostræ rationis et intellectus, ut ponatur genitivus pro ablativo, more Græcorum. Altioribus enim per fidem conjungimur, quam sint ea ad quæ ratio naturalis pertingit; et certius adhæremus, quanto certior est divina revelatio quam humana cognitio. Dicit autem, « rationalis et intellectualis, » quia eorum quæ naturaliter cognoscimus, quædam per se a nobis conspiciuntur absque aliqua investigatione, et eorum proprie est intellectus; quædam vero cognoscuntur per inquisitionem, et horum est ratio. Dicit autem, « operationis et virtutis, » quia multa cognoscimus virtute, quæ actu non speculamur.

Deinde cum dicit : « Igitur universaliter non est audendum dicere aliquid nec etiam cogitare de supersubstantiali et occulta deitate, præter ea quæ divinitus nobis ex sanctis eloquiis sunt expressa, » ostendit quæ sunt tradenda in hac doctrina; et primo ponit propositum; secundo, manifestat ipsum, ibi : « Nam supersubstantialem scientiam ignorantiæ supersubstantialitatis, quæ est super rationem et intellectum et substantiam ipsam, ipsi attribuere convenit. » Propositum autem concludit ex præmissis. Hoc enim et in scientiis humanis observatur, quod principia et conclusiones sunt ex eodem genere. Sic igitur principia ex quibus procedit hæc doctrina, sunt ea quæ per revelationem Spiritus sancti sunt accepta et in sacris Scripturis habentur; hoc est ergo quod concludit quod nullo modo aliquis debet audere dicere ore, nec etiam cogitare aliquid de deitate quæ est super omnem substantiam, et per hoc est occulta nobis, quibus creatæ substantiæ sunt proportionatæ ad cognoscendum, et per consequens ad loquendum, « præter ea quæ nobis divinitus ex sanctis eloquiis sunt expressa; » id est exprimuntur per sancta eloquia. Signanter autem non dicit : in sanctis eloquiis, sed « ex sanctis eloquiis, » quia quæcumque ex his quæ continentur in sacra Scriptura elici possunt, non sunt aliena ab hac doctrina, licet ipsa etiam in sacra non contineantur Scriptura.

Deinde cum dicit : « Nam supersubstantialem scientiam ignorantiæ supersubstantialitatis, quæ est super rationem et intellectum, et substantiam ipsam, ipsi attribuere convenit, » inducit rationem ad manifestandum propositum. Et primo, ponit rationem; secundo, probat quædam quæ in ratione supponit, ibi : « Etenim si aliquid convenit omni sapienti et verissimæ theologiæ credere, secundum proportionem uniuscujusque mentium revelantur divina. » Virtus ergo suæ rationis talis est : De eo quod ab aliquo solo scitur, nullus potest cogitare vel loqui, nisi quantum ab illo manifestatur. Soli autem Deo convenit perfecte cognoscere seipsum secundum id quod est. Nullus igitur potest vere loqui de

[1] Sic cod.; Parm. : « in. » — [2] Al. : « vel exemplificando. » — [3] Parm. omittit : « nos. »

Deo vel cogitare, nisi quantum a Deo revelatur. Quæ quidem divina revelatio in Scripturis sacris continetur; et hoc est quod dicit quod « convenit ipsi, » scilicet Deo soli, « attribuere supersubstantialem scientiam ignorantiæ supersubstantialitatis, » id est supersubstantialitatis divinæ ignoratæ[1]; « quæ » quidem supersubstantialitas non ignorata est propter aliquem suum defectum, sed propter suum excessum, quia scilicet « est super rationem et intellectum » creatum, et super « ipsam substantiam » creatam, quæ est objectum commensuratum intellectui creato, sicut essentia increata est proportionata scientiæ increatæ[2]. Et ideo, sicut essentia divina est supersubstantialis, ita et ejus scientiam supersubstantialem dixit. Semper enim oportet objectum cognitivæ virtutis virtuti cognoscenti proportionatum esse. Ne tamen omnino simus in Dei ignorantia constituti subjungit : Nos, dico, « convenit, » rationem « respicientes, » per spiritualem contemplationem « ad superius, » id est ad id quod supra nos est, scilicet Deum, tendere[3], « quantum radius thearchicorum eloquiorum seipsum immittit, » id est se expandit « ad superiores splendores, » id est ad veritates intelligibiles divinorum. Veritas enim sacræ Scripturæ est quoddam lumen per modum radii derivatum a prima veritate; quod quidem lumen non se extendit ad hoc quod per ipsum possimus videre Dei essentiam, aut cognoscere omnia quæ Deus in seipso cognoscit, aut angeli aut beati ejus essentiam videntes, sed usque ad aliquem certum terminum vel mensuram intelligibilia divinorum lumine sacræ Scripturæ manifestantur. « Et » sic dum nos non plus extendimus ad agnoscendum divina, quam lumen sacræ Scripturæ se extendit, « simus » per hoc « constricti, » quasi certis limitibus coarctati, « circa divina, » quadam « temperantia et sanctitate. » Sanctitate quidem, dum sacræ Scripturæ veritatem mundam ab omni errore conservamus; temperantia vero, dum ad eas non magis nos ingerimus, quam nobis est datum.

Deinde cum dicit : « Etenim si aliquid convenit omni sapienti et verissimæ theologiæ credere, secundum proportionem uniuscujusque mentium revelantur divina, » manifestat quæ supposuerat in ac ratione; et primo quidem quod Deus soli sibi sit notus, nobis autem occultus; secundo manifestat modum quo divina cognitio nobis communicatur, ibi : « Non tamen incommunicabile est. » Primum ostendit dupliciter. Primo quidem, rationibus; secundo, auctoritatibus, ibi : « Etenim sicut ipsa de seipsa in eloquiis, ut decet bonam, tradidit, ipsius quidem quidquid est scientiæ, et contemplatio, omnibus est in via existentibus, sicut ab omnibus supersubstantialiter segregata. » Ponit autem primo duas rationes, quarum prima talis est : Divina revelantur a Deo secundum proportionem eorum[4] quibus revelantur, sed cognoscere infinitum est supra proportionem intellectus finiti; non ergo hoc ipsum quod Deus est, ex divina revelatione a quocumque cognoscitur. Et hoc est quod dicit : Quædam « divina revelantur a Deo, et inspiciuntur » a nobis, « secundum proportionem mentium uniuscujusque. » Et hoc dico : « si convenit aliquid credere theologiæ, » id est sacræ Scripturæ, « omni sapienti et verissimæ. » Dicit enim Matth., xxv, 15 : *Dedit unicuique secundum propriam virtutem.*

Et notandum quod ponit duo, ex quibus habetur quod sacræ Scripturæ sit maxime credendum. Quod enim alicui non credatur, ex duobus contingit, aut quia est vel reputatur ignorans, aut quia est vel reputatur mendax. Unde, cum sacra Scriptura sit omnisapiens et verissima, quia revelata et tradita a Deo, qui est veritas et omnia sciens, maxime sacræ Scripturæ est credendum.

Et hoc dico « thearchica, » id est divina, « bonitate » segregata « a mensuratis, » id est a finitis, « immensuratione[5], » id est infinitate divinæ essentiæ, non quidem ut nullo modo cognoscatur, sed non ut comprehendatur. Et propter hoc addit : « sicut incomprehensibilem. » Nam a beatis quidem mente attingitur divina essentia, non autem comprehenditur. Et hoc quidem facit Deus « in justitia salutari. » In hoc enim ratio distributivæ justitiæ constitit quod detur unicuique secundum suam conditionem. Et sicut per ordinem distributivæ

[1] Parm. : « ignorantiæ. » — [2] Al. : « creatæ. » — [3] Al. omittitur : « tendere. » — [4] Parm. : « earum. » — [5] Cod. Vict. : « incommensuratione. »

justitiæ constitutæ a principe civitatis, salvatur totus ordo politicus, ita per hunc ordinem justitiæ salvatur a Deo totus ordo universi; hoc enim subtracto, omnia confusa remanerent. Et hoc quidem facit, « ut decet Deum; » eum enim decet sua bonitate salvare quæ condidit. Secundam rationem ponit, ibi : « Sicut enim incomprehensibilia et incontemplabilia sunt a sensibilibus intelligibilia..... secundum eamdem veritatis rationem superponitur substantiis quæ est supersubstantialis unitas. » Quæ talis est : Superior gradus entium comprehendi non potest per inferiorem, sicut intelligibilia comprehendi non possunt perfecte per sensibilia[1], nec simplicia per composita, nec incorporea per corporalia; sed Deus est super omnem ordinem existentium, ergo per nihil existentium comprehendi potest. Et hoc est quod dicit : « Sicut enim intelligibilia sunt incomprehensibilia et incontemplabilia sensibilibus, » id est per sensibilia[2], « et simplicia et infigurabilia » per ea « quæ sunt in compositione et figura, » id est quæ sunt composita et figurata (non enim est figura nisi compositorum) et sicut « carentia, » seu privatio, « formæ, » scilicet corporalis, rerum « incorporalium » quæ quidem carentia, seu privatio est « intangibilis et infigurabilis, » id est ipsa incorporalia[3], quæ carent forma et sunt intangibilia, et infigurabilia, ut intelligamus poni abstractum pro concreto, « sunt incomprehensibilia et incontemplabilia, formati secundum figuras corporum, » id est ipsis corporibus; sic inquam, hoc est « secundum eamdem rationem veritatis, superponitur unitas, » id est Deus, qui est ipsa unitas, quasi existens unus per suam essentiam, « quæ est supersubstantialis, superponitur substantiis, et quæ est super mentem, superponitur mentibus, » id est intellectualibus spiritibus; « et ipsum bonum, » scilicet Deus, « quod est super deliberationem, » id est super omnem rationem, « est indeliberabile omnibus deliberationibus, » id est non investigabile aliqua ratione creata; « et quod est super verbum, » id est super omnem locutionem creaturæ, « est ineffabile, » id est indicibile, « omni verbo » creato. Ubi quatuor tetigit, scilicet « substantias, » quæ sunt objecta cognitionis, « mentem, » id est intellectum simplicem; « deliberationem, » id est rationem inquirentem, quæ pertinet ad virtutes cognoscivitas; et « verbum, » quod pertinet ad manifestationem cognitionis. Ponit autem hæc quatuor, quia non solum intendit ostendere quod Deus non possit per aliquam virtutem cognoscitivam comprehendi, aut locutione perfecte manifestari; sed quod neque per aliquod objectum creatum, vel per quamcumque similitudinem creatam. Unde et in exemplis quæ ponit, non dicit quod intelligibilia sint incomprehensibilia sensibus, sed sensibilibus, quia per sensibilia intelligibilia comprehendi non possunt. Et eadem ratio est de aliis. Et attendendum est quod non solum dixit quod intelligibilia sint incomprehensibilia sensibilibus, sed etiam incontemplabilia, quia per ea quæ sunt inferioris ordinis, non solum comprehendi non possunt ea quæ sunt superioris, sed neque contemplari. Tunc enim unum[4] per aliud contemplamur cum per unum possumus essentiam illius videre, ut sciamus de eo quid est. Comprehenditur autem, cujus essentia[5] ita perfecte cognoscitur sicut cognoscibilis est. Qui enim conclusionem demonstrabilem medio probabili cognoscit, etsi eam aliqualiter contempletur, non tamen eam comprehendit, quia non pertingit ad perfectum modum suæ cognitionis. Sic igitur Deus incomprehensibilis quidem est omni intellectui creato, quia est super omnem mentem et rationem, utpote plus habens de claritate veritatis in sua essentia, quod ad ejus cognoscibilitatem pertinet, quam aliquod creatum de virtute ad cognoscendum. Unde nulla creatura potest pertingere ad perfectum modum cognitionis ipsius, quem nominavit supersubstantialem scientiam, et hoc esset eum comprehendere. Potest tamen intellectus creatus ejus essentiam contemplari aliquo modo attingendo, non tamen per aliqua objecta vel species, vel quascumque similitudines creatas, quia nullum horum potest manuducere in divinam essentiam, multo minus quam corpus in incorpoream essentiam. Sic igitur secundum rationem Dionysii oportet dicere quod

[1] Parm. : « sicut intelligibilia per materialia. » — [2] Parm. : « incomtemplabilia, » id est « imperscrutabilia. » — [3] Hic plura desiderantur in Parm. —

[4] Parm. omittit : « unum. » — [5] Parm. : « illius essentia, cum. »

Deus et incomprehensibilis est omni intellectui, et incontemplabilis nobis in sua essentia, quamdiu nobis[1] nostra cognitio colligata[2] est rebus creatis, utpote nobis connaturalibus; et hoc est in statu viæ. Et quia Deum unitatem vocaverat; ne aliquis credat quod sit unitas formaliter rebus inhærens quasi in ipsis rebus participata, ad hoc excludendum subjungit : « Unitas, » scilicet per se subsistens, « unificans omnem[3] unitatem, » id est diffundens unitatem in omnibus quæ quocumque modo unitatem[4] participant. Deinde, quia Deum nominaverat unitatem supersubstantialem, et bonum super mentem, posset aliquis credere quod Deus nullo modo posset dici substantia aut mens, aut aliquis hujusmodi; et ideo ad hoc excludendum subdit quod Deus est quidem « substantia, » sed « supersubstantialis. »

Ad cujus evidentiam considerandum est quod nomina, cum sint a nobis imposita, sic significant secundum quod res in cognitionem nostram cadunt. Cum igitur hoc ipsum quod Deus est, sit supra cognitionem nostram, ut ostensum est : cognitio autem nostra commensuretur rebus creatis; nomina[5] a nobis imposita non sic significant secundum quod congruit divinæ excellentiæ, sed secundum quod convenit existentiæ rerum creatarum. Esse autem rerum creatarum[6] deductum est ab esse divino secundum quamdam deficientem assimilationem. Sic igitur, secundum quod qualitercumque[7] similitudo est rerum creatarum ad Deum, nomina a nobis imposita de Deo dici possunt, non quidem sic sicut de creaturis, sed per quemdam excessum; et hoc significat quod dicit quod Deus est « supersubstantialis substantia, » et similiter quod subdit, quod est « intellectus non intelligibilis, » id est non quales sunt intellectus qui intelliguntur a nobis, et est « verbum non dicibile, » id est non qualia sunt verba quæ a nobis dicuntur. Sicut autem nomina a nobis imposita, de Deo dici possunt secundum quod aliqualis similitudo est creaturarum ad Deum, ita secundum quod creaturæ deficiunt a repræsentatione Dei, nomina a nobis imposita a Deo removeri possunt, et opposita eorum prædicari. Unde subdit quod Deus sic dicitur ratio quod potest dici et « irrationabilitas; » et sic dicitur intellectus quod potest dici « non intelligibilitas; » et sic dicitur verbum quod potest dici « innominabilitas, » non quidem propter hoc quod hæc ei deficiant, sed quia « secundum nihil existentium est existens, » id est non existit secundum modum alicujus rei existentis; « et » ipse « quidem est causa existendi omnibus, » transfundens in omnia aliqualiter suam similitudinem, ut sic ex nominibus creatorum nominari possit; « ipsum autem est non existens, » non quasi deficiens ab essendo, sed « sicut supra omnem substantiam existens; » et est innominabilis, « sic ut ipsum de seipso proprie et scienter enuntiet, » id est secundum proprietatem sui esse, et secundum perfectam suiipsius scientiam, quo modo nullus eum enuntiare potest.

Ex jam dictis principalem conclusionem infert, cum subdit. « De hac igitur[8], sicut dictum est, supersubstantiali et occulta deitate non est audendum dicere neque cogitare aliquid præter illa quæ divinitus nobis ex sanctis eloquiis sunt expressa; » quod est supra expositum.

Deinde cum subdit : « Etenim sicut ipsa de seipsa in eloquiis, ut decet bonam, tradidit, » quod supra rationibus ostendebatur, ostendit auctoritatibus, cum dicit quod « ipsa » deitas « de seipsa in sacris eloquiis tradidit, sicut decet bonam, » id est bonitatem ejus, ut veritatem scilicet de seipsa tradat : hoc inquam, « tradidit, » quod « omnibus existentibus scientia et contemplatio ipsius est invia, » id est, nullus ad eam accedere potest; non quidem qualicumque scientia vel contemplatione; sed qua quidquid est scitur, vel contemplatur de ea quidquid est, quæ quidem est[9] scientia comprehensiva substantiæ ipsius. Et hæc « quidem scientia, » vel contemplatio ea ratione est invia, quia « est ab omnibus segregata supersubstantialiter, » id est secundum supersubstantialem deitatis excessum. Ei enim soli competit de se cognoscere quidquid est. Et hoc præcipue videtur sumptum ex hoc quod dicitur Exod., XXXIII, 20 : *Non videbit me homo, et*

[1] Parm. omittit : « nobis. » — [2] Parm. : « assignata. » — [3] Cod. Vict. : « universum. » — [4] Parm. : « unitate. » — [5] Al. : « sed nominat. » — [6] Parm. omittit : « esse autem rerum creatarum. » — [7] Al. : « qualiscumque. » — [8] Al. : « cum subdit : De hac igitur, » quod est supra expositum : « Etenim sicut ipsa, » usque ibi : « non tamen incommutabile est, » etc. — [9] Parm. : « qua scientia. »

vivet; et I Tim., ult., 16 : *Lucem habitat inaccessibilem, quam nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* « Et multi etiam theologi inveniuntur laudare[1] ipsam, non solum sicut invisibilem et incomprehensibilem, sed etiam sicut inscrutabilem et non investigabilem ; » secundum illud Job, XI, 7 : *Forsitan vestigia Dei comprehendes?* et Rom., XI, 33 : *Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus!* Et quare dicitur sic[2] investigabilis, consequenter exponit : « Sicut non existente ullo vestigio eorum qui transierunt ad occultam infinitatem ipsius. » Superfluit autem[3] ibi una negatio (*a*). Et loquitur secundum proprietatem vocabuli. Nam investigare proprie est per vestigia alicujus euntis per viam ad viæ[4] terminum deduci. Sic igitur deitas investigari posset, si aliqui accedentes ad cognitionem ipsius aliqua documenta quasi vestigia quædam nobis reliquissent, per quæ[5] ad videndum Deum accedere possemus. Sed hoc non est. Vel quia nulli transierunt in ipsam, si referatur ad visionem comprehensivam, vel quia illi qui transierunt ad videndum Deum per essentiam, sicut beati omnes, non potuerunt nobis exprimere ipsam divinam essentiam. Unde et Paulus, raptus ad tertium cœlum, dicit se audivisse *arcana verba, quæ non licet homini loqui,* II Corinth., XII. Sic igitur triplicem modum cognitionis excludit. Primo quidem illum quo aliquid per ipsum videtur, et hoc, cum dicit « deitatem invisibilem. » Secundo, modum quo aliquid cognoscitur per inquisitionem rationis, et hoc, cum dicit eam « inscrutabilem; » scrutari enim inquisitionem importat. Tertio, modum quo aliquid cognoscitur ab alio addiscendo, per hoc quod dicit « non investigabilem. »

Deinde cum dicit : « Non tamen incommunicabile est universaliter bonum ulli existentium, » manifestat quomodo occulte deitatis cognitio aliis communicatur. Esset enim contra rationem bonitatis divinæ, si cognitionem suam sic sibi retineret quod nulli alteri penitus communicaret, cum de ratione boni sit quod se aliis communicet. Et ideo dicit quod, licet supersubstantialis Dei scientia soli Deo attribuenda sit, tamen, cum Deus sit ipsum bonum, non potest esse quod non communicetur alicui existentium, nec tamen ita communicatur[6] ejus cognitio aliis, sicut ipse seipsum cognoscit; « sed » ipse « collocans, » id est firmiter conservans, « singulariter in seipso supersubstantialem radium, » id est supersubstantialem veritatis suæ cognitionem sibi soli reservans, « superapparet, » id est, de sursum apparet, « benigne, » quasi non ex necessitate, sed ex gratia, « proportionalibus illuminationibus, » id est secundum proportionales illuminationes, « uniuscujusque existentium ; » quasi dicat : Suæ bonitatis ratio hoc habet ut reservato sibi quodam cognitionis modo qui sibi est singularis, communicet inferioribus ex sua gratia aliquem modum cognitionis secundum suas illuminationes, quæ sunt secundum proportionem uniuscujusque. Et non solum superapparet et illuminat; sed etiam hoc ipsum quod inferiores mentes illuminatæ, utentes dato lumine ad ipsum cognoscendum accedunt, ab ipso est. Et hoc est quod subbit, quod « extendit sanctas mentes ad contemplationem ipsius possibilem » eis, quia, sicut supra dictum est, aliquo modo est omnibus incontemplabilis[7]. Et quia qui contemplantur ipsum, quodammodo unum cum ipso efficiuntur, secundum quod intellectus in actu est quodammodo intellectum in actu : et per consequens ei assimilantur, utpote ab ipso informati, subdit : « Et communionem et assimilationem. »

Consequenter autem ostendit conditiones sanctarum mentium, quæ in Deum extenduntur : quarum prima est quod secundum quod est eis licitum ex concessione divina, et secundum quod decet eas ex conditione propria, se ad ipsum ingerunt. Unde subdit : « Quæ, » scilicet mentes, « ipsi, » id est Deo, « se immittunt, sicut fas est, et ut decet « sanctos ; » ita scilicet quod « neque ad superius » aliquid « ex superbia præsu-

[1] Parm. : « et multos theologorum invenies laudavisse. » — [2] Parm. : « non. » — [3] Parm. : « enim. » — [4] Parm. : « vitæ. » — [5] Al. : « etiam per quæ. » — [6] Parm. : « non potest esse quod non communicetur ejus cognitio alii, sicut ipse seipsum cognoscit. » Quod est erroneum. — [7] Parm. : « contemplabilis. »

(*a*) Paulus dicit : « Quam investigabiles viæ ejus! » et Dionysius dicit substantiam Dei esse « non investigabilem. » Unde si textum Dionysii textui Pauli componas, in textu Dionysii « superfluit una negatio. » Sed Dionysius « loquitur secundum proprietatem vocabuli. »

munt, » scilicet super id[1] quod est eis datum « convenienter « secundum Dei apparitionem sive revelationem, « neque » iterum « prolabuntur ad inferius, » id est non dejiciunt se infra id quod eis datum est, « ex subjectione ad pejus, » id est ex quadam pusillanimitate ; qua, relictis melioribus, pejoribus inhæreant. Secunda conditio sanctarum mentium est quod « firme et indeclinabiliter extenduntur ad « radium ipsius supersplendentem, » id est ad veritatem eis desuper manifestatam ! ut firmitas referatur ad certitudinem, et indeclinabilitas ad immobilitatem. Tertia conditio est quod affectum amoris divinis[2] manifestatis exhibeant, et hoc est quod subdit : « Et commensurato amore convenientium illuminationum, » ita scilicet quod affectus eorum circa ea insistat quæ secundum eorum mensuram eis sunt data, per quæ « elevantur » in divina, aliis spiritualibus, scilicet contemplationibus, aut intellectualibus, « cum reverentia sancta et caste et sancte. » Reverenter quidem, inquantum se abstinent ab aliis quæ supra eos sunt; caste autem, inquantum inferioribus non se detinent; sancte vero, inquantum his quæ eis data sunt, secundum Dei ordinationem firmiter inhærent.

LECTIO II.

De ratione divinorum nominum.

Has sequentes thearchicas leges, quæ et totos gubernant supercœlestium ordinum et substantiarum sanctos ornatus, quod quidem est super mentem et substantiam thearchiæ occultum, inscrutabilibus et sanctis mentis reverentiis ; indicibilia autem casto silentio venerantes, ad illucentes nobis in sanctis eloquiis splendores extendimur, et ab ipsis illuminamur ad thearchicos hymnos, ab ipsis supermundane illuminati, et ad sanctas hymnorum enuntiationes figurati, et ad vivendum per ipsos commensurate data nobis thearchica lumina, et laudandum principium universæ sanctæ luminis apparitionis; quod donat bonum, sicut ipsum de seipso in sanctis eloquiis tradidit; sicut quod omnium est causa, et principium, et substantia, et vita, et decidentium ab ipsa, revocatio et resurrectio, eorum autem quæ ad deiformis corruptivum prolapsa sunt, revocatio et reformatio; eorum autem quæ secundum quamdam commotionem immundam moventur, collocatio sancta, et stantium firmatio, et ad ipsam sursum actorum suscitativa manuductio; et eorum quæ illuminantur, illuminatio; et eorum quæ perficiuntur perfectionis principatus; et eorum quæ deificantur, thearchiam; et eorum quæ simplificantur, simplicitas; et eorum quæ uniuntur, unitas; principii universi supersubstantialiter superprincipale principium[3]; et occulti, secundum quod est conveniens, bona traditio; et, ut simpliciter dicatur, viventium vita, existentium substantia, omnes vitæ et substantiæ principium et causa, propter bonitatem ipsius, quæ et deducit ad esse existentia, et continet. Hæc autem a divinis eloquiis memoramus; et, ut sic dicatur, omnem sanctum theologorum hymnum invenies ad bonos thearchiæ processus manifestative et laudative Dei nominationes dividentem. Unde in omni fere theologico negotio thearchiam videmus sancte laudatam : sicut monadem quidem et unitatem, propter simplicitatem, et unitatem[4] supernaturalis impartibilitatis; ex qua, ut unifica virtute, unimur et divisibilibus nostris alternitatibus supermundane conclusis, ad deiformem monadem congregamur, et Dei imitativam unitionem. Sicut Trinitatem autem, propter trium personarum supersubstantialis fecunditatis manifestationem : ex qua omnis paternitas in cœlo et in terra est et nominatur. Sicut causam autem existentium, quoniam omnia ad esse deducta sunt propter ipsius substantificam bonitatem. Sapientem autem et pulchram, quia existentia omnia proprium naturam incorruptam servantia omni harmonia divina et sancto decore sunt plena. Benignam autem differenter, quoniam nostris[5] ad veritatem totaliter in una ipsius natura personarum communicavit, revocans ad seipsum et reponens humanam extremitatem, ex qua ineffabiliter simplex Jesus compositus est, et præsentationem temporalem accepit æternus, et intra nostram factus est naturam qui omnem ordinem secundum omnem naturam supersubstantialiter excedit, cum intransmutabili et inconfusa propriorum collocatione; et quæcumque alia deifica lumina, juxta consequentiam divinorum eloquiorum nostrorum ducum occulta traditio, manifestative nobis donavit. Hæc et nos docti sumus nunc[6] quidem juxta proportionem nostram, per sancta velamina eloquiorum et hierarchicarum traditionum, benignitate sensibilibus intelligibilia et existentibus supersubstantialia circumvelante, et formas et figuras informabilibus et non figurabilibus circumponente, et supernaturalem et infigurabilem simplicitatem varietate divisibilium signorum et multiplicante et componente. Tunc autem quando incorruptibiles et immortales erimus, et christiformem et beatissimum consequemur finem, semper cum Domino secundum eloquium erimus, visibili quidem ipsius Dei apparitione in castissimis contemplationibus adimpleti, manifestissimis circa nos splendoribus refulgente, sicut circa discipulos in illa divinissima transformatione; intelligibili autem luminis datione ipsius, impassibili et immateriali mente participantes, et super mentem unitione, ignotis et beatis immissionibus superclarorum radiorum in diviniore imitatione supercœlestium mentium. Nam æquales angelis erimus, ut veritas dicit eloquiorum, et filii Dei, resurrectionis filii existentes. Nunc autem, sicut nobis est possibile, propriis quidem ad divina signis utimur, et ex ipsis rursus ad simplicem et unitatem intelligibilium miraculorum veritatem proportionaliter

[1] Al. : « quam quod. » — [2] Parm. : « divini. » — [3] Al. : « principium universi substantialiter, et super principale principium. » — [4] Al. deest « et unitatem. » — [5] Al. omittitur « nostris. » — [6] Al. omittitur « nunc. »

extendimur; et post omnem secundum nos deiformium unitionem, sedantes nostras intellectuales operationes, ad supersubstantialem radium, secundum quod fas est, nos immittimus : in quo omnes fines omuium cognitionum superineffabiliter præextiterunt; quem neque cogitare possibile est, neque dicere, neque totaliter aliquo modo contemplari : propter hoc quod ab omnibus ipse est segregatus, et superignotus, et omnium quidem substantialium cognitionum et virtutum terminationes simul et omnes supersubstantialiter in seipso præaccepit, et super omnes cœlestes mentes incomprehensibili virtute est collocatus. Si enim cognitiones omnium existentium sunt, et si existentia finem habent, qui est super omnem substantiam, et ab omni cognitione est segregatus. Et quidem si melior est omni sermone et omni cognitione, et super mentem universaliter, et substantiam collocatur.

« Has sequentes thearchicas leges. » Postquam Dionysius ostendit modum hujus doctrinæ quantum ad ea quæ traduntur in ipsa, et ex quibus procedit; hic incipit prosequi de ratione divinorum nominum, de quibus in hoc libro intendit : et primo ostendit quam cognitionem de Deo per divina nomina possumus accipere; secundo, qualiter Deus nominari possit, ibi : « Et quidem si melior est omni sermone et omni cognitione; et super mentem universaliter et substantiam collocatur. » Circa primum duo facit. Primo, ostendit quam cognitionem de Deo per divina nomina accipiamus; secundo, ostendit quomodo post hujusmodi cognitionem hoc ipsum quod Deus est, remanet nobis occultum : et hoc ibi : « Nunc autem, sicut nobis est possibile, propriis quidem ad divina signis utimur. » Circa primum duo facit. Primo ostendit qualis cognitio de Deo per divina nomina accipi possit; secundo, assignat differentiam hujus cognitionis ad cognitionem quæ erit in patria, ibi : « Hæc et nos docti sumus, nunc quidem juxta proportionem nostram per sancta velamina eloquiorum .....; tunc autem, quando incorruptibiles et immortales erimus ....., visibili quidem ipsius Dei apparitione. » Circa primum duo facit. Primo, ostendit quam cognitionem de Deo per divina nomina accipere possumus; secundo, ostendit quasi exemplariter per quædam Dei nomina, ibi : « Hæc a divinis eloquiis memoramus. »

Dicit ergo primo quod nos « sequentes has, » scilicet prædictas, « thearchicas, » id est divinas « leges, » ut[1] scilicet commensurate secundum nostram mensuram, et firmiter et cum amore divinis illuminationibus nos immittamus[2]; « quæ » quidem leges non solum homines sanctos, sed etiam « gubernant supercœlestium ordinum et substantiarum sanctos ornatus, » id est, ornant pulchras et ordinatas dispositiones angelorum; « venerantes » per hoc « et occultum » deitatis, « quod quidem, est super mentem et substantiam reverentiis mentis inscrutabilibus, » id est habitis ad Deum in hoc quod non scrutamur occulta Dei, « et sanctis, » quia talis reverentia ad sanctitatem pertinet, « et venerantes indicibilia » deitatis « casto silentio; » quod quidem dicit, quia occulta per hoc veneramur quod ea non scrutamur, et ineffabilia per hoc quod ea silemus. Et hoc quidem ex sanctitate et castitate animi provenit non se extra suas metas extendentis. Sic, inquam, venerantes divina secundum sequelam divinarum legum, « extendimur ad splendores nobis illucentes in sanctis eloquiis, » id est ad veritates sacræ Scripturæ hominibus revelatas, « et ab ipsis, » sacræ Scripturæ splendoribus, « illuminamur ad thearchicos hymnos, » id est ad divina nomina, quibus Deus laudatur, cognoscenda. Per hæc enim scimus laudare Deum viventem, bonum, et alia hujusmodi, quæ hic nobis de Deo in Scripturis sacris traduntur. « Nos, » inquam, « illuminati ab ipsis, » hymnis, « supermundane, » id est super virtute naturalis rationis, « et » quodammodo « configurati ad sanctas enunciationes hymnorum, » id est divinarum laudum, quæ traduntur in Scripturis per divina nomina, inquantum scilicet eorum fide informamur. « Illuminati, » inquam, « et figurati, » ad hoc scilicet quod per hujusmodi hymnos videamus secundum nostram mensura « thearchica, » id est divina, « lumina » nobis data, et ad hoc quod laudemus « principium totius sanctæ apparitionis luminis, » spiritualis : quod quidem principium non solum spirituale lumen tradit mentibus, sed universaliter « bonum, sicut ipsum » principium « de seipso tradit in sacris eloquiis; » in Psal. CIII, 23 : *Aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate;* et Lucæ, XI, 13, dicitur : *Pater*

[1] Parm. omittit : « ut. » — [2] Parm. : « immittimus. »

vester de cœlis dabit spiritum bonum petentibus se. Est igitur sensus præmissorum, quod desistamus [1] a perscrutatione divinorum secundum rationem nostram ; et inhæreamus [2] sacræ Scripturæ, in qua traduntur nobis nomina divina, per quæ manifestantur nobis dona Dei et donorum principium [3]. Per divina igitur nomina, quæ nobis in sacris Scripturis traduntur, duo cognoscimus : scilicet diffusionem sancti luminis et cujuscumque bonitatis seu perfectionis, et ipsum principium hujus diffusionis ; utpote cum dicimus Deum viventem, cognoscimus diffusionem vitæ in creaturis, et principium hujus diffusionis esse Deum. Et hoc quidem principium non cognoscimus per divina nomina sicuti est : hoc enim est indicibile et inscrutabile ; sed cognoscimus eum ut principium et causam.

Et ad manifestandum hujus principii rationem primo ponit quædam quæ pertinent ad universalem rationem principii, cum dicit : « Sicut quod est omnium causa et principium ; » ut causa referatur ad finem, quæ est prima causarum, et principium ad causam agentem, a qua incipit operatio et motus. Consequenter autem ponit quæ pertinent ad rationem principii, respectu determinatorum effectuum. Et primo quantum ad institutionem rerum, cum dicitur : « Et substantia et vita, » quia scilicet per hoc principium existunt omnia existentia, et vivunt omnia et viventia. Deinde quantum ad meliorationem rerum in spiritualibus, quæ quidem secundum tria attenditur : id est secundum purgationem, illuminationem et perfectionem. Hæc autem tria ab angelis quidem complentur secundum intellectum tantum ; qui quidem purgant, nescientiam removendo ; illuminant intellectum, auxilium præbendo ad cognoscendum veritatem ; perficiunt autem, dum ad cognitionem veritatis perducunt. Perfectio enim rei consistit in hoc quod pertingat ad finem. Unde in VII cap. *Angelicæ hierarchiæ* dicitur quod purgatio, illuminatio, perfectio est divinæ scientiæ assumptio. Sed ad Deum pertinet non solum intellectum, sed etiam voluntatem mutare in melius. Et quantum ad hoc loquitur hic de purgatione, illuminatione et perfectione. Ponit autem quinque ad purgationem pertinentia. Cum enim peccatum, quo inquinatur voluntas, contingat ex hoc quod homo propter bonum temporale ab incommutabili bono avertitur, primum in purgatione voluntatis est quod voluntas ad bonum incommutabile reducatur ; et quantum ad hoc dicit quod divinitas est « revocatio et resurrectio decidentium ab ipsa, » scilicet per peccatum. Et ponit revocationem et resurrectionem, quia non solum attrahit nos, quod est revocare, sed etiam dat vires, ut revocati surgamus. Secundum autem est quod ex hoc quod placet voluntati humanæ Deus, derelinquat illud commutabile bonum, propter quod a Deo recessit ; et quantum ad hoc dicit quod Deus est « revocatio et reformatio eorum quæ sunt prolapsa ad aliquod corruptivum [4] deiformis, » id est divinæ similitudinis in nobis : hoc autem est peccatum. Contingit autem, dum alicui incipit Deus placere, peccata displicere, quod a principio quamdam titubationem mentis patiatur, nunc huc nunc illuc tractus ; unde indiget ut in uno collocetur ; et quantum ad hoc tertio dicit quod Deus est « collocatio sancta eorum quæ moventur « secundum quamdam immundam commotionem. » Ulterius autem indiget homo, postquam est collocatus in uno, ut in illo firmetur, ne per tentationes facile ab illo statu removeatur ; et quantum ad hoc dicit quarto quod est « firmatio stantium. » Ulterius autem necesse est quod homo ad meliora proficiat : et quantum ad hoc quinto dicit quod est « suscitativa manuductio sursum actorum, » id est eorum quæ sursum aguntur, id est proficiunt, « ad ipsam, » scilicet deitatem. Dicitur autem suscitativa manuductio, quia non solum porrigit manum auxilii volentibus proficere, sed etiam ad proficiendum excitati. Post hæc igitur quinque, quæ ad purgationem pertinent, subdit de illuminatione, cum dicit : « Et eorum quæ illuminantur illuminatio ; » quæ quidem illuminatio intelligitur quantum ad hoc quod lumen suæ gratiæ tradit, sive ad perfectionem intellectus, sive ad perfectionem affectus. Et ulterius subdit de perfectione, quam quidem tangit dupliciter. Primo quidem secundum quod aliquid perfici dicitur per hoc quod attingit finem proximum,

[1] Parm. : « desistimus. » — [2] Parm. : « sed inhæremus. » — [3] « Manifestatur nobis Deus esse bonorum principium. » — [4] Parm. : « ad corruptionem. »

puta justitiam, vel qualemcumque virtutem : et hoc, cum dicit : « Et eorum quæ perficiuntur perfectionis principatus, » respectu propriæ perfectionis, quia quæcumque est propria rei perfectio, principaliter præexistit in Deo, sicut regimen civitatis principaliter præexistit in principe. Quantum vero ad consecutionem ultimi finis dicit : « Et eorum quæ deificantur thearchia, » id est principalis deitas. Dicitur enim creatura rationalis deificari per hoc quod suo modo Deo unitur, ut sic ipsa deitas principaliter ipsi Deo conveniat, secundario vero et participative his qui deificantur. Ulterius autem ponit ea quæ pertinent ad meliorationem communiter omnium.

Est autem considerandum quod duplex processus invenitur in rebus : scilicet resolutionis et compositionis ; et secundum utrumque tendunt res in divinam similitudinem. Nam secundum viam resolutionis tendunt res a compositione in simplicitatem, quæ summe est in Deo : et quantum ad hoc dicit quod est « eorum quæ simplificantur simplicitas. » Secundum autem viam compositionis tendunt res a multitudine in unitatem, dum ex multis fit unum. Unitas autem primo est in Deo ; et quantum ad hoc dicit : « Et eorum quæ uniuntur unitas. » Non solum autem a Deo communicatur rebus quod in se subsistant et meliorentur, sed etiam quod aliis sint principium seu causa existentiæ et meliorationis : et quantum ad hoc subdit quod est « supersubstantialitas super principale principium universi principii. » Non enim eodem modo est principium quo alia, sed eminentius ; sic enim eminentius habet esse. Et ut universos Dei effectus simul comprehendat, subdit quod est « bona traditio occulti. » Manifestum est enim quod quæcumque in creaturis sunt, in Deo præexistunt eminentius. Sed creaturæ quidem manifestæ sunt nobis, Deus autem occultus. Sic igitur secundum quod rerum perfectiones a Deo per quamdam participationem derivantur in creaturas, fit traditio in manifestum ejus quod erat occultum ; et hoc fit « secundum quod est conveniens, » scilicet secundum proportionem determinatam uniuscujusque. Et quia dixerat quod Deus est substantia et vita omnium, ne aliquis intelligeret quod Deus esset essentia aut vita formalis veniens in compositionem rerum, hunc perversum intellectum excludit, cum subdit : « Et, ut simpliciter dicatur, » id est universaliter dicatur, « vita viventium et substantia, » id est essentia, « existentium, » quasi « principium [1], » agens « et causa » formalis « omnis vitæ et « substantiæ, » non quidem propter suam necessitatem, sed, « propter bonitatem ipsius, quæ existentia et deducit ad esse et continet, » id est conservat ea in esse. Et sicut exponit de substantia et vita, ita intelligendum est et de omnibus consequentibus, ut scilicet Deus intelligatur esse revocatio et reformatio rerum, et simplicitas et unitas, et alia quæ supra dixit, inquantum horum est principium et causa.

Deinde cum dicit : « Hæc autem a divinis eloquiis memoramus, » manifestat per quædam divina nomina in Scripturis posita, quod ex divinis nominibus prædictam cognitionem de Deo capiamus ; et dicit quod hæc quæ supra dicta sunt, scilicet quod per divina nomina Deus cognoscatur ut principium et causa, non ex nobis ipsis dicimus, sed a divinis eloquiis accipiendo « commemoramus ; et, ut sic dicatur, omnem sanctum hymnum, » id est laudem Dei, « theologorum invenies, » si diligenter in Scripturis scruteris, « dividentem, » id est distinguentem, nominationes Dei « ad bonos processus thearchiæ, » id est secundum processus perfectionum quæ ex divina bonitate in creaturas proveniunt. Quod enim Deus dicatur bonus, vivens [2], sapiens, et multis aliis nominibus nominetur, non est ex aliqua multitudine seu diversitate in ejus natura existente (quia omnia hæc in eo unum sunt), sed ex diversis perfectionibus creaturarum accipimus diversa nomina, quæ attribuimus Deo, sicut primo principio omnium horum processuum, et hoc « manifestative et laudative. » Manifestative quidem, inquantum Deus nobis per suos effectus innotescit, et inquantum per hujusmodi nomina Deo attributa nobis manifestantur hujusmodi perfectiones esse in rebus a Deo. Laudative vero, inquantum hoc totum ad Dei pertinet bonitatem, quod rebus [3] perfectiones communicantur. Et hoc primo exponit in nomine unitatis, subdens, quod « fere in

[1] Parm. : « qui est « primum » agens. » — [2] Parm. : « vivus. » — [3] Parm. : « nobis. »

omni theologico negotio, » id est in omni libro theologiæ, « videmus thearchiam, » id est deitatem, « laudatam sicut monadem et unitatem ; » quæ duo idem significare videntur, cum unum sit græcum et aliud latinum. Quod quidem nomen unitatis Deo videtur maxime attribui propter duo. Primo quidem propter quod in ipso est, et hoc tangit cum dicit : « propter simplicitatem et unitatem supernaturalis impartibilitatis. » Ratio enim unitatis in impartibilitate consistit. Unum enim est ens, quod non dividitur. Contingit autem aliqua non dividi in actu, quæ dividuntur in potentia, sicut linea aut domus quorum utrumque potest dici unum, sed non simpliciter. Aliquid vero est indivisum non solum actu, sed etiam potentia, ut unitas et punctus, et hæc possunt dici non solum unum, sed etiam simplicia. In Deo autem utraque indivisibilitas consistit, quia non dividitur actu nec potentia ; et ideo signanter dixit : « propter simplicitatem et unitatem ; » et addit : « supernaturalis impartibilitatis, » quia nulla simplicitas aut unitas naturalium rerum divinæ simplicitati et unitati comparari potest. Secundo vero nomen unitatis attribuitur Deo propter hoc quod rebus unitatem communicat, et hoc est quod subdit : « ex qua, » scilicet unitate divina, « ut unifica virtute » mirifica duo nobis proveniunt ; quorum primum est quod nos « unimur, » id est quamdam unitatem habemus, secundum quod dicitur unus homo aut unum animal ; secundum est quod, cum unitas nostra non sit ita perfecta quod omnem diversitatem excludat ; ipsa etiam quæ sunt diversa in nobis, ad quamdam unitionem reducuntur, secundum quod etiam ea quæ sunt simpliciter diversa in creaturis, ordine sunt unum, ut sic saltem Dei unitatem imitentur; et hoc est quod dicit quod nos congregamur ad quamdam « monadem, » id est unitatem, « deiformem, » id est Deo similem, quantum ad ea quæ jam facta sunt unum, et ad quamdam « unitionem Dei imitativam, » quantum ad ea quæ fiunt unum ; et hoc « conclusis alternitatibus, » id est diversitatibus « nostris divisibilibus, » id est quæ ex aliqua divisione contingunt, « supermundane, » id est supermundana virtute. Vel hoc quod dicit : « unimur, » potest referri ad hoc quod unumquodque in se est unum, quod autem sequitur : « et divisibilibus nostris alternitatibus, » potest referri ad hoc quod multa, licet sint diversa et altera, tamen ad aliquam unitatem reducuntur vel perfecte vel imperfecte. Monas enim, id est unitas, perfectionem[1] unitatis designat ; unitio vero viam ad unitatem, in quo imperfectio unitatis ostenditur. Deinde ostendit idem in nomine Trinitatis, et dicit quod invenimus Deum laudari « sicut Trinitatem, ad manifestandum supersubtantialem fecunditatem trium personarum, » quæ non distinguuntur nisi secundum originem ; « ex qua » quidem fecunditate divina derivatur omnis fecunditas, quæ nomine paternitatis intelligitur, ut Apostolus dicit ad Ephes., III, quod ex Deo Patre *omnis paternitas in cœlo et in terra nominatur;* nec solum nominatur, sed etiam existit sive causatur. Tertio autem manifestat idem in nomine causæ, et dicit quod Deus laudatur « sicut causa existentium, » propter hoc quod « omnia sunt deducta ad esse ex bonitate ejus substantificante res, » non autem ex necessitate naturæ. Quarto autem manifestat idem per nomen sapientis et pulchri, et dicit quod laudant deitatem theologi, sicut « sapientem et pulchram, quia omnia existentia » in quibus invenitur propria natura salvata absque corruptione, « sunt plena omni harmonia divina, » id est perfecta consonantia seu ordine a Deo « et » sunt iterum plena « sancto decore ; » ut quod dicit, « harmonia, » referatur ad sapientiam, cujus est ordinare et commensurare res ; quod autem dicit, « decore, » maxime ad pulchritudinem referatur. Per hoc autem quod diminuitur aliquid de harmonia vel decore, accidit corruptio in rebus secundum excessum a propria natura, sicut ægritudo in corporibus et peccatum in anima. Quinto, manifestat idem de nomine benignitatis, et dicit quod divina Scriptura laudat deitatem sicut « benignam, differenter » tamen a prædictis nominibus. Nam secundum prædicta nomina laudatur Deus, inquantum non communicabat sua ; benignus autem laudatur inquantum in opere incarnationis, « in una personarum ipsius » deitatis, scilicet in persona Filii, « communicavit nostris, » id est his quæ ad naturam

[1] Al. : « perfectiora. »

nostram pertinent, non afferens corpus cœleste, ut Valentinus dixit; « ad veritatem, » id est secundum veritatem, non phantastice, ut dicit Manichæus; « totaliter, » id est quantum ad omnes partes nostræ naturæ; non assumens corpus absque anima, aut animam absque corpore, aut animam et corpus absque intellectu, ut Arius et Apollinaris dixerant. Et ut finem incarnationis ostendat, subdit: « Revocans, » a statu peccati, « humanam extremitatem, » id est humanam naturam, quæ est ultima creaturarum secundum ordinem creationis, « ad seipsum » scilicet deitatem [1], et non solum revocans amovendo, sed etiam « reponens » operando. Et ne aliquis crederet quod ita communicaverit nostris secundum inhabitationem [2] solam, ut Nestorius dixit, sed secundum veram unionem in persona et hypostasi, ut scilicet ipse qui est Deus, vere sit homo; subjungit: « ex qua, » scilicet deitate operante, vel « ex qua, » id est secundum quam bonitatem, « Jesus, » qui est « ineffabiliter simplex » secundum deitatem, ipse idem hypostasi est compositus secundum humanitatem; « et » qui est « æternus » secundum deitatem, « accepit præsentationem temporalem, » id est ut sit temporalis in hoc præsenti tempore secundum humanam naturam, « et qui » secundum deitatem « supersubstantialiter excellit omnem ordinem secundum omnem naturam, factus est intra nostram naturam, » vere homo sub specie humana contentus, sicut et cæteri homines per quæ omnia [3] dat intelligere quod idem est suppositum Deus et homo. Et ne aliquis perverse intelligeret quod Deus factus sit homo secundum aliquam conversionem deitatis in carnem vel in animam, vel etiam secundum aliquam commassationem [4], ut sic esset una natura [5] Dei et hominis, ut Eutyches confinxit, subjungit: « Cum intransmutabili et inconfusa collocatione, » id est firma salvatione, « propriorum, » id est proprietatum utriusque naturæ, quia neque divinitas conversa est in humanitatem, neque humanitas in divinitatem. Et quia de mysterio Incarnationis plura dici possent quæ ad præsens omittit, quia non est de hoc principalis intentio, subdit quod non solum prædicta intelliguntur per divinam benignitatem, sed « et quæcumque alia deifica lumina, » id est quascumque alias divinas illuminationes et veritates, « occulta traditio nostrorum ducum, » scilicet apostolorum, et aliorum doctorum post eos, « nobis donavit [6] maninifestative, juxta consequentiam [7] eloquiorum divinorum, » id est secundum quod in sacra Scriptura traditur.

Deinde cum subdit: « Hæc et nos docti sumus, » ostendit differentiam cognitionis quam in præsenti vita de Deo per nomina divina accepimus, ad cognitionem quam sancti habent in vita futura, cum dicit quod « hæc » quæ dicta sunt in expositione divinorum nominum de Deo, « nos sumus edocti nunc, » id est in præsenti vita, « juxta proportionem nostram per sancta velamina eloquiorum, » id est sacræ Scripturæ, « et hierarchicarum traditionum, » id est aliorum dogmatum quæ apostoli et eorum disciputi tradiderunt, quæ non continentur in sacra Scriptura, ut puta quæ pertinent ad ritus sacrorum mysteriorum [8]. Hierarchia enim idem est quod sacer principatus; unde apostoli et alii Ecclesiæ prælati hierarchiæ dicuntur, quasi sacri principes. Dicit autem: « per sancta velamina, » quia in præsenti vita non possumus per ea quæ nobis tradita sunt, ipsam Dei essentiam, prout in se est, videre; sed instruimur de Deo in Scripturis per similitudinem effectus ipsius, quasi per quædam velamina, secundum illud I Cor., XIII, 12: *Videmus nunc per speculum in ænigmate.* Qualia vero sunt ista velamina, exponit subdens quod « ex benignitate [9] Dei intelligibilia circumvelantur per sensibilia, » sicut cum Scripturæ de Deo et angelis sub similitudine quorumdam sensibilium loquuntur, ut patet Isa., VI, 1: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum;* et infra, 2: *Seraphim stabant super illud, sex alæ uni, et sex alæ alteri;* et similiter velantur [10] « supersubstantialia, » scilicet divina, « existentibus, » sicut cum Deo attribuuntur non solum sensibilia, sed etiam intelligibiles perfectiones creaturarum, ut cum attribuimus Deo vitam, intellectum et hujusmodi perfectiones in rebus creatis in-

[1] Al.: « secundum deitatem. » — [2] Parm.: « ita conjuncta sit veritate nostris, secundum exhibitionem. » — [3] Parm. omittit: « omnia. » — [4] Parm.: « commensurationem. » — [5] Parm. inepte: « creatura. » — [6] Al.: « donavit. » — [7] Parm.: « consequentia. » — [8] Parm.: « ad sacrorum mysteriorum cognitionem. » — [9] Parm.: « bonitate. » — [10] Parm.: « uniantur. »

veritas. Similiter ex eadem benignitate « circumponuntur formæ corporeæ et figuræ rebus incorporeis non sic formabilibus vel figurabilibus ; » et similiter res simpliciter supernaturalis et infigurabilis, multipliciter componitur « per varietatem divisibilium signorum, » inquantum scilicet ipse Deus, qui est supernaturalis et simplex, per diversa nobis manifestatur in Scripturis, sive sint diversæ processiones, sive diversæ similitudines. Signanter autem dixit : « benignitate, » quod enim Scripturis exprimuntur nobis intelligibilia per sensibilia, et supersubstantialia per existentia, et incorporalia per corporalia [1], et simplicia per composita et diversa non est propter invidiam, ut subtrahatur nobis cognitio divinorum, sed propter nostram utilitatem, quia Scriptura nobis condescendens tradidit nobis quæ supra nos sunt, secundum modum nostrum. Et hic quidem modus cognitionis est quo Deum in præsenti vita cognoscere possumus. « Tunc autem, » scilicet post resurrectionem beatam, « quando incorruptibiles et immortales erimus, » corruptibili hoc accipiente incorruptionem, et mortali hoc accipiente immortalitatem, ut dicitur I Corinth., xv ; et quando « consequemur finem christiformem, » id est assimilationem ad Christum, secundum illud Philip., iii, 21 : *Reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ,* « et beatissimum, » quia non solum beatificabitur anima, sed etiam suo modo glorificabitur corpus ; tunc *semper cum Domino erimus,* secundum eloquium, id est ut dicitur I Thessal., iv. Nos, inquam, « adimpleti visibili apparitione, » id est sensibili et corporali, « ipsius Dei, » quantum ad humanitatem Christi, et hoc « in castissimis contemplationibus, » quia ad carnem Christi non afficiemur carnaliter, sed spiritualiter, secundum illud Apostoli II Cor., v, 16 : *Et si cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc non novimus.* Ipso, inquam, Christo, « refulgente circa nos » per sui corporis claritatem « manifestissimis splendoribus, sicut » factum est « circa discipulos in illa divinissima transformatione, » id est transfiguratione, quando, ut habetur Matth., xvii, *facies ejus resplenduit sicut sol.* Et non solum erimus adimpleti sensibili apparitione ipsius, sed etiam erimus « participantes [2] intelligibili datione « luminis ipsius » Christi, quod effundet in nos secundum virtutem suæ divinitatis. Et hoc lumen participabimus « in impassibili et immateriali mente. » Mens enim nostra nunc quidem passibilis est per accidens ex unione ad corpus, et materialis efficitur secundum affectionem ad res materiales, et ideo nunc non est idonea ad tanti luminis participationem, sicut tunc erit quando in nullo impedietur per corporales passiones, neque subdetur materialibus affectionibus. Et per hanc participationem luminis erimus « et participantes unitione, » quæ est « super mentem, » quia scilicet mens nostra ut intelligibili ipsi Deo, qui est super mentem, unietur, et hoc fiet « per ignotas et beatas immissiones superclarorum radiorum, » id est divinarum illuminationum, quæ nunc sunt nobis occultæ sicut inexpertæ, quibus tunc eædem mentes beatificabuntur. Et hoc quidem consequentur homines « secundum imitationem supercœlestium mentium, » id est angelorum diviniore modo quam nunc. Nunc enim licet in qualibet contemplatione veritatis mentes humanæ ad angelorum unitionem illustrentur, tamen multum deficimus ab eorum æqualitate, sed tunc « æquales erimus angelis, ut dicit veritas eloquiorum, et » erunt « filii Dei, existentes filii resurrectionis, » et [3] habetur hoc Luc., xx.

Deinde cum dicit : « Nunc autem, sicut nobis est possibile, propriis quidem ad divina signis utimur, » ostendit quod post omnem cognitionem quam in præsenti vita de Deo habemus, id quod est Deus remanet nobis occultum, et circa hoc duo facit. Primo, proponit quod intendit; secundo, probat propositum, ibi : « In quo omnes fines omnium cognitionum superineffabiliter præexstiterunt. » Dicit ergo primo quod « nunc, » id est in præsenti vita, sicut supra expositum est, « utimur, sicut nobis est possibile, propriis signis ad divina » cognoscenda : quæ quidem signa sunt tam perfectiones quæ procedunt a Deo in creaturas, quam et metaphoræ quæ a creaturis per similitudinem transferuntur in Deum. Et hujusmodi quidem signa dicuntur propria cognitioni rerum divinarum ex parte nostra, quia non est possibile nobis aliter

[1] Parm. omittit : « per corporalia. » — [2] Parm. : « participatione. » — [3] Parm. : « ut habetur. »

innotescere res divinas nisi hoc modo. Non tamen sic utimur hujusmodi signis in cognitione divinorum quod in eis mens nostra remaneat, nihil ultra hujusmodi Deum existimans; sed « ex istis » signis « rursum extendimur » secundum nostram proportionem ad simplicem et unitam veritatem intelligibilium miraculorum, » id est admirabilium contemplationum, quas de rebus divinis per hujusmodi signa accipimus. Dicit autem « ad simplicem et unitam « veritatem, » ut simplicitas correspondeat compositioni signorum, unitas vero eorum multitudini et diversitati. Et ne aliquis credat quod per signa prædicta veritatem et intelligentiam divinorum perfecte comprehendere possimus, subjungit quod « immittimus nos ad supersubstantialem radium, » id est ad veritatem de Deo cognoscendam, sed non perfecte, sed « secundum quod est fas nobis, » scilicet « sedantes, » id est quietantes, « nostras intellectuales operationes, » ne ultra ferantur quam nobis sit datum; et hoc dico « post omnem secundum nos unitionem deiformium, » quasi dicat : Postquam secundum deiformitatem uniti fuerimus per cognitionem rebus divinis, quantumcumque nobis est possibile, adhuc remanet aliquid de rebus divinis nobis occultum, a cujus inquisitione oportet nos sedare intellectum nostrum.

Deinde cum dicit : « In quo omnes fines omnium cognitionum superineffabiliter præextiterunt, » probat quod dixerat; et circa hoc tria facit : primo enim inducit probationem; secundo, exponit eam, ibi : « Et omnium quidem substantialium cognitionum, et virtutum terminationes simul et omnes supersubstantialiter in seipso præaccepit; » tertio, probat quoddam quod in probatione supposuerat, ibi : « Si enim cognitiones omnium existentium sunt, et si existentia finem habent, qui est super omnem substantiam, et ab omni cognitione est segregatus. »

Ad evidentiam autem primæ partis considerandum est quod nulla virtus finita extendit se in infinitum, sed ad aliquem certum terminum concluditur; unde cum omnis virtus cognoscitiva creaturæ sit finita, cujuslibet cognitionis creaturæ est certus terminus[1], ultra quem non tendit. Et hujus exemplum accipi potest ex diversis scientiis. Habet enim geometria aliquem terminum ultra quem non tendit, et similiter naturalis scientia. Et hoc quidem intelligendum est de re qualibet conditione creata. Manifestum est autem quod illud quod excedit terminum alicujus cognitionis, non attingitur ab illa cognitione[2]. Supersubstantialis autem radius, id est ipsa divina veritas, excedit omnes terminos et fines quarumcumque cognitionum, quia « omnes fines » quarumcumque « cognitionum » eminentius præexistunt in ipso radio, sicut in causa primordiali, modo ineffabili nobis propter suam eminentiam. Unde relinquitur quod prædictum radium non possumus cogitare inquirendo, neque exprimere loquendo, neque perfecte contemplari quocumque modo : non propter sui defectum, sed propter hoc quod est « ab omnibus distinctus, » et per consequens « ignotus omnibus, » quasi super omnia existens.

Deinde cum dicit : « Et omnium quidem substantialium cognitionum et virtutum terminationes simul et omnes supersubstantialiter in seipso præaccepit, » exponit quod dixerat : scilicet quod fines cognitionum præexistunt in supersubstantiali radio, et dicit quod cum ille radius sit supersubstantialis, virtutes autem cognoscitivæ et cognitiones ipsæ sint substantiales, id est substantiis creatis proportionatæ, et per consequens finitæ; manifestum est quod prædictus radius « præaccepit in seipso, » tanquam causa suprema, « terminationes omnium » prædictarum « cognitionum et virtutum; » non quidem successive, ut nunc habeat hanc, nunc illam, sed « simul » et unite; neque iterum particulariter, ut habeat hanc terminationem et non illam, sed universaliter « omnes; » neque iterum habet in se hujusmodi terminationes eo modo quo sunt in substantiis creatis, sed « supersubstantialiter. » Et quia quod dixerat : « Quem neque cogitare possibile est, » posset aliquis referre solum ad cognitionem præsentis vitæ, ulterius extendit hoc etiam ad angelos, et dicit

[1] Sic cod. Vict.; al. : « est aliquis certus terminus; » Parm. : « unde omnis virtus cognoscitiva creaturæ habet aliquem certum terminum. » —

[2] Sic cod. Vict.; Parm. : « quod ille qui terminum alicujus cognitionis non attingit, ad illam cognitionem non attingit. »

quod ille supersubstantialis radius est « collocatus, » non solum super mentes humanas, sed etiam « super mentes cœlestes, » id est angelicas, non ut nullo modo attingatur ab eis, sed ita quod comprehendi non possit : et hoc est quod dicit, « incomprehensibili virtute. »

Deinde cum dicit : « Si enim cognitiones omnium existentium sunt, et si existentia finem habent, qui est super omnem substantiam, et ab omni cognitione est segregatus, » probat quod supposuerat, scilicet quod in Deo præexistant terminationes omnium cognitionum, et ratio sua talis est : Omnes cognitiones sunt de rebus existentibus ; objectum enim cognitionis est ens. Existentia autem sunt finita. Ens igitur finitum est objectum cognitionis finitæ. Deus ergo, cum sit infinitus, excedit omnem substantiam finitam, præhabens in se fines omnium ; et per consequens est separatus ab omni cognitione, inquantum omnem cognitionem creaturæ excedit, ut a nulla comprehendi possit.

LECTIO III.

Quomodo Deus nominari possit.

Omnium quidem existens circumapprehensivus, et comprehensivus, et præapprehensivus, omnibus autem universaliter est incomprehensibilis, et neque sensus ejus est, neque phantasia, neque opinio, neque nomen, neque sermo, neque tactus, neque scientia. Quomodo de divinis nominibus divinus a nobis tractabitur sermo invocabili et supernominabili et supersubstantiali deitate demonstrata ? Sed quod diximus quando theologicas hypotyposes exposuimus, unum ignotum supersubstantiale ipsum bonum quod est, trinam unitatem dico, quæ est simul Deus, et simul bonum, neque dicére, neque possibile est cogitare. Sed et sanctarum virtutum angelis convenientes unitiones, quas sive immissiones, sive susceptiones oportet dicere, superignotæ et superclaræ bonitatis, ineffabiles sunt et ignotæ : et solum ipsis inerunt qui super angelicam cognitionem digni habiti sunt ipsis angelis. Istis deiformes ad angelorum imitationem, sicut est possibile, unitæ mentes (quoniam secundum omnis intellectualis operationis quietem talis fit deificatarum mentium ad supremum lumen unitio) laudant ipsum proprie, maxime per ablationem a cunctis existentibus : hoc vere et supernaturaliter illuminatione edocti ex beatissima ad ipsum unitione, quod omnium quidem existentium est causa, ipsum autem nihil, ut ab omnibus [1] substantialiter segregatum. Igitur supersubstantialitatem quidem thearchicam, quomodocumque[2] est superbonitatis superessentia, neque ut rationem aut virtutem, neque sicut mentem, aut vitam, aut substantiam, laudare possibile nulli eorum, quantumcumque [3] sunt veritatis amatores quæ est super omnem veritatem ; sed sicut ab omni habitu, motu, vita, phantasia, opinione, nomine, verbo, deliberatione, intellectu, substantia, statione, collocatione, unitione, fine, infinitate, universis, quæcumque existentia sunt, excellenter segregatam. Quoniam autem sicut bonitatis essentia per ipsum esse omnium est existentium causa, boni principem thearchiæ providentiam, ex omnibus causatis laudare convenit. Quoniam et circa ipsam omnia, et ipsius causa, et ipsa est ante omnia, et omnia in ipsa constiterunt, et esse hanc est totorum deductio et substantia, et omnia ipsam desiderant : intellectualia quidem et rationalia cognitive ; istis autem subjecta sensibiliter, et alia secundum vivificum motum, aut substantialem et habitudinariam aptitudinem. Hoc igitur scientes theologi, et sicut innominabilem ipsam laudant, et ex omni nomine innominabilem quidem, sicut quando dicunt thearchiam ipsam in una mysticarum visionum Dei apparitionis significativæ [4] increpare eum qui dixit : *Quod est nomen tuum?* et sicut ab omni cognitione ex Dei nominatione ipsum abigentem dicere : Quare interrogas nomen meum ? et hoc est mirabile. Numquid autem non hoc vere est mirabile nomen quod est super omne nomen, quod est innominabile, quod est collocatum super omne nomen quod nominatur sive in sæculo isto, sive in futuro ? Multorum autem nominum, sicut quando ipsam rursus inducunt dicentem : Ego sum qui sum, vita, lumen, Deus, veritas, et quando ipsi periti deitatis, omnium causam multis nominibus ex multis causatis laudant, sicut bonum, sicut pulchrum, sicut sapientem, sicut diligibilem, sicut Deum deorum, sicut [5] Dominum dominorum, sicut Sanctum sanctorum, sicut æternum, sicut existentem et sicut sæculorum causam, sicut vitæ largitorem, sicut sapientiam, sicut mentem, sicut rationem, sicut cognitorem [6], sicut præhabentem omnes thesauros universæ cognitionis, sicut virtutem, sicut potentem, sicut regem regnantium, sicut veterem dierum, sicut sine senectute et invariabilem, sicut salvationem, sicut justitiam, sicut justificationem [7], sicut liberationem, sicut in magnitudine cuncta excedentem, sicut in aura subtili. Et quidem et in mentibus ipsum esse dicunt, et in animabus, et in corporibus, et in cœlo et in terra; et simul in eodem eumdem, mundanum, circamundanum, supermundanum, supercœlestem, supersubstantialem, solem, astrum, ignem, aquam, spiritum, rorem, nubem, ipsum lapidem et petram, omnia existentia et nihil existentium. Ita igitur omnium causæ et super omnia existenti et innominabile conveniet, et omnium existentium nomina, ut diligenter sit totorum regnum, et circa ipsam sint omnia, et ab ipsa sicut a causa, sicut principio, sicut fine segregata ; et ipsa secundum eloquium sit omnia in omnibus. Et vere laudatur omnium substantia principalis, et perfectiva et contentiva custodia, et cibus, et ad ipsum conversiva, et hoc unitive ; et communicabiliter segregate. Non enim continentiæ aut vitæ aut perfectionis solum causa est, ut a sola hac aut alia providentia bonitas, quæ est super nomen, nominetur ; sed omnia simpliciter et incircumfinite in seipso existentia præaccepit

[1] Al. : « ipsum autem velut ab omnibus. » — [2] Al. : « quæcumque est. » — [3] Al. : « quocumque. » — [4] Al. : « significantem. » — [5] Al. hic et infra proxime : « sive. » — [6] Al. : « sicut cognitionem. » — [7] Al. : « sanctificationem. »

perfectissimis unius et ejusdem et omnium causæ providentiæ bonitatibus, et ex existentibus universis, convenienter laudatur et nominatur. Et quidem non istas solas theologi Dei nominationes commendant a perfectis aut particularibus providentiis aut provisis; sed et quando a quibusdam apparitionibus divinis in sanctis templis, aut alibi, magistros aut prophetas illuminantibus, secundum alias et alias causas et virtutes nominant supersplendentem et supernominabilem bonitatem; et formas ipsi et figuras humanas, aut igneas aut electrinas circumponunt, et oculos ipsius, et aures, et cincinnos, et vultus, et manus, et spinas, et alas, et brachia, et dorsa, et pedes laudant, et coronas, et thronos, et calices, et crateres ipsi, et alia quædam mystica circumponunt : de quibus in *Symbolica contemplatione* secundum virtutem dicemus. Nunc autem, quæcumque sunt præsentis negotii, ex eloquiis congregantes, et sicut quodam canone dictis utentes, et ad ipsa inspicientes, ad reserationem intelligibilium Dei nominationum procedamus. Et quod semper secundum omnem theologiam hierarchica lex inducit[1] Dei inspectiva deliberatione inspiciamus, ut proprie dicamus quibus Deus appareat contemplationes; et aures sanctas sanctarum Dei nominationum reserationibus apponamus in sanctis sancta secundum divinam traditionem collocantes, et ipsa ab indoctorum risibus et delusionibus auferentes : magis autem ipsos illos, si totaliter sunt tales quidam homines, ab impugnatione Dei in hoc liberantes. Igitur tibi quidem hoc custodire utile, o pulcher Timothee, secundum sanctissimam memorationem, et neque dicibilia[2] neque exportabilia divina facere ad indoctos. Mihi autem det Deus, ut decet Deum, laudare invocabilis et innominabilis deitatis deificas multas nominationes, et non auferat verbum veritatis ab ore meo.

« Omnium quidem existens circumapprehensivus, et comprehensivus, et præapprehensivus. » Postquam ostenderat Dionysius quam cognitionem de Deo per divina nomina accipere possumus, hic ostendit quomodo Deus nominari possit; et primo, movet dubitationem; secundo, solvit eam, ibi : « Sed quod diximus quando theologicas hypotyposes exposuimus. »

Est ergo dubitatio talis. Ostensum est quod Deus est potior omni nostra locutione et omni cognitione, et non solum excedit nostram locutionem et cognitionem, sed universaliter collocatur super omnem mentem, etiam angelicam, et super omnem substantiam. Et ne aliquis crederet sic Deum esse super omnia remotum, ut non solum non cognosceretur, sed quod nec etiam cognosceret quæ infra se sunt, subjungit quod ipse est « omnium circumapprehensivus, » inquantum cognoscit proprietates et circumstantias rerum, « et comprehensivus, » inquantum perfecte cognoscit quidditates seu essentias omnium, « et præapprehensivus, » inquantum scilicet cognitionem rerum non accipit a rebus sicut nos, sed scientia ejus præexistit rebus, utpote causa earum; et tamen ipse « omnibus » rebus est « incomprehensibilis, et neque potest comprehendi sensu, neque phantasia, » sive imaginatione, « neque opinione, » in quibus et bruta communicant; neque etiam comprehendi potest per ea quæ sunt propria rationalium : quia « neque nomen » est ejus, ut comprehendens ipsum, « neque sermo, » aliquis complexus, « neque tactus, » id est simpliciter intuitus intellectus, « neque scientia, » quæ provenit ex deductione principiorum in conclusiones. Si ergo ita est, « quomodo de divinis nominibus » poterit aliquis « sermo tractari a nobis? » cum demonstratum sit quod supersubstantialis deitas voce significari non potest, utpote supra omne nomen existens. Ridiculum enim videtur velle tractare de nominibus rei quæ nominari non potest.

Deinde cum dicit : « Sed quod diximus quando theologicas hypotyposes exposuimus, » solvit prædictam dubitationem, et circa hoc duo facit. Primo, ostendit qualiter Deus nominari potest; secundo, qualiter de divinis nominibus sit agendum, ibi : « Nunc autem quæcumque sunt præsentis negotii, ex eloquiis congregantes ..... ad reserationem intelligibilium Dei nominationum procedamus. » Prima pars dividitur in tres, secundum tres modos Dei nominationum quos assignat. Secunda pars incipit ibi : « Quoniam autem sicut bonitatis essentia per ipsum esse omnium est existentium causa, boni principem thearchiæ providentiam ex omnibus causatis laudare convenit; » tertia pars incipit ibi : « Sed et quando a quibusdam apparitionibus divinis ..... nominans supersplendentem et supernominabilem bonitatem. » Circa primum duo facit. Primo, ponit radicem primi modi nominationum; secundo, assignat primum modum Dei nominationum, ibi : « Istis deiformes ad angelorum imitationem, sicut est possibile unitæ mentes ....., laudant ipsum. » Dicit ergo primo quod, sicut dictum est in libro *De theologicis hypotyposibus,* ipsum per se « unum, » quod Deus est, quod est « ignotum » et « supersub-

[1] Al. : « in Dei inspectiva. » — [2] Al. : « discibilia. »

stantiale, » id est super omnem substantiam, et quod est « ipsum bonum, » id est ipsa essentia bonitatis, et quod est ipsum « quod est, » id est ipsum per se esse, scilicet « ipsam trinam unitatem dico, » in qua non est aliquis gradus, sed omnes tres per se sunt « simul » et æqualiter « Deus, » et « simul » et æqualiter ipsum « bonum ; » non quod Filius sit umbra bonitatis, sicut Origenes et Arius dixerunt ; istud inquam, secundum quod in se est, « neque dicere neque cogitare est possibile « nobis ; » non enim possumus ipsam essentiam Dei quæ est unitas in Trinitate, in præsenti vita videre. Et licet angeli videant essentiam, tamen etiam sunt nobis « ineffabiles » et ignotæ « sanctarum virtutum unitiones, » quæ conveniunt « angelis, » quibus scilicet uniuntur per cognitionem ad divinam essentiam, ipsam aliqualiter attingendo, sed non comprehendendo ; « quas , » scilicet unitiones, « oportet dicere sive immissiones, sive susceptiones bonitatis » divinæ, « superignotæ et superclaræ ; » non enim est ignota propter obscuritatem, sed propter abundantiam claritatis. Immissiones autem dici possunt, inquantum ipsa divina bonitas se immittit quodammodo sanctis mentibus ; susceptiones autem, inquantum sanctæ mentes ipsam capiunt secundum suum modum. Et licet nunc hujusmodi immissiones sint nobis ineffabiles et ignotæ, « inerunt » tamen aliquibus hominibus, sed illis « solis qui digni habiti sunt ipsis « angelis, » id est societate et consortio angelorum, quantum ad « cognitionem superangelicam. » Visio enim Dei per essentiam est super naturam cujuslibet intellectus creati, non solum humani, sed etiam angelici.

Deinde cum dicit : « Istis deiformes ..... laudant ipsum proprie, » assignat primum modum Dei nominationum, qui scilicet fit per remotionem ; et dicit quod mentes Deo conformatæ, sanctorum scilicet prophetarum et apostolorum, « unitæ, » id est conjunctæ prædictis immissionibus et susceptionibus, secundum imitationem angelorum, non quidem æqualiter angelis, sed « sicut est possibile » in hac vita, « laudant Deum maxime proprie per « remotionem a cunctis existentibus ; » et hoc ideo, quia « unitio sanctarum mentium » ad Deum, qui est super omne lumen, « sit talis, » scilicet per remotionem a cunctis existentibus, « secundum quietem omnis intellectualis operationis, » id est in ultimo, in quo quiescit omnis eorum intellectualis operatio. Hoc enim est ultimum ad quod pertingere possumus circa cognitionem divinam in hac vita, quod Deus est supra omne id quod a nobis cogitari potest ; et ideo nominatio Dei quæ est per remotionem, est maxime propria ; etenim illi qui sic laudant Deum per remotionem, « per illuminationem » Dei « vere et supernaturaliter » sunt « hoc edocti ex beatissima conjunctione ad Deum ; » qui Deus, cum sit « omnium existentium causa, » ipse « nihil » est existentium, non quasi deficiens ab essendo, sed supereminenter « segregatus ab omnibus. » Et ideo « divina supersubstantialitas, » quæ est bonitatis essentia, ab his qui sunt divinæ veritatis amatores, « quæ est supra omnem veritatem, » non potest laudari, « quomodocumque est, » id est comprehensive, « neque » ut dicatur « ratio aut virtus, neque ut mens, aut vita, aut substantia. » Et eadem ratio est de omnibus aliis nominibus, quæ processiones Dei in creaturas signant. « Sed » laudant eam « sicut superexcellenter, segregatam ab omni habitu, » quod potest referri ad artificialia vel ad quascumque exteriores circumstantias, etiam « motu » quantum ad naturalia, « vita » quantum ad viventia, « phantasia, opinione, » id est æstimatione, quantum ad sensitiva, « nomine » incomplexo, « verbo » complexo, « deliberatione, » id est inquisitiva ratione, quantum ad rationalia, ut sunt homines, « intellectu, » quantum ad intellectualia, ut sunt angeli ; et universaliter quantum ad omnia dicit, « substantia, » si consideretur esse rerum « statione, collocatione » quantum ad rerum permanentiam, ut statio referatur ad firmitatem rei secundum quod consistit in seipsa, collocatio vero secundum quod firmatur in aliis. Et quantum ad perfectionem rerum subdit « unitione, fine, infinitate, » et universaliter ab omnibus quocumque modo existant. Hic igitur est primus modus Dei nominationum per abnegationem omnium ea ratione quod ipse est super omnia, et quidquid est quocumque nomine signatum, est minus eo quod est Deus, quia excedit nostram cognitionem, quam per nomina a nobis imposita exprimimus.

Deinde cum dicit : « Quoniam autem

sicut bonitatis ejus essentia per ipsum esse omnium est existentium causa, boni principem thearchiæ providentiam ex omnibus causatis laudare convenit, » tradit secundum modum Dei nominationum, quæ scilicet nominant Deum ut causam, et circa hoc tria facit. Primo, præmittit rationem hujusmodi nominationum ; secundo, ponit ipsas nominationes, ibi : « Hoc igitur scientes theologi, et sicut innominabilem ipsam laudant, et ex omni nomine ; tertio, excludit quemdam errorem, ibi : « Et vere laudatur omnium substantia principalis et perfectiva et contentiva. »

Ad evidentiam autem primæ partis considerandum est quod, cum effectus procedant per quamdam assimilationem a suis causis, secundum modum quo aliquid est causa, præhabet in se similitudinem sui effectus. Si enim aliquid est causa alterius secundum suam speciem vel naturam, effectus in se habet similitudinem secundum suam naturam, sicut homo generat hominem, et equus equum. Si vero sit causa alterius secundum aliquam dispositionem superadditam, secundum hoc etiam habet similitudinem sui effectus. Ædificator enim est causa domus non secundum suam naturam, sed secundum suam artem; unde similitudo domus non est in natura ædificatoris, sed in ejus arte. Ulterius autem considerandum est quod, cum bonum habeat rationem finis, quia bonum est quod omnia appetunt, finis autem est prima causarum ; bonum est cui primo competit ratio causandi. Secundum hoc igitur quod aliquid se habet ad bonum, secundum hoc se habet quod sit causa. Quia igitur Deus est bonus, non quidem bonus quasi bonitatem participans, sed « sicut ipsa essentia bonitatis, » non per aliquam dispositionem participatam est causa rerum, sed « per ipsum esse suum est causa omnium existentium ; » nec per hoc excluditur quin agat per intellectum et voluntatem, quia intelligere ejus et velle est ipsum esse ejus. Sic igitur in ipso sua causa præhabet similitudinem omnium suorum effectuum. Omnis autem causa intantum potest nominari ex nomine sui effectus, inquantum habet in se similitudinem ejus. Si enim sit similitudo secundum identitatem rationis, nomen illud conveniet causæ et causato, sicut nomen hominis generanti et generato. Si vero non sit similitudo secundum eamdem rationem, sed sit supereminentius in causa, non dicetur nomen de utroque secundum unam rationem, sed supereminentius de causa, sicut calor de sole et igne. Sic igitur, quia similitudo omnium rerum præexistit in divina essentia non per eamdem rationem sed eminentius, sequitur quod « providentiam deitatis, » sicut « principem » totius « boni, » id est principaliter in se totum bonum habentem, et aliis diffundentem, « convenit laudare ex omnibus causatis ; » non tamen univoce, sed supereminenter, quod contingit propter convenientiam creaturarum cum ipsa ; quam quidem convenientiam designat cum subdit : « quoniam et circa ipsam sunt omnia. » Effectus enim dicuntur circa causam consistere[1], inquantum accedunt ad similitudinem ipsius, secundum similitudinem qua lineæ egredientes e centro circumstant ipsum secundum quamdam similitudinem ab ipso derivatæ. Inveniuntur autem aliqua esse circa aliquid quod tamen est propter ea quæ circumstant, sicut columna est propter domum. Non autem Deus est propter creaturas, sed e converso ; et ideo subdit : « et ipsius causa sunt omnia, » eo modo loquendi quo medicina dicitur esse causa sanitatis, id est propter sanitatem. Contingit autem apud nos quod id quod est propter finem, est causa activa finis, et prius eo in generatione, sicut se habet medicatio ad sanitatem ; et ne sic Deus esse finis credatur, subjungit : « et ipse est ante omnia. » Sunt etiam aliqua propter finem, quæ licet non præcedant id propter quod sunt, tamen aliquid ad ipsum conferunt, sicut vestimenta sunt propter hominem ; et ad hoc excludendum a Deo, subdit : « et omnia in ipso consistunt ; » unde ex nullo aliquid accipere potest, sed omnia acquirunt quicquid habent ab ipsa. Et ne aliquis credat esse Deum causam rerum solum per modum finis, ut quidam posuerunt, et non per modum factionis et conservationis, subjungit : « et esse hanc, » scilicet deitatem, vel providentiam divinam, « id est totorum, » id est omnium vel perfectorum, « deductio, » id est productio, « et substantia ; » ac si dicat : Ipsa deitas per suum esse est causa productionis et existentiæ rerum.

[1] Sic cod. Vict.; al. : « consistentiæ ; » Parm. : « consistentes. »

Est autem ulterius considerandum quod omnis effectus convertitur ad causam a qua procedit, ut platonici dicunt. Cujus ratio est quia unaquæque res convertitur ad suam bonum, appetendo illud. Bonum autem effectus est ex sua causa ; unde omnis effectus convertitur ad suam causam, appetendo ipsam. Et ideo, postquam dixerat quod a deitate deducuntur omnia, subjungit quod omnia convertuntur ad ipsam per desiderium ; et hoc est quod dicit : « et omnia ipsam desiderant. » Et ne aliquis credat quod omnia ipsam cognoscant, ostendit quomodo diversimode diversa ipsam desiderant, subdens : « intellectualia quidem, » id est angeli, « et rationalia, » id est homines, desiderant ipsam « cognitione, » id est cognoscendo ipsam, non enim cognosci potest nisi intellectu aut ratione ; « istis autem subjecta, » non cognitione ipsam desiderant, sed alia quidem solum sensibiliter[1], ut bruta animalia, « et alia secundum vivificum motum, » ut plantæ, « aut secundum aptitudinem substantialem, » ut ea quæ moventur secundum generationem et corruptionem, « aut habitudinariam, » ut in aliis motibus qui sunt secundum qualitatem et quantitatem et ubi ; omnia enim hujusmodi licet non cognoscant Deum, tamen dicuntur ipsum desiderare, inquantum tendunt ad quoddam bonum particulare. In omni autem bono particulari refulget primum bonum, ex quo habet quodlibet bonum quod sit appetibile.

Deinde cum dicit : « Hoc igitur scientes theologi, et sicut innominabilem ipsam laudant, et ex omni nomine, » ponit nominationes divinas, secundum rationem prædictam, et dicit quod theologi considerantes prædicta, scilicet quod Deus est segregatus ab omnibus, et tamen est causa omnium, quandoque quidem dicunt ipsum innominabilem, quandoque autem attribuunt ei omnium rerum nomina. « Innominabilem quidem » dicunt ipsum, « sicut quando dicunt ipsam deitatem in quadam mysticarum visionum, » quæ fuerunt secundum apparitionem divinam imaginativam, « significative increpare eum qui quæsivit : *Quod est nomen tuum?* » ab angelo qui apparebat in persona Dei. Et ut excluderet eum ab omni cognitione quæ posset provenire ex Dei nomine, dixit : *Quare interrogas nomen meum, quod est mirabile?* Et habetur hoc Genes., XXXII. Et vere hoc *nomen est mirabile, quod est super omne nomen,* ut dicitur Philipp., II, « quod est innominabile, quasi collocatum super omne nomen quod nominatur sive in isto sæculo, sive in futuro, » ut habetur Ephes., I. Et non solum laudatur in Scripturis Deus ut innominabilis, sed etiam ut « multorum nominum, » sicut quando ipse Deus inducitur dicens : *Ego sum qui sum,* Exod., III, 14 : *Et vita, et veritas;* Joan., XIV, 16 : *et lumen;* Joan., VIII, 12 : *et Deus;* Exod., III, 6 : *Ego sum Deus Abraham.* Et non solum ipsum inducunt ipsa nomina de se dicentem, sed etiam « ipsi » qui erant « periti circa deitatem, » ut apostoli et prophetæ, « laudant » Deum « ut omnium causam ex multis causatis. » Diversitatem horum causatorum quæ hic subjungit, non oportet hic distinguere, quia ista distinguentur in dictinctione capitulorum, cum ad certa capitula omnes effectus hujusmodi reducat. Laudant enim eum *sicut bonum,* Luc., XVIII ; *sicut pulchrum,* Cant., I ; *sicut sapientem,* Job, IV ; *sicut diligibilem,* Cant,, V ; *sicut Deum deorum,* Psalm. XLIX ; *sicut Sanctum sanctorum,* Daniel., IX ; *sicut æternum,* Baruch, III ; *sicut existentem,* Job, XIV, 4 ; *Nonne tu qui solus es? sicut causam sæculorum,* Eccli., XXIV ; *sicut vitæ largitorem,* Act., XVII ; *sicut sapientiam,* I Cor., I ; *sicut mentem,* Isa., XXIX (et alia translatio habet *intellectum) ; sicut rationem ;* Isa., LXIII, 1 : *Ego qui loquor justitiam;* ubi alia translatio habet : « Ego qui disputo justitiam. » Vel melius potest dici quod ratio in græco logos dicitur quod etiam signat verbum quod pluries in Scripturis invenitur. *Sicut cognitorem,* II Timoth., III ; *sicut præhabentem omnes thesauros universæ cognitionis,* Coloss., II ; *sicut virtutem,* I Cor., I ; *sicut potentem,* Psal. LXXXVIII ; *sicut Regem, regum,* Apocal., XIX ; *sicut veterem dierum,* Dan., VII ; *sicut sine senectute et invariabilem,* Jac., I ; *sicut salvationem,* Matth., I ; *sicut justitiam, sicut justificantem, sicut liberationem,* vel *redemptionem* secundum aliam translationem, I Cor., I ; *sicut magnitudinem cuncta excedentem,* Job, XXIII ; *sicut in aura subtili,* III Reg., XIX ; *et dicunt ipsum etiam esse in montibus,* sive *cordibus,*

[1] Parm. : « subduntur, » omisso « sensibiliter. »

Ephes., III; *in animabus,* Sap., VII; *et in corporibus,* I Cor., VI; *in cœlo et in terra,* Jerem., XXIII; *et simul in eodem,* id est quantum ad eamdem materiam dicunt *eumdem* esse *mundanum,* id est in mundo, Joan., I; *circa mundanum,* Eccli., XLIV; *supermundanum,* Isaiæ, ult., *et supercœlestem,* Psal. CXII, 4 : *Excelsus super omnes gentes Dominus, et super cœlos gloria ejus; supersubstantialem,* Matth., VI; *solem,* Malach., IV; *astrum,* id est stellam, Apocal., ult.; *ignem,* Deut., IV; *aquam,* Joan., III; *spiritum,* Joel, II; *et rorem,* Oseæ, ult.; *nubem,* Oseæ, VI; *lapidem,* Psal. CXVII; *petram,* I Cor., X; « et omnia alia existentia » ei attribuuntur sicut causæ, « et nihil existentium » est, inquantum omnia superexcedit. « Ita igitur » Deo, qui est « omnium causa, et » tamen « super omnia existens, convenit et » esse « innominabile » inquantum super omnia existit, et tamen conveniunt ei « omnia nomina existentium, » sicut omnium causæ; et rationem subjungit.

Ad cujus evidentiam considerandum est quod regimen universi est optimum. Ad bonitatem autem regiminis requiritur quod ille qui regit non sit omnino ab his qui reguntur alienus; sed cum eis aliquam convenientiam habeat, ut possit esse utilis, et ut tamen subditos superexcedat, ne sit contemptibilis, ut imperare possit : et hoc est quod dicit : « ut regnum totorum, » id est ut regimen universi, « sit diligenter, » id est optime procedat, « omnia sunt circa primam causam, » quasi ab ipsa secundum quamdam similitudinem derivata, « et ab ipsa sunt omnia segregata, sicut a causa, » propter quam omnia sunt; « sicut a principio, » a quo effluunt; « sicut a fine, » quem consequuntur; « et ipsa » per hunc modum « sic omnia in omnibus, » inquantum omnis perfectio omnium[1] est ipse Deus causaliter, « secundum eloquium; » hoc enim scriptum est I Corinth., XV.

Deinde cum dicit : « et vere laudatur omnium substantia principalis, » excludit quorumdam errorem. Fuerunt enim quidam platonici qui processiones perfectionum ad diversa principia reducebant, ponentes, unum principium esse vitæ, quod appellabant primam vitam; et aliud principium esse intelligendi, quod appellabant primum intellectum, et aliud existendi quod appellabant primum[2] ens, et bonum. Et ad hoc excludendum dicit quod « Deus vere laudatur ut principalis substantia omnium, inquantum est principinm existendi omnibus; et dicitur causa perfectiva omnium[3] » inquantum dat omnes perfectiones rebus, et dicitur causa contentiva, custodia et cibus; » quæ tria ad conservationem rerum pertinere videntur. Quædam enim sunt quæ non indigent nisi ut in suis principiis conserventur, quia ab exteriori corrumpi non possunt, ut corpora cœlestia; et quantum ad hoc dicit quod est « causa contentiva, » quia hæc continet in esse. Quædam vero sunt quæ, etsi non deficiant ex suis principiis, corrumpi possunt ab exteriori, sicut aqua ab igne; et quantum ad hoc dicit, « custodia, » quia hæc defenduntur a Deo ne præter ordinem suæ rationis ab illis corrumpantur. Quædam autem sunt quæ ad suis conservationem indigent supplementis, sicut homines et animalia cibis; et quantum ad hoc dicit, « cibus, » quia scilicet omnibus administrat ea quæ sunt necessaria ad suam conservationem. Est etiam et causa « conversiva ad ipsum, » quia hoc ipsum quod res convertuntur in Deum, desiderando[5] ipsum sicut finem, est eis a Deo. Et hæc omnia conveniunt Deo « unitive, » id est non secundum diversas virtutes, sed secundum unam simplicem virtutem, et « communicabiliter segregate, » quia ita communicat aliis causalitates prædictas, quod tamen quidam singularis modus causandi separatim remanet apud eum. Ideo autem sic diversimode laudatur ut causa, quia « non solum est causa continentiæ, » id est salvationis rerum, « aut vitæ aut perfectionis. » ut « bonitas » divina, « quæ est super omne nomen, nominetur, » id est debeat nominari, « a sola hac aut alia providentia, » id est causalitate; « sed » ipsa divina bonitas « præaccipit in seipsa omnia existentia simpliciter, » id est, non ita quod ex omnibus componatur, sed quæ in seipsis sunt multa composita, in Deo sunt unum « simpliciter et incircumfinite; » quia cum singula no-

[1] Cod. Vict. : « omnes perfectiones hominum est Deus. » — [2] Parm. omittit : « intellectum, et aliud existendi quod appellabant primum. » — [3] Parm. omittit : « omnium, inquantum est principium existendi omnibus; » et dicitur : « causa perfectiva omnium. » — [5] Parm. : « considerando. »

mina determinate aliquid significant distinctum ab aliis, venientia in divinam prædicationem, non significant illud finite, sed infinite ; sicut nomen sapientiæ prout in rebus creatis accipitur, significat aliquid distinctum a justitia, ut puta in determinato genere et specie existens ; sed cum in divinis accipitur, non significat aliquid determinatum ad genus et ad speciem seu distinctionem ab aliis perfectionibus, sed aliquid infinitum ; ideo et convenienter laudatur, et nominatur Deus « ex perfectissimis bonitatibus, » id est perfectionibus, quæ proveniunt rebus per providentiam illius supremæ causæ ; quæ cum sit una et eadem, est tamen diversorum, imo omnium causa, utpote cum nominatur nomine substantiæ, aut vitæ, aut alicujus hujusmodi, « et » etiam « nominatur ex universis existentibus » propter perfectiones in eis participatas, utpote si nominetur sol propter claritatem, et petra propter firmitatem, et sic de aliis.

Deinde cum dicit, « et quidem non istas solas theologi Dei nominationes commendant, » ponit tertium modum Dei nominationum, et dicit quod sancti « theologi non solas istas Dei nominationes » nobis « commendant » quæ sumuntur « a providentiis, aut provisis, perfectis, aut particularibus : » ut per providentias, intelligamus perfectiones rebus communicatas, ut bonitatem et sapientiam ; per provisa autem ipsas res participantes hujusmodi perfectiones, ut hominem aut solem, quorum perfectæ quidem providentiæ dicuntur quæ sunt universales, ut bonum, existens et hujusmodi; particulares autem quæ alicui generi rerum conveniunt, ut sapiens et justum. Sed contingit quod « aliquando nominant Dei bonitatem, » quæ est « supernominabilis » propter suum supersplendorem, « a quibusdam divinis apparitionibus, » id est imaginativis visionibus, quibus illuminati sunt « prophetæ aut magistri, » quod dicit propter eos qui agiographa conscripserunt, vel « in sanctis templis, » vel in quibuscumque aliis locis, et hoc « secundum diversas causas et virtutes. » Ex diversis enim rationibus diversæ apparitiones sunt factæ ; unde « circumponunt ei formas humanas, « aut igneas, aut electrinas, » et ad laudem ipsius describunt ei « oculos et aures, » et alia membra, et « circumponunt ei coronas, » et honores, et alia hujusmodi, quæ facile est considerare ex diversis Scripturæ locis. Et de hujusmodi Dei nominibus promittit se dicturum in libro *De symbolica theologia*, qui nondum apud nos habetur.

Deinde cum dicit : « Nunc autem quæcumque sunt præsentis negotii, ex eloquiis congregantes ...., ad reserationem intelligibilium Dei nominationum procedamus, » ostendit quomodo de divinis nominibus sit agendum, et circa hoc tria facit. Primo, ostendit de quibus divinis nominibus in hoc libro sit agendum ; secundo, quis modus doctrinæ servandus sit et quantum ad docentes et quantum ad audientes, ibi : « et quod semper secundum omnem theologiam hierarchica lex inducit, in Dei inspectiva deliberatione inspiciamus ; » tertio, exhortatur Timotheum, cui scribit, ad hoc observandum, ibi : « Igitur tibi quidem hæc custodire utile, o pulcher Timothee. » Dicit ergo primo quod nunc procedendum est in hoc libro ad manifestationem divinorum nominum intelligibilium, id est quæ non sumuntur a rebus sensibilibus symbolice, sed ex intelligibilibus perfectionibus procedentibus ab eo in creaturas, sicut sunt esse, vivere et hujusmodi ; ita quod congregentur quæcumque nomina ad præsens negotium pertinent, ex sacris Scripturis ; et quod his quæ dicta sunt in isto capitulo sit utendum sicut quadam regula, ad quam in toto præsenti opere oportet respicere. Cum enim præmissa sint tria genera Dei nominationum, de primo, qui est per remotionem , agitur in *Mystica theologia ;* de secundo, qui est per intelligibiles processiones, in hoc libro ; de tertio, qui est per sensibiles similitudines, in libro *De symbolica theologia.*

Deinde cum dicit : « Et quod semper secundum omnem theologiam hierarchica lex inducit, in Dei inspectiva deliberatione inspiciamus , » ostendit modum determinandi de divinis nominibus, cum dicit quod considerandum est « ut proprie dicamus » in hoc libro « contemplationes quibus Deus apparet. » Et dicit « proprie, » contra metaphoricas apparitiones. Et iterum inspiciendum est, quod ad manifestationes sanctorum Dei nominum admittantur « sanctæ aures, scilicet fidelium, qui pie et reverenter audiunt ; non infidelium, qui irrideant et blasphement ; ut sic « sancta collocemus in sanctis, secundum divinam traditionem, »

Deo præcipiente : *Nolite sanctum dare canibus,* Matth., VII, 6; ut sic auferantur sancta derisionibus indoctorum; imo magis ipsi homines, si qui sunt totaliter divinis resistentes, liberentur ab impugnatione Dei; ipsi enim deridendo divinis, non divina lædunt, sed seipsos. Et hoc, inquam, in hoc opere providendum est, « quia semper secundum omnem doctrinam theologicam lex hierarchica, » id est quæ per sacros principes traditur, « inducit, » id est præcipit aut exhortatur hæc esse observanda secundum quamdam deliberationem quæ non ex humana sapientia provenit, sed ex ipsa Dei circumspectione.

Deinde cum dicit : « Igitur tibi quidem hæc custodire utile, o pulcher Timothee, » inducit Timotheum ad hæc observanda, et dicit quod utile est ei prædicta custodire, sed ut ipse hæc sanctissime recordetur, et quod ea quæ sunt divina neque dicat, neque quocumque modo exportet, id est prodat, indoctis, scilicet infidelibus, vel quibuscumque indoctis, qui propter imperitiam non capientes irrident.

Ultimo autem in oratione determinat præsens capitulum, rogans Deum ut det ei cum Dei laude, secundum quod decet Deum, tradere diversas nominationes deitatis, quæ voce exprimi non potest nec nominari, et quod « non auferat verbum veritatis ab ore ejus. »

CAPUT SECUNDUM.

DE UNITA ET DISCRETA THEOLOGIA, ET QUÆ EST DIVINA UNITIO ET DISCRETIO.

LECTIO I.

Thearchicam totam essentiam, quodcumque est, per se bonitas determinans et manifestans ab eloquiis laudatur. Etenim quid aliud dicere est ex sancta theologia, quando dicit thearchiam ipsam narrantes dicere : *Quid me interrogas de bono? Nullus bonus nisi solus Deus.* Igitur hoc quidem et in aliis inquisitum, a nobis est demonstratum, omnes semper Deo convenientes Dei nominationes non particulariter, sed in tota et perfecta et integra et prima deitate ab eloquiis laudari, et omnes ipsas simpliciter absolute et inobservate totaliter universæ totalitati perfectæ, et omnis deitatis apponi; et quidem sicut in *Theologicis hypotyposibus* memoravimus, si non de tota deitate dicat aliquis hoc dictum esse, et audet abscindere inconvenienter superunitam unitatem. Dicendum igitur quod et ipsum bonum natura verbum dixit : *Ego sum bonus,* et quidam Deus acceptorum prophetarum laudat spiritum bonum; et rursum : *Ego sum qui sum.* Si non de tota dixerint deitate laudari, secundum autem unam partem, ipsum circumscribere conentur, quomodo audient : *Hæc dicit qui est, qui erat, qui venturus est omnipotens,* et : *Tu autem ipse es,* et : *Spiritus veritatis qui est qui a Patre procedit?* Et si non totam thearchiam dicunt esse vitam, quomodo verum quod dixit sanctum Verbum : *Sicut Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat,* et quod *Spiritus sanctus est qui vivificat?* Quoniam autem et dominationem totorum habet tota deitas, de deigena deitate quidem, aut filiali, neque dicere est, sicut arbitror, in quot locis theologiæ in Patre et Filio frequentatur Dominus. Sed et Dominus Spiritus sanctus est; et pulchrum et sapiens in tota deitate laudatur, et lumen, et deificum, et causa, et omnia quæcumque totius thearchiæ sunt, ad omnem reducunt eloquia thearchicam laudationem : comprehensive quidem sicut quando dicunt omnia ex Deo; diffusive autem, sicut quando dicunt : *Omnia per ipsum et in ipso facta sunt,* et : *Omnia in ipso consistunt,* et : *Emitte Spiritum tuum, et creabuntur;* et, ut summatim dicat aliquis, ipsum thearchicum dixit Verbum : *Ego et Pater unum sumus,* et : *Cuncta quæcumque habet Pater, mea sunt;* et : *Cuncta mea tua sunt, et tua mea;* et rursum quæcumque sunt Patris ipsius, thearchico Spiritui communicative et unitive attribuit, divinas operationes, honorem, fontanam et indeficientem causam, et distributionem benignorum donorum. Et nullum in divinis eloquiis non perversis intentionibus conversatorum arbitror ad hæc contradicere, quoniam Deo convenientia omnia toti thearchiæ insunt secundum perfectum in Deo verbum. Igitur istis a nobis breviter quidem in his, et particulariter, in aliis autem sufficienter ex eloquiis demonstratis et determinatis; quamcumque Dei nominationem totaliter reserare conemur, in tota deitate ipsam recipere convenit. Si autem quis dicat confusionem nos inducere in isto contra divisionem Deo convenientem, talem sermonem nos non arbitramur ipsum persuadere sufficientem, quod est verus. Si enim aliquis quidem est qui totaliter eloquiis resistat, longe omnino erit et a nostra philosophia; et si non ipsi cura est Dei venerationis ex eloquiis, quomodo nobis cura sit illius manuductionis ad theologicam scientiam? Si autem ad eloquiorum veritatem respicit, hoc et nos canone et lumine utentes, ad excusationem, sicut possumus, indeclinabiliter vadimus, dicentes quod theologia quædam quidem tradit unitive, quædam autem discretive; et neque unita licet dividere, neque discreta confundere, sed sequentes ipsam, secundum virtutem ad divinos splendores convenit respicere; etenim inde divinas manifestationes assumentes, sicut quemdam canonem veritatis optimum[1], ibi posita custodire in nobis ipsis non multiplicata et non minorata et non perversa studemus, in sanctorum custodia custoditi, et ab ipsis ad custodiendum custodientes ipsas confirmati. Igitur unita quidem totius deitatis sunt, sicut in *Theologicis*

[1] Al. : « ibi posita sanctorum custodiri, et ab ipsa ad custodiendos custodientes ipsa confirmari. »

hypotyposibus per plura ex eloquiis demonstravimus, superbonum, superdeum, supersubstantiale, supervivens, supersapiens, et quæcumque excedentis sunt remotionis, cum quibus et causalia omnia, bonum, pulchrum, existens, vitæ generativum, sapiens, et quæcumque ex benignis ipsius donis omnium bonorum causa nominatur. Discreta autem, Patris supersubstantiale nomen et usus, et Filii, et Spiritus, nulla in istis conversione, aut totaliter communione superinducta. Est autem rursus cum hoc discretum secundum nos Jesu perfecta et invariabilis essentia, et quæcumque secundum ipsam sunt benignitatis substantialia mysteria.

Postquam Dionysius in præcedenti capitulo tradidit modum procedendi in opere, et rationem divinorum nominum, in hoc secundo capitulo intendit ostendere quod divina nomina, de quibus in hoc libro agitur, communia sunt toti Trinitati ; et ideo capitulum istud intitulatur « De unita et discreta theologia, » quia in hoc capitulo traditur quæ dicantur communiter de tota Trinitate, et quæ de distinctis personis. Et traditur etiam in eodem capitulo quæ sit ratio communitatis et distinctionis in divinis, quod ad secundam partem tituli pertinet, cum dicit : « Et quæ est divina unitio et discretio. » Dividitur autem istud capitulum in duas partes . In prima ostendit quæ dicantur communiter et quæ distinctim in Trinitate; in secunda assignat rationem communitatis et distinctionis, ibi : « Oportet autem, ut arbitror, magis resumentes nos perfectum divinæ et unitionis et discretionis exponere modum, ut nobis conspicuus omnis fiat sermo. » Circa primum duo facit. Primo, ostendit quod nomina divina, de quibus in hoc libro agendum est, in tota Trinitate accipienda sunt ; in secunda removrt objectionem in contrarium factam, ibi : « Si autem aliquis dicit confusionem nos inducere in isto contra divisionem Deo convenientem, talem sermonem nos non arbitramur ipsum persuadere sufficientem, quod est verus. » Circa primum tria facit. Primo, ponit veritatem intentam ; secundo, probat eam, ibi : « Et quidem sicut in *Theologicis hypotyposibus* memoravimus ; » tertio, excusat se a diligentiori probatione, ibi : « Igitur istis a nobis breviter quidem, in his et particulariter, in aliis autem sufficienter ex eloquiis demonstratis et determinatis, quamcumque Dei nominationem totaliter reserare conemur.

Dicit ergo primo quod per « se bonitas laudatur ab eloquiis, » id est sacris Scripturis, « sicut determinans, » id est distinguens ab aliis, « et manifestans totam » divinam « essentiam, quodcumque est, » quia cuicumque convenit divina essentia, convenit ei per se bonitatem esse, et e converso. Et hoc probat per hoc quod in sancta Scriptura inducitur ipsa divinitas in persona Filii dicens : *Quid me interrogas de bono? Nullus bonus nisi solus Deus,* ut habetur Luc., xviii, 19[1], quod intelligendum est de bonitate per se. Et quia est de nomine bonitatis, « igitur » et in aliis libris post inquisitionem demonstrandum est a nobis, quod omnia nomina Deo convenientia laudantur in sacris Scripturis, « non particulariter, » quasi uni soli perfecte convenientia, sed « in » Trinitatis « tota et perfecta et integra et prima deitate. » Totum autem hic non accipitur secundum quod ex partibus componitur (sic enim deitati congruere non posset, utpote ejus simplicitati repugnans) ; sed prout secundum Platonicos totalitas quædam dicitur ante partes, quæ est ante totalitatem quæ est ex partibus, utpote si dicamus quod domus quæ est in materia, est totum ex partibus, et quæ præexistit in arte ædificatoris, est totum ante partes, Et in hunc modum tota rerum universitas, quæ est sicut totum ex partibus, præexistit sicut in primordiali causa in ipsa deitate, ut sic ipsa deitas Patris, et Filii, et Spiritus sancti dicatur tota, quasi præhabens in se universa. Similiter quod dicit « perfecta, » non est acaccipiendum secundum modum significationis vocabuli, quo perfectum dicitur quasi complete factum, sicut perambulasse nos dicimus quando ambulationem complevimus ; unde quod non est factum, non potest secundum hanc rationem dici perfectum ; sed quia res quæ fiunt, tunc ad finem suæ perfectionis perveniunt quando consequuntur naturam et virtutem propriæ speciei. inde est quod hoc nomen « perfectum » assumptum est ad significandum omnem rem quæ attingit propriam virtutem et naturam. Et hoc modo divinitas dicitur perfecta, inquantum maxime est in sua natura et virtute. Integrum autem et per-

[1] Ibi : *Quid me dicis bonum ?* Hæc autem ipsa verba leguntur Matth., xix, 17.

fectum idem videntur esse ; differunt tamen ratione, nam perfectum videtur dici aliquid in attingendo ad propriam naturam; integrum autem per remotionem diminutionis, sicut dicimus aliquem hominem non esse integrum, si postquam attigit propriam naturam, aliquo membro mutiletur. Et quia a deitate Trinitatis nihil subtrahi potest, ad hoc significandum addidit : « integra. » « Prima » additur[1] ad significandum quod deitas trium personarum non est deitas participata; primum enim dicitur quod est imparticipatum, sicut per se deitas et per se bonitas. Et videntur esse posita ad excludendum errorem Origenis et Arii, qui posuerunt deitatem Filii esse participatam. Et ut ostendat quod Dei nomina non solum communiter dicuntur de tribus personis, sed æqualiter et eodem modo subjungit quod et « demonstratum est, omnes prædictas nominationes apponi, » id est attribui, « universæ totalitati perfectæ et omnis, » id est totius « deitatis; » ut quod dicit « universæ, » referatur ad numerum personarum, alia vero ad perfectionem essentiæ; et hic « simpliciter » respondet ei quod dixerat « prima, » nam ea quæ sunt imparticipata dicuntur simpliciter; ea vero quæ sunt participata, bona particulariter dicuntur, secundum Augustinum : « Tolle hoc et illud, et videbis bonum omnis boni. » « Absolute, » quod respondet ei quod dixerat « integra; » nam ea quæ sunt corrupta, non possunt absolute nominari integra[2], sicut homo mortuus non dicitur absolute homo. « Inobservatim, » id est, absque reliqua observantia distinctionis, quod respondet ei quod dixit « perfecta; » nisi enim esset perfecta deitas in qualibet personarum, oporteret observare qualiter aliquid diceretur de una persona, et qualiter de alia.

Deinde cum dicit : « Et quidem sicut in *Theologicis hypotyposibus* memoravimus, » probat quod supposuerat; et primo, specialiter dicitur de quibusdam nominibus; secundo, de omnibus, ibi : « Et ut summatim dicat aliquis. » Dicit ergo primo quod, « sicut commemoratum est in libro *De theologicis hypotyposibus*, si aliquis dicat hoc » quod dictum est : *Nullus bonus nisi solus Deus*, « non esse dictum de tota deitate, » id est de omnibus personis, et per hoc præsumat errorem, dividere audens « unitatem » unitatis divinæ, dicendum est contra eum « quod et ipsum Verbum, » id est Dei Filius, tanquam naturaliter bonitatem habens, dixit Joan., x, 11 : *Ego sum pastor bonus;* et in Psalmis dicitur (nempe Psal. CXLII, 10) : *Spiritus tuus bonus;* et similiter si aliquis hoc quod dicitur Exod., III : « *Ego sum qui sum,* non dixerit laudari de tota Trinitate, » id est de omnibus personis, sed de una tantum; quomodo accipiet hoc quod dicitur Apoc., I, 8, de Filio : *Hæc dicit qui est, et qui erat, et qui venturus est omnipotens;* et quod introducit Apostolus de Filio, Hebr., I, 12 : *Tu autem idem ipse es;* et de Spiritu sancto, Joan., XV, 26 : *Et Spiritus veritatis, qui est, qui a Patre procedit,* licet littera nostra non habeat *qui est.* Et similiter si aliquis dicat quod non tota divinitas est vita, quomodo verum est quod Dei Filius dixit, Joan., V, 21 : *Sicut Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat;* et ibid., VI, 64 : *Spiritus est qui vivificat?* Et quod tota deitas habeat omnium dominationem, non posset dici « in quot locis » sacræ Scripturæ « frequentatur » hoc nomen « Dominus de Patre et Filio ; » et hoc ut loquamur « de deigena deitate » Patris, « aut filiali » Filii. Sed et *Spiritus Dominus est,* ut dicitur II Corinth., III. Et similiter « pulchrum et sapiens » in omnibus personis deitatis laudatur, « et lumen, et deificum, et causa, et omnia quæcumque sunt totius deitatis, » sacra eloquia deducunt ad omnem laudationem divinam, quandoque quidem simul comprehendendo, quod convenit omnibus personis, ut cum dicitur : Omnia sunt ex Deo; quandoque autem distinctim de una persona, sicut cum dicitur de Filio, Col., I, 16 : *Omnia per ipsum et in ipso facta sunt, et in ipso consistunt,* et in Psalmis (Psalm. CIII, 30) : *Emitte spiritum tuum, et creabuntur.*

Deinde cum dicit : « Et ut summatim dicat aliquis, » ostendit propositum communiter de omnibus Dei nominibus, dicens quod in summa dicatur de omnibus Dei nominibus, « ipsum Dei Verbum. » « Dixit, » Joan., x, 30 : *Ego et Pater unum sumus,* per quod ostenditur quod quæcumque dicuntur de Filio, et de Patre dicuntur; et Joan., XVI, 15 : *Et cuncta quæ habet Pater,*

[1] Parm. : « prima » autem. » — [2] Parm. omittit : « integra. »

mea sunt; et similiter « quæcumque sunt Patris et Filii, » sacra Scriptura « attribuit » communiter et unite divino Spiritui, « divinas operationes, honorem » divinum, « fontanam et indeficientem causam, et distributionem benignorum donorum. » Et hæc omnia habentur I Cor., XII, 11 : *Hæc omnia operatur unus atque idem spiritus.* Et hæc adeo vera sunt quod « nullum » assuetum « in divinis eloquiis, » qui non habeat corruptam intentionem in eis, « arbitror ad hæc contradicere ; » quod scilicet omnia nomina Deo convenientia insunt toti deitati secundum perfectum modum loquendi de Deo.

Deinde cum dicit : « Igitur istis a nobis breviter quidem in his et particulariter, in aliis autem sufficienter ex eloquiis demonstratis et determinatis, quamcumque Dei nominationem et taliter reserare conemur, in tota deitate ipsam recipere convenit, » excusat se a diligentiori inquisitione prædictorum, et dicit quod ista breviter et particulariter hic sunt determinata et demonstrata [1] ex sacris Scripturis, sed in alio libro sufficientius. Unde quamcumque Dei nominationem conabimur exponere in præsenti opere, oportet ipsum nomen recipi in tota deitate, id est in omnibus personis, et ad hoc inducitur totum præsens capitulum.

Deinde cum dicit : « Si autem aliquis dicat, confusionem nos inducere in isto ..., talem sermonem nos non arbitramur ipsum persuadere sufficientem, quod verus est, » excludit objectionem ; et primo, ponit objectionem; secundo, modum solvendi, ibi : « Si enim aliquis quidem est qui totaliter eloquiis resistat, longe omnino erit et a nostra philosophia. » Posset autem aliquis objicere quod per hoc quod omnia nomina quæ dicuntur de Patre, attribuuntur Filio et Spiritui sancto, tollitur omnino distinctio personarum, et inducitur confusio in divinis personis, quæ Deo non convenit. Sed ipse dicit quod si quis hoc objiciat, non est arbitrandum quod sermo ejus sufficiens sit ad persuadendum quod verum dicat ; non enim per hoc tollitur distinctio personarum.

Deinde cum dicit : « Si enim aliquis quidem est qui totaliter eloquiis resistat, longe omnino erit et a nostra philosophia, » ponit modum solvendi, dicens quod si ille qui sic objicit, totaliter contradicit sacris Scripturis, talis omnino elongatus est a nostra sapientia. Non enim [2] ad theologum pertinet probare ea quæ sunt fidei ei qui Scripturas non recipit, cum fides sit supra rationem. Unde si ipse non habet curam ut veneretur divina eloquia, quomodo nobis potest esse cura ut manuducamus eum ad divinam scientiam? Quia in scientiis philosophicis ita est, quod nullus sapiens disputat contra negantem principia suæ artis. Sed si aliquis sic objiciens velit respicere ad veritatem sacrorum eloquiorum, nos utentes sacra Scriptura quasi quadam regula, et lumine manifestante veritatem, procedimus, non [3] declinantes a sacra Scriptura, ad excusandum nos a prædicta objectione ; et dicimus quod sacra Scriptura quædam tradit communiter de tribus personis, quædam distinctim; et neque ea quæ sunt communia licet distinguere, neque ea quæ sunt distincta confundere, sed sequendo sacram Scripturam, secundum nostrum posse, convenit nos respicere ad divinas veritates, quia nos a sacra Scriptura recipientes manifestationem Dei, ea quæ in sacra Scriptura sunt posita, oportet nos custodire, sicut quamdam optimam regulam veritatis, ita quod neque multiplicemus addentes, neque minoremus subtrahentes, neque pervertamus, male exponentes, quia dum nos custodimus sancta, ab ipsis custodimur, et ab ipsis confirmamur ad custodiendum eos qui custodiunt sancta. Oportet enim non solum conservare ea quæ in sanctis Scripturis sunt tradita, sed et ea quæ dicta sunt a sacris doctoribus, qui sacram Scripturam illibatam conservaverunt.

Deinde cum dicit : « Igitur unita quidem totius deitatis sunt, » manifestat positam solutionem quantum ad hoc quod dixit quod sacra Scriptura quædam tradit de Trinitate unite, et quædam discrete; et dicit quod « unita totius deitatis, » id est communia toti Trinitati, ut dictum est in libro *De divinis hypotyposibus,* et probatur per multas auctoritates a sacris Scripturis acceptas, sunt duo genera rationum [4]. Primo quidem ea quæ dicuntur de Deo remotive per excellentiam quamdam, ut « superbonum, supersubstantiale, supervivum,

[1] Parm. omittit : « demonstrata. » — [2] Al. omittitur « enim. » — [3] Cod. Victor. : « sed non declinando. » — [4] Cod. Vict. : « nominum. »

supersapiens, » et quæcumque alia dicuntur de Deo per remotionem propter sui excessum, « cum quibus, » dico connumeranda sunt « omnia » nomina « causalia, » id est quæ designant Deum ut principium processionis perfectionum quæ emanant ab ipso in creaturas, scilicet bonum, pulchrum, existens, vitæ generativum, sapiens, » et quæcumque alia per quæ causa omnium bonorum nominatur ex dono suæ bonitatis. Et ex hoc potest accipi regula magistralis, quod omnia nomina designantia effectum in creaturas, pertinent ad divinam essentiam. « Discreta autem nomina, » id est pertinentia distinctim ad tres personas, sunt « nomen Patris substantiale, » vel hypostaticum [1], id est personale, « et usus [2] » Patris, id est actus ejus, qui est generatio, et similiter nomen « Filii, » et actus, qui est generari, et nomen « Spiritus sancti, » et actus ejus, qui est processio, ita quod in talibus nulla debet superinduci conversio; ut si diceretur quod Pater generat Filium, et e converso, aut qualiscumque communio, ut si diceretur quod Pater et Filius generant aliquam aliam personam. Et similiter distinctim ad divinas personas pertinet mysterium Incarnationis, quia sola persona Filii est incarnata; et hoc est quod dicit quod cum prædictis « discretum est, » quia « perfecta et invariabilis essentia Jesu, » secundum naturam deitatis, « est secundum nos » per unitionem humanitatis, et « quæcumque » alia « substantialia, » id est personalia, « mysteria » pertinent ad benignitatem Incarnationis.

LECTIO II.

Quæ sit unitio et discretio in divinis.

Oportet autem, ut arbitror, magis resumentes, nos perfectum divinæ unitionis et discretionis exponere modum, ut nobis conspicuus omnis fiat sermo; varium quidem omne et non planum respuens; discrete autem et plane et ordinate propria secundum virtutem terminans. Vocant enim quod et in aliis dixi, nostræ theologicæ traditionis sancti magistri unitiones quidem divinas, quæ sunt superineffabilis et superignotæ singularitatis, occultas et inegressibiles [3], supercollocationes; discretiones autem bono convenientes thearchiæ et processiones et manifestationes, et dicunt (sancta eloquia sequentes) et dictæ unitionis proprias, et rursus discretionis quasdam esse proprias et unitiones et discretiones. Sicut in unitione divina, id est supersubstantialitate, unitum quidem est principali Trinitati, et commune, supersubstantialis essentia, superdea divinitas, superbona bonitas, quæ est super omnia identitas totalis proprietatis existentis super omnia, super principatum unitas, ineffabile, multi luminis ignorantia, perfecte non intelligibile, omnium positio, omnium ablatio, quod est super omnem et positionem et ablationem, mansio principalium personarum in se invicem, si ita oportet dicere, et collocatio totaliter superunita. Quemadmodum lumina luminarium, ut sensibilibus et propriis utar exemplis, existentia in domo una, et tota in se invicem totis sunt, et diligentem habent ad se invicem discretionem proprie subsistentem, unita discretione, et unitione discreta. Et quidem videmus, in domo multis existentibus luminaribus, ad unum quoddam lumen unita omnium lumina, et una claritate indiscreta resplendentia, et nullus, ut arbitror, possit hujus luminaris lumen ab aliis ex aere omnia lumina continente discernere, et videre unum sine altero, totis in totis sine mixtione concretis. Sed etiam si unum aliquis luminarium educat a domo coegreditur et proprium universum lumen, nihil aliorum luminum convellens in seipso aut sui ipsius aliis derelinquens. Erat enim ipsorum, quod dixi, totorum ad tota perfecta unitio, non mixta universaliter, et nulla parte confusa, et hæc totaliter in corpore aere, et ex materiali igne pendente lumine. Ibi autem supersubstantialem unitionem collocari dicimus non super solas unitiones quæ sunt in corpore, sed et super illas quæ sunt in animabus ipsis, et in ipsis mentibus, quas habent non mixtæ et supermundanæ, tota per tota deiformia et supercœlestia lumina, secundum participationem unitionis ab omnibus supersegregatæ proportionalem participantibus. Est autem et discretio in supersubstantialibus theologiis, non quam dixi tantum quod secundum ipsam unitionem immixte et inconfuse collocatur unaquæquæ principalium personarum, sed quod et ea quæ sunt supersubstantialis Dei fecunditatis, non convertuntur ad se invicem. Solus autem fons supersubstantialis deitatis est Pater, nec Filius est Pater, nec Pater est Filius, custodientibus hymnis propria religiose unicuique thearchicarum personarum. Iste quidem sunt secundum ineffabilem et unitionem et essentiam, et unitiones et discretiones.

« Oportet autem, ut arbitror, magis resumentes, nos perfectum divinæ unitionis et discretionis exponere modum. » Quia in solutione objectionis supra positæ dixerat quod theologia de divinis personis quædam tradit unitive, et quædam discretive, intendit hic exponere qualis sit unitio et discretio in divinis; et primo, exponit secun-

[1] Parm. : « hypostasis. » — [2] Parm. : « visus. » — [3] Parm. : « irregressibiles, » hic et infra.

dum quod possibile est; secundo, dicit quod non potest totaliter et perfecte a nobis exponi, ibi : « Sed harum quidem et unitionum et discretionum, quascumque in eloquiis Deo convenientes causas invenimus, in *Theologicis hypotyposibus* propria de unoquoque tractantes, sicut erat possibile, exposuimus. » Circa primum duo facit. Primo, tradit modum secundum quem exponere intendit; secundo, secundum illum modum exponit, ibi : « Vocant enim quod et in aliis dixi, nostræ theologicæ traditionis sancti magistri unitiones divinas ... occultas et inegressibiles supercollocationes. »

Dicit ergo quod ad pleniorem intellectum præmissæ solutionis, oportet, secundum ejus arbitrium, « magis exponere perfectum modum divinæ unitionis et discretionis, resumentes » solutionem a principio; ita « ut omnis sermo » noster circa hoc « fiat conspicuus, » id est manifestus. Ad quod consequendum duo ponit vitanda et tria observanda. Vitandum enim est, sive respuendum, « omne varium » confusum et permixtum. Cum enim aliquis diversa confuse et indistincte dicit, oportet quod nunc de hoc, nunc de illo loquatur, et sic in sermone apparet varietas. Respuendum est omne « non planum, » id est obscurum; quod quidem potest contingere, si intelligibilia tradantur absque sensibilium exemplorum manuductione, vel si per verba inusitata, aliqua manifesta veritas[1] traderetur. Contra hæc autem duo ponit duo observanda, ut scilicet sermo ejus determinet, « secundum virtutem » loquentis, « propria, » id est connaturalia nobis; « discrete, » contra hoc quod dixerat « varium; et plane, » contra hoc quod dixerat « non planum; » et addit tertium, scilicet « ordinate. » Oportet enim ad hoc quod doctrina sit manifesta, ut procedatur secundum ordinem disciplinæ, a manifestioribus incipiendo, et ab his per quorum cognitionem alia cognoscuntur. Promittit etiam se expositurum perfectum modum divinæ unitionis et discretionis, quia assignabit modos omnes secundum, quos unitio et discretio possunt accipi in divinis, non autem quod ipsum modum, secundum quod in Deo perfectus est, manifestare possit; hoc enim supra virtutem nostram est, ut infra probabit.

Deinde cum dicit : « Vocant enim quod et in aliis dixi, nostræ theologicæ traditionis sancti magistri unitiones quidem divinas quæ sunt superineffabilis et superignotæ singularitatis, occultas et irregressibiles supercollocationes, » prosequitur expositionem unitionis et discretionis divinæ; et primo, quantum pertinet ad deitatem; secundo, quantum pertinet ad humanitatem Christi, ibi : « Discretum autem est a benigna ad nos divina operatione secundum nos, ex nobis totaliter et vere substantiam factum esse supersubstantiale Verbum. » Circa primum duo facit. Primo, exponit duos modos unitionis et discretionis; secundo, subdit utrumque, ibi : « dicunt sancta eloquia sequentes, et dictæ unitionis proprias, et rursus discretionis quasdam esse proprias et unitiones et discretiones. » Circa primum duo facit. Primo, exponit communem modum unitionis; secundo, communem modum discretionis, ibi : « Discretiones autem bono convenientes thearchiæ, « et processiones et manifestationes. » Dicit ego primo quod, sicut in aliis suis libris dixerat, scilicet in libro *De divinis hypotyposibus,* « sancti magistri nostræ theologicæ traditionis, » id est christianæ doctrinæ, scilicet apostoli et eorum disciputi, « vocant unitiones divinas quasdam occultas et inegressibiles supercollacationes, divinas quæ sunt singularitatis divinæ superineffabiles et superignotæ[2].

Ad cujus evidentiam considerandum est quod cum omnis multitudo rerum a principio primo effluat, primum principium, secundum quod in se consideratur, unum est; secundum autem emanationem qua ab eo procedit multitudo, jam invenitur a quo primum principium distingui possit, quia ratio multitudinis in distinctione consistit. Considerare igitur primum principium, secundum quod in se est, hoc est considerare unitionem ipsius; et hanc existentiam primi principii in seipso « supercollocationem » vocat, et nominat hanc supercollocationem et occultam et inegressibilem[3]; « occultam, » quia intantum Deus potest a nobis cognosci, inquantum participationes suæ bonitatis cognoscimus;

[1] Parm. : « aliqua manifesta traderentur. » — [2] Parm. omittit : « divinas, quæ sunt singularitatis divinæ superineffabiles et superignotæ. » — [3] Parm. hic et infra : « ingressibilem. »

secundum autem quod est in se, est nobis occultus; « inegressibilem » autem dicit, quia secundum quod in seipso est primum principium, nulli communicatur, et sic quasi a seipso non egreditur; et propter hoc et ipsam divinitatem sic consideratam, per excellentiam distinguentem ipsam ab omnibus vocat « singularitatem, » quia singulare est quod est incommunicabile.

Deinde cum dicit : « discretiones autem bono convenientes thearchiæ et processiones et manifestationes, » exponit per oppositum communem modum discretionum; et dicit quod prædicti magistri vocant « discretiones processiones et manifestationes » deitatis, quæ conveniunt ei inquantum ipsum bonum, quia de ratione boni est quod ab eo procedant effectus per ejus communicationem.

Et considerandum quod contra id quod supra dixerat « occultas et inegressibiles, » satis congrue posuit « processiones et manifestationes, » quia per effectus progredientes ab ipso manifestatur, et quodammodo ipsa deitas in effectus procedit, dum sui similitudinem rebus tradit secundum earum proportionem; ita tamen quod sua excellentia et singularitas sibi remanet, incommunicata rebus, et occulta nobis. Hæ igitur processiones vocantur discretiones, quia nisi a primo principio alia effluerent, non haberet primum principium a quo discerneretur.

Deinde cum dicit : « Et dicunt sancta eloquia sequentes, et dictæ unitionis proprias, et rursus discretionis quasdam esse proprias et unitiones et discretiones, » subdit utrumque dictorum modorum; et primo ponit subdivisionem; secundo manifestat eam, ibi : « sicut in unitione divina. » Dicit ergo primo quod illi qui sequuntur sacras Scripturas, et sequuntur proprias rationes prædictæ unitionis, et iterum prædictæ discretionis, dicunt quod tam in prædicta unitione communi sunt quædam propriæ unitiones et discretiones, quam etiam in prædicta communi discretione.

Deinde cum dicit : « sicut in unitione divina, » exponit subdivisionem; et primo, ostendit quomodo in prædicto modo unitionis communi sit quædam unitio et discretio; secundo, ostendit quod etiam in discretione prædicta est unitio et discretio, ibi : « Est autem et discretio in supersubstantialibus theologiis. » Circa primum duo facit. Primo, ostendit quomodo in prædicta unitione sit propria unitio; secundo, quomodo in prædicta unitione sit discretio, ibi : « Mansio personarum in se invicem. »

Ad intellectum ergo hujus partis, considerandum est quod cum supra acceperit rationem unitionis divinæ ex eo quod Deus in seipso secundum suam excellentiam consideratur, ista consideratio est duplex. Potest enim considerari ista superexcellens Dei essentia in seipso, vel secundum essentiam, et sic est unitum, et commune toti Trinitati, vel secundum quod una divinarum personarum est in alia, et sic in unitione invenitur discretio. Hoc est ergo quod dicit : « Sicut in unitione divina, id est supersubstantialitate, » quasi dicat : Sic accipio modo unitionem divinam secundum communem rationem unitionis supra positam secundum quod ratio unitionis consistit in quadam excellentia deitatis. In hac, inquam, unitione communi, « est unitum et commune principali Trinitati » quidquid ad superexcellentiam essentiæ divinæ pertinet, et per hoc dat intelligere quod ratio unitatis propriæ, quam nunc exponit, nihil est aliud quam esse commune tribus personis; et exemplificat, sicut « essentia supersubstantialis, divinitas superdea, » id est super modum deitatis communicatæ rebus; et « bonitas superbona, » et identitas quæ est super « omnia, » secundum quam scilicet Deus est idem sibi, et « unitas, super principatus; » unitas, inquam, « totalis proprietatis, existentis, » scilicet, « super omnia. » Et hoc dicit, quia unum habet rationem principii. Unum autem est unum quodcumque[1] secundum quod in seipso indivisum est. Hoc autem est illud quod retinet proprietatem suæ naturæ. Quasi dicat quod ipse inquantum est unitas, est principium super omne principium, habens in se suam proprietatem, qua supra omnia existit. Ad hanc etiam excellentiam est et quod a nobis ignoratur propter excellentiam sui « luminis, » et quod a nullo intellectu est perfecte « intelligibilis, » id est comprehensibilis, et quod de eo omnia possunt affirmari et omnia negari, secundum modum in

[1] Parm. omittit : « quodcumque. »

præcedenti capitulo expositum, cum tamen ipse sit super omnem affirmationem et negationem; est enim super omnem intellectum nostrum, qui affirmationes et negationes componit.

Deinde cum dicit : « Mansio principalium personarum in se invicem, si ita oportet dicere, et collocatio totaliter superunita, » exponit quomodo discretio est in communi modo unitionis, quæ est super excellentiæ collocationem, et circa hoc tria facit. Primo, ponit quod intendit; secundo, manifestat propositum per exemplum sensibile, ibi : « Quemadmodum lumina, » etc. ; tertio, ostendit exemplum esse deficiens a tanta rei repræsentatione, ibi : « Et hæc totaliter, » etc. Dicit ergo quod « mansio principalium personarum in se invicem, » id est secundum quod una divinarum personarum est in alia, « et collocatio » unius in aliam, « si ita oporteat nominari, » cum distinctionem importet, « tamen est totaliter superunita, » id est pertinens ad illam unitionem excellentiæ, de qua supra dictum est.

Deinde cum dicit : « Quemadmodum lumina luminarium ..... existentium in domo una, » manifestat per exemplum sensibile, quod in prædicta unitione possit esse discretio : in quo quidem exemplo tria facit. Primo, ponit exemplum sensibile, in quo dicit esse simul unitionem et discretionem; secundo, ostendit quod in illo exemplo sit unitio, ibi : « Et quidem videmus in domo, multis existentibus luminaribus, ad unum quoddam lumen unita omnium lumina ; » tertio, quod in eo sit discretio, ibi : « Sed et si unum aliquis luminarium educat e domo, coegredietur et proprium universum lumen. » Dicit ergo primo quod, « ut utamur exemplis sensibilibus et propriis nobis, lumina » plurimum « luminarium existentium in domo una, et tota sunt invicem in se totis, et tamen habent diligentem, » id est optimam et perfectam « discretionem ad se invicem proprie subsistentem, » et sic plura lumina sunt « unita » cum « discretione et discreta » cum « unitione. »

Deinde cum dicit : « Et quidem videmus in domo, multis existentibus luminaribus, ad unum quoddam lumen unita omnium lumina, » ostendit quod prædicta lumina habeant unitionem ad invicem ; et dicit quod « videmus, multis luminaribus existentibus in domo una, omnium » luminarium « lumina » esse unita ad unum quidem lumen, quia in eadem parte aeris, omnium luminarium lumina[1] resplendent, et hoc est quod subdit : « et una claritate indiscreta, » id est indistincta, secundum locum, vel subjectum, resplendentia; « et nullus, ut arbitror, posset lumen hujus luminaris, in aere » secundum quod continet omnia lumina, « discernere ab aliis, » et videre alterum eorum sine altero, propter hoc quod totum unum lumen est concretum alteri « sine mixtione, » tollente scilicet discretionem.

Deinde cum dicit : « Sed et si unum aliquis luminarium educat e domo, coegredietur et proprium universum lumen, » ostendit quod maneat ibi discretio, quia si aliquis educat unum de luminaribus, utpote unam candelarum, simul egreditur cum illo totum proprium lumen, quod ex luminari illo in domo erat, quod ex hoc patet, quod lumen in domo minoratum invenietur ; ita tamen quod lumen egrediens non simul secum avellet aliquod aliorum luminum, nec etiam aliquid sui cum aliis luminibus derelinquet, quod esse non[2] posset si esset facta mixtio luminum ; utpote, si aqua cineri aut farinæ misceatur, non potest extrahi tota quin aliquid remaneat farinæ aut cineri immixtum, et quin etiam de cineribus aut farina deperdatur, vel simul egrediatur. Sed quod hoc in luminibus non contingit, ideo est, quia « erat totorum » luminum « ad tota perfecta conjunctio » absque omni mixtione, et nulla partium confusione existente.

Est autem hic considerandum quod de lumine duplex fuit opinio physicorum. Quidam enim dixerunt lumen esse corpus ; et secundum hanc opinionem satis plane videtur procedere exemplum inductum. Sic enim hic[3] loqui videtur Dionysius de pluribus luminibus ex diversis luminaribus in uno aere procedentibus, sicut si loqueretur de pluribus corporibus, et præcipue propter hoc quod dicit quod « habent discretionem subsistentem » (subsistere enim est substantiarum tantum), et propter hoc etiam quod dicit[4] : quod unum

[1] Parm. omittit : « esse unita ad unum quidem lumen, quia in eadem parte aeris, omnium luminarium lumina. » — [2] Parm. omittit : « non. » — [3] Parm. omittit : « hic. » — [4] Parm. omittit : « etiam quod dicit. »

lumen egreditur sine altero, in quo videtur designari quidam motus localis, qui est corporum tantum. Si vero lumen non sit corpus, sed qualitas, secundum opinionem aliorum, non haberent lumina discretionem subsistentem; quinimo ex diversis luminaribus, sicut ex diversis causis agentibus, fiet unum lumen tantum intensius[1] in aere, et uno luminari subtracto, cessaret superadditio intensionis, sicut ex pluribus causis calefacientibus intenditur[2] calor in calefactibili, et una causa subtracta minuitur calor. Hæc autem secunda opinio de lumine verior est. Unde potest dici quod Dionysius hic loquitur de subsistenti discretione luminum et de egressione alicujus eorum per respectum ad luminaria, et non secundum se. Tamen considerandum est quod consueverunt tam philosophi quam etiam sacri doctores aliquando ad propositum manifestandum, exemplis aliquibus uti secundum aliquas opiniones apud aliquos probabiles, licet ipsi eas non sequantur[3].

Deinde cum dicit : « Et hæc totaliter in corpore aere, et ex materiali igne pendente lumine, » ostendit quod istud exemplum deficit a tantæ rei repræsentatione, et dicit quod hæc quæ dicta sunt de diversis luminibus, « totaliter » accidunt in rebus corporeis et materialibus, scilicet « in corpore aereo, » ut in loco, si lumina sint corpora, vel ut in subjecto, si lumen est qualitas : « et » iterum « lumine » sensibili « dependente ex materiali igne. » Sed in divinis personis dicimus collocari supersubstantialem unitionem non super solas unitiones quæ sunt in corpore, sed et super illas quæ sunt in ipsis animabus, et « in ipsis mentibus » angelicis ; « quas » quidem unitiones « habent deiformia » vel « supercœlestia lumina, » id est ipsi angeli, « tota per tota, non mixte et supermundane, » dum scilicet angelus toti alteri conjungitur per intellectum et affectionem[4]. Et hujusmodi inconfusa unitio in mentibus et animabus fit « secundum proportionalem participationem » illius « unitionis » quæ est in divinis personis, quæ est « supersegregata ab omnibus participantibus, » quia scilicet nullum participantium potest perfecte imitari divinam unitionem.

Deinde cum dicit : « Est autem discretio in supersubstantialibus theologiis, non quam dixi tantum ....., sed quod et ea quæ sunt supersubstantialis Dei fecunditatis non convertuntur ad se invicem, » exponit quomodo in communi modo discretionis supra signatæ invenitur et discretio et unitio, id est aliquid commune toti Trinitati, et aliquid distinctum ad personam pertinens ; dictum est enim supra quod discretiones divinæ vocantur secundum processiones deitatis. Est autem duplex processio[5]. Una quidem secundum quod una persona procedit ab alia, et per hanc multiplicantur et distinguuntur divinæ personæ, et quantum ad hoc attenditur discretio propria in communi modo discretionis. Alia est processio secundum quam creatura procedit a Deo, secundum quam fit multiplicatio rerum et distinctio[6] creaturarum a Deo, et hæc est discretio unita, id est communis toti Trinitati. Primo igitur exponit quomodo aliqua discretio pertineat ad discretionem personarum ; secundo, quomodo aliqua discretio pertineat ad essentiæ unitatem, ibi : « Si autem et divina discretio est processio bono conveniens unitionis divinæ ....., unita quidem sunt secundum divinam discretionem incomprehensibiles traditiones. » Dicit ergo primo quod « discretio in supersubstantialibus theologiis » ad divinas personas, non solum est illa quam dixi quod per ipsam unitionem communem, quæ pertinet ad superexcellentiam deitatis, unaquæque divinarum personarum immixtim et inconfuse collocatur in altera ; sed etiam per hoc ea quæ pertinent ad fecunditatem Dei supersubstantialem, nunquam convertuntur ad se invicem, sicut convertebantur ea quæ pertinent ad collocationem personalem. Mutuo enim Pater est in Filio, et Filius in Patre, non tamen mutuo Pater generat Filium et Filius Patrem ; et hoc est quod subdit quod « solus Pater est fons supersubstantialis deitatis, » ut in fonte auctoritas intelligatur, sive principium non[7] de principio ; « nec Filius est Pater, nec Pater Filius, » cum divinæ laudes conservent secundum fidem christianæ religionis suas proprietates unicuique divinarum personarum. Ultimo epilogando subdit quod istæ quæ dictæ sunt, sunt unitiones et discre-

[1] Parm. : « intensus. » — [2] Parm. : « intendatur. » — [3] Cod. Vict. : « sequerentur. » — [4] Parm. inepte : « affirmationem. » — [5] Parm. omittit : « Est autem duplex processio. » — [6] Parm. : « multitudo rerum in discretione. » — [7] Parm. incaute omittit : « non. »

tiones pertinentes ad ipsam divinam essentiam ineffabilem, et ad ineffabilem ejus unitionem, quia quod sequitur de unione et discretione, pertinet ad creaturas.

LECTIO III.

Quædam est propria unitio sub communi modo discretionis.

Si autem et divina discretio est processio bono conveniens unitionis divinæ, et superunitæ, seipsam bonitatem in pluralitatem agentis et multiplicantis : unitæ quidem sunt secundum divinam discretionem incomprehensibiles traditiones, substantificationes, vivificationes, sapientificationes, et alia dona bonitatis, quæ est omnium causa, secundum quæ ex participationibus et participantibus laudantur non principaliter participata. Et hoc commune et unitum et unum est toti deitati, omnem ipsam totam ab unoquoque participantium participari, et a nullo nulla parte ; quemadmodum punctum in medio circulo ab omnibus in circulo circumpositis lineis, et sicut sigilli expressiones multæ participant archetypo sigillo, et in unaquaque expressionum toto et eodem existente, et in nulla secundum nullum partem. Excedit autem et hæc omnium causæ divinitatis imparticipabilitas eo quod neque tactus ejus est, neque alia quædam ad partes commiscendi communio. Quamvis dicat aliquis : non est sigillum in totis expressionibus totum et idem. Hujus autem non sigillum est causa, omne enim seipsum illud et idem unicuique ingerit; sed participantium diversitas dissimiles facit expressiones unius et ejusdem totius principalis formæ : sicut si mollia quidem sint et facile figurabilia, et plana et immaculata, et neque contrariæ figuræ et dura, neque facile fusibilia et instabilia, mundam habebunt et planam figuram permanentem ; si autem aliquid de dicta opportunitate deficiat, et hæc causa erit imparticipati et non plani, et aliorum quæcumque importunitate participationis sint. Discretum autem est a benigna ad nos divina operatione, secundum nos ex nobis totaliter et vere substantiam factum esse supersubstantiale Verbum, et facere et pati quæcumque humanæ ipsius contemplationis sunt, electa et semota. Istis enim Pater et Spiritus secundum nullam communicaverunt rationem, nisi aliquis dicat secundum bono convenientem et benignam voluntatem et secundum omnem superpositam et ineffabilem divinam operationem, quam faciebat et secundum nos factus, invariabilis, secundum quod Deus et Dei Verbum. Ita et nos divina et unire verbo et discernere studemus, sicut ipsa et unita sunt et discreta.

« Si autem et divina discretio est processio bona conveniens unitionis divina et superunita, et seipsam bonitatem in pluralitatem agentis, et multiplicantis, unitæ quidem sunt secundum divinam discretionem incomprehensibiles traditiones, substantificationes, vivificationes, sapientificationes et alia dona bonitatis. » Postquam exposuit Dionysius quomodo sub communi modo discretionis, qui est secundum proportionem, continetur propria discretio quæ est secundum proportionem unius personæ ab alia, nunc intendit exponere quomodo sub eodem communi discretionis modo continetur et quædam propria unitio, quæ est secundum proportionem creaturarum a Deo ad totam Trinitatem pertinens, et circa hoc duo facit. Primo, proponit quod intendit ; secundo, manifestat per exempla, ibi : « Quemadmodum punctum in medio circulo ab omnibus in circulo circumpositis lineis. »

Ad evidentiam autem primæ partis considerandum est quod posset aliquis dicere quod processio creaturarum non continetur sub divina discretione ; unde, licet processio creaturarum communiter ad totam Trinitatem pertineat, non tamen potest dici quod aliqua divina discretio sit communis vel unita in tota Trinitate[1]. Et ideo vult ostendere quod processio creaturarum est quodammodo divina discretio, non tamen eo modo quo processio divinarum personarum. Nam in processione divinarum personarum, ipsa eadem divina essentia communicatur personæ procedenti, et sic sunt plures personæ habentes divinam essentiam, sed in processione creaturarum ipsa divina essentia non communicatur creaturis procedentibus, sed remanet incommunicata seu imparticipata ; sed similitudo ejus per ea quæ dat creaturæ, in creaturis propagatur et multiplicatur, et sic quodammodo divinitas per sui similitudinem, non per essentiam, in creaturas procedit, et in eis quodammodo multiplicatur, ut sic ipsa creaturarum processio possit dici divina discretio si respectus ad divinam similitudinem habeatur, non autem si respiciatur divina essentia. Hoc est ergo quod dicit : quod si processio possit dici divina essentia bonitati conveniens, quæ est

[1] Parm. : « unita Trinitati. »

« unitionis divinæ superunitæ, » id est unitatis essentiæ, in qua tres personæ uniuntur, quæ est super omnem unitatem, quæ quodammodo seipsam agit sive ducit ex sua bonitate in pluralitatem, et multiplicat seipsam, scilicet secundum suam similitudinem; si, inquam, talis processio ea ratione quod per eam divina unitas quodammodo multiplicetur dici potest divina discretio, tunc consequenter dicendum est quod « traditiones, » id est donationes divinorum donorum, quæ sunt incomprehensæ ex parte principii, « sunt unitæ, » id est communes toti Trinitati « secundum divinam discretionem, » id est secundum communem modum divinæ discretionis, qui secundum processionem attenditur[1]. Et quæ sint istæ traditiones, ostendit subdens : « substantificationes » secundum quod dat esse omnibus subsistentibus; « vivificationes » secundum quod dat vitam ; « sapientificationes » secundum quod dat sapientiam « et alia dona » divinæ « bonitatis, » quæ est omnium causa ; « secundum quæ dona divina participata » per similitudinem « non participabiliter, » inquantum essentia manet imparticipata, « laudantur ex participationibus, » id est ex donis participatis ut est esse, sapientia et vita et[2] « participantibus, » quibus scilicet ista communicantur. Loquitur autem pluraliter de divinis vel propter pluralitatem personarum, vel propter pluralitatem nominum, quæ ipsi Deo attribuuntur : « et hoc est toti divinitati commune. » Et ne intelligatur communitas rationis tantum, sicut genus est commune speciebus, et species individuis, addidit : « et unitum, » ut ostendat unum numero esse in tribus. Et ne aliquis intelligat unitatem ex multis congregatam, sicut domus unitur ex partibus, addidit : « et unum hoc, » scilicet « omnem ipsam » divinitatem, id est secundum quamlibet personam, « totam participari ab unoquoque participantium » per similitudinem; « et a nullo » participantium in « nulla sui parte » participari per[3] commixtionem suæ substantiæ. Dicit autem totam eam participari, non tamen totaliter vel perfecte, quia omnibus incomprehensibilis est, ut supra dictum est. Et quia hoc ultimo dictum difficile videtur, et contradictionem implicans, manifestat[4] hic consequenter per exempla, cum dicit : « Quemadmodum punctum in medio circulo circumpositis lineis, » et circa hoc tria facit. Primo, ponit exempla; secundo, ostendit ea esse deficientia, ibi : « Excedit autem et hæc omnium causæ deitatis imparticipabilitas; » tertio, objicit contra prædicta, et solvit, ibi : « Quamvis dicat aliquis : Non est sigillum in totis impressionibus totum et idem. » Dicit ergo primo[5] quod hoc ita est de participatione deitatis, sicut punctum quod est in medio circuli participatur ab omnibus lineis in circulo circumpositis[6], quæ scilicet protrahuntur a centro ad circumferentiam, inquantum quælibet linea sortitur indivisibilitatem secundum latitudinem ad similitudinem indivisibilitatis puncti, prout imaginamur punctum suo motu facere lineam, et tamen punctum secundum situm distinctum est a longitudine lineæ ; « et sicut » etiam « multæ expressiones sigilli participant archetypo sigillo, » id est principali figuræ sigilli (dicitur enim archetypum ab archos, quod est princeps, et typum, quod est figura) « toto[7] et eodem » archetypo; « existente in unaquaque expressionum, » secundum similitudinem ; « et in nulla earum[8] secundum nullam » sui « partem » per substantiæ commixtionem.

Deinde cum dicit : « excedit autem et hoc omnium causæ deitatis imparticipabilitas, » ostendit hæc exempla esse deficientia a repræsentatione divina, et dicit quod « imparticipabilitas divinitatis, » quæ est « omnium causa, excedit hæc » prædicta exempla, quia imparticipabilior et minus commixta est deitas participantibus, quam punctum et sigillum. Non enim est aliquis tactus deitatis ad creaturas, eo scilicet modo quo ex sigillo et cera[9] fit unum per contactum; neque etiam est alia quædam communio per quam commisceatur partibus rerum, sicut punctum commiscetur lineæ inquantum est terminus ejus.

Deinde cum dicit : « quamvis dicat aliquis, non est sigillum in totis impressionibus totum et idem, » objicit contra hoc quod dixerat quod sigillum totum existit

[1] Cod. Vict. : « attendebatur. » — [2] Sic Cod. Vict.; Parm. : forte « ex donis participantibus, aut ex communi sapientia et vita, » etc. — [3] Parm. : « quoad. » — [4] Parm. : « notificat; » al. : « nominat. » — [5] Parm. omittit : « primo. » — [6] Parm. : « quod est in medio, circumpositis lineis. » — [7] Parm. : « toto. » — [8] Parm. : « eorum. » — [9] Al. : « quod cera. »

in unaquaque expressionum. Potest enim aliquis dicere hoc non esse verum, propter hoc quod aliqua expressio invenitur quæ non perfecte recipit formam sigilli. Sed ipse respondet quod hujus causa non est ex parte sigilli, quia sigillum unum « et idem totum se ingerit unicuique » expressioni, « sed diversitas participantium facit dissimiles expressiones, » id est repræsentationes, « unius et ejusdem principalis formæ, » quæ totaliter habet formam. Quomodo autem diversimode recipiatur in diversis forma unius sigilli, ostendit subdens : Si enim ea in quibus fit expressio, « sint » intantum « mollia » quod facile possint recipere figuram, « et plana, » id est absque tumorositatibus, ut uniformis in eis fiat impressio ; « et immaculata, » ne commixtio alienæ materiæ expressionem figuræ impediat ; et « neque sit contrariæ figuræ, » utpote si quis unius sigilli figuram imprimere velit in cera jam alio sigillo signata, et cum ad recipiendum figuram sint aliqualiter « dura, » ut non sint « facile fusibilia » et calefactibilia, aut nimis liquefacta et mollia « et instabilia, » quia sic non remaneret figuræ impressio ; istis conditionibus existentibus, materiæ in quibus fit impressio « habebunt figuram » sigilli quamdam absque permixtione alterius figuræ impressam, « et planam, » id est inturgidam absque deformitate, « et permanentem. » Sed « si aliquid deficiat de dicta opportunitate » figurationis, « hæc erit causa » quod figura non participetur, vel quod « non plane, » id est uniformiter, participetur ; « et aliorum » defectuum, quicumque pertinent ad inopportunitatem[1] participationis.

Deinde cum dicit : « Discretum est autem a benigna ad nos divina operatione ; secundum nos ex nobis totaliter et vere substantiam factum esse supersubstantiale Verbum, » exponit discretionem quæ est secundum humanitatem Christi, et dicit quod « discretum est, » id est ad unam tantum personam pertinens, « supersubstantiale Verbum, » id est Dei Filium, « esse factum secundum nos, » id est hominem similem nobis in natura ; « ex nobis » accepta carne, non de cœlo allata, secundum Valentinum ; « totaliter, » id est non subtracta anima vel intellectu, secundum Arium et Apollinarem ; « et vere, » non phantastice, secundum Manichæum. Et non solum ipsa incarnatio est discretum, sed etiam actiones et passiones Dei incarnati[2] ; « quæcumque sunt » cum quadam electione et segregatione ab aliis attributa Christo secundum considerationem humanitatis ipsius, ut concipi, nasci, comedere, bibere, dormire, crucifigi et alia hujusmodi ; « istis enim Pater et Spiritus secundum nullam rationem communicaverunt, » quia neuter eorum est incarnatus aut mortuus, « nisi » forte « dicat aliquis » quod communicaverunt præmissis « secundum voluntatem » bonitati divinæ « convenientem, et benignitatem » quoad nos ; acceptaverunt enim Pater et Spiritus sanctus incarnationem Filii, et passionem, et alia hujusmodi, et similiter communicaverunt « secundum omnem divinam operationem superpositam » creaturis, « et ineffabilem » nobis, « quam faciebat » Christus, « factus secundum nos, » id est factus homo passibilis, « invariabilis » manens, « secundum quod Deus, et Dei Verbum. » Non enim sic factus est homo quod divinitatem amitteret, sed homo[3] existens habebat operationem divinam, quæ communis est sibi et Patri et Spiritui sancto. Et sic destruitur hic error ponentium unam operationem in Christo, per hoc quod attribuit Christo secundum operationem divinam communem toti Trinitati, et operationem humanam propriam sibi[4]. Ultimo autem epilogat, quod « sic studemus divina » nostro sermone « et unire et discernere, » sicut secundum rei veritatem « sunt unita et discreta. »

[1] Al. : « ad importunitatem. » — [2] Sic cod. Vict.; Parm. : « ipsa incarnatione discretum, sed secundum etiam actiones et passiones, Dei Filium credimus incarnatum. » — [3] Al. : « ut homo ; » cod. Vict. : « unde homo. » — [4] Sic cod. Vict.; Parm. : « et per hoc quod attribuit secundum operationem divinam communem toti Trinitati, et operationem propriam sibi. » Et in notula : forte « per hoc quod attribuit ei et operationem divinam, » etc.

LECTIO IV.

Sed harum quidem et unitionum et discretionum quascumque in eloquiis Deo convenientes causas invenimus in *Theologicis hypotyposibus* propria de unoquoque tractantes, sicut erat possibile, exposuimus; quædam quidem revolventes vero sermone et reserantes, et sanctum et revelatum intellectum in manifestas eloquiorum visiones adducentes; quibusdam autem sicut mysticis secundum divinam traditionem super intellectualem operationem uniti; omnia enim divina et quæcumque nobis sunt manifesta solis participationibus cognoscuntur. Ipsa autem qualiacumque sunt, secundum proprium principium et collocationem super mentem sunt, et omnem substantiam et cognitionem. Sicut si supersubstantiale occultum, Deum, aut vitam, aut substantiam, aut lumen, aut rationem nominemus; nihil aliud intelligimus quam ad nos ex ipso productas virtutes deificas, aut substantificas, aut vivificas, aut sapientificas: ipsi autem secundum absolutionem ab omnibus intellectualibus operationibus nos immittimus, nullam videntes deificationem, aut vitam, aut substantiam, quæ diligenter comparabilis sit ab omnibus segregatæ secundum omnem excessum causæ. Rursus quod Pater quidem est fontana deitas, Filius autem et Spiritus sanctus deigenæ deitatis, si ita oportet dicere, pullulationes divinæ naturæ, et sicut flores et supersubstantialia lumina, a sanctis eloquiis accepimus. Quomodo autem hæc sunt, neque dicere neque cogitare est possibile; sed usque ad hoc omnis nostræ intellectualis operationis virtus est: quod omnis divina paternitas et filiatio data est et nobis, et supercœlestibus virtutibus, ex patriarchia ab omnibus segregata, et filiarchia, ex qua et dii et deorum filii et deorum patres deiformes fiunt et nominantur mentes, spiritualiter videlicet tali paternitate et filiatione perfecta; hoc est incorporaliter, immaterialiter, intelligibiliter, thearchico Spiritu super omnem intelligibilitatem, immaterialitatem et deificationem supercollocato, et Patre et Filio ab omni paternitate et filiatione divina excedendo segregatis. Neque enim est diligens comparatio causatis et causis: sed habent quidem causata causarum contingentes imagines; ipsæ autem causæ a causatis segregantur, et supercollocantur secundum proprii principii rationem. Et, ut nostris utar exemplis, delectationes et tristitiæ dicuntur effectivæ delectanti et tristandi; ipsæ autem neque delectantur, neque tristantur; et ignis calefaciens et urens, non dicitur calefieri aut uri; et vivere si quis dicat per se vitam, aut illuminari per se lumen, non recte dicit, secundum meam rationem, nisi secundum alterum ista dicat modum, quoniam abundanter et substantialiter ea quæ sunt causatorum, præinsunt causis. Sed quod est omnis theologiæ manifestativum, Jesu secundum nos divina compositio et ineffabilis est verbo omni et ignota menti omni, et ipsi primo dignissimo angelorum. Et viriliter quidem ipsum substantiam factam esse mystice accepimus: ignoramus autem quomodo ex virgineis sanguinibus altera præter naturam lege compositus est, et quomodo siccis pedibus corporale pondus habentibus et materiæ gravitatem ambulavit in humida et instabili substantia, et alia quæcumque sunt Jesu supernaturalis luminis apparitionis aut naturalis rationis. Hæc autem et a nobis in aliis sufficienter dicta sunt, et a nobili duce in *Theologicis* ipsius *stoytheiosibus* laudata sunt valde supernaturaliter: quæ ille sive a sanctis theologis accepit, sive ex perita[1] eloquiorum perscrutatione perspexit, ex multa circa ipsa luctatione et contritione; sive etiam ex quadam doctus est diviniore inspiratione, non solum discens, sed et patiens divina; et ex compassione ad ipsa, si ita oportet dicere, ad indocibilem et mysticam ipsorum perfectus est unitionem et fidem; et ut multas et beatas visiones potentis illius deliberationis in minimis apponamus, hæc de Jesu dicit in congregatis ab ipso *Theologicis stoytheiosibus*.

« Sed harum quidem et unitionum et discretionum quascumque in eloquiis Deo convenientes causas invenimus, in *Theologicis hypotyposibus* propria de unoquoque tractantes, sicut erat possibile, exposuimus. » Postquam Dyonisius exposuit modum unitionis et discretionis divinæ, excusat se a perfecta horum manifestatione, et dividitur in partes duas. In prima ostendit quod discretiones divinæ et unitiones non possunt sufficienter a nobis manifestari; in secunda prosequitur de discretione quæ est secundum processionem creaturarum, quia hoc maxime pertinet ad intentionem præsentis libri, ibi: « Igitur de istis quidem satis est. » Circa primum duo facit. Primo, ponit excusationem a perfecta manifestatione prædictorum; secundo, rationem assignat, ibi: « Omnia enim divina, et quæcumque nobis sunt manifestata, soli participationibus cognoscuntur. »

Dicit ergo primo quod in libro de *Theologicis hypotyposibus* ipse exposuit, « sicut erat sibi possibile, causas, » id est rationes prædictarum « unitionum et discretionum, » quascumque invenit in sacris Scripturis « Deo convenientes, » tractans id quod erat proprium unicuique; ita tamen quod quædam revolvit et discussit veridico sermone, et reseravit, id est aperuit, et ulterius eduxit « in manifestas visiones eloquiorum, » id est manifestas auctoritates sacræ Scripturæ, quæ continent visiones et revelationes factas prophetis et apostolis; id quod sancte intelligi potuit et manifeste post discussionem et reserationem. Non enim sufficit in rebus divinis humano ingenio veritatem discutere et aperire, nisi

[1] Al.: « ex experta, » item: « ex experita. »

veritas, quæ post discussionem invenitur sacræ Scripturæ concordet, et per eam confirmetur. Et cum quædam sic reseravit, « quibusdam tamen sicut mysticis, » id est occultis, unitus fuit super operationem intellectualem, et hoc secundum quod tradita est a Deo; ordinatum est enim nobis a Deo ut in his quæ super intellectum nostrum sunt uniamur adhærentes per fidem.

Deinde cum dicit : « Omnia enim divina et quæcumque nobis sunt manifestata solis participationibus cognoscuntur, » assignat rationem quare in rebus divinis sint quædam mystica quæ intellectum nostrum excedunt, et circa hoc duo facit. Primo, manifestat hoc ex parte deitatis; secundo, ex parte humanitatis Christi, ibi : « Sed quod est omnis theologiæ manifestativum, Jesu secundum nos divina compositio, et ineffabilis est verbo omni et ignota menti omni. » Circa primum tria facit. Primo, assignat rationem præmissorum; secundo, manifestat rationem assignatam per exempla, ibi : « Sicut si supersubstantiale occultum, Deum, aut vitam, aut substantiam, aut lumen, aut rationem nominemus; » tertio, probat per similitudinem in aliis causis et causatis, ibi : « Neque est enim diligens comparatio causatis et causis. » Dicit ergo primo quod « omnia divina, » etiam quæ nobis manifestata sunt, « cognoscuntur » a nobis « solum participationibus. » Cujus ratio est, quia nihil cognoscitur nisi secundum quod est in cognoscente. Sunt autem quædam cognoscibilia quæ sunt infra intellectum nostrum, quæ quidem habent simplicius esse in intellectu nostro quam in seipsis, sicut sunt omnes res corporales; unde hujusmodi res dicuntur cognosci a nobis per abstractionem. Divina autem simpliciora et perfectiora sunt in seipsis quam in intellectu nostro, vel in quibuscumque aliis rebus nobis notis; unde divinorum cognitio dicitur fieri non per abstractionem, sed per participationem. Sed hæc participatio est duplex. Una quidem secundum quod divina in ipso intellectu participantur; prout scilicet intellectus noster participat intellectualem virtutem per[1] divinæ sapientiæ lumen; alia vero secundum quod divina participantur in rebus quæ se intellectui nostro offerunt : inquantum scilicet per participationem divinæ bonitatis omnia sunt bona, et per participationem divini esse seu vitæ, res dicuntur existentes seu viventes; et secundum utramque istarum participationum divina cognoscimus. Ostensum est autem supra quod Deus ita participatur a creaturis per similitudinem, quod tamen remanet imparticipatus super omnia per proprietatem suæ substantiæ. Unde si divina non cognoscuntur a nobis nisi solis participationibus, consequens est quod ipsa divina, qualia sunt, et secundum propriam rationem principii, et secundum quod divina collocantur in seipsis, sunt super omnia, sicut super omnem mentem, et supra omnem substantiam, et supra omnem cognitionem.

Deinde cum dicit : « Sicut si supersubstantiale occultum, Deum aut vitam aut substantiam, aut rationem nominemus, » manifestat rationem propositam per exempla; et primo, in processionibus creaturarum; secundo, in processionibus divinarum personarum, ibi : « Rursus quod Pater quidem est fontana deitas, Filius autem et Spiritus sanctus deigenæ deitatis, si ita oportet dicere, pullulationes ... a sanctis eloquiis accepimus. » Dicit ergo primo quod si illud « occultum » divinæ essentiæ, quod est super omnem substantiam, « nominemus aut Deum, aut vitam, aut substantiam, aut lumen vel rationem, » vel quocumque alio tali nomine, non per hoc intelligimus idipsum quod Deus est, sed nihil aliud intellectus concipit nisi virtutes quæ rebus ex Deo proveniunt, quibus formaliter deificantur, vel substantificantur, aut vivificantur, aut sapientificantur[2]. Sed cum Deus sit super omnes hujusmodi processiones, oportet quod nos immittamus nos in Deum ad cognoscendum ipsum[3], secundum remotionem « ab omnibus operationibus intellectualibus, » id est ab omni eo quod cadit in intellectum nostrum; et hoc ideo quia nos non possumus per intellectum videre aliquam « deitatem, » vel « substantiam, » quæ perfecte comparari possit illi causæ quæ est « segregata ab omnibus » rebus secundum totalem excessum. » Non enim cadit in visionem intellectus nostri nisi aliquod[4] ens creatum et finitum, quod om-

[1] Parm. : « et divinæ. » — [2] Parm. omittit : « sapientificantur. » — [3] Parm. omittit : « ipsum. » — [4] Parm. omittit : « aliquod. »

nino deficit ab ente increato et infinito; et ideo oportet quod Deum intelligamus esse supra omne id quod intellectu apprehendere possumus.

Deinde cum dicit : « Rursus quod Pater quidem est fontana deitas, Filius autem et Spiritus sanctus deigenæ deitatis, si ita oportet dicere pullulationes ... a sanctis eloquiis accepimus, » manifestat idem in his quæ pertinent ad processiones divinarum personarum, et dicit quod ex sacris Scripturis « accepimus quod Pater et fontana deitas, » id est quod Pater et fons et principium totius deitatis, « et quod Filius et Spiritus sanctus, si ita oportet dicere, » sunt quædam pullulationes « deigenæ deitatis, » id est Patris, qui est Deus generans; pullulationes, inquam, non extra divina naturam, sicut creaturæ[1], sed in ipsa divina natura, « et » sunt etiam « sicut flores, et supersubstantialia lumina. » Nec est mirum, si hæc pluraliter dicimus de divinis personis, quia si in metaphoricis locutionibus accipiatur ipsum signatum metaphorarum, oportet singulariter prædicari de divinis personis; si vero accipiantur ipsæ metaphoræ[2], possunt pluraliter prædicari; per lumen enim metaphorice intelligitur veritas. Possumus ergo dicere quod Filius et Spiritus sanctus sunt unum lumen, quia sunt una veritas; possumus etiam dicere quod sunt duo lumina, ut sit sensus quod signantur per duo lumina, id est per duos radios ab uno lumine[3] procedentes, sicut et per duos flores, quia uterque procedit a Patre; nec tamen per[4] hoc excluditur quin Spiritus sanctus procedat a Filio. « Sed quomodo hæc sunt, non possumus dicere nec cogitare, » ut scilicet exprimamus, vel cognoscamus qualis sit illa paternitas vel filiatio; « sed usque ad hoc » cognoscendum[5] solum se extendit « tota virtus nostri intellectus, » quod « et nobis et supercœlestibus virtutibus, » scilicet angelis, ex[6] principali paternitate divina, quæ est « segregata ab omnibus » creaturis, et similiter ex principali filiatione « data est omnis paternitas et filiatio, » quæ est secundum propagationem in rebus divinis, prout scilicet unus[7] angelus purgat, illuminat et perficit alium, et unus homo alium; « ex qua, » scilicet principali paternitate et filiatione, mentes angelorum Deo conformes et « sunt[8] » per participationem divinorum donorum, « et nominantur » in Scripturis, « et dii, deorum filii, et deorum patres, » per assimilationem ad paternitatem principalem et filiationem. Et ne videatur deesse communicatio[9] proprietatum Spiritus sancti, subjungit quod talis paternitas et filiatio in sanctis angelis perficitur spiritualiter, cum exponit spiritualitatem per tria. Spirituale enim significat aliquid incorporale, et immateriale, et intelligibile. Et quamvis hæc spiritualitas inveniatur in angelis, divinus tamen Spiritus est supercollocatus super omnem intelligibilem immaterialitatem angelorum vel animarum, sicut et Pater et Filius sunt segregati per modum excessus ab omni paternitate et filiatione quæ est in creaturis secundum participationem rerum divinarum.

Deinde cum dicit : « Neque enim est diligens comparatio causatis et causis, » probat quod dixerat per assimilationem in aliis causis et causatis, et dicit quod inter causas et causata non potest esse « diligens, » id est perfecta, « comparatio, » quia causæ excedunt sua causata, sed est quædam alia comparatio causatorum ad causas, inquantum « causata habent imagines, » id est similitudines, « causarum. » Omnis enim causa producit[10] suum effectum per aliquem modum similitudinis; non tamen causata consequuntur perfectam similitudinem causæ. « Contingentes, » id est prout contingit secundum suam proportionem. Sed ideo non est perfecta comparatio, quia « causæ separantur a causatis, » inquantum superponuntur eis, « secundum rationem proprii principii, » id est in illa ratione in qua sunt principia. Et hoc manifestat per exempla sumpta a rebus quæ sunt apud nos; et primo quidem ex passionibus secundum quod delectationes et tristitiæ faciunt delectari et tristari, non per modum causæ efficientis, sed formalis, sicut dicitur quod albedo facit album, sed « ipsæ » delectationes et tristitiæ « non delectantur neque tristantur. » De eo enim quod delectatur vel tristatur, prædicatur delectatio seu tristitia per participationem, sed non de ipsa

[1] Parm. : « creatæ. » — [2] Al. : « ipse metaphorice. » — [3] Parm. : « luminari. » — [4] Parm. omittit : « per. » — [5] Parm. : « cogitandum. » — [6] Parm. : « ut ex principali. » — [7] Parm. omittit : « unus. » — [8] Parm. : « fiunt. » — [9] Parm. : « creatio. » — [10] Al. : « præcedit. »

delectatione vel tristitia per essentiam; et sic causa excedit effectum. Deinde ponit exemplum in causis agentibus, cum dicit : « Ignis » qui calefacit et urit, « non dicitur calefieri aut uri, » sed esse calidus, et sic per suam naturam calefacere alia. Postea ponit exemplum in causis formalibus, scilicet de per se vita, et per se lumine, ut inde per hoc non intelligatur aliquod lumen aut vita separata, sed ipsæ formæ participatæ; secundum quem modum nec de vita potest dici quod vivat, aut de lumine quod illuminetur secundum rationem prædictam, nisi forte æquivoce, ut intelligatur vita vivere quia est causa vivendi. Et assignat rationem illorum exemplorum et similium, per hoc quod ea quæ sunt causatorum per modum participationis, sunt causarum superabundanter et substantialiter, sicut vivere est viventis participativæ, ipsius vero vitæ est essentialiter.

Deinde cum dicit : « Sed quod est omnis theologiæ manifestativum, Jesu secundum nos divina compositio et ineffabilis est verbo omni et ignota menti omni, » manifestat idem circa humanitatem Christi; et primo per sua verba, secundo per verba Hierothei, ibi : « Hæc autem et a nobis in aliis sufficienter dicta sunt, et a nobili duce in theologicis ipsius stoichiosibus laudata sunt valde supernaturaliter. » Dicit ergo primo quod quamvis in omnibus quæ de Deo dicuntur, manifestissimum videatur quod ad incarnationem pertinent; tamen compositio qua divinitus Jesus compositus est « secundum nos, » id est secundum quod habet naturam nostram, non potest sufficienter exprimi quocumque verbo, nec sufficienter cognosci quacumque mente, etiam ipsius supremi angeli. Accepimus quidem secundum Scripturas velut quoddam occultum mysterium, quod ipse Jesus est factus substantia viriliter, id est hypostasis virilis [1], sed nescimus sufficienter quomodo corpus ejus compactum sit ex virginis sanguinibus lege quadam præter naturam; factum est enim virtute Spiritus sancti, quæ est omni menti creatæ incomprehensibilis; et etiam non possumus perfecte scire quomodo ambulavit super aquam maris, quæ est humida et instabilis substantia, pedibus siccis, non quidem deposita corporis gravitate per assumptionem dotis agilitatis, ut quidam dixerunt, sed adhuc pedibus habentibus materiæ gravitatem ; hoc enim factum est virtute divina incomprehensibili. Et eadem ratio est in omnibus aliis quæcumque pertinent ad cognitionem Jesu, quæ excedit naturale lumen aut naturalem rationem.

« Hæc autem et a nobis in aliis sufficienter dicta sunt, et a nobili duce in *Theologicis* ipsius *stoytheiosibus* laudata sunt valde supernaturaliter. » His quæ præmiserat ad Incarnationis mysterium, necessaria adjungit quædam verba Hierothei de laude Christi, et circa hoc duo facit. Primo ostendit unde Hierotheus accepit hæc verba quæ dixit, quia scilicet vel habuit hæc ex doctrina apostolorum, vel ex studio sanctarum Scripturarum, vel ex speciali revelatione ipsi facta; secundo, ponit verba ipsius, ibi : « Omnium causa et adimpletiva est Jesu deitas. » Dicit ergo primo quod prædicta quæ pertinent ad laudem Christi, sufficienter ipse dixit in aliis, scilicet in libro *De divinis hypotyposibus,* et sunt etiam valde excellenter super naturalem modum laudata a quodam Hierotheo, qui fuit nobilis dux, id est magister, discipulus apostolorum, et hoc in quodam libro suo quem intitulavit *De theologicis stoytheiosibus* [2], id est divinis obscuris commentis, et ponit consequenter tres modos quibus ea quæ sequuntur, Hierotheus acquirere potuit. Unus modus est quod « accepit » ea addiscendo « a sanctis theologis, » id est ab apostolis. Alius modus est quod ipse proprio studio inspexit ea ex sapienti et subtili discussione sanctarum Scripturarum. Quæ quidem subtilis discussio in duobus consistit, quorum primum subdit, dicens : « Et multa luctatione circa ipsa » in quo assiduitas studii designatur. Tunc enim aliquis multum luctatur cum Scriptura quando aliquis inspecta difficultate Scripturæ nititur ad videndum difficultatem. Secundum subdit dicens, « et contritione, » in quo designatur diligens Scripturæ expositio. Quod enim conteritur [3], usque ad minima dividitur. Tunc ergo aliquis Scripturam sacram conterit quando subtiles sensus in ea lactentes exquirit. Tertius modus habendi est quod doctus est ista quæ dixit « ex quædam inspiratione diviniore, » quam communiter fit multis, « non solum discens, sed et patiens divina, » id est non

[1] Al. : « materialiter ... materialis. » — [2] Parm. : « stoichiosibus. » — [3] Al. : « convertitur. »

solum divinorum scientiam in intellectu accipiens, sed etiam diligendo, eis unitus per affectum. Passio enim magis ad appetitum quam ad cognitionem pertinere videtur, quia cognita sunt in cognoscente secundum modum cognoscentis, et non secundum modum rerum cognitarum, sed appetitus movet ad res[1] secundum modum quod in seipsis sunt, et sic per amorem[2] ad ipsas res quodammodo immutatur[3]. Sicut autem aliquis virtuosus ex habitu virtutis quam habet in affectu, perficitur ad directe judicandum de his que ad virtutem illam pertinent, ita qui afficitur ad divina, accipit divinitus rectum judicium de rebus divinis. Et ideo subdit quod « ex compassione » ad divina, id est ex hoc quod diligendo divina conjunctus est eis (si tamen dilectionis unio, compassio dici debet, id est simul passio) « perfectus est » Hierotheus, id est institutus, « ad unitionem et fidem ipsorum, » id est ut eis quæ dixit, uniretur per fidei unitionem; dico « indocibilem, » id est quæ humano magisterio doceri non potest, « et mysticam, » id est occultam, quia excedit naturalem cognitionem; « et ut » in paucis comprehendamus « multas et beatas visiones, » id est revelationes[4] « potentis deliberationis, » id est virtuosæ discussionis, « illius, » scilicet Hierothei; licet multa alia dixerit, hæc tamen quæ sequuntur « dicit » ad laudem « Jesu » Christi, in libro supra nominato.

LECTIO V.

Verba sanctissimi Hierothei de laude Jesu.

Omnium causa et adimpletiva est Jesu deitas, quæ partes totalitati consonas salvat, et neque pars est, neque totum et pars, sicut omnium et partem et totum in seipsa coaccipiens et superhabens et præhabens. Perfecta quidem est in imperfectis, sicut perfectionis princeps; imperfecta autem in perfectis, sicut superperfecta et præperfecta. Forma formam faciens in carentibus forma, sicut formæ princeps; sicut forma in formis, sicut super formam. Substantia totius substantiis immaculate superveniens, et supersubstantialiter ab universa substantia segregata. Tota principia et ordines determinans, et super omnem principatum et ordinem collocate. Et mensura est existentium, et ævum super ævum et ante ævum. Et plena in minus habentibus, superplena in plenis. Indicibilis, ineffabilis, super mentem, super vitam, super substantiam, supernaturaliter habet supernaturale, supersubstantialiter supersubstantiale. Unde quoniam et usque ad naturam a benignitate venit, et vere substantia factus est, et vir superdeus extitit. Propitiatione autem sint a nobis hæc super mentem et rationem laudata. Quamvis et in istis habet supernaturale et supersubstantiale, non solum secundum quod invariabiliter et inconfuse nobis communicavit, nihil passus ad superplenum ipsius ab ineffabili exinanitione; sed quoniam et, quod est omnibus novis magis novum, in naturalibus nostris supernaturaliter erat, in substantialibus supersubstantialiter, omnia nostra super nos habens.

Deinde cum dicit : « Omnium causa et adimpletiva est Jesu deitas, » ponit verba Hierothei de Christo; et primo ponit ea quæ pertinent ad laudem deitatis Christi; secundo, ea quæ pertinent ad laudem incarnationis ipsius, ibi : « Unde quoniam et usque ad naturam a benignitate venit; et veri substantia factus est, et vir superdeus extitit. » Circa primum duo facit. Primo, comprehendit in summa laudem deitatis Christi; secundo, explicat in speciali, ibi : « Quæ partes totalitati consonas salvat. »

Dicit ergo primo quod « deitas Jesu » Christi « et causa omnium, » inquantum per ipsum omnia reducuntur in esse, et est etiam « adimpletiva » omnium, inquantum per ipsam omnia suis perfectionibus replentur.

Deinde cum dicit : « Quæ partes totalitati consonas salvat, » exponit per singula causalitatem præmissam. Ubi considerandum est quod primo ostendit prædictam deitatem esse causam eorum quæ ad essentiam rerum pertinent; secundo, eorum quæ sunt exemplum essentiarum rerum, ibi : « Et mensura est existentium. »

Circa primum considerandum est quod in rerum essentiis talis quidem processus et ordo consideratur. Nam primo sunt rerum principia; secundo, substantia rei

[1] Al. : « movet vires, » — [2] Parm. omittit : « per amorem. » — [3] Parm. : « afficitur. » — [4] Parm. : « revelatione. »

ex principiis constituta; tertio, determinatio rei ad propriam speciem, quæ est per formam; quarto, ex forma consequitur res perfectionem non solum in esse specifico, sed etiam quantum ad propriam operationem et finem; quinto, res diversæ quæ singulæ quamdam perfectionem habent in seipsis, quodam ordine adunatæ aliquod totum perficiunt.

Procedit ergo Hierotheus ad ostendendum causalitatem deitatis Christi divinæ, retrogirando per viam resolutionis, etiam incipiens a toto; et dicit quod « deitas Jesu conservat partes consonas, » id est proportionatas « totalitati, » in quo consistit perfectio totius, « et neque est pars, neque totum, et » tamen [1] est [2] « totum et pars. » Est quidem « totum et pars » Christi deitas, sicut in seipsa non divisim, sed « simul accipiens omnium et partem et totum, » quia quidquid est perfectionis in quocumque toto vel parte, totum præexistit in Deo. « Est » autem « neque totum neque pars, » quia non eodem modo habet perfectionem totius et partis sicut totum et pars, sed supereminentius et prius. Secundo ostendit causalitatem deitatis Christi quantum ad perfectionem rerum, ibi : « perfecta quidem est in imperfectis, sicut perfectionis princeps, » et dicit quod deitas Christi dicitur perfecta per comparationem ad imperfectionem, inquantum est principalis causa omnis perfectionis; sed si comparetur ad res perfectas, dicitur non perfecta, non quasi deficiens a perfectione, sed supereminentius et prius perfectionem habens. Tertio, ostendit idem circa formas, et dicit quod deitas Christi comparata ad ea quæ carent forma, potest dici forma effective, inquantum « est forma formam faciens; » comparata vero ad formas potest dici sine forma, non per defectum, sed per excessum, quia superat omnem formam. Quarto, ostendit idem quantum ad substantias, et dicit quod deitas Christi potest dici causaliter « substantia, » inquantum supervenitatis substantiis, id est omnibus et unicuique secundum totum [3] per modum cujusdam participationis, sed tamen supervenit « immaculate, » quia non participatur per commixtionem substantiæ, sed [4] per modum similitudinis; « et iterum est segregata ab omni substantia, » inquantum « supersubstantialiter » existit. Quinto, ostendit idem quantum ad principia, et dicit quod deitas Christi determinat omnia principia (diversorum enim diversa sunt principia), et determinat ordinem principiorum ad principiata, sed tamen est « supercollocata super omnem ordinem et [5] super omnem principatum. » Deinde ostendit idem per comparationem ad ea quæ sunt exemplum rei; et primo quantum ad mensuram durationis rerum, dicit quod deitas Christi « est mensura existentium, quasi determinans unicuique mensuram sui esse, vel quia unumquodque intantum habet esse, inquantum appropinquat ei, et etiam « est ævum, » quod dicitur mensura essendi, sicut tempus est mensura mutationis; et tamen est « super ævum, » inquantum est mensura superexcedens totum esse creatum. Secundo, ostendit causalitatem ejus quantum ad perfectionem supervenientem qua rerum capacitas impletur, sicut intellectus impletur speciebus intelligibilibus, et dicit quod deitas Christi comparata ad deficientia quæ dicuntur minus existentia, dicitur « plena, » quasi plenitudinis causa, et comparata ad ea quæ sunt plena, dicitur « superplena, » quasi excedens super omnem plenitudinem. Tertio, ostendit eam per comparationem ad intellectum et locutionem, quæ sunt extra rem, et dicit quod est « indicibilis et ineffabilis, » quia neque sermone complexo neque incomplexo sufficienter exprimi potest; et est « super mentem et super » omnem « vitam, » quia excedit omnem cognitionem et omnem actum vitæ. Et quia multa supernaturalia attribuerat Christo, consequenter ostendit quod habet ea non defectivo modo, sed supereminenti; et hoc est quod dicit quod habet id [6] quod est « supernaturale [7] supernaturaliter, » et id quod est « supersubstantiale, supersubstantialiter. » Absolvere enim a peccatis est [8] supernaturale, sed purus homo non habet hoc supernaturaliter, sicut habet Filius Dei; et similiter dicendum est de aliis hujusmodi.

Deinde cum dicit : « Unde quoniam et

[1] Parm. omittit : « tamen. » — [2] Al. : « et meo est. » — [3] Parm. omittit : « totis substantiis, id est omnibus et unicuique secundum totum. » — [4] Al. omittitur « sed. » — [5] Parm. omittit : « super omnem ordinem et. » — [6] Parm. omittit : « quod habet id. » — [7] Al. : « naturale. » — [8] Al. : « sibi supernaturale. »

usque ad naturam a benignitate venit, et vere substantia factus est, et vir superdeus existit, » laudat humanitatem Christi, et dicit quod deitas Christi est tanta et excellens; inde est quod ipse per suam benignitatem venit usque ad naturam nostram « et vere factus est substantia, » id est hypostasis nostræ naturæ, et cum « superdeus » esset, factus est « vir, » id est homo. Hæc quæ dicuntur secundum propitiationem ipsius, per quam humanam naturam assumpsit, debent laudari « super mentem, » et super « rationem. » Quamvis enim acceperit propria nostræ naturæ, tamen in ipsis rebus humanis habuit « supernaturale et supersubstantiale, » id est, uno modo, inquantum communicavit nobis, assumens nostram naturam absque variatione divinæ naturæ, et absque commixtione ipsius et confusione ad humanam naturam, ita quod per exinanitionem ineffabilem, de qua Apostolus loquitur Philip., II, « nihil passus est ad superplenum ipsius, » id est nihil diminutum est de plenitudine suæ deitatis; non enim dicitur exinanitus per diminutionem deitatis, sed per assumptionem nostræ naturæ deficientis; alio modo, quia « quod est inter omnia nova magis novum » et mirabile, ipse « erat in naturalibus nostris supernaturaliter et in substantialibus nostris supersubstantialiter, omnia » humana, quæ ex nobis accepit, « supra nos habens; » quia caro ejus majoris virtutis est et dignitatis quam alterius, et anima ejus dignior omni anima, et actiones ejus miraculis fuerunt virificæ et salutares ex virtute deitatis adjunctæ[1].

LECTIO VI.

Igitur de istis quidem satis est; ad verbi autem intentionem procedamus, communia et unita discretionis divinæ nomina, secundum quod est nobis possibile, revolventes, et ut plane de omnibus consequenter prædestinemus, discretionem divinam esse dicimus, sicut dictum est, bono convenientes thearchiæ processiones. Donans enim omnibus existentibus, et superfundens totorum bonorum participationes, unitive quidem discernitur, et in pluralitatem agitur singulariter, et multiplicatur ex uno inegressibiliter. Postea quoniam existens est Deus supersubstantialiter, dat autem esse existentibus, et deducit totas substantias; multiplicari dicitur unum existens illud, quia ex ipso multa existentia deducuntur. Manet autem nihil minus illud unum in multiplicatione, et unitum in processione, et plenum in discretione, eo quod ab omnibus existentibus supersubstantialiter segregatum est, et quod ab ipso unitive tota deducantur, et quod non minoratur effusio non minorabilium ipsius distributionem. Sed et unum existens et omni parti et toti, et uni et multitudini unum tradens, unum est simpliciter supersubstantialiter neque pars existens multitudinis, neque ex partibus totum; et ita neque unum est, neque unum habet. Longe autem ab istis unum est superunum, quod est existentibus et multitudinem deducens et perficiens et continens. Rursus ex ipsius deificatione deiformi, uniuscujusque secundum virtutem multis diis factis, videtur quidem esse et dicitur unius Dei discretio et multiplicatio; est autem nihilominus princeps Deus, et superdeus supersubstantialiter unus Deus, indivisibilis, in divisibilibus unitus sibiipsi, et multis immixtus, et non multiplicatus. Et hoc supernaturaliter intelligens communis noster, et ducis ad divinam illuminationem manuductor, qui est multus in divinis, qui est lumen mundi, hæc dicit motus a Deo, in sanctis litteris ejus. Etenim si sunt dicti dii, sive in cœlo, sive in terra (sicut quidem sunt dii multi et domini multi) sed nobis quidem unus Deus Pater, ex quo omnia, et nos in ipso, et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum. Etenim in divinis unitiones discretiones superant, et præprincipantur; et nihilominus sunt unita, et post unius inegressibilem et unitivam discretionem. Istas communes et unitas totius deitatis discretiones, sive bono convenientes processiones, nos ex Dei nominationibus manifestantibus ipsas in eloquiis laudare, secundum quod est possibile, tentabimus. Hoc quemadmodum dictum est; præcognito, omnem beneficam[2] Dei nominationem, in quacumque ponitur thearchicarum personarum, in tota ipsam accipi thearchica totalitate inobservanter.

« Igitur de istis quidem satis est. Ad verbi autem intentionem procedamus. » Postquam Dionysius exposuit divinæ discretionis et unitionis modum, hic prosequitur de illo modo qui principaliter pertinet ad materiam hujus libri, scilicet de discretione divina, quæ attenditur secundum processionem creaturarum; quæ quidem discretio unita est et communis toti Trinitati, ut supra dictum est. Circa hoc ergo duo facit. Primo, exponit quomodo ista discretio est cum unitione; secundo, promittit de istis quæ ad hanc discretionem pertinent, in sequentibus se determinaturum, ibi: « Istas communes et unitas totius deitatis discretiones ..... laudare, secundum quod est possibile, tentabimus. » Circa primum tria facit. Primo, dicit de quo est intentio; secundo, manifestat propositum, ibi: « Et ut plane de omnibus consequenter

[1] Sic cod. Vict.; Parm.: « et actus ejus et operationes fuerunt unificæ et virtute deitatis ad invicem. » — [2] Al.: « beatificam. »

prædeterminemus, discretionem divinam esse dicimus, sicut dictum est, bono convenientes thearchiæ processiones ; » tertio, assignat rationem dictorum, ibi : « Etenim in divinis unitiones discretiones superant. »

Dicit ergo primo quod de illis quæ pertinent ad laudem Christi, sufficiant ad præsens quæ dicta sunt, tam ab ipso quam a Hierotheo; sed procedendum est ulterius ad ea quæ pertinent ad intentionem verbi quod intendit in hoc opere, ut scilicet discutiamus secundum nostram possibilitatem nomina pertinentia ad illam discretionem divinam quæ attenditur secundum processiones creaturarum; quæ quidem nomina communia sunt toti Trinitati, et non solum communia, sed etiam unita. Est enim animal commune homini et equo, non tamen eadem numero animalitas est in utroque, sed bonitas et essentia et hujusmodi sic sunt communia toti Trinitati quod unum numero[1] sunt in tribus.

Deinde cum dicit : « Et ut plane de omnibus consequenter prædeterminemus, » manifestat quomodo possit esse divina discretio cum unitione, et hoc manifestat in quatuor. Primo quidem in ipso bono ; secundo, in ente, ibi : « postea quoniam existens est ; » tertio, in uno, ibi : « et unum existens ; » quarto, in ipso nomine deitatis, ibi : « rursus ex ipsius deificatione. » Hæc enim quatuor maxime videntur Deo convenire. Primo quidem tam propter eorum communitatem, non enim determinatur ad genus vel speciem quod infinitati divinæ naturæ convenire videtur, quam etiam propter usum nominis, quod omnes summo[2] rerum principio attribuunt. Dicit ergo primo quod « discretionem divinam dicimus esse processiones deitatis, » quæ conveniunt ei secundum rationem boni, « sicut » supra « dictum est. » Et ideo incipiamus primo a bono, ut consequenter in aliis manifestius ostendamus quod de bono ostensum fuerit. Nam bonum universaliter se habet ad omnes processiones : quidquid enim Deus creaturæ communicat, ex sua bonitate communicat. Alia vero nomina aliquas processiones speciales designant. Sic ergo quod in universali manifestatum fuerit, planius videri poterit in specialibus.

Considerandum est autem quod multitudo procedit ex uno tripliciter. Uno quidem modo per divisionem, sicut unum totum dividitur in multas partes, sed talis multitudo tollit plenitudinem et adunationem, quæ erat in toto. Alio modo per modum communitatis, sicut ex uno genere proveniunt multæ species, et ex una specie multa individua, sed istud unum sic multiplicatum non est unum singulare, sed commune. Tertio modo multiplicatur apud nos aliquod unum per effusionem, sicut ex uno fonte proveniunt multi rivuli, sed hoc fit cum quadam egressione, inquantum scilicet aqua a fonte egrediens se in multos rivulos diffundit, in existentia autem omnium bonorum participantium sapientiæ, vitæ et hujusmodi, ipsa quidem bonitas « discernitur, » id est distinguitur, dum distincta bona ab ea proveniunt, sed hoc fit « unitive ; » nihil enim diminuitur de plenitudine, quia omnia bona adunantur in ipsa ; « et » iterum « in pluralitatem agitur singulariter, » id est in pluralitatem plurificatur in suis effectibus, non sicut aliquod universale, sed singulare in seipsa manens, « et » iterum « multiplicatur » per diffusionem « ex uno inegressibiliter, » quia nihil de substantia ejus egreditur. Et hoc ideo est, quia discretio, et multiplicatio, et diffusio attenditur secundum quasdam similitudines divinæ bonitatis ; ipsa autem divina bonitate manente secundum suam essentiam indistincta et una et in se collocata.

Deinde cum dicit : « Postea quoniam existens est Deus supersubstantialiter ....., multiplicari dicitur unum existens illud, » manifestat idem in ente, et dicit quod quia « Deus est supersubstantialiter » ens quantum ad suam existentiam, sed tamen « dat esse » omnibus « existentibus, » et producit universaliter substantias rerum ; propter hoc « illud » ens « unum » supersubstantiale, quod Deus est, « dicitur multiplicari, » in sua scilicet similitudine, et quanquam « ex ipso multa existentia deducuntur, » sed tamen nihilominus hujusmodi ens « manet unum » secundum suam existentiam « in multiplicatione, » quæ fit per « ejus similitudinem, » et manet « unitum, » id est adunatum « in processione, » et manet « plenum, » et integrum « in distinctione. » Et hoc ideo quin ipsum in sua

[1] Parm. omittit : « numero. » — [2] Parm. : « supposito. »

substantia est supersubstantialiter « segregatum ab omnibus entibus, et » quia « omnia producuntur ab ipso unitive, » id est secundum unam virtutem, quæ producendo diversa non dividitur; et integrum[1], quia « diffusio » donorum ejus, quæ distribuit rebus, minorari non potest, nec « minoratur[2]. » Non enim est dicendum quod sic uni bona communicet quod non possit amplius communicare; in nullo enim plenitudo bonitatis ejus per hujusmodi communicationem diminuitur.

Deinde cum dicit : « Sed et unum existens[3], » ostendit idem quantum ad unum, et dicit quod Deus, cum sit unum, et det unum esse parti et toti, et communi unitati et multitudini, inquantum omnis multitudo aliqualiter participat unum; ipse, inquam, sic « existens unum, » et dans unitatem, « supersubstantialiter est unum simpliciter, » sicut bonum et ens, quia non est aliquid eorum quibus dat esse unum. Non enim est sicut unum quod est pars multitudinis, cum nihil ei ex æquo connumerari possit, neque etiam est unum sicut aliquod totum ex partibus constitutum; et sic non est unum eo modo quo alia, neque habet unum quasi participans ipse, sed tamen unum est elongatum ab istis quæ hoc sunt unum, inquantum est super unum quod invenitur in existentibus creatis, et hoc est unum quod producit multitudinem rerum in esse, et perficit attribuendo rebus proprias perfectiones, et continet conservando omnia in suo esse et in suo ordine.

Deinde cum dicit : « Rursus ex ipsius deificatione deiformi, uniuscujusque secundum virtutem multis diis factis, videtur quidem esse et dicitur unius Dei discretio et multiplicatio, » ostendit idem in ipso nomine deitatis, et dicit quod « videtur esse et dicitur unius Dei discretio et multiplicatio, » inquantum multi dii fiunt ex hoc quod Deus aliquas creaturas deificat per conformitatem ad Deum secundum virtutem uniuscujusque deificatorum : non quod perfecte ei conformari possint, aut quod per existentiam dii dicantur. Et quanquam sint et dicantur multi dii beatificari, nihilominus tamen est unus principalis Deus, qui est super omnem deitatem communicatam, « supersubstantialiter » existens « unus Deus. » Et cum ipse existat in omnibus indivisibilis, manet « in » rebus « divisibilibus » existens, quibus esse communicat, et est « unitus » in seipso, et multitudini non admiscetur, « et non multiplicatur » secundum quod in se consideratur. « Et hoc supernaturaliter intelligens » beatus Paulus, qui fuit « manuductor, » id est instructor ad divinam illuminationem, tam ipsius Dionysii, quam etiam « ducis » ejus, id est Hierothei, qui, scilicet Paulus, multa de divinis cognovit, et « qui est lumen mundi, » sicut ipse in se dicit impletum, Act., XIII, quod dicitur Isa., XLIX, 6: *Posui te in lucem gentium;* et dixit in suis sanctis Epistolis, scilicet I Corinth., VIII, 5, « motus » per inspirationem « a Deo, » quia « etsi sunt qui dicantur dii sive in cœlo sive in terra, nobis tamen unus Deus Pater, ex quo omnia, et nos in illo; et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum. » Ex hac enim auctoritate patet quod multitudo deificatorum et in cœlestibus, sicut sunt angeli, et in terra, sicut sancti homines, non præjudicat unitati deitatis quæ communis est Patri et Filio.

Deinde cum dicit : « Etenim in divinis unitiones discretiones superant, » assignat rationem dictorum. Ideo enim processio prædicta et multiplicatio et discretio unitatem divinam non tollit, quia « in divinis unitiones superant discretiones, et principantur eis : » unitiones enim attenduntur secundum ipsam divinam essentiam; discretiones autem secundum similitudines Dei rebus impressas, quæ multum deficiunt a suo principio, et ideo divina nihilominus remanent unita, postquam illud unum, quod est Deus, discernitur per diversas similitudines « discretione inegressibili, » quia nihil egreditur de divina essentia, « et unitiva, » quia talis discretio unitatem divinam non tollit.

Deinde cum dicit : « Istas communes et unitas totius deitatis discretiones, sive bono convenientes processiones, nos ex Dei nominationibus manifestantibus ipsas in eloquiis, laudare, secundum quod est possibile, tentabimus, » promittit se de hujusmodi in sequentibus acturum, et dicit quod tentabit secundum suam possibilitatem cum

[1] Parm. omittit : « integrum. » — [2] Al. : « et minorari non possunt, nec minorantur. » — [3] Parm. : « ens. »

laude Dei exponere prædictas discretiones, quæ sunt unitæ et communes toti deitati, sive etiam nominentur processiones convenientes bonitati divinæ. Intendit autem eas manifestare ex divinis nominibus quæ in Scriptura traduntur, quæ demonstrant hujusmodi processiones, sicut cum dicimus Deum vivum vel sapientem, demonstratur processio vitæ et sapientiæ a Deo in creaturas. Hoc tamen præcognosci debet, quia, ut dictum est, quæcumque Dei nominatio ad ejus beneficentiam pertinens, de quacumque divinarum personarum dicatur, de omnibus personis absque dubitatione accipienda est.

CAPUT TERTIUM.

QUÆ ORATIONIS VIRTUS, ET DE BEATO HIEROTHEO, ET DE REVERENTIA ET TRACTATU THEOLOGICO.

LECTIO I.

Et primam, si videtur, perfectam, et totarum Dei processionum manifestativam, boni nominationem inspiciemus, boni principem et superbonam invocantes Trinitatem, quæ est manifestativa totarum providentiarum benigne ab ipsa donatarum. Oportet enim nos orationibus primum ad ipsam sicut boni principem produci, et magis ipsi propinquantes, in hoc doceri optima bona circa ipsam collocata. Etenim ipsa quidem universis adest, non autem omnia ipsi adsunt. Cum[1] autem ipsam invocamus castissimis quidem orationibus et revelata mente, et ad divinam unitionem aptitudine, tunc et nos ipsi adsumus. Ipsa enim neque in loco est, ut et absit a quodam, aut ex aliis ad alia transeat; sed et dicere in omnibus existentibus ipsam esse relinquitur ab infinitate quæ est super omnia[2]. Nos igitur ipsos orationibus extendamus ad divinorum bonorum radiorum altiorem respectum : sicut si multi luminis catena ex cœlesti summitate pendente, ad anteriora autem descendente, semper ipsam mutatis manibus ad anterius capientes, trahere quidem ipsam deorsum videremur; revera autem non deponeremus illam, et sursum et deorsum præsentem, sed nosipsi sursum ageremur ad altiores multorum luminum radiorum splendores; aut sicut si navem ascendissemus et teneremus quosdam funes ex quadam petra ad nos extensos, et sicut nobis ad auxilium datos, non ad nos petram, sed nosipsos vere, et navem ad petram adduceremus; sicut et e converso si quis stans in navi, impingat petram stantem juxta mare, aget[3] nihil contra petram stantem et immobilem, sed seipsum ab illa separabit, et quanto amplius impinget, amplius ab illa impingetur. Propter quod et ante omne, et magis theologiam, ab oratione incipere est utile, non sicut trahentes ubique præsentem et nusquam virtutem, sed sicut divinis memorationibus et invocationibus nosipsos ipsi tradentes et unientes. Et hoc forsitan excusatione dignum, quod cum nobilis dux noster Hierotheus *Theologicas*[4] *stoytheioses* supernaturaliter congreget, nos, quasi illæ non sufficiant, et alias et præsentem theologiam conscripsimus. Etenim si ille consequenter tractare omnia theologica negotia dignatus esset, et particularibus revolutionibus transisset universæ theologiæ capitulum, non nos ad tantum aut furoris, aut pravitatis perveniremus[5] quod aut arbitraremur[6] nos immittere theologiis perspicacius illo et divinius, aut bis eadem dicentes, vana loqueremur. Præterea et injuriam faceremus et magistro et amico existenti, et nos ex ejus eloquiis post divinum Paulum introducti nobilissimam ipsius contemplationem et manifestationes nobis ipsis arripientes. Sed quoniam ille prudenter revera inducens divina, conspicaces nobis definitiones exposuit, et in una multa comprehendentes[7], præcipiens nobis, et quicumque sunt secundum nos magistri animarum noviter quæ perficiuntur, sicut est possibile, reserare et discernere commensurato nobis sermone conspicaces et unitivas intellectualissimæ virtutis illius viri convolutiones; et multoties nos ipse ad hoc hortatus es, et librum ipsum sicut superexcedentem remisisti; ideo et nos hunc quidem sicut perfectarum deliberationem magistrum his qui sunt super multos determinavimus[8], sicut quædam secunda eloquia, et christorum Dei sequentia ; his autem qui sunt secundum nos, juxta proportionem nostram nos divina trademus. Si enim perfectorum est fortis cibus, isto cibare alios quantæ sit perfectionis? Recte igitur a nobis et hoc dictum est, visionem quidem , et intelligibilium eloquiorum per se inspectivam et conspicacem ipsorum doctrinam provecta indigere virtute; scientiam autem verborum ad hoc ferentium, et disciplinam, subjectis sanctificatoribus et sanctificatis convenire. Quamvis et hoc a nobis observatum est valde studiose, quod discretis ab ipso divino duce secundum planam manifestationem, nec totaliter manum apposuimus aliquando ad eamdem propositi ejusdem eloquii manifestationem. Quoniam et apud ipsos Deo acceptos nostros hierarchas, quando et nos, ut nosti, et ipse et multi sanctorum nostrorum fratrum convenimus ad visionem corporis vitæ principis, et quod Deum susceperat. Aderat autem et frater Domini Jacobus et Petrus, summa et provectissima theologorum summitas. Postea visum est post visionem ut universi hierarchæ laudarem, sicut unusquisque erat sufficiens, infinitate virtutis bonitatem hierarchicæ infirmitatis, omnes alios sanctos magistros post theologos, ut nosti, superabat, totus excedens[9], totus extasim patiens a seipso, et ad laudata communionem patiens, et a cunctis a quibus audiebatur et, videbatur, et co-

[1] Al. : « tunc. » — [2] In translatione Joannis Saraceni quæ extat in editione Commentariorum Dionysii Chartusiani in S. Dionysii Areopagyta libros, Coloniæ, an. 1534, impensis Petri Quentel additur « et comprehendit omnia. » — [3] In eadem translatione « quidem. » — [4] Al. : « theologus. » — [5] In cit. translatione : « pervenissemus. » — [6] Al. : « arbitremur, loquamur et faciamus. » — [7] In citata translatione : « comprehendens. » — [8] Ibid. : « determinamus. » — [9] Al. deest : « totus excedens. »

gnoscebatur, et non cognoscebatur, Deo acceptus esse et divinus laudator judicatus. Et quid tibi de theologizatis ibi dicam? Etenim si non et meipsum oblitus sum, multoties novi a te, et partes quasdam audiens illorum hymnorum a Deo motorum. Ita tibi fuit studium non otiose divina exequi. Et, ut mystica illa, ut sicut multis non dicenda, et sicut cognita tibi, prætermittamus; quando multis oportebat communicare, et quos est possibile, ad sanctorum cognitionem quæ est secundum nos adducere, quomodo excedebat multos magistrorum sanctorum, et temporis tritione, et mentis puritate, et demonstrationum diligentia, et reliquis locutionibus sanctis. Quare nunquam ad ita magnum solem contra inspicere conati sumus. Ita enim nobisipsis consentimus : et scimus quod neque sufficienter intelligere intelligibilia divinorum capimus, neque quæ sunt dicibilia Dei cognitionis, dicere et eloqui. Longe autem existentes deficimus a divinorum virorum scientia ad theologicam veritatem : quoniam ad hoc omnino propter abundantem reverentiam venimus, ut neque totaliter audeamus, aut dicamus aliquid de divina philosophia, nisi secundum mentem acceperimus, sicut non oportet contingentem divinorum cognitionem negligere, et hoc nobis persuaserunt non solum secundum naturam desideria mentium amabiliter semper cupientia quam capere possunt supernaturalium contemplationem, sed et ipsa divinarum legum optima depositio, prohibens quidem ea quæ sunt super nos multum scrutari, et sicut super dignitatem, et sicut impossibilia; omnia autem quæcumque a nobis desiderantur, et data sunt, discere attente præcipiens, et aliis tradere benigne. Igitur istis et nos persuasi, et ad possibilem divinorum inventionem non pigritantes aut formidantes, sed et non valentes nobis meliora contemplari sine auxilio relinquere non patientes, ad conscribendum nosipsos deposuimus, novum quidem introducere nihil audentes, sed subtilioribus et particularibus singulorum inquisitionibus, ea quæ sunt dicta vere a Hierotheo, conspicaciter discernentes et manifestantes.

« Et primam, si videtur, perfectam et totarum Dei processionum manifestativam, boni nominationem inspiciemus. » Postquam Dionysius præmisit quædam necessaria ad sequentem doctrinam, incipit prosequi suam intentionem; et primo, præmittit quoddam proœmium ad totum opus sequens; secundo, incipit tradere doctrinam de divinis nominibus quam intendit, cap. IV. Circa primum duo facit. Primo, ostendit necessarium esse ut ab oratione incipiat; secundo, excusat se quod post Hierotheum ipse conatus est eadem tractare de quibus ille tractaverat, et quomodo reverentiam ad magistrum servat, ibi : « Et hoc forsitan excusatione dignum, » et hæc duo tanguntur in titulo capituli, qui talis est : « Quæ orationis virtus, » quantum ad primam partem capituli, « et de beato Hierotheo, et de reverentia et tractatu theologico, » quantum ad secundam partem. Circa primum tria facit. Primo, proponit quod intendit; secundo, manifestat propositum per rationem, ibi : « Oportet enim nos orationibus primum ad ipsum sicut boni principem produci; » tertio, per exempla, ibi : « Sicut si multi luminis catena ex cœlesti summitate pendente, ad anteriora autem descendente, semper ipsam mutatis manibus ad anterius capientes, trahere quidem ipsam videremur, revera autem non deponeremus illam. »

Dicit ergo primo quod si hoc conveniens videbitur inter alias divinas nominationes, nunc debemus considerare ipsam « nominationem, boni, » id est secundum quam Deus nominatur bonus.

Et ad hujusmodi nominationem accipiendam considerandum est quod platonici materiam a privatione non distinguentes, ponebant eam in ordine non entis, ut dicit Aristoteles in I *Physicorum*. Causalitas autem entis non se extendit nisi ad existentia [1]. Sic igitur secundum eos causalitas entis non se extendebat ad materiam primam, ad quam tamen se extendit causalitas boni. Cujus signum est quod ipsa maxime appetit bonum. Proprium autem est effectus [2] ut convertatur per desiderium in suam causam. Sic igitur bonum est universalior et altior causa quam ens, quia ad plura se extendit ejus causalitas. Et quamvis Dionysius hoc tangere videatur in sequenti capitulo, tamen aliam rationem hujus ordinis considerasse videtur. Intendit enim in hoc libro agere de divinis nominibus manifestantibus processiones creaturarum a Deo, secundum quod est causa rerum. Id autem quod habet rationem causæ, primo et universaliter est bonum. Quod apparet duplici ratione. Primo quidem, quia bonum habet rationem finis; finis autem primo habet rationem causæ. Nam forma est causa inquantum facit materiam esse actu; materia autem fit actu primo quando ab agente incipit. Secundo, quia agens agit sibi simile, non inquantum est ens quocumque modo, sed inquantum est perfectum. Perfectum enim, ut dicitur VIII *Metaphys.*, est quod potest sibi simile facere. Perfectum autem habet rationem

[1] Parm. : « entia. » — [2] Parm. : « affectus. »

boni. Sic igitur quidquid Deus facit creaturis, sive esse, sive vivere et quodcumque aliud, totum ex bonitate divina procedit, et totum ad bonitatem pertinet creaturæ. Et ideo dicit quod nominatio est perfecta, inquantum omnia comprehendit, et est manifestativa omnium divinarum processionum.

Ad hoc autem quod de processione boni tractemus, oportet nos orando invocare sanctam Trinitatem, quæ est principium omnis boni et est super omnem bonitatem. Sicut enim ipsa ex sua benignitate dat omnia dona ab ea provisa, ita ipsa sola sufficienter manifestare potest; opera enim artis in artifice optime cognoscuntur.

Deinde cum dicit : « Oportet enim nos orationibus primum ad ipsum sicut boni principem produci, » manifestat propositum per rationem, dicens quod oportet nos ad cognoscendas divinas processiones divinæ bonitatis, Trinitatem orando invocare, et circa hoc tria facit. Primo, ponit rationem ad principale propositum; secundo, manifestat quoddam in ratione suppositum, ibi : « Etenim ipsa quidem universis adest; » tertio, probat quoddam in hac ratione assumptum, ibi : « Ipsa enim neque in loco est. » Dicit ergo quod « oportet nos produci, » id est extendi, per orationes ad ipsam Trinitatem, sicut ad principium omnis boni processionis, quia per hoc quod nos oramus ei appropinquamus; et quanto magis propinquamus ei, tanto magis possumus addiscere dona bonitatis ejus, quæ circa ipsam collocantur, quasi ab ea per similitudinem bonitatis derivata; quanto enim aliquis magis appropinquat alicui rei, magis cognoscit quæ circa ipsam sunt.

Deinde cum dicit : « Etenim ipsa quidem universis adest, » quoddam quod proposuerat manifestat, scilicet quod per orationem nos appropinquamus sanctæ Trinitati; et dicit quod « ipsa quidem » sancta Trinitas, « omnibus adest, » inquantum omnibus sua dona communicat; « sed non omnia ipsi adsunt, » inquantum deficiunt a participatione ejus. Sed quando nos « invocamus ipsam, tunc adsumus ei, » appropinquantes ad ipsam. Sed ad hoc quod oratio nos faciat ei propinquos, tria requiruntur. Primo, quod sensualitas sit munda ab omnibus carnalibus et mundanis affectionibus, quibus illecti retrahimur inferius, et hoc tangit cum dicit : « castissimis orationibus. » Secundo, ut intellectus noster non obumbretur caligine phantasmatum; quod accidit illis qui spiritualia non supra corporalia capere volunt[1]; ut qui posuerunt Deum effiguratum figura humani corporis; propter quod etiam impedimur ab ascensu in Deum, et quantum ad hoc dicitur : « revelata mente. » Tertio, ut voluntas nostra per caritatem et devotionem sit ordinata in Deum, et hoc est quod subdit : « Et apti ad divinam unitionem. »

Deinde cum dicit : « Ipsa enim neque in loco est, » probat quod supposuerat, scilicet quod deitas universis adest, quod quidem probat duabus rationibus. Deitas enim non est in loco ut definita vel circumscripta loco. Omne autem quod alicubi adest alibi non existens, aut quod sic transit ad quædam ut alia deserat, est in loco ut circumscriptum vel definitum. Non ergo hoc de deitate dici potest. Manifestum est autem quod alicui præsens est, ad minus sibiipsi; ergo omnibus adest. Secundam rationem ponit, ibi : « Sed et dicere in omnibus existentibus ipsam esse relinquitur ab infinitate, quæ est super omnia. » Omne infinitum quod est super omnia, et comprehendit omnia, adest omnibus, sed Trinitas est hujusmodi; ergo relinquitur quod ipsa adsit omnibus. Et ex hoc potest accipi quod nulla creatura sit ubique, cum ex infinitate Dei hoc per consequentiam relinquatur quod Deus sit in omnibus. Ultimo autem concludit principale intentum, quod debemus nos per orationem extendere ad altiorem considerationem radiorum divinæ bonitatis.

Deinde cum dicit : « Sicut si multi luminis catena ex cœlesti summitate pendente, ad anteriora autem descendente, semper ipsam mutatis manibus ad anterius capientes, trahere quidem ipsam deorsum videremur, revera autem non deponeremus illam, » manifestat propositum per exempla; et primo, ponit exempla duo ad propositum manifestandum; secundo, concludit principale propositum, ibi : « Propter quod et ante omne et magis theologiam, ab oratione incipere est utile. » Primum exemplum est quod imaginemur catenam multi luminis quæ pendeat a summitate cœli, et

[1] Cod. Vict. : « valent. »

descendat usque ad terram coram facie nostra. Si acciperemus illam catenam, et semper mutaremus manus versus superius, videremus quidem trahere catenam deorsum; sed secundum veritatem non dejiceremus eam, cum ipsa esset præsens sursum et deorsum, sed nosipsi elevaremur in majorem splendorem illius luminosæ catenæ. Secundum exemplum ponit ibi : « Aut sicut si navem ascendissemus, » et dicit quod si ascenderemus in navem « et teneremus quosdam funes, » qui extenderentur ; « ab aliqua petra » exteriori ; « ad nos, » qui essent nobis ad auxilium dati; « non traheremus ad nos petram, » sed secundum rei veritatem, « et nosipsos et navem duceremus ad petram ; et e contrario si aliquis stans in navi impingat » ad « petram quæ stat juxta mare, nihil ageret contra petram, » quæ est stans et immobilis, « sed seipsum separabit ab illa ; » et tanto magis « quanto magis impinget ad eam. »

Ad hoc autem quod ista exempla ad propositum adaptentur, considerandum quod circa orationem secundum quinque opiniones oportet diversimode judicare. Quidam enim sustulerunt totaliter Dei providentiam, ponentes omnia a casu accidere, et hæc fuit opinio epicureorum. Quidam vero posuerunt Dei providentiam circa res incorporales et universales ; sed a rebus humanis divinam providentiam subtraxerunt, et hæc fuit opinio quorumdam peripateticorum. Quidam vero extenderunt divinam providentiam usque ad omnia, sed dixerunt ex divina providentia res omnes necessarios eventus habere, totaliter a rebus contingentiam auferentes, et hæc fuit opinio stoicorum, ponentium secundum inevitabilem causarum[1] seriem, quam fatum nominabant, omnia ex necessitate contingere. Quarta fuit opinio quorumdam Ægyptiorum, qui dixerunt providentiam Dei mutabilem esse. Quinta fuit opinio quorumdam platonicorum, dicentium quod divina providentia immutabilis est, sed sub ea res aliquæ mutabiliter et contingenter continentur. Primæ igitur tres opiniones totaliter orationis fructum evacuant. Si enim Deo nulla cura est de rebus, vel saltem non est ei cura de rebus humanis, aut si omnia ex necessitate eveniunt, frustra Deo preces funduntur. Quarta autem opinio fructum orationis non tollit, sed ei plus debito tribuit, scilicet immutare divinam providentiam. Unde sola quinta opinio rectum[2] judicium de oratione habet, quam Dionysius hic sequitur, ut scilicet per orationem nosipsos trahamus mutabiles existentes ad divinæ providentiæ participationem ; non autem credamus nos divinam providentiam posse mutare. Catena ergo luminis ab immobili cœli summitate dependens, vel funes qui ab immobili petra extensi sunt, significant ordinem divinæ providentiæ ab immobilitate divinæ sapientiæ procedentem. Quod autem dicit catenam ubique præsentem in cœlo et in terra, et deinde omnibus adesse, significat providentiam ejus ad omnia se extendere, contra primam opinionem. Quod autem dicit de immobilitate lapidis et quod catena luminis ad nos trahi non potest, significat divinam providentiam immobilem esse, contra quartam positionem vel opinionem. Quod autem dicit quod nosipsi sursum ducimur per catenam immobilem, et petræ appropinquamus per funem, aut ab ea separamur per impulsionem, significat mobilitatem nostram ad sequendum divinæ providentiæ fructum, contra tertiam positionem. Ultimo concludit propositum, quod scilicet ante omnia, maxime autem theologica negotia, utile est nos incipere ab oratione, non ita quod nos per orationem trahamus divinam virtutem, quæ ubique præsens est et nusquam concluditur, sed sicut per divinam commemorationem et invocationem nosipsos trahentes et ei unientes.

« Et hoc forsitan excusatione dignum. » Præmissa orationis necessitate, procedit Dionysius ad sui excusationem ; et primo, ponit unde accusabilis alicui videri posset ; secundo, se excusat, ibi : « Etenim si ille consequenter tractare omnia theologica negotia dignatus esset ..., non nos ad tantum aut furoris aut pravitatis pervenissemus quod aut arbitraremur nos immittere theologiis perspicacius illo et divinius, aut his eadem dicentes vana loqueremur. » Dicit ergo primo quod hic videtur excusatione dignus, quod cum Hierotheus, qui fuit nobilis magister ejus, adunaverit subtiliter loquendo quosdam tractatus de rebus divi-

[1] Parm. : « ineffabilem earum seriem. » — [2] Parm. : « utrumque. »

nis, Dionysius scripsit et alios tractatus de rebus divinis, et præsentem librum, ac si tractatus Hierothei non sufficerent, quod ad quamdam irreverentiam pertinere videtur.

Deinde cum dicit : « Etenim si ille consequenter tractare omnia theologica negotia dignatus esset, » procedit ad sui excusationem, et circa hoc tria facit. Primo, excusat se ab irreverentia; secundo, ostendit reverentiam suam ad Hierotheum, ibi : « Quoniam et apud ipsos Deo acceptos nostros hierarchas ... aderat et frater Domini Jacobus et Petrus; » tertio, concludit intentionem suam in hoc opere conscribendo, ibi : « Igitur istis et nos persuasi ... ad conscribendum nosipsos deposuimus. » Excusat autem tripliciter. Prima excusatio est quod ea quæ Hierotheus in unum dixerat, ipse ex mandato Hierothei et ad petitionem Timothei per singula tractavit, et hoc est quod dicit quod si Hierotheus dignatus esset tractare per ordinem omnia quæ pertinent ad theologicam considerationem et tractatum totius theologiæ, quem scilicet quasi in quodam genere et summa peregit, voluisset percurrere perscrutando in particulari, Dionysius non pervenisset ad tantum furorem vel pravitatem quod vellet scribere de divinis. Quod autem ad furorem vel pravitatem pertinuisset, ostendit altero duorum modorum, quorum unus est quod Dionysius arbitraretur se elevare ad considerationes theologicas perspicacius quam Hierotheus et magis divine; alius modus est quod ipse non crederet se altiora dicere : et tunc sequerentur duo inconvenientia, quorum unum est quod eadem repetendo quæ Hierotheus dixisset, inutiliter scriberet, et sic incurreret vaniloquium; aliud inconveniens est quod quasi furtive arripiendo sibi nobilissimam contemplationem et manifestationem divinorum ipsius Hierothei, faceret ei injuriam, cum tamen ipse fuerit magister ejus et amicus, et Dionysius fuerit introductus ad theologicam cognitionem maxime ex verbis Hierothei, tamen post doctrinam Pauli. Sed Hierotheus exposuit quasdam determinationes : « conspicaces, » id est ex magna difficultate et intelligentia acceptas, et « comprehendentes multa in uno » universali, secundum rei veritatem, « prudenter » homines ad « divina inducens; » et præcepit Dionysio et aliis ei similibus « qui sunt magistri animarum » quæ de novo instruuntur, quod secundum eorum possibilitatem manifestarent et distinguerent ab eis universales determinationes profundæ contemplationis « illius viri, » in quibus multa involvebat in uno, et hoc facerent « sermone eis commensurato, » non ita universali sicut usus fuerat Hierotheus. Ipse etiam Timotheus multoties exhortatus est Dionysium ad hoc ipsum complendum, et librum Hierothei ei remiserat sicut ejus capacitatem excedentem. Quia ergo ista ita sunt, ideo nos determinamus prædictum librum esse magnarum perfectarum considerationum, non aptum quibuscumque, sed his tantum qui sua capacitate multitudinem excedunt; ita quod ille liber habet quamdam secundam auctoritatem ab eloquiis Scripturæ canonicæ, cui nulla auctoritas adæquari potest; ita quod verba illius libri consequenter se habent ad verba « Christorum Dei, » id est ad verba sanctorum apostolorum, qui dicuntur Christi propter plenitudinem spiritualis gratiæ, et propter sacerdotii dignitatem. Et sic cum ille liber tam altus conveniat[1] tantum perfectis, « nos secundum nostram proportionem trademus divina his qui secundum nos, » id est imperfectis nobis similibus. Non enim sufficimus ad perfectam doctrinam perfectis tradendam, « quia si solidus cibus, » id est perfecta doctrina, « perfectorum tantum est, » ut dicitur Hebr., v, quia ipsi soli doctrinam perfectam capere possunt, majoris perfectionis est tali cibo « alios cibare. » Majus enim est perfectam doctrinam alios docere quam eam ab aliis capere posse.

Considerandum est autem quod quanto aliquis intellectus est altior et perfectior, tanto plura in uno potest comprehendere. Infirmitas autem intellectus requirit ut singula singulariter explicentur. Et ideo doctrinam Hierothei in paucis multa comprehendentem dixit perfectam.

Secundam excusationem ponit, ibi : « Recte igitur a nobis et hoc dictum est, » et dicit quod recte dici potest ad suam excusationem, quod ad hoc quod aliquis per se inspiciat intelligentiam eloquiorum divinorum, quæ sunt eloquia sanctæ Scrip-

[1] Al. : « communicat. »

turæ, et ipsa perspicua eorum doctrina in se considerata requirit perfectam virtutem. Sed quod aliquis habeat scientiam et considerationem verborum introducentium ad præmissam considerationem et doctrinam, et quod ista verba addiscat, potest convenire etiam imperfectioribus, et doctoribus, quos vocat sanctificatores, et doctis, quos vocat sanctificatos. Sicut igitur per se inspicere et docere scientiam divinorum perfectam ad Hierotheum pertinebat, qui perfectus fuit, ita habere scientiam exponendi prædictam doctrinam, et addiscere hujusmodi expositionem, ad minores pertinet, inter quos Dionysius se computat.

Tertia excusatio ponitur, ibi : « Quamvis et hoc a nobis observatum est valde studiose, » et dicit quod etiam hoc studiose Dionysius observavit, quod ipse totaliter manum non apposuit, nec etiam ad manifestandum verba Hierothei in illis quæ Hierotheus distinguere voluit, secundum planam manifestationem.

Deinde cum dicit : « Quoniam et apud ipsos Deo acceptos nostros hierarchas ..... aderat et frater Domini Jacobus et Petrus, » ostendit reverentiam quam ad Hierotheum habet; et primo, ostendendo magnitudinem ejus ; secundo, recognoscendo propriam humilitatem, ibi : « Ita enim nobisipsis consentimus. » Ex his enim duobus sequitur quod aliquis alium in reverentia habeat, quod de illo magna sentit, et de se parva. Commendat autem Hierotheum dupliciter. Primo quidem, quantum ad hoc quod fuit subtilissimus et totus divinus ; secundo, quantum ad hoc quod parvulis in Christo lac utiliter noverat dare, ibi : « Et ut mystica illa, ut sicut multis non dicenda, et sicut cognita tibi, prætermittamus, quando multis oportebat communicare ....., quomodo excedebat multos magistrorum sanctorum. » Dicit ergo primo quod ipse Dionysius simul cum Timotheo et ipso Hierotheo, et multis aliis sanctis fratribus, convenerunt apud apostolos ad videndum corpus ejus qui est principium totius vitæ, et « quod suscepit Deum. » Et potest intelligi de corporali visione Christi, de qua facit mentionem Apostolus I Corinth., xv. Corpus enim Christi est corpus Dei, qui est vitæ princeps, et illud corpus per unionem Deum suscepit; unde et templum dictum est, secundum illud Joan., II, 21 : *Hoc autem dicebat de templo corporis sui.* Potest etiam intelligi quod convenerunt ad videndum corpus beatæ Virginis Mariæ in ejus morte, quod etiam suscepit Deum in utero[1]. Et in illo conventu « aderat etiam Jacobus frater Domini et Petrus, » quod erat summum caput omnium apostolorum. Post visionem autem prædictam visum est omnibus, ut universi apostoli et episcopi, qui ibi aderant, laudarent infinitam « bonitatem divinæ infirmitatis, » id est humanitatis, sicut unicuique erat possibile. Et tunc Hierotheus superabat omnes magistros post apostolos, quibus nullus alius comparari debet[2]; et in illa laude erat « totus excedens » omnia sensibilia et mundana, et quasi extra seipsum positus, his quæ laudabat, per quamdam unitionem conjunctus videbatur, et sic ab omnibus, quicumque audiebant et videbant, sive ante eum cognovissent, sive non, « judicatus est Deo acceptus et divinus laudator. » Et quid potest dici de his quæ ipse ibi theologizavit, quæ tam sublimia fuerunt? quæ, ut Dionysius dicit, si ab ejus mente non excidit, multoties recognovit quasdam partes illarum divinarum laudum, quas Hierotheus protulerat, Deo inspirante, dum eas a Timotheo prolatas audivit. Tantum enim fuit Timotheus in studio circa divina, ut ea quæ audivit, etiam curavit memoria retinere.

Deinde cum dicit : « Et ut mystica illa, ut sicut multis non dicenda, et sicut cognita tibi, prætermittamus, quando multis oportebat communicare ..., quomodo excedebat multos magistrorum sanctorum, » commendat eum de eruditione simplicium, et dicit quod, ut omittat loqui de illis occultis ibi dictis, quia Timotheo nota erant; hoc dicendum est quod quando oportebat divina communicare multitudini, et reducere quos poterat ad cognoscendum sancta, cognitione proportionata imperfectis, excedebat Hierotheus multos sanctorum nostrorum « et temporis tritione, » quia plurimum temporis terebat sive expendebat in docendo, « et mentis puritate, » quia non obvolvebatur phantasiis aut erroribus, quibus impediretur a recto judicio veritatis; « et demonstrationum diligentia, » id est efficacia verborum in demonstrando veri-

[1] Parm. : « incarnatione. » — [2] Parm. : « poterat. »

tatem, « et reliquis locutionibus sanctis, » id est in aliis quæ requiruntur ad sanctas locutiones. Unde concludit quod nunquam fuit suus conatus ut respiceret contra tantum solem, scilicet Hierotheum, se ei præferendo aut æquando.

Deinde cum dicit : « Ita enim » nos « nobisipsis consentimus, » ostendit quam humilia de se sentiat, et dicit quod ita est conscius sibi quod ipse non est sufficiens ad intelligendum divina, non solum quæ sunt supra intellectum humanum, sed etiam multa quæ sunt intellecta ab aliis hominibus, et similiter reputat se insufficientem ad dicendum et manifestandum ea quæ de divina cognitione ab aliis dici possunt; et multo longe reputat se deficere a scientia theologicæ veritatis quam perfectiores habuerunt. Et hoc ideo introducit, quia ad hoc deductus est propter perfectam reverentiam quam habet ad majores et ad divinam philosophiam, quia totaliter non audet cogitare aut dicere aliquid de divina sapientia nisi ea quæ[1] secundum suam mentem capere potest; et illa[2] etiam audet, et dicit quod non oportet negligere divinorum cognitionem, quam contingit aliquem posse habere. Et ad hoc dupliciter persuasus est. Primo quidem, ex naturali desiderio mentium, quæ semper cum quodam amore cupiunt contemplationem rerum supernaturalium, quam capere possunt, quia per hoc maxime perficiuntur; secundo, quia optima dispositio divinarum legum prohibet multum scrutari ea quæ sunt supra nos, tum quia sunt supra dignitatem nostram, tum quia impossibile est nobis adipisci, ut patet in Ecclesiastico, cap. III, 22, ubi dicitur : *Altiora te ne quæsieris.* Sed ea quæ a nobis desiderantur, et data sunt nobis ut ea capere possimus, præcipit lex divina nos attente discere, et aliis benigne tradere, secundum illud Sap., VII, 13 : *Quam sine fictione didici, et sine invidia communico.* Et hoc etiam ex pluribus aliis Scripturæ locis habetur.

Deinde cum dicit : « Igitur istis et nos persuasi ..... ad conscribendum nosipsos deposuimus, » concludit suam intentionem, et dicit quod persuasus est ex præmissis, et non revocatur ab inveniendo veritatem divinorum secundum scientiæ possibilitatem, neque propter pigritiam, neque propter formidinem pusillanimitatis. Iterum non poterat animus ejus pati ut sine auxilio dimitteret eos qui non poterant majora contemplari quam ipse. Propter omnia hæc disposuit se ad scribendum hoc opus : ita tamen quod nihil novum auderet introducere ; sed ea quæ conspicaciter a Hierotheo dicta sunt in quadam universali intelligentia, vult distinguere, et manifestare per quasdam inquisitiones magis particulares et subtiles, descendendo ad singula. Et loquitur per similitudinem corporalium, in quibus quanto aliquod totum in plures partes dividitur, subtiliores partes efficiuntur.

CAPUT QUARTUM.

DE BONO, LUMINE, PULCHRO, AMORE, EXTASI ET ZELO,

ET QUOD MALUM NEQUE EXISTENS, NEQUE EX EXISTENTE, NEQUE IN EXISTENTIBUS EST.

LECTIO I.

Si igitur oportet, jam sermone ad ipsam eamus boni nominationem, quam excellenter attribuunt theologi superdeæ deitati, et ab omnibus determinant, ipsam, sicut reor, thearchicam essentiam, bonitatem dicentes, et quoniam ea quæ est bonum ut substantiale bonum, ad omnia existentia extendit bonitatem. Etenim sicut noster sol non ratiocinans aut præeligens, sed per ipsum esse illuminat omnia participare lumine ipsius secundum propriam rationem valentia , ita quidem et bonum super solem, sicut super obscuram imaginem segregare archetypum, per ipsam essentiam omnibus existentibus proportionaliter immittit totius bonitatis radios. Propter ipsos substiterunt intelligibiles et intellectuales omnes, et substantiæ, et virtutes, et operationes; propter istos sunt et vivunt, et vitam habent indeficientem et imminorabilem, a corruptione universa, morte, et materia et generatione mundæ existentes, et ab instabili et fluxa et aliquando aliter ferente variatione elevatæ; et sicut incorporales, et immateriales intelliguntur, et sicut mentes supermundane intelligunt, et existentium

[1] Parm. : « nisi quod. » — [2] Al. : « et illam. »

proprie illuminantur rationibus, et rursus ad cognata propria deferunt, et mansionem ex bonitate habent, et collocatio ipsis inde est et continentia, et custodia, et cibus bonorum; et ipsam desiderantes, et esse et bene esse habent; et ad ipsam, sicut est possibile, figuratæ et boniformes sunt, et sequentibus communicant, sicut divina lex inducit, dona ad ipsos ex bono venientia [1]. Inde ipsis supermundani ordines, ad se invicem unitiones ad se invicem captiones, inconfusæ discretiones, subjectorum ad meliores sursum agentes virtutes, circa secundas providentiæ provectiorum propriorum uniuscujusque virtutis custodiæ [2], et circa seipsas intransmutabiles convolutiones, circa desiderium boni identitates, et summitates, et quæcumquæ alia dicta sunt a nobis in tractatu *De angelicis proprietatibus et ordinibus*. Sed et quæcumque cœlestis hierarchiæ sunt angelis convenientes mundationes, supermundane illuminationes et perfectiva totius perfectionis angelicæ, ex omnium causa et fontana sunt bonitate, ex qua et boniforme ipsis donatum est, et manifestare in ipsis occultam bonitatem, et esse angelos, sicut enuntiativos divini silentii, et sicut lumina clara interpretativa ejus quod est in abditis [3] præpositos et præmissos. Sed et post illas claras et admirabiles mentes, animæ, et quæcumque sunt bona animarum, sunt propter superbonitatem bonam, intellectuales ipsas esse, habere [4] substantialem vitam inconsumptibilem, ipsum esse; et posse, extensas ad angelicas vitas, per ipsas sicut bonos duces ad omnium bonorum [5] principatum rursum agi, et inde emanantium illuminationem in participationem fieri, secundum illorum proportionem, et deiformi bono secundum virtutem participare, et quæcumque alia a nobis in sermone de anima sunt numerata.

Præmisso procemio, jam accedit ad prosequendum principalem intentionem. Et ut sequentium capitulorum intentio, numerus et ordo pateat, considerandum est quod sicut in I et II cap. dictum est, in hoc libro intendit exponere divina nomina, quibus manifestantur processiones Dei in creaturas. Principium autem commune omnium harum processionum, bonum est, ut in III cap. dictum est, quia quidquid a Deo in creaturas procedit, hoc creaturæ suæ propter suam bonitatem communicat. Et ideo primo agit in hoc IV cap. de bono et etiam de his quæ ad considerationem boni pertinent. Si autem singulæ processiones considerentur quas divina nomina manifestant, tria videmus ex divina bonitate esse rebus attributa. Primo quidem, ut in se sint et perficiantur; secundo, ut ad invicem comparentur; tertio, ut ordinentur in finem. Si autem ipsæ res in se considerentur, primum et communius quod in eis invenitur, est esse; secundo, vivere; tertio, cognoscere; quarto, justum esse vel virtuosum. Et secundum hunc ordinem de divinis nominibus prosequitur. Primo quidem, post bonum, de ente in quinto capitulo; secundo, de vita, in sexto; tertio, de sapientia, in septimo; quarto, de virtute et justitia, in octavo. Comparatio autem rerum ad invicem attenditur secundum duo. Primo, secundum aliquid intrinsecum, prout una res dicitur alteri similis vel æqualis, eadem vel diversa, propter convenientiam in substantia, quantitate aut qualitate, et de his agit in nono capitulo. Secundo vero, secundum aliquid extrinsecum, sive secundum quod continentur sub una parte, sive secundum quod continentur sub una mensura, et de his agit in decimo, ubi agitur de omnipotente et antiquo dierum. Hanc autem ordinationem eorum sequitur pax et tranquillitas ordinis; unde in undecimo agitur de pace. Sed circa ordinem rerum in finem duo sunt consideranda : scilicet providentia gubernantis et ordinantis in finem, et de hoc agitur in duodecimo capitulo, ubi agitur de Rege regum et Domino dominorum ; et ipse finis, ad quem res per providentiam et gubernationem perveniunt; et hoc pertinet ad decimum tertium capitulum, in quo agitur de perfecto et uno.

Ad sciendam vero continentiam hujus IV cap., considerandum est quod opposita ejusdem sunt considerationis. Malum autem opponitur bono ; unde in cap. de bono determinat etiam de malo. Rursus, quia actus per objectum cognoscitur, ad eamdem considerationem reducitur actus et objectum. Bonum autem est proprium objectum amoris ; unde in hoc cap. boni agit etiam de amore, et de extasi, quæ est effectus amoris, ut patebit, et de zelo qui quamdam amoris intentionem signat. Item cum bonum sit quod omnia appetunt, quæcumque de se important appetibilis rationem, ad rationem boni pertinere videntur; hujusmodi autem sunt lumen et pulchrum, de quibus etiam in hoc cap. agit. Et hanc intentionem capituli exprimit titulus, qui talis est : « De bono, lumine, pulchro, amore, extasi et zelo. » Primo igitur, in hoc capitulo determinat de bono, et primo

[1] Al. : « convenientia. » — [2] In cit. translatione : « propriam uniuscujusque virtutum. » — [3] Ibid. : « in adytis. » — [4] Al. deest « habere. » — [5] In cit. versione : « bonum. »

ostendit qualiter bonum sit in Deo; secundo, qualiter creaturis communicetur, ibi : « Propter istos substiterunt intelligibiles et intellectuales omnes et substantiæ, et virtutes, et operationes. » Circa primum duo facit. Primo, ostendit quomodo attribuatur Deo; secundo, inducit exemplum, ibi : « Etenim sicut noster sol non ratiocinans aut præeligens, sed per ipsum esse illuminat omnia ....., ita quidem et bonum super solem. » Dicit ergo primo quod post præmissa jam oportet sermonem dirigere de hoc nomine « bonum, » quod in sacra Scriptura excellenter attribuitur supremæ deitati quæ in bonitate[1], distinguitur ab omnibus aliis rebus, ut patet per illud Lucæ, XVIII, 19 : *Nemo bonus, nisi solus Deus.* Et hoc propter duo : primo quidem, quia ipsa divina essentia est ipsa bonitas, quod in aliis rebus non contingit; Deus enim est bonus per suam essentiam, omnia vero alia per participationem. Unumquodque enim bonum est secundum quod est res actu; Deo autem proprium est quod sit suum esse; unde ipse solus est sua bonitas. Item res aliæ, etsi inquantum sunt, bonæ sint, tamen perfectam bonitatem consequuntur per aliquod superadditum supra eorum esse, sed Deus in ipso suo esse habet complementum suæ bonitatis. Item res aliæ sunt bonæ per ordinem ad aliquid aliud, quod est ultimus finis; Deus autem non ordinatur ad aliquem finem extra se. Sic igitur primum quod est proprium divinæ bonitatis est quod ipsa bonitas est essentia divina, secundum proprium ejus est quod extendit bonitatem ad omnia, quæ per participationem dicuntur derivari ab eo quod per essentiam dicitur.

Deinde cum dicit : « Etenim sicut noster sol non ratiocinans aut præeligens, sed per ipsum esse illuminat omnia ....., ita quidem et bonum super solem, » manifestat per exemplum quod dixerat de diffusione bonitatis, et dicit quod, « sicut noster sol » materialis « illuminat omnia » quæ possunt participare per suam proportionem lumen ejus « per suum esse » naturale, non ratiocinando vel præeligendo unum alteri, « ita et bonum » quod est Deus, quod est « archetypum, » id est principale exemplar, vel figura per excellentiam, separatum « super solem, sicut supra » quamdam « obscuram » et deficientem « imaginem, per suam essentiam proportionaliter immittit omnibus existentibus radios » suæ « bonitatis, » quantum ad omnia quæ ad bonitatem pertinent. Considerandum est autem quod non replicavit in Deo : « Non ratiocinans aut præeligens, » quod de sole dixerat, sed sicut de sole dixerat quod per ipsum suum esse illuminat, ita de Deo subdit quod per suam essentiam omnibus bonitatem tradit. Esse enim solis non est ejus intelligere aut velle, etiam si intellectum et voluntatem haberet; et ideo quod facit per suum esse, non facit per intellectum et voluntatem. Sed divinum esse est ejus intelligere et velle; et ideo quod per suum esse facit, facit per intellectum et voluntatem. Et ideo signanter dixit quod Deus segregatur a sole « sicut archetypum supra obscuram imaginem. »

Deinde cum dicit : « Propter istos substiterunt intelligibiles et intellectuales omnes et substantiæ, et virtutes et operationes, » ostendit quomodo bonitas inveniatur in creaturis a Deo diffusa; et primo, quomodo inveniatur in angelis; secundo, quomodo inveniatur in animalibus rationabilibus, ibi : « Sed et post illas claras et admirabiles mentes, animæ et quæcumque sunt bona animarum sunt propter superbonitatem bonam; » tertio, quomodo inveniatur in aliis creaturis corruptibilibus, ibi : « Sed et de ipsis irrationalibus animabus aut animalibus, si oportet dicere, quæcumque ..... propter bonum animata sunt et vivificata; » quarto, quomodo inveniatur in materia prima, ibi : « Si autem et super omnia existentia est, sicut quidem est bonum et carens forma format; » quinto, quomodo inveniatur in corporibus cœlestibus, ibi : « Sed quod nos in medio prætercurrens effugit, et cœlestium principiorum et terminationum causa est bonum. » Circa primum duo facit. Primo, ostendit quomodo invenitur bonum in angelis secundum se; secundo, prout considerantur sub propria regula et ordine, ibi : « Inde ipsis supermundani ordines, » etc. Circa primum tria facit. Primo, ostendit quomodo bonum invenitur in angelis quantum ad eorum naturam; secundo, quantum ad eorum conservationem, ibi : « Et mansionem ex bonitate habent; » tertio, quantum ad or-

[1] Al. : « et in bonitate. »

dinem in finem, ibi : « Et ipsam desiderantes, et esse et bene esse habent. » Circa primum tria facit. Primo, ostendit quomodo ex divina bonitate habent esse; secundo, quomodo vivere, ibi : « Propter istos sunt, et vivunt; » tertio, quomodo intelligere, ibi : « Et sicut incorporales et immateriales intelliguntur, et sicut mentes supermundane intelligunt. » Dicit ergo primo propter radios, id est diffusionem divinæ bonitatis, productæ sunt in esse subsistenti cœlestes creaturæ, in quibus invenitur substantia, virtus et operatio, ut in cap. xi *Cœlestis hierarchiæ* dicitur. Et dicuntur « intelligibiles, » inquantum sunt actu secundum suam naturam, « et intellectuales, » inquantum actu intelligunt, quamvis platonici in substantiis separatis distinguerent intelligibilia ab intellectualibus. Nam intellectus per participationem intelligibilis fit intelligens. Et ideo intelligibile est magis abstractum et altius. Et secundum hoc posset dici quod intelligibiles substantias, supremos angelos vocat, intellectuales autem inferiores. Licet melius sit quod intelligantur intelligibiles, inquantum intelliguntur, et intellectuales, inquantum intelligunt.

Deinde cum dicit : « Propter istos sunt et vivunt, » prosequitur de vita angelorum, et dicit quod propter diffusionem divinæ bonitatis angeli non solum habent esse, sed et vivere eminentiori vita quam nos; non enim deficit per mortem, sicut vita nostra, quando prolongatur. Hoc enim accidit in viventibus inferioribus, quia subjacent generationi et corruptioni et varietati quæ est secundum qualitatem et quantitatem, per quam res instabiles redduntur, et defluentes et diversimode se habentes; et hoc accidit rebus inferioribus, quæ habent materiam, sed angeli supra omnia ista sunt elevati et deputati.

Deinde cum dicit : « Et sicut incorporales et immateriales intelliguntur, » prosequitur de intellectu eorum; et primo, quomodo sint intelligibiles, et dicit quod « intelliguntur sicut incorporales et immateriales. » Corpora enim sunt sensibilia et imaginabilia, non tamen intelligibilia actu; similiter nulla forma in materia existens est actu intelligibilis, sed potentia tantum. Ideo angeli sunt intelligibiles actu, inquantum sunt incorporei et immateriales. Secundo, ostendit quomodo intelligant, et dicit quod « intelligunt supermundane, » id est supra modum quo nos intelligimus, sicut quædam mentes et intellectus separati. Forma enim immaterialis ex hoc quidem quod est in mente, intelligitur, sed per hoc quod est mens subsistens, intelligit. Tertio, dicit quid intelligant, et unde; et dicit quod illuminantur a Deo de rationibus intelligibilibus per rationes intelligibiles existentium, quia per rationes intelligibiles eis a Deo inditas, rerum cognitionem habent, non colligendo rationes intelligibiles ex rebus, sicut nos. Quarto, dicit quod propria intellecta deferunt ad ea quæ sunt proxima sui generis, inquantum superiores manifestant sua intellecta inferioribus.

Deinde cum dicit : « Et mansionem ex bonitate habent, » ponit ea quæ pertinent ad conservationem, et ponit quinque per similitudinem corporalium rerum. Res enim corporales habent mansionem in loco secundum quod substantiæ; angeli habent mansionem vel habitationem per operationem intellectus et voluntatis in his quæ intelligunt et amant, secundum illud Apostoli, Phil., iii, 20 : *Nostra conversatio in cœlis est*. Habitatio autem corporalis indiget fundamento in quo firmetur, et similiter mansio quæ est secundum intellectum fundatur in prima veritate intelligibili, et mansio quæ est secundum voluntatem, in ultimo fine. Et ideo dicit quod ex bonitate divina non solum est eis mansio, sed etiam « collocatio vel fundamentum, » secundum aliam translationem. Rursus corporalia inferiora continentur sub ordine superiorum, ita et angeli continentur sub ordine divinæ providentiæ. Solus autem Deus est qui continet et continetur; et ideo subdit : « et continentia. » Item corporalia, inquantum sunt corruptibilia, indigent custodia ne corrumpantur; angeli autem non sunt mutabiles secundum substantiam, sed secundum voluntatem; et ideo indigent custodiri a Deo, ne eorum voluntas ab ordine divino avertatur, et hoc est quod subditur : « et custodia. » Item viventia corporalia indigent refectione per quam sustententur, et similiter angeli conservantur in esse per hoc quod intellectus et affectus ipsorum satiatur divina fruitione et intelligibilium consideratione; ideo quinto subditur : « et cibus bonorum. »

Deinde cum dicit : « Et ipsam desideran-

tes, et esse et bene esse habent, » prosequitur de ordine in finem. Divina enim bonitas convertit omnia ad seipsam, ut supra dictum est; et ideo sequitur quod propter divinam bonitatem, angeli ipsam desiderant, non tanquam carentes eo quod desiderant, sicut imperfecti, sed sicut habentes esse et bene esse quantum ad ipsos, et configurati divinæ bonitati, et deiformes effecti inquantum inferioribus communicant divina dona, quæ ad eos de summo bono veniunt; et hoc « sicut lex divina inducit. » Est enim lege divina sancitum ut bona quæ a Deo accipimus, inferioribus communicemus; et sic conformamur bonitati ejus ex qua omnia bona profluunt.

« Inde ipsis supermundani ordines, » etc. Positis his quæ angeli a divina bonitate consequuntur ad eorum naturam pertinentia, hic [1] ponit ea quæ pertinent ad eos secundum quod continentur in ordine et propria regula, et circa hoc tria facit. Primo, ponit ea quæ pertinent ad angelos secundum quod continentur in ordine [2]; secundo, ea quæ pertinent ad eos secundum quod sunt in hierarchia, ibi : « Sed et quæcumque cœlestis hierarchiæ sunt angelis convenientes mundationes; » tertio, ea quæ conveniunt eis secundum quod communiter angeli nominantur, ibi : « Ex qua et boniforme ipsis donatum est. » Dicit ergo primo quod ex divina bonitate sunt præmissis substantiis ordines supermundani, prout quidam dicuntur esse in ordine seraphim, quidam in ordine cherubim, et de aliis similiter.

Considerandum est autem quod ad ordinem tria concurrunt. Primo quidem, distinctio cum convenientia; secundo, cooperatio; tertio, finis. Dico autem distinctionem cum convenientia, quia ubi non est distinctio, ordo locum non habet. Si autem quæ distinguuntur, in nullo convenirent, unius ordinis non essent. Oportet ergo angelos qui sunt unius ordinis, ad invicem uniri, inquantum sub uno ordine continentur; et hoc est quod dicit : « ad se invicem unitiones. » Tamen quædam uniuntur in ordine tantum absque continuitate vel contactu, sicut domus in civitate, et civitates in regno; sed unitionem angelorum in ordine sunt cum quodam contactu, sive etiam continuitate; et ideo subdit : « in se invicem captiones, » quia scilicet unus angelus alium in se capit per intellectum et affectum [3]. Talis tamen unio non tollit distinctionem quæ est secundum proprietatem substantiæ uniuscujusque; et ideo subdit : « inconfusæ discretiones. »

Sicut autem uniuscujusque substantiæ est propria operatio, sicut cujuslibet ordinis est accipere aliquam cooperationem eorum quæ sub ordine continentur, ad quam cooperationem tria requiruntur. Primo quidem, ut inferiora se elevent versus superiora, ut eis subdantur, et ab eis juventur; et hoc est quod dicit quod ex divina bonitate sunt eis « virtutes subjectorum, » id est inferiorum substantiarum, « sursum agentes, » id est elevantes eas, « ad meliores, » id est superiores. Secundo, ut superiora inferioribus provideant, et hoc est quod subdit : « Providentia provectiorum, » id est superiorum, « circa secundas, » id est circa inferiores. Et ne aliquis sic superioribus intendat, vel inferioribus, quod sui obliviscatur, subdit tertium, ut unusquisque sit sollicitus ad custodiam propriæ [4] virtutis, et hoc est quod dicit : « custodiæ propriorum virtutis uniuscujusque, » id est eorum quæ proprie pertinent ad virtutem uniuscujusque, ut scilicet unusquisque in suo gradu se custodiat. Sicut enim omnis ordinis est aliqua operatio, sic et finis. Est autem eorum quæ sunt in ordine duplicem finem accipere. Unum scilicet qui est in ipsis ordinatis, inquantum sunt ordinata ad invicem, quod consistit in habitudine unius ad alterum; et hunc finem tangit cum dicit : « et intransmutabiles convolutiones, » id est circumitus circa seipsas.

Circa quod considerandum est quod, cum motus circularis sit uniformis per totum, in quolibet sui habet principium et finem [5], in potentia, non in actu, motus autem rectus diversificatur secundum principium et finem et distantiam ad utrumque. Sic ergo intelligibiles operationes angelorum, rationes uniformes, circulationes [6] dicuntur; habent tamen [7] intelligibiles operationes angelorum id quod perfectionis est in circulatione, scilicet uniformitatem, sine eo

[1] Parm. : « hic primo. » — [2] Parm. omittit : « et propria regula. Et circa hoc tria facit. Primo ponit ea quæ pertinent ad angelos secundum quod continentur in ordine. » — [3] Parm. omittit : « et affectum. » — [4] Al. : « propriam. » — [5] Al. : « quia in quolibet sui habet principium et finem, et in potentia, » etc. — [6] Parm. : « conclusiones, » et infra : « conclusione. » — [7] Parm. : « enim. »

quod imperfectionis est, scilicet mutatione; et ideo luminat intransmutabiles convulsiones circa se, secundum quod unus angelus alium intelligit et amat. Secundum finis est bonum, quod est supra ordinem; et secundum hoc, sicut dux est finis exercitus, sic Deus est finis angelorum sub ordine contentorum; et hunc finem tangit cum dicit: « circa desiderium boni, » id est Dei, « identitates, » quia omnes in hoc conveniunt, vel quia semper eodem modo circa hoc se habent, « et summitates, » quia omnia eorum desideria ad hoc summum desiderium referuntur, vel « sublimitates » secundum aliam litteram, quia sublimius cæteris Deum desiderant. Et non solum ista sunt eis a bonitate divina ad rationem ordinis pertinentia, sed etiam quæcumque alia dicta « sunt » in libro *Angelicæ hierarchiæ,* in quo tractatur « de angelicis proprietatibus et ordinibus. »

Deinde cum dicit : « Sed et quæcumque cœlestis hierarchiæ sunt angelis convenientes mundationes, » enumerat ea quæ pertinent ad rationem hierarchiæ, et dicit quod etiam « ex omnium causa et bonitate » divina, quæ est fons omnis bonitatis, proveniunt angelis quæcumque actiones cœlestis hierarchiæ sunt eis convenientes.

Est autem considerandum quod, cum hierarchia sit sacer principatus, principis autem sit dirigere, actio hierarchiæ erit dirigere ad sacra; et secundum hoc sunt triplices hierarchiæ actiones, scilicet « mundationes, » id est purgationes, « supermundanæ illuminationes, » et ea quæ sunt « perfectiva totius angelicæ perfectionis. » Mundat autem, sive purgat, unus angelus alium, non quidem a macula culpæ, quis nulla est in eis, sed a nescientia, ut ipse dicit in VI cap. *Cœl. hierarchiæ.* Superiores enim angeli clarius Deum vident quam inferiores, et ampliori ab ipso lumine replentur ad plura mysteria cognoscenda. Purgatio ergo pertinet ad ablationem nescientiæ; illuminatio ad communicationem luminis; perfectio ad cognitionem eorum quæ per lumen cognoscuntur.

Quia vero, licet superiores substantiæ distinguantur secundum ordines et hierarchias, conveniunt tamen in hoc quod angeli dicuntur, consequenter exponit rationem hujus nominis, cum dicit : « Ex qua et boniforme ipsis donatum est. » Circa quod considerandum est quod, sicut lux solis in ipso sole videri non potest a nobis propter excellentiam lucis, videtur autem vel in nubibus vel in montibus irradiatis a sole, et sic nubes vel montes manifestant nobis solis claritatem, ita ipsa bonitas, prout est in summo rerum vertice, a nobis prospici non potest propter excellentiam claritatis, sed inquantum ejus similitudo in angelis invenitur magis propinque nobis manifestatur nobis quodammodo in ipsis claritas divinæ bonitatis; et hoc est quod dicit, quod ex divina bonitate datum est supremis substantiis « boniforme, » id est conformitas ad divinam bonitatem, et quod propter hoc manifestatur in ipsis Dei bonitas occulta. Sic igitur uno modo manifestant divinam bonitatem secundum quod in ipsis relucet similitudo divinæ bonitatis; et secundum hoc possunt dici manifestatores Dei. Sed[1] super hoc dicuntur angeli, id est nuntii, inquantum Deum manifestant per propriam actionem, et hoc dupliciter. Primo quidem per modum locutionis; et hoc est quod dicit : « sicut enuntiativos divini silentii. » Manifestum est enim quod conceptio cordis vel intellectus, absque voce est cum silentio; sed per sensibiles voces illud silentium cordis enuntiatur. Sicut autem voces exteriores sunt nobis magis manifestæ, et minus simplices quam interiores conceptus cordium, ita quicumque modi manifestationum sunt nobis magis noti et minus simplices quam divini verbi conceptio. Sic ergo dum angeli nobis aliquid de divina sapientia manifestant, sive sensibiliter colloquendo, sive secundum congruam apparitionem, sive secundum intelligibilem locutionem, quia et sibi invicem colloquuntur, semper sunt enuntiatores divini silentii. Secundo vero per modum illuminationis; et hoc est quod subdit, quod angelicæ substantiæ sunt nobis propositæ « sicut lumina clara interpretativa ejus, » luminis scilicet divini, « quod est in abditis, » id est absconsum a nobis. Hoc[2] autem secundum necessarium est, quia necessarium est[3] postquam alicui aliquid enuntiatur, quod enuntiationem intelligat. Ad hoc ergo quod ea quæ nobis per angelos enun-

[1] Cod. Vict. : « et similiter dicuntur. » — [2] Parm. : « ad hoc. » — [3] Parm. omittit : « quia necessarium est. »

tiantur, intellectu capere possimus, ipsi claritate sui luminis intellectum nostrum adjuvant ad capiendum occulta Dei.

Deinde cum dicit : « Sed est post illas sacras et admirabiles mentes, animæ et quæcumque sunt bona animarum, sunt propter superbonitatem bonam, » ponit quomodo divina bonitas relucet in animabus rationabilibus, et dicit quod propter bonitatem Dei, quæ est super omnem bonitatem, animæ et quæcumque ad animam pertinent, bonitatem habent; secundo tamen gradu « post illas sanctas et admirabiles » angelorum « mentes; » et ponit primo tria quæ pertinent ad eorum naturam, scilicet quod sunt intelligibiles, et quod habent « vitam substantialem, » id est ut per se subsistere possint, et quod esse eorum et posse sit inconsumptibile, inquantum sunt immortales et incorruptibiles. Secundo, ponit ordinem earum ad angelos, et ponit tria, scilicet quod extenduntur ad angelicas vitas, inquantum scilicet de eorum similitudine aliquid participant; et iterum per illos angelos, sicut per quosdam bonos duces, elevantur ad summum principem omnium bonorum. Sic enim subditi in rebus humanis ad duces imitandos et eis serviendum subsunt, ut per eos ad summum principem ordinentur; « et inde, » id est ab angelis, fiunt animæ participes secundum suam « proportionem illuminationum » a Deo « emanantium, » sicut et in rebus humanis directiones et præcepta a rege ad populum per duces perveniunt. Tertio, tangit ordinem animarum ad Deum, et dicit quod participant animæ « deiformi dono » gratiæ secundum propriam virtutem; et non solum hoc habent animæ ex divina bonitate, sed etiam « quæcumque alia sunt enumerata a nobis in sermone *De anima*. » Fecit enim librum *De anima*, quem non habemus.

LECTIO II.

Bonitas divina in irrationalibus.

Sed et de ipsis irrationabilibus animabus aut animalibus si oportet dicere, quæcumque aera secant, et quæcumque in terra vadunt, et quæcumque in terra extenduntur, et in aquis vitam, aut ambigue sortita, et quæcumque sub terra cooperta vivunt, et pulvere affecta, ac obruta, et simpliciter[1] quæcumque sensibilem habent animam aut vitam; et hæc omnia propter bonum animata sunt et vivificata; et plantæ omnes nutritivam et motivam habent vitam ex bono; et quæcumque inanimata et non vivens substantia propter bonum est, et propter ipsum substantialem obtinuit habitum. Si autem et super omnia existentia est sicut quidem est bonum, et carens forma format, et in ipso solo non existens, substantiæ excessus, et non vivens excedens vita, et sine mente existens excellens sapientia, et quæcumque in bono non formatorum sunt excedentis formationis; et, si fas est dicere, bonum quod est super omnia existentia, et ipsum non existens desiderat, et certat aliquo modo in bono et ipsum esse, quod est vere substantiale secundum ab omnibus ablationem. Sed, quod nos in medio prætercurrens effugit, et cœlestium principiorum et terminationum causa est bonum et non augmentabilis et non minorabilis, et tamen invariabilis hujus substantiæ, et sine sono, si ita oportet dicere, maxime cœli volutionis motivum et stellarum ordinationum, et pulchritudinum, et luminum, et collocationum quorumdam astrorum transitivi multi motus, et duorum luminarium quæ eloquia vocant magna, ab eisdem ad eadem circularis restitutionis, secundum quæ a nobis dies definiti, et noctes, et menses, et anni mensurati, circulares motiones temporis et eorum quæ sunt in tempore determinant, et numerant, et ordinant, et continent.

« Sed et de ipsis irrationabilibus animabus aut animalibus, si oportet dicere..., omnia propter bonum animata sunt et vivificata. » Determinatis his quæ rationales creaturæ de divina bonitate participant, hic accedit ad irrationabiles creaturas; et primo prosequitur ea quæ pertinent ad animalia irrationabilia, et dicit : Si oportet loqui non solum de nobilibus creaturis, sed etiam de ignobilibus, ut puta « de irrationabilibus animabus, aut animalibus, » sciendum est quod quædam eorum « aera secant » volando, ut aves, quædam vero habent motum in terra, et hoc dupliciter : quædam enim « vadunt, » id est ambulant, ut animalia quadrupedia; quædam vero « in terra extenduntur, » id est per sui corporis extensionem moventur, ut reptilia[2]; quædam sunt « sortita vitam in aquis, » ut pisces, « aut ambigue, » sicut quædam animalia

[1] Al. : « et similiter. » — [2] Parm. : « reptibilia. »

quæ nunc in aquis nunc in terra vivunt; quædam vero « vivunt sub terra, » ut talpæ, « et pulvere affecta, » ut quidam vermes qui sub pulveribus inveniuntur. Tam ista quam quæcumque alia universaliter habent substantiam et vitam sensibilem, quod sunt et quod sic vivunt, ex divina bonitate habent.

Deinde cum dicit : « Et plantæ omnes nutritivam et motivam habent vitam ex bono, » prosequitur de plantis, et dicit quod omnes plantæ ex divina bonitate habent vitam, non quidem sensibilem, sed quæ attenditur secundum nutritionem et motum augmenti et decrementi.

Deinde cum dicit : « Et quæcumque inanimata et non vivens substantia propter bonum est, » prosequitur de inanimatis, et dicit quod omnis « substantia inanimata et non vivens » ex divina bonitate habet quod sit, et quod « substantialem obtineat habitum, » id est quod se habeat ut subsistens, per quod excedit accidens.

Deinde cum dicit : « Si autem et super omnia existentia est, sicut quidem est, bonum et carens forma format, » prosequitur de materia prima.

Circa quod considerandum est quod Plato correxit errorem antiquorum naturalium, qui non distinxerunt inter materiam et formam in rebus generabilibus et corruptibilibus, ponentes primam materiam esse aliquod corpus in actu, ut ignem, aut aerem, aut aliquid hujusmodi. Intellexit enim Plato formæ corporali subesse materiam, quæ in sui essentia non habet aliquam speciem, sed tamen materiam a privatione non distinxit, ut Aristoteles dicit in I *Physicorum*. Unde tam ipse quam sui sectatores materiam appellabant non ens propter privationem adjunctam. Et hoc modo loquendi etiam Dionysius utitur, quamvis, secundum Aristotelem, necessarium sit materiam a privatione distinguere, quia materia quandoque invenitur sub forma, quandoque sub privatione; unde privatio adjungitur ei per accidens.

Item considerandum est, secundum platonicos, quod quanto aliqua causa est altior, tanto ad plura se extendit ejus causalitas. Unde oportet quod id quod est primum subjectum in effectibus, id est materia prima, sit effectus solius primæ causæ, quæ est bonum; causalitate secundarum causarum usque ad hoc non pertingente. Omne autem causatum convertitur in suam causam per desiderium; unde materia prima desiderat bonum, secundum quod desiderium nihil aliud esse videtur quam privatio, et ordo ipsius ad actum.

Rursus considerandum est quod, sicut materia prima dicitur informis per defectum formæ, sic informitas attribuitur ipsi primo bono, non per defectum, sed per excessum, et sic secundum quamdam remotam assimilationem similitudo causæ primæ invenitur in materia prima.

Secundum hoc ergo Dionysius dicit quod Deus cum sit « super omnia existentia, format » res, inquantum « est bonum et carens forma, » per excessum, et hoc manifestat per singula. « In ipso » enim « solo » Deo invenitur quod[1] est « excessus substantiæ, » quia, inquam, excellenter subsistit; et hoc dicitur « non existens, » ut alia similiter, cum sit « excedens vita, » dicitur non vivens; et cum sit « excellens sapientia, » dicitur « sine mente; » et similiter de omnibus aliis « quæcumque sunt in bono, » scilicet Deo, de numero « non formatorum » per negationem dicta, et deinde sunt « excedentis formationis, » quia illæ formæ in eo sunt per excessum; « et, si fas est dicere, » illud « bonum quod est super omnia existentia, et non existens, » ut dictum est, « desiderat ipsum non existens, » id est materia prima, inquantum desiderat formam, quæ est similitudo divini esse, « et certat aliquo modo in bono, » id est ut primo bono assimiletur, quæ quidem communicatio nihil aliud est quam inclinatio ipsius ad formam; et communicat ut sit id, scilicet ens et bonum, « quod vere, » id est essentialiter, prædicatur de substantiali bono, quod nominatur « secundum ablationem ab omnibus, » per nomina negativa, non propter defectum, ut materia prima, sed propter excessum.

Deinde cum dicit : « Sed, quod nos in medio prætercurrens effugit, et cœlestium principiorum et terminationum causa est bonum, » prosequitur de corporibus supercœlestibus, de tribus tractare effugerat, et primo in medio. Requirebat enim consequentia ordinis ut inter substantias incorporeas incorruptibiles, et substantias

[1] Parm. addit : « Deus. »

corporeas corruptibiles tractaretur de substantiis corporeis incorruptibilibus, sed propter adjunctionem animarum ad corpora corruptibilia, prædictum ordinem prætermisit.

Circa corpora autem cœlestia primo ponit quæ pertinent ad ipsas sphæras cœlestes, et ponit tria. Primo, habitudinem ipsorum ad inferiora, nam sunt corpora cœlestia principia activa respectu corporum generabilium et corruptibilium, et terminus discretivus uniuscujusque eorum præfigitur secundum corpora cœlestia, et hoc est quod dicit quod « bonum » divinum « est causa cœlestium principiorum et terminationum. » Secundo, ponit quod pertinet ad modum substantiæ eorum. Circa quod sciendum est quod quidam antiqui credentes corpora cœlestia naturæ igneæ, posuerunt ea cibari et nutriri vaporibus ex terra et aquis resolutis; et per hunc modum conservari cœlestia corpora, sicut conservatur ignis per appositionem lignorum; et ad hoc removendum dicit quod « bonum » divinum « est causa » hujus, scilicet cœlestis corporis, « non augmentabilis, » scilicet per aliquam appositionem, « et non minorabilis, » per aliquam consumptionem; « et tamen invariabilis, » quia secundum suam substantiam[1] alterari non possunt. Tertio, ponit quod pertinet ad motus ipsorum : ex quibus pythagorici dicebant sonos quosdam harmonicos provenire. Sed hoc ipse excludens dicit quod bonum est causa « maxime revolutionis motuum cœli, » quæ est « sine sono, si ita oportet dicere; » aliqui enim contrarium dixerunt.

Deinde ponit ea quæ pertinent ad stellas fixas, in quibus quatuor sunt consideranda. Primo, ordinationes earum ad invicem secundum distantiam et propinquitatem et situm, prout ex eis diversæ figuræ constituuntur ; secundo, pulchritudo earum quæ est per claritatem, figuram et quantitatem; tertio, lumina earum, secundum quod per suos radios effectum in istis inferioribus habent; quarto, collocationes earum, secundum quod in sphæra sua immobiliter figuntur.

Deinde ponit quod pertinet ad quinque planetas : scilicet Saturnum, Jovem, Martem, Mercurium, Venerem, et dicit quod divinum bonum est causa « motus multi transiviti horum astrorum. » Vocat autem motus horum astrorum transitivos, quia non servant eamdem figuram secundum situm, neque ad se invicem, neque ad alias stellas fixas, sed transeunt de figura in figuram, cum quandoque inveniantur in Ariete, quandoque in Tauro, aut in aliquo alio signo. Attribuit autem eis multitudinem motuum, quia id quod apparet sensibiliter de motu uniuscujusque eorum, oportet quod resultet ex multis motibus ; cum quandoque citius, quandoque tardius sensibiliter moveri videantur, quod invariabilitas cœlestium corporum non patitur.

Ultimo prosequitur de luminaribus, id est de sole et luna, et dicit quod divinum bonum est causa « circularis motus duorum luminarium, » id est solis et lunæ, quæ vocat sacra Scriptura magna, Gen., I, secundum quod motus circulares restituuntur « ab eisdem » signis « ad eadem. » Et secundum hæc luminaria distinguuntur a nobis dies et noctes, et mensurantur anni, et menses « determinant, » id est distinguunt, « et numerant, » id est mensurant, « et ordinant » secundum prius et posterius, « et ordinant » secundum certam illuminationem, « circulos, et motiones temporis, » et omnium quæ moventur in tempore. Dicit autem circulos temporis, secundum quod de mane redeunt ad mane, et de vere ad ver. Manifestum est autem quod per distinctionem annorum et mensium et dierum et motuum distinguimus ea quæ aguntur in uno tempore ab his quæ aguntur in alio, et per eadem etiam scimus quantitatem temporis et actionis, secundum quod pluribus aut paucioribus diebus, mensibus et annis durat. Scitur etiam quid prius vel posterius agatur, ex hoc quod illo die, mense vel anno est actum. Principium etiam et terminationem uniuscujusque durationis secundum certum diem et mensem et annum distinguuntur, et per hoc dicuntur continere omnia quæ aguntur in tempore.

[1] Cod. Vict. : « naturam. »

LECTIO III.

De nomine luminis.

Quid dicat quidem aliquis de seipso secundum se solari radio? Ex bono enim est illud lumen, et imago bonitatis; propter quod et luminis nominatione laudatur bonum, sicut in imagine archetypum manifestatum. Sicut enim super omnia existentis bonitas divinitatis a supremis et provectissimis substantiis usque ad ultimas transit, et adhuc super omnes est, neque superioribus pertingentibus ad ipsius excessum, neque inferioribus ambitum transeuntibus, sed et illuminat illuminari valentia omnia, et creat, et vivificat, et continet, et perficit, et mensura est existentium, et ævum, et numerus, et ordo, et ambitus, et causa, et finis; ita quidem et divinæ bonitatis manifesta imago magnus iste et totus splendens, et semper lucens [1] sol; secundum multam resonantiam boni, et omnia quæcumque participare ipso possunt, illuminat, et superextentum habet lumen, ad omnem extendens visibilem mundum et sursum et deorsum propriorum radiorum splendores, et si aliquid ipsis non participat, hoc non infirmitatis aut parvitatis est illuminativæ ipsius distributionis, sed non extentorum ad luminis participationem propter luminis accipiendi importunitatem. Si quidem multa sic se habentia radius transiens, sequentia illuminat, et nihil est visibilium ad quod non pertingat secundum proprii splendoris excedentem magnitudinem. Sed ad generationem [2] visibilium corporum confert, et ad vitam ipsa movet, et nutrit, et auget, et ~~perficit, et~~ mundat, et renovat, et mensura est et numerus horarum dierum et omnis temporis nostri lumen. Ipsum enim est illud lumen quamvis tunc informe erat, quod divinus dixit Moyses, et quod ipsam determinavit primam nostrorum dierum Trinitatem. Et sic omnia ad seipsam bonitas convertit, et princeps congregatrix est dispersorum, sicut principalis, et vivifica deitas; et omnia ipsam ut principium, ut continentiam, ut finem desiderant. Et bonum est, ut eloquia dicunt, ex quo omnia subsistunt et sunt, sicut ex causa perfecta deducta, et in quo omnia consistunt sicut in omnipotenti plantatione custodita et contenta, et ad quod omnia convertuntur, quemadmodum ad proprium singula finem, et quod desiderant omnia; intellectualia quidem et rationalia cognitive, sensibilia autem sensibiliter, expertia vero sensus, naturali motu vivifici desiderii; carentia autem vita et tantum existentia, aptitudine ad solam substantiæ participationem secundum eamdem manifestæ imaginis rationem, et lumen congregat, et convertit ad seipsum omnia videntia, quæ moventur, quæ illuminantur, quæ calefiunt, quæ totaliter a fulgoribus ejus continentur; propter quod et ylios appellatur, quoniam omnia indestructibilia facit, et congregat dispersa, et omnia sensibilia ipsum desiderant, aut sicut videre, aut sicut moveri, aut sicut illuminari et calefieri, et totaliter contineri a lumine concupiscentia. Et non dico secundum antiquitatis rationem, quod Deus existens sol et creator hujus luminis [3], proprie procurat universum [4] mundum, sed quod invisibilia ejus, videlicet Dei, a creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, et sempiterna ipsius virtus et divinitas.

« Quid dicat quidem aliquis de ipso secundum se solari radio? » Postquam prosecutus est ea quæ pertinent ad nomen boni, hic prosequitur ea quæ pertinent ad nomen luminis; et primo, ostendit quomodo nomen luminis solaris metaphorice Deo attribuitur; secundo, quomodo attribuitur ei intelligibile lumen, ibi : « Sed hæc quidem in symbolica theologia. » Circa primum tria facit. Primo, ostendit quod nomen solaris luminis Deo attribuitur ratione similitudinis; secundo, manifestat similitudinem, ibi : « Sicut enim super omnia existentis deitatis bonitas a supremis et provectissimis substantiis usque ad ultimas transit, et adhuc super omnes est ....., ita quidem et divinæ bonitatis manifesta imago, magnus iste et totus splendens ei semper lucens sol; » tertio, excludit errorem, ibi : « Et non dico, secundum antiquitatis rationem, quod Deus existens sol et creator hujus luminis proprie procurat manifestum mundum. »

Dicit ergo primo quod, sicut prædicta ex divina bonitate habent esse et bene esse, ita et radius solaris per se consideratus est ex bonitate Dei, et est quædam « imago, » id est expressa similitudo divinæ bonitatis. Inde est quod ipsum « bonum » quod est Deus, « laudatus nominatione » solaris « luminis, » eo quod manifestatur bonitas divina in tali lumine, « sicut archetypum, » id est principalis figura, vel principale exemplar in impressa imagine. Dicitur enim Malach., IV, 12 : *Vobis timentibus nomen meum, orietur sol justitiæ.*

Deinde cum dicit : « Sicut enim super omnia existentis deitatis bonitas a supremis et provectissimis substantiis usque ad ultimas transit ....., ita quidem et divinæ bonitatis manifesta imago magnus iste sol, » manifestat præmissam similitudinem;

[1] Al. : « superlucens. » — [2] Al. : « et generationem. » — [3] In cit. translatione : « hujus universitatis. » — [4] Ibid. : « manifestum. »

et primo, quantum ad processum rerum in esse a divina bonitate; secundo, quantum ad ordinem rerum in ipsam, ibi : « et sic omnia ad seipsam bonitas convertit. » Primo ergo ponit ea quæ ad divinam bonitatem pertinent, secundum quod res ab ipsa procedunt, et circa hoc ponit tria. Primo quidem universalem causalitatem ipsius, et dicit quod « bonitas » divinitatis « super omnia existentia transit » causando « a supremis et perfectissimis substantiis usque ad ultimas. » Posset autem aliquis credere quod transiret per omnia sicut eis permixta, et in eis conclusa; et ad hoc excludendum subdit quod, quamvis per omnia transeat tradendo similitudinem suam rebus, adhuc tamen « super omnia est » per suæ substantiæ singularitatem. Posset etiam aliquis credere quod, quamvis excedat omnes substantias, tamen supremæ substantiæ usque ad eam attingant, per modum quo corpus inferius attingit suum superius; et ad hoc excludendum subdit quod superiores substantiæ non pertingunt ad excessum divinæ non bonitatis. Posset iterum aliquis credere quod quædam quæ sunt infima in rebus non sunt a Deo creata propter eorum imperfectionem, sicut manichæi posuerunt, corpora corruptibilia non esse creata a Deo; et ad hoc excludendum subdit quod inferiora non transeunt ambitum causalitatis ejus.

Secundo, ibi : « Sed et illuminat illuminare valentia omnia, » postquam posuerat quod causalitas ejus se extendit ad omnes substantias, ostendit quid substantiæ ex divina bonitate consequuntur, et dicit quod divina bonitas illuminat omnia quæ illuminari possunt, scilicet rationales substantias; universaliter autem omnes substantias creat, dans ei esse, « et vivificat » omnia quæ vivunt, et « continet, » id est conservat, « et perficit, » dans eis suas perfectiones.

Tertio, ibi : « Et mensura est existentium, » ostendit quam habitudinem habeat divina bonitas ad res jam productas, et dicit primo quod habet habitudinem mensuræ. Est enim mensura existentium, quia ex hoc potest sciri quantum unumquodque existentium habeat de nobilitate essendi quod appropinquat ei vel distat ab eo : sicut si dicamus albedinem esse mensuram omnium colorum, quia unusquisque color est tanto nobilior quanto albedini propinquior. Specialiter autem descendit ad quasdam speciales mensuras. Mensura autem durationis motus et mutabilium rerum est tempus; esse vero immobilium rerum non mensuratur tempore, nisi per accidens ratione motus adjuncti, sed propria mensura essendi est ævum. Duratio autem uniuscujusque esse præfigitur et mensuratur a Deo, et secundum hoc Deus dicitur omnium existentium ævum. Invenitur etiam inter species quantitatis aliqua mensura, quæ est numerus, et hæc etiam mensura attribuitur Deo, qui est numerus rerum omnium, et determinatio multitudinis earum, quæ ad rationem numeri pertinet, a divina sapientia procedit. Rationem autem tam temporis quam numeri sequitur ordo, quia una species numeri naturaliter est alia prior, et tempus est etiam numerus motuum secundum prius et posterius. Unde consequenter dicit quod Deus est ordo omnium, inquantum omnia quæ ab ipso sunt, ordinata sunt. Est etiam inter species quantitatis aliqua mensura quæ est locus. Locus quidem mensurat ambiendo corpus localiter, et hunc etiam Deo attribuit, qui immediate omnia ambit. Non solum autem habet ad res productas habitudinem mensuræ, sed etiam habitudinem causæ agentis et finis; et ideo subjungit : « et causa et finis. »

Deinde cum dicit : « Ita quidem et divinæ bonitatis manifesta imago magnus iste et totus splendens et semper lucens sol, » ostendit quomodo inveniatur similitudo Dei, quantum ad præmissa; et primo, quantum ad universalitatem causandi, et dicit quod, sicut prædicta conveniunt divinæ bonitati, ita sol iste sensibilis, qui est maximus, transcendens omnia corpora cœlestia secundum quantitatem, « et totus splendens, » non habens aliquas nebulas, sicut luna, « et semper lucens, » ad differentiam lunæ, cujus lumen augetur et minuitur, et quandoque deficit. Et quod aliquando eclipsari videtur, non est propter defectum luminis in ipso, sed quando lumen ejus ad nos non pertingit propter interpositionem lunæ. Iste, inquam, sol, tanquam manifesta imago divinæ bonitatis, « secundum multam resonantiam » ad divinam bonitatem « illuminat quæcumque possunt participare » lumine ejus, et tamen lumen ejus est « superextensum, » quia nihil potest pertingere ad

æqualitatatem luminis ejus, et extendit « splendores radiorum suorum » ad totum istum corporeum et « visibilem mundum » tam sursum quam deorsum, quia non solum ista inferiora, sed etiam superiora corpora cœlestia illuminantur ab ipso; « et si » est « aliquid » quod « non participat » lumine ejus, « hoc non est » propter debilitatem vel parvitatem illuminantis virtutis in ipso, sicut est in candela, quæ propter parvitatem vel debilitatem sui luminis usque ad modicum spatium illuminat; sed quod aliqua a sole non illuminantur, est propter defectum eorum, quæ non possunt extendere se ad participandum lumen solis, propter hoc quod non sunt opportuna vel apta ad accipiendum lumen. Sed tamen solaris radius multa talia corpora illuminari non valentia prætermittens « illuminat sequentia, » sicut prætermittens nubem aliquam, illuminat quæ sub nube sunt; « et » breviter « nihil est visibilium ad quod non pertingat » solis causalitas « secundum excedentem magnitudinem » sui « proprii splendoris. »

Secundo, cum dicit : « Sed ad generationem visibilium corporum confert, » ostendit similitudinem quantum ad effectus quos Deus facit in omnibus rebus. Dictum est enim quod divina bonitas dat esse omnibus rebus per creationem; sed in hoc aliquam similitudinem ejus habet sol, qui dat esse per generationem. Confert enim ad generationem sensibilium corporum sicut quoddam universale agens, et causa non unica. Dictum est etiam quod Deus vivificat res, et in hoc assimilatur ei sol, quod « movet » inferiora corpora « ad vitam. » Manifestum est enim quod ex radiis solis viventia generantur, non solum quæ generantur sine semine, sed etiam in his quæ ex semine generantur, virtus solis operatur. « Auget » etiam quædam quæ ad actum vitæ pertinent, scilicet nutrimentum et augmentum, quæ ex virtute solaris luminis causantur, sicut et cæteri motus corporales. « Perficit » etiam corpora sensibilia solaris radius, inquantum ejus virtute ad statum perfectum perducuntur; et etiam si qua per elongationem solis corruptionem aliquam et vetustatem incurrunt, sole appropinquante purgantur et renovantur, sicut arbores et omnes plantæ in vere pullulant et crescunt.

Tertio, ibi : « Et mensura est et numerus horarum, dierum, » quantum ad rationem mensuræ ostendit similitudinem, et dicit quod sol est mensura et numerus horarum et dierum totius nostri temporis, quod maxime mensuratur et numeratur per motum solis. Et ne aliquis ferat instantiam de tribus primis diebus qui leguntur Gen., I, ante quartum diem, quo factus dicitur esse sol, subjungit quod, cum Moyses dixit quod primo die Deus dixit : *Fiat lux, et facta est lux, et divisit lucem a tenebris, et tenebras vocavit noctem, et lucem diem,* illa lux fuit lux solis, quæ tamen fuit primo creata, sed postea fuit formata et perfecta quarto die, quando factus legitur sol, et sic radius solaris determinavit et distinxit et primos tres dies et nostri temporis dies.

Deinde cum dicit : « Et sic omnia ad seipsam bonitas convertit, » exponit præmissam similitudinem quantum ad ordinem rerum in divinam bonitatem; secundo, ostendit hujus similitudinem in sole, ibi : « secundum eamdem manifestæ imaginis rationem. » Circa primum tria facit. Primo, ostendit ex qua causa contingat quod omnia ordinentur in Deum sicut in finem; secundo, quæ sit ratio ordinis, ibi : « sicut ex causa perfecta deducta, et in quo omnia consistunt; » tertio, modum ordinis, ibi : « et quod desiderant omnia. » Causam autem hujus ordinis assignat dicens quod divina « bonitas omnia convertit ad seipsam; » hoc enim ipsum quod res ordinantur in Deum, ab ipso habent. Sunt enim res quasi dispersæ et segregatæ, secundum quod ad diversos fines proprios ordinantur; sed inquantum communicant in ordine ad ultimum finem, sic congregantur. Divina igitur bonitas, inquantum omnia ad seipsam convertit, est principaliter « congregativa omnium dispersorum, » sicut quædam « deitas » principaliter « vivifica. »

Deinde cum dicit : « Et omnia ipsam ut principium, ut continentiam, ut finem desiderant, » assignat rationem ordinis. Intantum enim omnia convertuntur in ipsum, inquantum omnia desiderant ipsum triplici ratione, scilicet ut « principium » activum, et « ut continentiam, » id est conservantiam rerum, et « ut finem. » Ista est triplex ratio desiderii. Desideramus enim Deum « ut principium, » quia ex eo provenit nobis bonum; « ut continentiam, » quia ex eo conservatur nobis bonum; « ut

finem, » quem adipisci intendimus. Et hæc tria manifestat. Quod enim sit principium, patet ex hoc quod, sicut Scriptura dicit, « omnia subsistunt, et sunt » ex ipso, « deducta » ab eo « sicut ex » quadam « causa perfecta. » Et quod ipse sit continens omnia et conservans, patet per hoc quod « omnia in ipso consistunt custodita » ab exterioribus nocivis, « et contenta » per conservationem propriæ virtutis, « sicut in » quadam « omnipotente plantatione. » Sicut enim arbores conservantur per hoc quod sunt in terra plantatæ, ita omnia conservantur in hoc quod sunt firmata in omnipotenti Dei virtute. Quod etiam desiderant omnia divinam bonitatem ut finem, ostendit consequenter cum dicit quod ad ipsum convertuntur omnia sicut singula ad proprios fines.

Deinde cum dicit : « Et quod desiderant omnia, » ostendit modum ordinis, et dicit quod bonum divinum « desiderant intellectualia quidem, » ut angeli, « et rationalia, » ut homines, « cognitive ; » hæc enim solum cognoscere possunt ipsum bonum quod est Deus. Sed sensibilia ipsum desiderant inquantum desiderant aliquod sensibile bonum, quod est similitudo summi boni. Sed plantæ, quæ sunt expertes sensus, desiderant bonum divinum naturali motu vitalis desiderii, quia et ipsum bonum est ad quod naturali inclinatione tendunt per opera vitæ in similitudinem aliquam summi boni. Ea vero quæ carent vita, ut inanimata corpora, quæ sunt tantum existentia, desiderant bonum divinum per aptitudinem ad participandum a Deo esse subsistens, ut ipsa aptitudo eorum intelligatur esse desiderium.

Deinde cum dicit : Secundum eamdem manifestæ imaginis rationem, » ostendit quomodo prædictorum similitudo in sole inveniatur, et dicit quod, sicut prædicta conveniunt divinæ bonitati, ita non principaliter, sed secundum rationem imaginis, lumen solare congregat et convertit ad se omnia. Ea enim quæ vident desiderant lumen solis ad vivendum, ea « quæ moventur, et quæ illuminantur, et quæ calefaciunt, » desiderant lumen solis ut ad hoc necessarium, et similiter quocumque modo aliqua « contineantur, » id est dependeant, vel causentur « a fulgoribus » solis, et ideo nominatur in græco « ylios, » scilicet « quia facit omnia » corpora esse « indestructibilia, et congregat dispersa, » inquantum ea quæ sunt in seipsis separata, communiter « ipsum desiderant, » aut ad hoc quod videant, aut ad hoc quod moveantur, aut ad hoc quod illuminentur, aut ad hoc quod calefiant, aut qualitercumque contineri a virtute luminis desiderant.

Deinde cum dicit : « Et non dico, secundum antiquitatis rationem, quod Deus existens sol, et creator hujus luminis, proprie procurat universum mundum, sed quod invisibilia ejus, videlicet Dei, a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, » removet errorem, et dicit quod prædicta non dixit secundum opinionem antiquorum, qui dicebant quod Deus erat sol, quod sol erat creator totius universi sensibilis, et quod gubernat totum mundum sensibilem, sed secundum quod invisibilia Dei manifestantur per ea quæ facta sunt, ut Apostolus dicit Rom., I.

LECTIO IV.

De lumine, quomodo lumen intelligibile attribuitur Deo.

Sed hæc quidem in *Symbolica theologia,* nunc autem intelligibilem boni luminis nominationem laudare nos convenit. Et dicendum quod lumen intelligibile bonus dicitur, propter hoc quod omnem quidem supercœlestem mentem implet intelligibili lumine, omnem autem ignorantiam et errorem expellit ab omnibus, quibus ingignitur, animabus, et omnibus simul[1] sanctum lumen tradit, et intellectuales ipsarum oculos mundat a circumposita ipsis face ex ignorantia, et movet, et aperit multa gravitate tenebrarum conclusos ; et tradit prius quidem mensuratam claritatem, postea illis, sicut gustantibus lumen, et magis desiderantibus, magis seipsum immittit, et abundanter superfulget, quoniam dilexerunt multum, et semper extendit ipsas ad anteriora secundum ipsarum ad respectum proportionem. Igitur lumen intelligibile dicitur quod est super omne lumen bonum sicut radius fontanus, et supermanens luminis effusio, omnem supermundanam et circummundanam et mundanam[2] mentem ex plenitudine ipsius illuminans, et intellectuales ipsarum totas

[1] In citat. translatione : « et omnibus illis sanctum, » etc. — [2] Ibid. : « et immundum. »

virtutes renovans, et omnes excedens, eo quod superextendatur, et omnia comprehendens, eo quod superjaceat, et simpliciter omnem illuminativæ virtutis dominationem, sicut principaliter lucens, et superlucens, et in seipsa coassumens, et superhabens, et præhabens, et intellectualia et rationalia omnia congregans, et indestructabilia faciens. Etenim sicut ignorantia divisa est eorum quæ in errorem inducti sunt, ita intelligibilis luminis præsentia congregativa et unitiva est eorum qui illuminantur, et perfectiva, et adhuc conversiva ad vere existens, a multis opinionibus convertens, et varias visiones, aut, ut magis proprie dicatur, phantasias, ad unam veram et mundam et uniformem congregans cognitionem, et uno et unitivo lumine complens.

« Sed hæc quidem in *Symbolica theologia,* nunc autem intelligibilem boni luminis nominationem laudare nos convenit. » Postquam ostendit quomodo nomen sensibilis luminis in divinam prædicationem transferatur per quamdam similitudinem, nunc ostendit quomodo intelligibile lumen ei attribuatur; et primo, continuat se ad præcedentia; secundo, prosequitur propositum, ibi : « Et dicendum quod lumen intelligibile bonus dicitur. »

Dicit ergo primo quod hæc quæ dicta sunt per divisionem sensibilis luminis de Deo, et de similitudine ejus ad ipsum, dicta sunt in libro *De symbolica theologia;* sed nunc oportet considerare quomodo laudetur bonum divinum nomine intelligibilis luminis. Non enim est intentio hujus libri tractare de nominibus sensibilium translatis in Deum, sed de nominibus intelligibilibus.

Deinde cum dicit : « Et dicendum quod lumen intelligibile bonus dicitur, » prosequitur intentum, scilicet de intelligibili lumine, quod signat in Deo causalitatem intelligibilis luminis; unde circa hoc tria facit. Primo, tangit causalitatem luminis; secundo, ostendit quomodo Deus se habet ad ea in quibus lumen causatur, ibi : « Igitur lumen intelligibile dicitur quod est super omne lumen; » tertio, ostendit quis est finis diffusionis hujus luminis, ibi : « Et intellectualia et rationalia omnia congregans. » Circa primum duo facit. Primo, tangit de causalitate intelligibilis luminis in angelis; secundo, in animabus, ibi : « Omnem autem ignorantiam et errorem expellit ab omnibus. »

Dicit ergo primo quod Deus, qui est per essentiam suam « bonus, » nominatur « intelligibile lumen, » Joan., VIII, 12 : *Ego sum lux mundi;* « propter hoc quidem quod implet omnem supercœlestem mentem, » id est angelicam, « intelligibili lumine, » quod nihil est aliud quam cognitio veritatis. In hoc autem quod dicit : « implet, » designat perfectam veritatis cognitionem angelis a Deo datam.

Deinde cum dicit : « Omnem autem ignorantiam et errorem expellit ab omnibus, » ostendit causalitatem luminis in animabus; et primo, ponit duo quæ facit[1] divinum lumen in animabus; secundo, assignat modum utriusque, ibi : « et intellectuales ipsarum oculos mundat. » Duorum autem quæ facit divinum lumen in animabus, « primum est » quod « ab omnibus animabus quibus innascitur, expellit omnem ignorantiam et errorem. » Ignorantia pertinet ad remotionem veritatis, sed error ad inhæsionem falsitatis. Dicit autem « ingignitur, » ut alludat ei quod dicitur II Petr., I, 19 : *Donec dies illucescat, et lucifer oriatur in cordibus vestris.* Unde patet quod hoc de angelis non dixit, in quibus ignorantia et error locum non habet, licet in eis sit aliquorum nescientia, a qua purgantur, ut dixit Dionysius, VI cap. *Cœlestis hierarchiæ.* Non enim omnis nescientia ignorantia dici potest, sed solum[2] nescientia eorum ad quæ quis natus est et debet scire. Secundum est quod facit « sanctum lumen. » Et nota quod dicit « sanctum lumen, » tum quia a Deo immittitur, tum quia ad Deum cognoscendum nos ordinat. Et notandum quod non fuit usus verbo impletionis, sed simplicis traditionis, ad ostendendum quod cognitio veritatis est imperfecta in animabus in comparatione ad illam plenitudinem quam angeli a Deo possident.

Deinde cum dicit : « Et intellectuales ipsarum oculos mundat, » exponit modum utriusque; et primo primi, secundo secundi, ibi : « Et tradi prius quidem mensuratam claritatem. »

Circa primum considerandum est quod corporalis tenebra tria facit in corporibus.

[1] Al. : « quæ faciunt, » sic etiam infra. — [2] Parm. : « Non enim omnis nescientia purgatur, sed nescientia eorum, » etc. »

Primo enim, reddit ea squalida et sordida, ex eo quod non studiose purgantur quæ in tenebris sunt. Secundo, tenebræ reddunt animalia[1] immobilia; unde plerisque animalium naturale est ut in nocte quiescant et in die moveantur, quia per lucem diriguntur in motu videntia quo vadent. Tertio, tenebræ corporales concludunt, ut in tenebris aliquis non præparet se ad aliquid agendum, et naturaliter aliquam pigritiam ingerunt. Et hæc tria facit etiam spiritualis tenebra, id est ignorantia veritatis. Primo enim, contrahuntur ex ea sordes, non solum errorum in intellectu, sed etiam pravarum affectionum in affectu, et inordinatio actionum in actu, dum mala quæ ignorat homo nec vitat nec purgat. Secundo, tenebra reddit homines otiosos : qui dum habent ignorantiam boni, quod est finis, et viæ[2] qua ad ipsum pervenitur, non se movent ad finem consequendum. Tertio, reddit eos conclusos, quia dum non cognoscunt bonum, non aperitur eorum affectus per desiderium ad capiendum ipsum intra se. Sed hæc tria removet intelligibile lumen, id est cognitio veritatis. Et quantum ad primum dicit quod intelligibile lumen « mundat intellectuales oculos ipsarum, » scilicet animarum, « a fæce, » id est immunditia, « circumposita ipsis, » id est superveniente eis ex ignorantia. Quantum ad secundum dicit : « et movet, » scilicet ad bene agendum. Et quantum ad tertium dicit : « et aperit, » id est apertos reddit ad recipiendum per desiderium, « conclusos, » id est qui prius erant conclusi tenebris aggravantibus, id est tarditatem quamdam ad bonum immittentibus. Quia ergo conclusi erant, indigebant operatione; quia aggravati, indigebant motione.

Deinde cum dicit : « Et tradit prius quidem mensuratam claritatem, postea illis, sicut gustantibus lumen, et magis desiderantibus, magis seipsum immittit, » ostendit modum et ordinem quomodo traditur sanctis animabus lumen intellectuale; et dicit primo quod quidem traditur unicuique[3] lumen intelligibile secundum determinatam mensuram, secundum illud Ephes., IV : *Unicuique data est gratia secundum mensuram donationis Christi.* Et quia spiritualia gustata desiderium excitant, quæ prius ignorata contemnebantur, post primam receptionem luminis gustata jam cognitione luminis veritatis, magis desideratur, et magis desiderantibus magis immittitur. Effectus enim divinæ gratiæ multiplicantur secundum multiplicationem desiderii et dilectionis, secundum illud Luc., VII, 47 : *Dimissa sunt ei peccata multa quoniam dilexit multum.* Sic enim quædam circulatio attenditur, dum ex lumine crescit luminis desiderium, et ex desiderio aucto crescit lumen. Circulatio autem secundum suam naturam perpetua est ; et sic « semper » divinum lumen « extendit animas ad anteriora » per profectum, non tamen in omnibus æqualiter, sed « secundum proportionem ipsarum ad respectum luminis. » Quædam enim diligentius respiciunt ad lumen immissum, quæ magis desiderant et magis proficiunt.

Deinde cum dicit : « Igitur lumen intelligibile dicitur quod est super omne lumen bonum, » ostendit quomodo Deus se habeat ad ea in quibus lumen intelligibile causat, et ponit tres habitudines, scilicet diffusionis, et excessus, et comprehensionis. Quantum ad primum ergo dicit quod supersubstantiale bonum, licet sit « super omne lumen » et sensibile et intelligibile, tamen nominatur « lumen intelligibile, » inquantum est quidam « radius et fons » omnis intellectualis luminis. Et ne intelligatur fons in se solo consistens, subdit quod est « effusio luminis desuper manans. » Et ut sciatur in quos manat, subdit quod ex sua plenitudine illuminat « omnem mentem supermundanam » quantum ad angelos assistentes, « et circamundanam » quantum ad ministrantes, quorum ministerio mundus iste gubernatur, « et mundanam » quantum ad animas ; et non solum a principio illuminat mentes, naturalem cognitionem eis præbendo, sed etiam renovat omnes « intellectuales virtutes ipsarum, » novum lumen superfundendo gratiæ et gloriæ et novarum revelationum. Secundo, ponit id quod pertinet ad excessum, et dicit quod lumen divinum « excedit omnes » mentes, licet in eas diffundatur, quia semper superexcessus est per suam substantiam. Tertio, ponit id quod pertinet ad comprehensionem, et dicit quod Deus omnia comprehendit quæ sunt in prædictis mentibus,

[1] Parm. : « omnia. » — [2] Parm. : « via. » — [3] Parm. : « in utroque. »

inquantum superjacet eis, sicut causa superior præhabet in se quod in effectibus inferioribus invenitur. Unde ad hoc exponendum subdit quod ipse Deus universaliter « omnem dominationem, » seu potestatem « illuminativæ virtutis, » id est quidquid pertinet ad cujuscumque cognitionem, vel ad quamcumque virtutem docendi, Deus « in se coassumens, » id est simul assumens, non per diversas virtutes diversa cognoscens, sicut nos colores visu et sonos auditu cognoscimus, sed secundum unam virtutem cognoscit omnia, « et superhabet, » quia excellentius unumquodque cognoscit quam ab aliquo cognoscatur; « et præhabet, » quia non acquirit cognitionem virtutis, vel virtutem docendi ab aliquo, sed omnes ab ipso. Et hoc competit ei inquantum est principalis lucens, ut principium luminis, et inquantum est super omnia lucens.

Deinde cum dicit : « Et intellectualia et rationalia omnia congregans, et indestructibilia faciens, » ostendit finem et fructum causalitatis luminis, et dicit quod per illuminationem « congregat omnia intellectualia, » id est angelos, « et rationalia, » id est homines, « et facit » ea « indestructibilia, » quia dum uniuntur in veritate, in ea conservantur. Et hoc consequenter exponit ex opposito. « Sicut enim ignorantia est divisiva eorum qui in errorem inducuntur, ita præsentia intellectualis luminis, » per quod cognoscitur veritas, congregat eos qui illuminantur ad invicem, et unit eos in una veritate cognita. Manifestum est enim quod circa unum non contingit nisi uno modo verum dicere, sed multipliciter errare a veritate contingit. Et ideo illi qui cognoscunt veritatem, conveniunt in una sententia; sed illi qui ignorant, dividuntur per diversos errores. Est etiam præsentia luminis « perfectiva, » inquantum constituit in fine rei cognitæ, quæ est veritas, « et » est etiam « conversiva, » id est revocativa ad veritatem, convertens homines a multis opinionibus quæ non habent firmitatem veritatis. Et non solum ab opinione ad certam scientiam transfert, sed etiam a veritate ad uniformitatem; et hoc est quod subdit quod « congregat varias visiones, vel, ut magis proprie dicatur, phantasias, ad unam veram cognitionem, » per oppositum falsitatis. Et non solum convertit ad lumen veritatis, sed etiam replet ipso lumine veritatis, quod in se est unum, et aliorum unitivum.

LECTIO V.

De pulchro divino, et qualiter attribuitur Deo.

Hoc bonum laudatur a sanctis[1] theologis et sicut pulchrum, et sicut pulchritudo, et sicut dilectio, et sicut diligibile, et quæcumque aliæ convenientes sunt pulchrificæ et gratiosæ habitæ pulchritudinis nominationes. Pulchrum autem et pulchritudo non sunt dividenda in causa quæ in uno tota comprehendit. Hæc enim in existentibus in participationes et participantia dividentes; pulchrum quidem esse dicimus quod participat pulchritudinem, pulchritudinem autem participationem pulchræ facientis tota pulchra causæ. Supersubstantiale vero pulchrum pulchritudo quidem dicitur, propter traditam ab ipso omnibus existentibus juxta proprietatem uniuscujusque pulchritudinem, et sicut universorum consonantiæ et claritatis causa, ac similitudinem luminis[2] cum fulgore immittens universis pulchrificas fontani radii ipsius traditiones, et sicut omnia ad seipsum vocans. Unde et calor dicitur, et sicut tota in totis congregans. Pulchrum autem sicut pulcherrimum simul et superpulchrum, et semper existens[3] secundum eadem, et similiter pulchrum, et neque factum, neque destructum, neque actum, neque minoratum, neque in aliqua parte quidem pulchrum, in aliqua autem turpe, neque aliquando quidem, aliquando autem non, neque ad hoc quidem pulchrum, et aliud autem turpe, neque hic quidem, illic autem non; sicut quibusdam quidem existens pulchrum, quibusdam autem non pulchrum, sed sicut ipsum secundum seipsum, cum seipso uniforme et semper existens pulchrum, et sicut omnis pulchri fontanam, et pulchritudinem excedenter in seipso præhabens. Etenim simplici et supernaturali totorum pulchrorum natura, omnis pulchritudo et omne pulchrum uniformiter secundum causam præextiterunt. Ex pulchro isto omnibus existentibus est esse secundum propriam rationem singula pulchra, et propter pulchrum omnium concordiæ, et amicitiæ, et communiones, et pulchro omnia uniuntur, et est principium omnium pulchrum, sicut effectiva causa[4], et movens tota, et continens amore propriæ pulchritudinis, et finis omnium, sicut finalis causa (etenim pulchri causa cuncta fiunt), et exemplaris, quoniam secundum ipsum cuncta determinantur, propter quod et idem est bono pulchrum, quoniam bonum et pulchrum secundum omnem causam cuncta desiderant, et non est aliquid existentium

[1] Al. : « a cunctis. » — [2] Al. : « et similitudinis. » — [3] Al. : « et superexistens. » — [4] Al. : « principium omnium pulchrorum, sicut in effectiva causa. »

quod non participet pulchro et bono. Audebit autem et hoc dicere sermo, quod et non existens participat pulchro et bono. Tunc enim et ipsum pulchrum et bonum, quando in Deo secundum omnium ablationem supersubstantialiter laudatur.

« Hoc bonum laudatur a sanctis theologis et sicut pulchrum, et sicut pulchritudo, et sicut dilectio, et sicut diligibile. » Postquam Dionysius tractavit de lumine, nunc agit de pulchro, ad cujus intellectum præexigitur lumen, et circa hoc duo facit. Primo, præmittit quod pulchrum attribuitur Deo; secundo, ostendit modum quo ei attribuitur, ibi : « Pulchrum autem et pulchritudo non sunt dividenda in causa quæ in uno tota comprehendit. »

Dicit ergo primo quod hoc supersubstantiale « bonum, » quod est Deus, « laudatur a sanctis theologis, » in sacra Scriptura « sicut pulchrum, » Cant., I, 15 : *Ecce tu pulcher es, dilecte mi;* « et sicut pulchritudo, » Psal. XCV, 6 : *Confessio et pulchritudo in conspectu ejus;* « et sicut dilectio, » I Joan., IV, 16 : *Deus caritas est;* « et sicut diligibile, » ut in auctoritate Canticorum inducta, « et quæcumque aliæ sunt convenientes » Dei « nominationes » ad pulchritudinem pertinentes, sive per causalitatem pulchritudinis, quod dicit propter pulchrum et pulchritudinem, sive secundum quod pulchritudo gratiose hebetur, quod dicit propter dilectionem et diligibile.

Deinde cum dicit : « Pulchrum autem et pulchritudo non sunt dividenda in causa quæ in uno tota comprehendit, » ostendit quomodo Deo attribuitur, et circa hoc tria facit. Primo, præmittit quod differenter attribuitur Deo et creaturis pulchrum et pulchritudo; secundo, quomodo attribuitur creaturis, ibi : « Hæc enim in existentibus in participationes et participantia dividentes, pulchrum quidem esse dicimus quod participat pulchritudinem; pulchritudinem autem participationem pulchræ facientis tota pulchra causæ; tertio, quomodo attribuitur Deo, ibi : « Supersubstantiale vero pulchrum pulchritudo quidem dicitur. » Dicit ergo primo quod in causa prima, scilicet Deo, non sunt dividenda pulchrum et pulchritudo, quasi aliud sit in eo pulchrum et pulchritudo; et hoc ideo quia causa prima propter sui simplicitatem et perfectionem sola « comprehendit tota, » id est omnia, « in uno. » Unde etsi in creaturis differant pulchrum et pulchritudo, Deus tamen utrumque comprehendit in se secundum unum et idem.

Deinde cum dicit : « Hæc enim in existentibus in participationes et participantia dividentes, pulchrum quidem esse dicimus quod participat pulchritudinem, pulchritudinem autem participationem pulchræ facientis tota pulchra causæ, » ostendit qualiter attribuuntur creaturis, et dicit quod in existentibus pulchrum et pulchritudo distinguuntur secundum participans et participatum; ita quod pulchrum dicitur hoc quod participat pulchritudinem, pulchritudo autem participatio primæ causæ, quæ omnia pulchra facit. Pulchritudo enim creaturæ nihil est aliud quam similitudo divinæ pulchritudinis in rebus participata.

Deinde cum dicit : « Supersubstantiale vero pulchrum pulchritudo quidem dicitur propter traditam ab ipso omnibus existentibus juxta proprietatem uniuscujusque pulchritudinem, » ostendit quomodo prædicta Deo attribuantur; et primo, quomodo attribuatur ei pulchritudo; secundo, quomodo attribuatur ei pulchrum, ibi : « Pulchrum autem sicut pulcherrimum simul et superpulchrum. » Dicit ergo primo quod Deus, qui est supersubstantiale pulchrum, dicitur pulchritudo » propter hoc quod omnibus entibus creatis dat pulchritudinem secundum proprietatem uniuscujusque. Alia enim est pulchritudo spiritus et alia corporis, atque alia hujus et illius corporis. Et in quo consistat pulchritudinis ratio, ostendit subdens quod sic Deus tradit pulchritudinem, inquantum est « causa consonantiæ et claritatis » in omnibus. Sic enim hominem pulchrum dicimus propter decentem proportionem membrorum in quantitate et situ, et propter hoc quod habet clarum et nitidum [1] colorem. Unde proportionaliter est in cæteris accipiendum quod unumquodque dicitur pulchrum secundum quod habet claritatem sui generis, vel spiritualem vel corporalem, et secundum quod est in debita proportione constitutum. Quomodo autem Deus sit causa claritatis, ostendit subdens quod Deus immittit

[1] Al. : « vividum. »

omnibus creaturis cum quodam fulgore traditionem sui radii luminosi, qui est fons omnis luminis; quæ quidem traditiones fulgidæ divini radii secundum participationem similitudinis sunt intelligendæ, et istæ traditiones sunt « pulchrificæ, » id est facientes pulchritudinem in rebus. Rursus exponit aliud membrum, scilicet quod Deus sit causa consonantiæ in rebus. Est autem duplex consonantia in rebus. Prima quidem secundum ordinem creaturarum ad Deum, et hanc tangit cum dicit quod Deus est causa consonantiæ, « sicut vocans omnia ad seipsum, » inquantum convertit omnia ad seipsum sicut ad finem, ut supra dictum est, et propter hoc pulchritudo in græco « calos » dicitur quod est a vocando sumptum. Secunda autem consonantia est in rebus secundum ordinationem earum ad invicem, et hoc tangit cum subdit quod congregat omnia in omnibus ad idem. Et potest hoc intelligi secundum sententiam platonicorum, quod superiora sunt in inferioribus secundum participationem, inferiora vero sunt in superioribus per excellentiam quamdam et sic omnia sunt in omnibus. Et ex hoc quod omnia in omnibus inveniuntur ordine quodam, sequitur quod omnia ad idem ultimum ordinentur.

Deinde cum dicit : « Pulchrum autem sicut pulcherrimum simul et superpulchrum et superexistens secundum eadem, » ostendit quomodo pulchrum de Deo dicitur; et primo, ostendit quod dicitur secundum excessum; secundo, quod dicitur per causam, ibi : « ex pulchro ipso omnibus existentibus est esse secundum propriam rationem singula pulchra. » Circa primum duo facit. Primo, proponit excessum; secundo, exponit, ibi : « et superexistens secundum eadem. » Excessus autem est duplex: unus in genere, qui significatur per comparativum vel superlativum; alius extra genus, qui significatur per additionem hujus præpositionis « super; » puta, si dicamus quod ignis excedit in calore excessu in genere, unde dicitur calidissimus, sol autem excedit excessu extra genus; unde non dicitur calidissimus, sed supercalidus, quia calor non est in eo eodem modo, sed excellentiori. Et licet iste duplex excessus in rebus causatis non simul conveniat, tamen in Deo simul dicitur et quod est pulcherrimus et superpulcher, non quod sit in genere, sed quod ei attribuuntur omnia quæ sunt cujuscumque generis.

Deinde cum dicit : « et superexistens, » exponit quod dixerat; et primo, exponit quare Deus dicatur pulcherrimus; secundo, quare dicatur superpulcher, ibi : « Et sicut omnis pulchri fontanam pulchritudinem excedenter in seipso præhabens. » Sicut enim aliquid dicitur albius quia est nigro impermixtius, ita dicitur aliquid pulchrius per remotionem a defectu pulchritudinis. Est autem duplex defectus pulchritudinis in creaturis. Unus, quod quædam sunt quæ habent pulchritudinem variabilem, sicut de rebus corruptibilibus apparet, et hunc defectum primo excludit a Deo, dicens quod Deus semper est pulcher secundum idem, et eodem modo, et sic excluditur alteratio pulchritudinis. Et iterum non est in eo generatio aut corruptio pulchritudinis, neque iterum augmentum, vel diminutio ejus [1], sicut in rebus corporalibus apparet. Secundus autem defectus pulchritudinis est quod omnes creaturæ habent aliquo modo particulatam pulchritudinem, sicut et particulatam naturam. Hunc defectum excludit a Deo quantum ad omnem modum particulationis, et dicit quod Deus non est in aliqua parte pulcher et in alia turpis, sicut in rebus particularibus contingit quandoque; neque etiam est in aliquo tempore et in aliquo non, sicut contingit in his quorum pulchritudo cadit sub tempore; neque iterum est pulcher quantum ad unum et non quantum ad aliud, sicut contingit in omnibus quæ sunt ordinata ad unum determinatum usum vel finem (si enim applicentur ad aliud, non servabitur consonantia, unde nec pulchritudo); neque iterum est in aliquo loco pulcher et in alio non pulcher; quod quidem in aliquibus contingit propter hoc quod quibusdam videntur pulchra, et quibusdam non videntur pulchra. Sed Deus quoad omnes et simpliciter pulcher est. Et omnium præmissorum assignat rationem, cum subdit quod ipse est pulcher « secundum seipsum; » per quod excluditur quod non est pulcher secundum unam partem tantum, neque in aliquo tempore tantum, neque in aliquo loco tantum; quod enim alicui secundum se et primo convenit, con-

[1] Parm. : « neque litura, neque augmentum, neque diminutio. »

venit et toti, et semper, et ubique. Iterum Deus est pulcher in seipso, non per respectum ad aliquod determinatum; et ideo non potest dici quod ad aliquid sit pulchrum et ad aliquid non pulchrum, et neque quibusdam pulcher, et quibusdam non pulcher. Iterum est semper et uniformiter pulchrum, per quod excluditur primus defectus pulchritudinis, scilicet variabilitas.

Deinde cum subdit : « Et sicut omnis pulchri fontanam pulchritudinem excedenter in seipso præhabens, » ostendit qua ratione dicatur Deus superpulcher, inquantum in seipso habet excellenter, et ante omnia alia fontem totius pulchritudinis. In ipsa enim natura simplici et supernaturali omnium pulchrorum ab ea derivatorum, præexistunt omnis pulchritudo et omne pulchrum, non quidem divisim, sed uniformiter, per modum quo multiplices effectus in causa præexistunt.

Deinde cum dicit : « Ex pulchro isto omnibus existentibus est esse secundum propriam rationem singula pulchra, » ostendit quomodo pulchrum de Deo dicitur secundum causam; et primo ponit causalitatem pulchri; secundo exponit, ibi : « Et est principium omnium pulchrorum. » Dicit ergo primo quod ex pulchro isto provenit esse omnibus existentibus. Claritas enim est de consideratione pulchritudinis, ut dictum est. Omnis autem forma, per quam res habet esse, est participatio quædam divinæ claritatis; et hoc est quod subdit quod « singula » sunt « pulchrum secundum propriam rationem, » id est secundum propriam formam. Unde patet quod ex divina pulchritudine esse omnium derivatur. Similiter etiam dictum est quod de ratione pulchritudinis est consonantia; unde omnia quæ qualitercumque ad consonantiam pertinent, ex divina pulchritudine procedunt, et hoc est quod subdit quod propter bonum divinum sunt omnium rationalium creaturarum « concordiæ » quantum ad intellectum (concordant enim qui in eamdem sententiam conveniunt), « et amicitiæ » quantum ad affectum, « et communiones » quantum ad actum, vel ad quodcumque extrinsecum; et universaliter omnes creaturæ quantamcumque unionem habent, habent ex virtute pulchri.

Deinde cum dicit : « et est principium omnium pulchrorum, » exponit quod dixerat de causalitate pulchri; et primo quantum ad rationem causandi; secundo quantum[1] ad diversitatem causatorum, ibi : « Hoc unum bonum et pulchrum singulariter est omnium multorum pulchrorum et bonorum causa. » Circa primum duo facit. Primo, assignat secundum quam rationem pulchrum dicatur causa; secundo, infert quoddam corollarium ex dictis, ibi : « Propter quod idem est bono pulchrum. »

Dicit ergo primo quod « pulchrum quidem est principium omnium sicut causa effectiva, » dans esse, et sicut causa « movens, » et sicut causa « continens, » id est conservans, « omnia; » hæc enim tria videntur ad rationem causæ efficientis pertinere, ut det esse, moveat et conservet. Sed causa agens quædam agit ex desiderio finis, quod est agentis imperfecti, nondum habentis quod desiderat; sed agentis perfecti est ut agat per amorem ejus quod habet, et propter hoc subdit quod « pulchrum, quod est Deus, est causa effectiva et motiva, et continens « amore propriæ pulchritudinis. » Quia enim propriam pulchritudinem habet, vult eam multiplicare sicut possibile est, scilicet per communicationem suæ similitudinis. Secundo, ait quod pulchrum, quod est Deus, est « finis omnium, sicut finalis causa » omnium rerum. Omnia enim facta sunt ut divinam pulchritudinem qualitercumque imitentur. Tertio, est causa exemplaris, quia omnia distinguuntur secundum pulchrum divinum, et hujus signum est quod nullus curat effigiare vel repræsentare nisi ad pulchrum.

Deinde cum dicit : « Propter quod et idem est bono pulchrum, » infert quoddam corollarium ex dictis, et dicit quod quia tot modis pulchrum est causa omnium, inde est quod bonum et pulchrum sunt idem, quia omnia desiderant pulchrum et bonum, sicut causam, omnibus modis. Et quia nihil est quod non participet pulchro et bono, cum unumquodque sit pulchrum et bonum secundum propriam formam; et ulterius etiam audacter hoc dicere poterimus « quod non existens, » id est materia prima, « participat pulchro et bono; » cum ens primum non existens habeat quamdam similitudinem cum pulchro et bono divino, quoniam pulchrum et bo-

[1] Al. : « vel quantum. »

num laudatur in Deo per omnium ablationem; sed in materia prima consideratur ablatio per defectum, in Deo autem per excessum, inquantum supersubstantialiter existit. Quamvis autem pulchrum et bonum sint idem subjecto, quia tam claritas quam consonantia sub ratione boni continentur, tamen ratione differunt, nam pulchrum addit supra bonum ordinem ad vim cognoscitivam illud esse hujusmodi.

LECTIO VI.

Hoc unum bonum et pulchrum singulariter est omnium multorum pulchrorum et bonorum causa. Ex hoc omnes existentium substantiales essentiæ, unitiones, discretiones, identitates, alteritates, similitudines, dissimilitudines, communiones contrariorum, incommixtiones unitorum, Providentiæ superiorum, alternæ habitudines coordinatorum, conversiones minus habentium omnium eorumdem conservativæ, et intransmutabiles mansiones et collocationes. Et rursus omnium in omnibus juxta proprietatem uniuscujusque communiones, et adaptationes, et inconfusæ amicitiæ, et harmoniæ cunctæ rei, in omni concretiones indissolubiles, continentiæ existentium, indeficientes successiones eorum quæ fiunt, stationes omnes et motus qui sunt mentium, qui sunt animarum, qui sunt corporum. Statio enim omnibus est et motus, quæ est super omnem stationem et omnem motum, collocans unumquodque in ipsius ratione, et movens ad divinum motum.

« Hoc unum bonum et pulchrum singulariter est omnium multorum pulchrorum et bonorum causa. » Postquam Dionysius exposuit secundum quam rationem pulchrum sit causa, hic ostendit quorum sit causa, et circa hoc duo facit. Primo, proponit in generali; secundo, prosequitur distinguendo per singula, ibi : « Ex hoc omnium existentium substantiales essentiæ. »

Dicit ergo primo quod « bonum et pulchrum, » quamvis sit unum esse, est tamen « causa omnium bonorum et pulchrorum, » quæ sunt multa.

Deinde cum dicit : « Ex hoc omnium existentium substantiales essentiæ, » prosequitur per singula de his quorum pulchrum est causa; et primo, quantum ad ipsum ens; secundo, quantum ad unum, ibi : « unitiones et discretiones; » tertio, quantum ad ordinem, ibi : « Providentiæ superiorum; » quarto, quantum ad quietem et motum, ibi : « stationes omnes et motus. » Dicit ergo quod ex pulchro causantur omnes essentiæ substantiales entium. Omnis enim essentia vel est forma simplex, vel habet complementum per formam. Forma autem est quædam irradiatio proveniens ex prima claritate. Claritas autem est de ratione pulchritudinis, ut dictum est.

Deinde cum subdit : « unitiones, discretiones, » ponit ea quæ pertinent ad rationem unius. Ubi considerandum est quod unum addit supra rationem entis indivisionem. Est enim unum ens indivisum; unde unitati distinctio sive discretio opponitur. Et ideo primo ponit « unitiones et discretiones » rerum a divina pulchritudine causari. Unum autem in substantia facit idem; distinctio autem in substantia facit diversitatem; et ideo subjungit « alteritates et diversitates. » Ex uno autem in qualitate causatur simile, ex discressione autem dissimile; et ideo subjungit « dissimilitudines. » Similiter autem unum in quantitate causat æqualitatem, et discretio inæqualitatem; sed de his mentionem non facit, quia pertinent ad commensurationem rerum, de qua post aget. Observatur autem hoc in rebus, quod et dissimilia in aliquo conveniunt, sicut contraria in genere et materia, et quæ uniuntur secundum aliquid, manent distincta sicut partes in toto; et ideo subdit : « communiones contrariorum » quantum ad primum, « et incommixtiones unitorum » quantum ad secundum. Hæc autem omnia ad causalitatem pulchri reducuntur, quia pertinent ad consonantiam, quæ est de ratione pulchritudinis, ut supra dictum est.

Deinde cum dicit : « Providentiæ superiorum, » enumerat ea quæ pertinent ad ordinem rerum; et primo, quantum ad actionem, prout superiora provident inferioribus, quod tangit cum dicit : « alternæ habitudines coordinatorum, » id est æqualium; et prout inferiora convertuntur ad recipiendum a superioribus perfectionem et regimen, et hoc est quod dicit : « conversiones minus habentium. » Secundo, tangit ea quæ pertinent ad existentiam rerum in seipsis, et hoc est quod subdit

quod ex pulchro sunt « mansiones conservativæ eorumdem, » id est aliquorum in seipsis. Ex hoc enim aliquid conservatur quod infra limites naturæ suæ manet; si enim totaliter extra se efflueret, periret, sed addit : « et indissimiles collocationes, » id est fundationes. Sicut enim ex hoc quod aliquid monet in seipso, conservatur, ita ex hoc quod habet aliquid firmum in seipso, super quod fundatur, intransibile est. Tertio, ponit ea quæ pertinent ad mansionem unius rei in alia. Unde sciendum est quod cum ex aliquibus aliquid constitui oportet, primo quidem requiritur quod partes conveniant, sicut multi lapides conveniunt ad invicem, ex quibus constituitur domus, et similiter omnes partes universi conveniunt in ratione existendi. Et hoc ideo dicit, quia non solum ex pulchro sunt mansiones rerum in seipsis, sed etiam « communiones omnium in omnibus secundum proprietatem uniuscujusque. » Non enim uno modo omnia sunt in omnibus, sed superiora quidem in inferioribus participatione, inferiora vero in superioribus excellenter; et tamen omnia cum omnibus aliquid commune habent. Secundo, requiritur in partibus quod in hoc etiam quod diversæ sunt, invicem coaptari possint; non enim ex cæmento et lapide fieret domus, nisi invicem coaptarentur, et similiter partes universi coaptantur, inquantum possunt cadere sub uno ordine, et hoc est quod dicit : « et adaptationes. » Tertio, requiritur quod una pars juvetur ex alia, sicut paries et tectum sustentantur ex fundamento, et tectum cooperit parietem et fundamentum, et similiter in universo superiora dant perfectionem inferioribus, et in inferioribus virtus superior manifestatur, et hoc est quod dicit : « et inconfusæ amicitiæ, » quia mutuum juvamentum est absque præjudicio distinctionis rerum. Quarto, requiritur debita proportio in partibus, ut scilicet tale sit fundamentum quod congruat aliis partibus, et hoc est quod dicit : « et harmoniæ cunctæ rei, » id est omnium partium universi. Harmonia enim causatur in sonis ex debita proportione numerorum. Partibus ergo sic dispositis, sequitur earum compositio in toto secundum quod ex omnibus partibus universi constituitur una rerum universitas, et hoc est quod subdit : « in omni, » id est in universo, « concretiones. » Hæc autem concretio partium in universo attenditur dupliciter. Primo quidem per modum localis continentiæ, secundum quod superiora sunt in entibus aliquo modo loco inferiorum vel spiritualis vel corporalis, et hoc est quod subdit : « indissolubiles continentiæ existentium, » secundum scilicet quod superiora continent inferiora indissolubili ordine. Secundo, quantum ad temporis successionem, sed tamen in generalibus et corruptibilibus, in quibus posteriora prioribus succedunt, et hoc est quod subdit : « indeficientes successiones eorum quæ fiunt. » Dicuntur autem indeficientes successiones rerum, non quia in perpetuum durent genera, sed quia absque interpolatione succedunt quædam quibusdam, quamdiu durat iste cursus mundi. Hæc autem omnia dicit ex pulchritudine causari, inquantum pertinent ad rationem consonantiæ, quæ est de ratione pulchritudinis.

Deinde cum dicit : « stationes omnes et motus, » prosequitur de quiete et motu, quæ etiam, inquantum important aliquam habitudinem unius ad alterum, pertinent ad rationem consonantiæ et pulchritudinis, et circa hoc tria facit. Primo, proponit causalitatem pulchri respectu quietis et motus; secundo, exponit quosdam motus qui videbantur non motu, ibi : « et moveri quidem divinæ dicuntur mentes; » tertio, concludit propositum, ibi : « Igitur istarum et sensibilium trium motionum in hoc omni, et multo prius uniuscujusque mansionum et stationum et collocationum, causa est et contentiva et finis, pulchrum et bonum. »

Dicit ergo primo quod ex pulchro divino causantur « omnes stationes, » id est quietes, « et motus » sive « animarum » sive « corporum. » Et hoc ideo dicit, quia illud plerumque quod est super omnem quietem et motum, est causa omnibus et quietis et motus, inquantum collocat unumquodque in propria sua ratione, in qua res habet suam stationem, et inquantum movet omnia ad divinum motum, quia motus omnium ordinantur ad motum quo moveantur in Deum, sicut motus qui sunt ad fines secundos ordinantur ad motum qui est ad finem ultimum. Forma autem a qua dependet propria ratio rei, pertinet ad claritatem; ordo autem ad finem ad consonantiam, et sic motus et quies reducuntur in causalitatem pulchri.

LECTIO VII.

Motus angelorum et animarum quales sint.

Et moveri quidem dicuntur divinæ mentes circulariter quidem unite sine principiis, et interminabilibus illuminationibus pulchri et boni; in directum autem quando procedunt ad subjectorum providentiam, recte omnia transeuntes; oblique autem quando et providentes minus habentibus ingressibiliter manent in identitate circa identitatis causam, pulchrum et bonum, indesinenter circum chorum agentes. Animæ autem motus circularis quidem est ad seipsam introitus ab exterioribus et intellectualium ipsius virtutum uniformis convolutio, sicut in quodam circulo, non errare ipsi largiens, et a multis exterioribus ipsam convertens et congregans, primum ad seipsam, deinde sicut[1] uniformem factam uniens unitive unitis virtutibus, et ita ad pulchrum et bonum manuducens, quod est super omnia existentia, et unum et idem, et sine principio, et interminabile. Oblique autem anima movetur, inquantum secundum proprietatem suam divinis illuminatur cognitionibus, non intellectualiter et singulariter, sed rationabiliter et diffuse, et sicut commixtis et transitivis operationibus. In directum autem, quando non ad seipsam ingressa et singulari intellectualitate mota (hoc enim est, sicut dixi, secundum circulum) sed ad ea quæ sunt circa seipsam progreditur, et ab exterioribus, sicut a quibusdam signis variatis et multiplicatis, ad simplices et unitas sursum agitur contemplationes.

« Et moveri quidem divinæ dicuntur mentes circulariter quidem unite sine principiis. » Quia Dionysius fecerat mentionem de motibus mentium et animarum, quæ videntur immobiles, sic exponit quales sint motus ipsarum; et primo, quales sint motus angelicarum mentium; secundo, quales sint motus animalium rationalium, ibi : « Animæ autem motus est circularis quidem ad seipsam introitus ab exterioribus. »

Considerandum est autem quod, sicut dicit Philosophus in III *De anima,* duplex est motus. Unus qui est actus imperfecti, id est existentis in potentia, et talis est motus rerum corporalium, quæ secundum hoc moveri dicuntur sive secundum substantiam, sive secundum quantitatem, sive secundum qualitatem, sive secundum locum, inquantum exeunt de potentia in actum. Alius autem est motus perfecti, secundum quod ipsa operatio existentis in actu manens in ipso operante, motus dicitur, ut sentire, intelligere et velle. Sic igitur accipiens motum distinguit angelicarum mentium motum in tria, ad similitudinem motus localis, qui est perfectior inter motus corporeos, scilicet in circularem, rectum et obliquum. Est autem in motu circulari duo considerare : unum scilicet quod est uniformis, aliud vero quod motus circularis est sine principio et fine. Intellectualis ergo operatio, qua mentes angelicæ Deum contemplantur, circulari motui comparatur, quia uniformiter se habent in Dei contemplatione, et ipse Deus est sine principio et fine. Et ideo dicit quod mentes angelicæ, quæ sunt divina participatione uniformes, « dicuntur moveri circulariter » intelligendo Deum, inquantum moventur « unite, » id est uniformiter, per illuminationes ex pulchro procedentes et bono, quæ sunt sine principio et sine termino. De proprietate autem motus recti est quod inveniatur in eo principium et finis, et quod sit in eo ordo et uniformitas secundum propinquitatem ad principium et finem ; unde motus rectus in eis dicitur secundum quod intendunt ad providendum inferioribus, cujus quidem providentiæ principium sit ab ipso angelo providente; terminus autem est in eo ad quod ultimo providentia pertingit. Et in hoc motu non invenitur uniformitas[2], quia propinquioribus perfectiva prius provident, et hoc est quod dicit quod in directum moventur per hoc quod procedunt ad providendum inferioribus; eorum enim providentia transit per omnia inferiora ad modum cujusdam rectæ lineæ. De proprietate autem motus obliqui est quod sit medius inter circularem et rectum, habens aliquid de utroque, et hic motus convenit angelis, inquantum regulariter moventur ad providendum inferioribus (quod ad motum rectum pertinet[3]) ex ipsa contemplatione Dei (quod

[1] Al. deest « sicut. » — [2] Parm. : « in hoc motus non invenitur uniformis. » — [3] Al. : « inquantum regulariter moventur ad providendum inferioribus, quemadmodum rectum pertinet, » etc.

pertinet ad motum circularem); et hoc est quod dicit quod oblique moventur angelicæ mentes, per hoc quod dum provident inferioribus, non egrediuntur ab uniformitate sui motus, quæ quidem uniformitas vel identitas, eis convenit ex hoc quod indesinenter circumeunt quasi chorizantes per uniformem contemplationem circa causam totius identitatis, quæ est pulchrum et bonum divinum.

Deinde cum dicit : « Animæ autem motus circularis quidem est ad seipsum introitus ab exterioribus, » exponit motum animæ; et primo, circularem ejus motum ; secundo, motum obliquum, ibi : « oblique autem anima movetur; » tertio, motum rectum, ibi : « In directum autem, quando non ad seipsam ingressa et singulari intellectualitate mota. »

Est autem considerandum quod oportet aliter motum circularem animæ quam angeli exponere. Cum enim motus angeli et animæ sint operatio ejus, circularitas autem motus rationem uniformitatis exprimat; necesse est eo modo circularem motum angelo et animæ attribuere, inquantum competit eis uniformitas intellectualis operationis. Angelus autem intelligit, non quidem accipiendo a rebus, sed accipiendo lumen a primo uno simplici, scilicet Deo. Unde maxime in operatione intellectuali angeli attendendum est secundum quod ab ipso Deo illuminatur; et ideo supra dixit quod divinæ mentes moventur circulariter illuminationibus pulchri et boni. Animæ autem connaturale est quod intelligat accipiendo a rebus exterioribus, quæ sunt multiformes et divisæ. Unde in hac receptione potest attendi circularitas motus ejus, sed magis in hoc quod a rebus exterioribus revocatur; primo quidem, in seipsam conversa; secundo, elevata in considerationem angelicarum virtutum; tertio autem, usque ad ipsum Deum.

Hoc est ergo quod dicit quod motus circularis animæ est secundum quod ab exterioribus intrat ad seipsam, et ibi uniformiter convolvitur, sicut in quodam circulo, secundum suas intellectuales virtutes, quæ quidem convolutio dirigit virtutem animæ[1] ut non erret. Manifestum est enim quod anima discurrendo de uno ad aliud, sicut de effectu in causam, vel de uno simili ad aliud, vel de contrario in contrarium, ratiocinatur multipliciter. Sed omnis ista ratiocinatio dijudicatur per resolutionem in prima principia, in quibus non contingit errare, ex quibus anima contra errorem defenditur, quia ipsa prima principia simplici intellectu absque discursu cognoscuntur, et ideo eorum[2] consideratio propter sui uniformitatem circularis convolutio nominatur. Per hanc ergo convolutionem primo congregatur « ad seipsam[3], » considerans id quod in natura sua habet ut cognoscat; deinde sicut[4] uniformis facta unitur per hujusmodi convolutionem « unitis virtutibus, » scilicet angelicis, inquantum per similitudinem hujus uniformis apprehensionis uniformitatem angelorum aliquo modo considerat; et ulterius per istam convolutionem manuduciter « ad pulchrum et bonum, » id est Deum, « quod est super omnia existentia, » et est maxime « unum et idem, » et est « sine principio et interminabile, » quæ pertinent ad rationem circuli, ut dictum est. Et ideo circularitas motus animæ completur in hoc quod ad Deum manuducitur[5].

Deinde cum dicit : « Oblique autem anima movetur, inquantum secundum proprietatem suam divinis illuminatur cognitionibus, » describit motum obliquum animarum, qui etiam aliter accipitur in anima et in angelis. In angeli enim operatione nulla est difformitas, secundum quod ipse intelligit, sed secundum quod providet inferioribus, ejus provisio per diversa variatur; et ideo motus obliquus, qui compositus est ex recto et circulari, habens in se aliquid uniformitatis et difformitatis, in angelis attenditur unus, secundum quod sic provident inferioribus, quod tamen manent in uniformi consideratione Dei; sed anima in sua naturali cognitione difformitatem habet[6], inquantum nata est non cognoscere nisi discurrendo per diversa; uniformitas autem in ipso est, secundum quod subditur uniformi principio a quo accipit. Sic ergo motus obliquus ex uniformitate et difformitate compositionis[7], in anima attenditur, secundum quod uniformes Dei illuminatio-

[1] Parm. : « convolutio animæ dirigitur. » — [2] Parm. : « rerum. » — [3] Al. : « ad sapientiam. » — [4] Al. : « sic. » — [5] Parm. : « manuducit. » — [6] Parm. : « Dei, quam habent, inquantum nati sunt non cognoscere discurrendo. » — [7] Parm. : « compositus. »

nes recipit, non uniformiter, sed differenter secundum suum modum. Hoc est ergo quod dicit quod anima movetur oblique, inquantum illuminatur divinis cognitionibus secundum suam proprietatem, « non » quidem « intellectualiter et singulariter, » id est simpliciter, sicut angeli, « sed rationabiliter et diffuse, » id est discurrendo et diffundendo se per diversa; et hoc exponit subdens : « Sicut operationibus commixtis; » quodam enim modo se commiscet rebus, inquantum se ad diversa cognoscenda diffundit, « et transitivis, » quod refertur ad hoc quod dixit « rationabiliter; » est enim proprium rationis transire sive discurrere ab uno in aliud.

Deinde cum dicit : « In directum autem, quando non ad seipsam ingressa et singulari intellectualitate mota, » exponit rectum motum animæ, qui de sui ratione habet difformitatem. Difformitas autem in operatione angeli attendebatur secundum provisionem inferiorum, sed in anima secundum apprehensionem variam et multiformem diversorum, ex quibus cognitiones simplicium et uniformium capit. Dicit ergo quod in directum movetur anima quando non ingreditur ad seipsam, ita quod quadam « singulari, » id est simplici, « intellectualitate » operetur, quia hoc pertinet ad circularem motum ipsius, ut dictum est, sed quando progreditur ad res exteriores, quæ sunt circa ipsam, a quibus, sicut a quibusdam signis variis et multiplicibus elevatur ad contemplandum res simplices et unitas. Patet autem hæc sufficientia, et distinctio horum motuum animæ, quia anima vel a sui uniformitate progreditur in superiora magis uniformia, et sic est motus circularis ipsius, totus uniformis, vel ex influentia uniformis illuminationis accipit cognitionem variam et multiformem, et sic est motus obliquus ejus, vel e converso ex multiformibus et variis in simplicem cognitionem proficit, et sic est motus ejus rectus.

LECTIO VIII.

Conclusio causalitatis et pulchri et boni.

Igitur istarum et sensibilium trium motionum in hoc omni, et multo prius uniuscujusque mansionum, et stationum, et collocationum causa est, et contentiva, et finis, pulchrum et bonum, quod est super omnem stationem et motum, propter quod omnis statio et motus, et ex quo, et in quo, et ad quod, et cujus gratia. Etenim ex ipso, et per ipsum, et substantia, et vita omnis, et mentis et animæ, et omnis naturæ, et parvitates, et æqualitates, magnitudines, mensuræ omnes, existentium proportiones et harmoniæ et concretiones, totalitates, partes, omne unum et multitudo, conjunctiones partium, omnis multitudinis unitiones, perfectiones totalitatum, quale, quantum, quotum, infinitum, comparationes, discretiones, omnis infinitas, omnis finis, diffinitiones omnes, ordines, excessus, elementa, formæ, omnis substantia, omnis virtus, omnis operatio, omnis habitus, omnis sensus, omne verbum, omne factum, omnis tactus, omnis scientia, omnis unitio, et simpliciter omne existens, et pulchro et bono, et in pulchro et bono est, et ad pulchrum et bonum convertitur. Et omnia quæcumque sunt et fiunt, propter pulchrum et bonum sunt et fiunt, et ad ipsum omnia inspiciunt, et ab ipso moventur et continentur, et ipsius gratia, et propter ipsum et in ipso exemplare principium omne, finale, efficiens, formale, elementarium, et simpliciter omne principium, omnis continentia, omnis finis, aut, ut comprehendens dicam, omnia existentia ex pulchro et bono, et omnia non existentia supersubstantialiter in pulchro et bono; et est omnium principium et finis, superprincipale et superperfectum, quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso, et ad ipsum omnia, sicut dicit sanctus sermo.

« Igitur istorum et sensibilium trium motionum in hoc omni, et multo prius uniuscujusque mansionum, et stationum, et collocationum causa est, et contentiva et finis, pulchrum et bonum quod est super omnem stationem et motum. » Expositis motibus angeli et animæ, hic concludit causalitatem pulchri et boni respectu tam horum quam omnium aliorum motuum et quietum, et primo manifestat causalitatem pulchri et boni circa differentias motuum et quietum; secundo, circa differentias[1] omnium rerum, ibi : « Etenim ex ipso, et per ipsum, et substantia, et vita omnis. »

Dicit ergo primo quod pulchrum et bonum est causa ipsorum motuum et angelorum et animarum, de quibus jam dictum est, et etiam trium motionum sensibilium

[1] Parm. omittit : « motum et quietum; secundo, circa differentias. »

quæ sunt in hoc universo, quia etiam in rebus sensibilibus invenitur motus circularis, ut in corporibus cœlestibus, et motus rectus, ut in gravibus et levibus, et motus obliquus, ut in animalibus, et cum immobilia et quieta sint priora secundum naturam his quæ moventur, cum primum cujuslibet motus sit ab aliquo immobili, pulchrum et bonum « multo prius » est causa « mansionum uniuscujusque, » quæ quidem attenditur secundum quod una res dicitur esse in alia, « et stationum, » secundum quod una res quiescit in alia, « et collocationum, » secundum quod una res per aliam conservatur et firmatur. Horum autem « pulchrum et bonum » divinum, « quod est super omnem stationem et motum, » creaturarum causa est non solum productiva, sed etiam « contentiva, » id est conservativa, et causa finalis, « et ad quod, et cujus gratia, » sicut in causa finali; ad finem enim consequendum moventur, et ejus gratia operamur. Unde quod dicit « ad quod, » pertinet ad ipsam nominationem finis; quod autem dicit « cujus gratia, » respicit intentionem, secundum quod volentes unum, tendimus in illud quasi in finem.

Deinde cum dicit : « Etenim ex ipso et per ipsum substantia et vita omnis, » colligit universam causalitatem pulchri et boni circa omnes rerum differentias; et primo, ponit differentias rerum quæ causatur ex pulchro et bono; secundo, diversos modos causandi qui attribuuntur pulchro et bono, ibi : « Et simpliciter omne existens et pulchro et bono, et in pulchro et bono est, et ad pulchrum et bonum convertitur. » Circa primum ponit substantiales differentias, dicens : Ideo oportet quod omnis statio et motus causetur ex pulchro et bono, quia ex ipso causantur omnes rerum differentiæ; « ex ipso enim, » sicut ex causa activa, « et per ipsum, » sicut per causam exemplarem, secundaria est omnis « substantia, » cujuscumque sit speciei, « et omnis vita, » sive sit mentis angelicæ, quæ sic vivit quod non vivificat corpus, sine animæ quæ vivificat corpus. Deinde descendit ad res corporales, in quibus primo considerantur differentiæ ad quantitatem continuam pertinentes, et dicit quod ab ipso causantur « omnes parvitates, æqualitates, magnitudines » rerum, « omnis natura » corporalis. Differentiæ autem quantitatis sunt magnum et parvum, quorum[1] medium est æquale, ut dicitur in X *Metaph*. Hæc autem signat quantitatem indeterminatam; sed quædam aliæ sunt quæ significant quantitatem determinatam, ut bicubitum, tricubitum, et ad hujusmodi exprimenda subdit « mensuræ omnes. » Ex determinatione autem quantitatum consurgit proportio, quæ est habitudo unius quantitatis ad aliam; et ideo subdit « existentium proportiones. » Proportiones autem quædam sunt convenientes secundum naturam et conditionem rerum, et quædam non convenientes. Proportiones autem in sonis vocantur harmoniæ, et per quamdam similitudinem proportiones quarumcumque rerum harmonia dicuntur, unde subdit « et harmoniæ. » Est autem in quantitate continua considerare ipsam continuitatis rationem, ad quam pertinet quod subdit : « et concretiones. » De ratione autem continui est quod dividatur ; divisio autem constituit rationem totius et partis, quia pars est in quam dividitur totum; et ideo subdit « totalitatis partes. » Deinde accedit ad quantitatem discretam, quæ est numerus, cujus principium est unum ; unde subdit « omne unum et multitudo. » Est autem in ipsa multitudine quamdam unitatem considerare, secundum quod ex multis unum constituitur, vel secundum continuationem aut contractum partium, ad quod pertinet quod subdit « et conjunctiones partium; » aut quocumque modo, ad quod pertinet « omnis multitudinis unitiones. » Ex unitione autem partium resultat forma, quæ est perfectio totius; unde subdit « perfectiones totalitatis. » Deinde accedit ad differentias diversorum generum; unde subdit : « quale » quantum ad genus qualitatis, « quantum » secundum genus quantitatis, « quotum » prout dicit ordinem secundum genus situs, vel « quotum » quantum ad quantitatem discretam, secundum quod importat numerum, et subdit « infinitum, » quod convenit quantitati, continuæ quidem secundum divisionem, discretæ vero secundum appositionem, et subdit « comparationes, » quantum ad genus relationis, « et discretiones, » id est differentiæ. Quantum ad idem ergo

[1] Parm. : « quotum medium. ».

comparatio pertinet ad relationem convenientiæ, ut idem, æquale, simile; discretio vero ad relationem differentiæ, ut diversum, inæquale, dissimile. Et quia posuit infinitum et relationem quasi consequentia quantitatem et qualitatem, circa utrumque differentias quasdam considerat; et primo quidem circa infinitum considerat ipsam infinitatem, cum dicit « omnis infinitas, omnis finis; » et effectivum finis, cum dicit « definitiones omnes; » dicit enim aliquid infinitum secundum quod est indeterminatum. Deinde ponit diversitates comparationum. Comparatur autem aliquid alteri secundum prius et posterius, et quantum ab hoc dicit « ordines; » et secundum magis et minus, et quantum ad hoc dicit « excessus, » et quantum ad causam et causatum; et sic dicit « elementa » propter causas materiales, « et formæ » propter causas formales. Ulterius accedit ad[1] actiones, et primo ponit divisionem secundum substantiam et virtutem et operationem. Deinde dicit processum operationis in homine, in qua primo est habitus animæ; secundo, sensus, id est cognitio vel apprehensio; tertio, verbum; quarto, exterius factum. Iterum sic factionem distinguit. In corporibus enim est actio per contactum, et quantum ab hoc dicit « omnis tactus; » in intellectu autem per scientiam, quæ est quidam contactus intellectus; in voluntate vero per unitionem, qui est etiam quidam tactus voluntatis; unde subdit « omnis unitio. »

Deinde cum dicit : « Et simpliciter omne existens et pulchro et bono, et in pulchro et bono est, » ostendit diversos modos causandi quæ conveniunt pulchro et bono, et circa hoc tria facit. Primo, ostendit quomodo pulchrum et bonum est diversimode causa rerum; secundo, quod omnis causalitas rerum in ipso præexistit, ibi : « Et in ipso exemplare principium omne, efficiens, formale, elementarium; » tertio, ostendit quomodo ab ipso omnis causalitas derivatur, ibi : « Et simpliciter omne principium, omnis continentia, omnis finis. » Dicit ergo primo universaliter loquendo : Omne quod est, « est ex pulchro et bono, » quod est Deus, sicut ex principio effectivo, « et in pulchro et bono est, » sicut in principio contentivo vel conservativo, « et ad pulchrum et bonum convertitur, » ipsum desiderans, sicut ad finem. Et non solum est finis desideratus, sed etiam inquantum omnes substantiæ et actiones ordinantur in ipsum sicut in finem, et hoc est quod subdit : « et omnia qua sunt et fiunt, propter pulchrum et bonum sunt et fiunt, et ad ipsum omnia inspiciunt, » sicut ad causam exemplarem, quam habent ut regulam suæ operationis, « et ab ipso moventur, » sicut a causa movente, « et continentur, » et conservantur in suo motu et actione. Non autem movet res propter aliquem finem extraneum, sed « gratia » sui « ipsius, » quantum ad suam intentionem, « et propter ipsum attingendum a rebus. »

Deinde cum dicit : « Et in ipso exemplare principium omne, finale, efficiens, formale, elementarium, » ostendit quod omnis causalitas aliarum causarum in ipso præexistit; et dicit quod « in ipso » est « omne principium » tam « exemplare » quam « finale, efficiens, formale et elementale, » id est materiale, sicut effectus sunt in virtute suæ causæ.

Deinde cum dicit : « Et simpliciter omne principium, omnis continentia, omnis finis, » ostendit quomodo ab ipso derivantur, et dicit quod universaliter « omne principium » rerum productivum, et omne principium conservativum, « et omnis continentia, et omnis finis, » et, ut breviter dicam, « omnia existentia sunt ex pulchro et bono, et omnia non existentia supersubstantialiter, » quia scilicet negationes omnium rerum conveniunt Deo per suum excessum. Quod autem dicitur Deus esse omnium principium et finis, est supra modum aliorum principiorum, et perfectio hujus est super perfectionem aliorum. Hanc autem universalem causalitatem pulchri et boni confirmat per auctoritatem Scripturæ, subdens « quoniam ex ipso, » ut ex principio effectivo, « et per ipsum, » sicut per principium exemplare, « et in ipso, » sicut in principio contentivo, « et ad ipsum, » sicut ad finem, « sunt omnia, sicut dicit sanctus sermo » Apostoli Rom., XI, 36. Quomodo autem omnis causalitas attribuatur pulchro et bono, ex supra dictis haberi potest.

[1] Parm. : « procedit ab. »

LECTIO IX.

De ipso amore.

Omnibus igitur est pulchrum et bonum desiderabile, et amabile, et diligibile, et propter ipsum et ipsius gratia et minora meliora, convertendo se ad ea, amant, et communicative ordinata, coordinata et meliora minora provisive, et ipsa singula seipsa contentive; et omnia pulchrum et bonum desiderantia faciunt et volunt omnia quæcumque faciunt et volunt. Confidit autem et hoc sermo dicere verus, quod et ipso omnium causa propter bonitatis excessum cuncta amat, cuncta facit, cuncta perficit, cuncta continet, cuncta convertit, et est divinus amor bonus boni propter bonum. Ipse enim bonum operans existentium amor in bono secundum excessum præexistens, non dimisit ipsum sine germine in seipso manere. Movit autem ipsum ad operandum secundum omnium generativum excessum, et non aliquis nos opinetur præter eloquia, amoris nominationem commendare. Est enim irrationabile quidem, ut pravum, ut arbitror, non virtuti intentionis intendere, sed dictionibus; et hoc non est divina intelligere volentium proprium, sed sonos leves suscipientium, et istos usque ad aures intransibiles extra continentium, et non volentium videre quid quidem hæc talis dictio significat; quomodo autem ipsam oportet et per alias æquipollentes et manifestiores dictiones explanare; sed et compatientium elementis, et lineis non intelligibilibus, et syllabis, et dictionibus ignotis, non transeuntibus ad animæ ipsorum intellectuale, sed extra circa labia et auditus ipsorum resultantibus, sicut non sit possibile quatuor numerum, per his duo significare, et rectilineum per habens rectas lineas, aut maternum solum patriam, aut aliquid aliud significantium idem multis orationis partibus. Oportet autem videre secundum rectam rationem, quod elementis, et dictionibus, et syllabis, et lineis, et orationibus utimur propter sensus : sicut quando nostra anima intellectualibus operationibus ad intelligibilia movetur, superflui quidem sunt sensibilium sensus; sicut et intellectuales virtutes, quando anima deiformis facta per unitionem ignoti inaccessibilis[1] lucis lumini se immittit, non oculorum immissionibus. Quando autem mens per sensibilia moveri student ad contemplativos intellectus; pretiosiores omnino sunt manifestiores sensuum partitiones, sicut planiores orationes, planiora visibilium, sicut quando non plana sunt apposita sensibilibus, neque ipsi præsentare menti sensibilia bene poterunt. Sed ut non ista dicere videamur sicut divina eloquia pervertentes, audiant illa qui amoris nominationem accusant. Ama eam (dicit) et servabit te; complexare ipsam, et exaltabit te; honora ipsam, ut te comprehendat; et quæcumque alia in amativis theologiis laudantur. Quamvis visum fuit quibusdam nostrorum sanctos sermones dicentium, divinius esse amoris nomen nomine dilectionis. Scribit autem et divinitus Ignatius : Meus amor crucifixus est. Et in introductionibus eloquiorum invenies quemdam dicentem de divina Sapientia : Amator factus sum pulchritudinis ejus. Quare hoc quidem amoris nomen ne timeamus, neque aliquis non turbet sermo de hoc dubitans; mihi enim[2] videntur theologi commune quidem ducere dilectionis et amoris nomen; propter hoc autem divinis magis apponi verum amorem, propter inconvenientem talium virorum acceptionem. Nam, ut Deum[3] decet, vero amore non a nobis solum, sed ab eloquiis ipsis laudato, multitudines non capientes uniforme amativæ Dei nominationis, juxta familiaritatem suam, ad indivisibilem, et corpori convenientem, et divisum prolapsæ sunt; qui non est verus amor, sed idolum aut magis casus a vero amore. Non enim valet capi a multitudine unitivum divini et unius amoris; propter quod et sicut[4] molestius nomen multis apparens in divina sapientia ordinatum est ad sursum actionem ipsorum, et suscitationem[5] ad veri amoris cognitionem, et ut a molestia absolvantur quæ in ipso est. In nobis autem rursus hoc et inconveniens aliquid multoties esset opinari terrenos zelos, secundum quod videtur famosius. Cecidit (dixit quidam) dilectio tua super me, sicut dilectio mulierum. Ab audientibus autem recte divina in eadem virtute recte ordinatur a sanctis theologis dilectionis et amoris nomen, secundum divinas manifestationes, et est hoc virtutis unitivæ[6] et conjunctivæ, et differenter[7] concretivæ, in pulchro et bono, propter pulchrum et bonum præexistentis, et ex pulchro et bono propter pulchrum et bonum tributæ, et continentis coordinata, secundum communicativam alternam habitudinem, moventis autem prima ad subjectorum providentiam, et collocantis minus habentia in superioribus per conversionem[8].

« Omnibus igitur est pulchrum et bonum desiderabile et amabile et diligibile. » Postquam Dionysius determinavit de pulchro et bono, quæ incitant ad amandum, hic determinat de ipso amore; et primo, per verba propria; secundo, per verba Hierothei, ibi : « Hæc et nobilis noster sanctitatis perfector a Deo motus recitavit in amativis hymnis. » Circa primum duo facit. Primo, determinat de amore divino; secundo, ostendit quomodo Deus et amor et amabilis dicatur, ibi : « Quid autem totaliter theologi volentes, aliquando quidem amorem et dilectionem ipsum dicunt, aliquando autem amabilem et diligibilem? » Circa primum tria facit. Primo, determinat de ipso amore; secundo, de extasi, quæ est effectus amoris, ibi : « Est autem et extasim faciens divinus amor; » tertio de zelo, qui est quædam amoris species, ibi : « Propter quod qui fortes sunt in divinis, ipsum zelotem appellant. » Circa primum duo facit. Primo,

[1] In cit. translat. : « inaccessibilis luminis se immittit radiis non oculorum, etc. » — [2] Ibid. : « autem. » — [3] Al. deest : « Deum. » — [4] In cit. translatione : « et sic. » — [5] Al. : « et susceptionem. » — [6] In citat. translatione : « unificæ. » — [7] Al. : « et indifferenter. » — [8] Al. deest « per. »

determinat de amore; secundo, excludit quamdam objectionem, ibi : « Et non aliquis nos opinetur præter eloquia, amoris nominationem commendare. » Circa primum duo facit. Primo, ostendit quomodo Deus est objectum amoris; secundo, quomodo Deus amat, ibi : « Confidit autem et hoc sermo dicere verus, quod et ipse omnium causa propter bonitatis excessum cuncta amat. » Circa primum duo facit. Primo, ostendit quid sit objectum amoris; secundo, quomodo singulis est amor respectu singulorum, ibi : « Et propter ipsum et ipsius gratia, et minora meliora, convertendo se ad ea, amant; « tertio, quid facit amor in amantibus, ibi : « Et omnia pulchrum et bonum desiderantia faciunt, et volunt omnia quæcumque faciunt et volunt. »

Dicit ergo primo quod ex quo pulchrum et bonum est finis omnium, consequens est quod pulchrum et bonum sit amabile ab omnibus, desiderabile et diligibile; quod objectum desiderii et amoris est pulchrum et bonum.

Ad evidentiam autem eorum quæ hic dicuntur, considerandum est quod amor ad appetitum pertinet. Est autem amor prima et communis radix omnium appetitivarum operationum, quod patet inspicienti per singula. Nihil enim desideratur nisi quod est amatum, neque aliquis gaudet de re habita, nisi quia amat eam, nec aliquis tristatur de aliquo, nisi quia est contrarium amato. Et ideo oportet quod ratio amoris accipiatur ex eo quod est commune objectum appetitus. Hoc autem ex bonum. Ex hoc igitur aliquid dicitur amari quod appetitus amantis se habet ad illud sicut ad suum bonum. Ipsa igitur habitudo vel coaptatio appetitus ad aliquid velut ad suum bonum, amor vocatur. Omne autem quod ordinatur ad aliquid sicut ad suum bonum, habet quodammodo illud sibi præsens et unitum secundum quamdam similitudinem, saltem proportionis, sicut forma quodammodo est in materia, inquantum habet aptitudinem et ordinem ad ipsam. Sed tamen contingit quod bonum amatum totaliter est absens amanti, et sic causatur in amante desiderium amati; quandoque autem est totaliter præsens ei, et sic causatur in eo delectatio vel gaudium de amato, et per contrarium de ejus absentia causatur timor, et tristitia de ipso; et per consequens aliæ affectiones quæ ab his derivantur. Sic igitur patet in quo differt quod dicit « desiderabile et amabile, » nam desiderium est quidam affectus amoris. Quod autem dicit « diligibile, » determinat quemdam modum amoris. Cum enim amor ad appetitum pertineat, secundum ordinem appetituum est ordo amorum. Est autem imperfectissimus appetituum naturalis appetitus absque cognitione, quod nihil aliud importat quam inclinationem naturalem. Supra hunc autem est appetitus sensibilis qui sequitur cognitionem aliquam[1], sed est absque libera electione. Supremus autem appetitus est qui est cum cognitione et libera electione; hic enim appetitus quodammodo movet seipsum; unde et amor ad hunc pertinens est perfectissimus, et vocatur dilectio, inquantum libera electione discernitur quid sit amandum.

Deinde cum dicit : « Et propter ipsum, et ipsius gratia, et minora meliora, convertendo se ad ea, amant, » ostendit quomodo amor conveniat singulis respectu singulorum. Unde considerandum est quod cum amor importet habitudinem appetitus ad bonum amantis, tot modis contingit aliquid amari, quot modis contingit aliquid esse bonum alterius. Quod quidem primo contingit dupliciter, nam bonum dupliciter dicitur, sicut et ens. Dicitur enim uno modo ens proprie et vere quod subsistit, ut lapis et homo; alio modo quod non subsistit, sed eo aliquid est; sicut albedo non subsistit, sed ea aliquid album est. Sic igitur bonum dupliciter dicitur. Uno modo quasi aliquid in bonitate subsistens; alio modo quasi bonitas alterius, quo scilicet alicui bene sit. Sic igitur dupliciter aliquid amatur. Uno modo sub ratione subsistentis boni; et hoc vere et proprie amatur, cum scilicet volumus bonum esse ei; et hic amor a multis vocatur amor benevolentiæ vel amicitiæ. Alio modo per modum bonitatis inhærentis, secundum quod aliquid dicitur amari, non inquantum volumus quod ei bonum sit, sed inquantum volumus quod eo alicui bonum sit, sicut dicimur amare scientiam vel sanitatem. Nec est inconveniens si hoc etiam modo amemus aliqua quæ per se subsistunt, non quidem ratione

[1] Parm. : « quia sequitur cognitionem, » omisso « aliquam. »

substantiæ eorum, sed ratione alicujus perfectionis quam ex eis consequimur, sicut dicimur amare vinum, non propter substantiam vini, ut bene sit ei, sed ut per vinum bene sit nobis, vel inquantum delectamur ejus sapore, vel inquantum sustentamur ejus humore. Omne autem quod est per accidens, reducitur ad id quod est per se. Sic igitur hoc ipsum quod aliquid amamus ut eo alicui bene sit, includitur in amore illius quod amamus ut ei bene sit. Non est enim alicui aliquid diligendum per id quod est per accidens, sed per id quod est per se. Et ideo oportet quidem diversitatem amorum accipere secundum ea quæ sic amamus ut eis velimus bonum. Et quia unumquodque amamus inquantum est bonum nostrum, oportet tot modis variare amorem, quot modis contingit aliquid esse bonum alicujus. Quod quidem contingit quadrupliciter. Uno modo secundum quod aliquid est bonum suiipsius, et sic aliquid amat seipsum. Alio modo secundum quod aliquid per quamdam similitudinem est quasi unum alicui, et sic aliquid amat id quod est sibi æqualiter coordinatum in aliquo ordine, sicut homo amat hominem alium ejusdem speciei, et sicut civis amat concivem, et sicut consanguineus consanguineum. Alio modo aliquid est bonum alterius, quia est aliquid ejus, sicut manus est aliquod hominis, et universaliter pars est aliquid totius. Alio vero modo secundum quod e converso totum est bonum partis; non enim est pars perfecta nisi in toto; unde naturaliter pars amat totum, et exponitur pars sponte pro salute totius. Quod enim et superius in entibus, comparatur ad inferius sicut totum ad partem, inquantum superius perfecte et totaliter habet quod ab inferiori imperfecte et particulariter habetur, et inquantum supremum continet in se inferiora multa. Unde et Dionysius hic quatuor modos amoris ponit; et primus est secundum quod inferius amat suum superius; et hoc est quod dicit, quia propter bonum et pulchrum, et « ipsius gratia, minora, » id est inferiora, « amant meliora, » id est superiora, « convertendo se ad ea, » quia in eis habent suam perfectionem. Secundo, ponit modum quo æqualia amant æqualia, et dicit quod coordinata[1], id est ea quæ sunt unius ordinis amant[2], « coordinata, » id est æqualia, « communicative, » id est inquantum communicant cum eis vel in specie, vel in quocumque ordine. Tertio, ponit modum quo superiora amant inferiora; et dicit quod « meliora, » id est superiora, amant « minora, » id est inferiora, « provisive, » id est inquantum provident eis ut sub se contentis. Quarto, ponit modum quo aliqua amant seipsa, et dicit « quod ipsa singula » amant « seipsa contentive, » id est inquantum unumquodque in seipso continetur. »

Deinde cum dicit : « Et omnia pulchrum et bonum desiderantia faciunt, et volunt omnia quæcumque faciunt et volunt, » ostendit quid facit amor in amante, quia enim amor est communis radix appetitus, oportet quod omnis operatio appetitus ex amore causetur, ut dictum est. Et quia omnis operatio uniuscujusque rei ex appetitu causatur, sequitur quod omnis actio cujuscumque rei ex amore causetur; et hoc est quod dicit quod omnia ex desiderio pulchri et boni « faciunt et volunt quæcumque faciunt et volunt. » Et sumit hic desiderium pro amore, quia est effectus ejus, ut dictum est.

Deinde cum dicit : « Confidit autem et hoc sermo dicere verus, quod et ipse omnium causa propter bonitatis excessum cuncta amat, » ostendit quomodo Deus amat; et dicit quod confidenter dicere possumus quod Deus qui est « omnium causa, propter excessum » suæ « bonitatis omnia amat, et » ex amore « facit » omnia, dans eis esse, et omnia « perficit, » implendo singula propriis perfectionibus, et omnia « continet, » conservando ea in esse, « et cuncta convertit, » id est in se ordinat sicut in finem; et sic dicimus, « amor divinus est bonus, et » est « boni, » id est Dei, quasi amantis, et est « propter bonum, » sicut propter objectum; Deus enim nihil amat nisi propter suam bonitatem. Et ad exponendum hoc quod dixerat, subdit quod amor quo Deus amat existentia, est operativus bonitatis in ipsis; et propter hoc dicit ipsum bonum, quia causaliter præexistit « in bono, id est » Deo, « secundum excessum, » sicut omnia ad perfectionem pertinentia quæ sunt in creaturis, excellentius sunt in Deo. Et ideo dixerat divinum amorem esse boni. Hic inquam, amor divi-

[1] Parm. : « coordinata. » — [2] Parm. omittit : « amant. »

nus « non permisit manere ipsum in seipso sine germine, » id est sine productione creaturarum, sed amor « movit ipsum ad operandum » secundum excellentissimum modum operationis, inquantum produxit omnia in esse. Ex amore enim bonitatis suæ processit quod bonitatem suam voluit diffundere et communicare aliis, secundum quod fuit possibile, scilicet per modum similitudinis, et quod ejus bonitas non tantum in ipso maneret, sed ad alia efflueret.

« Et non aliquis nos opinetur præter eloquia, amoris nominationem commendare. » Hic excludit quamdam objectionem. Posset enim alicui videri quod nomen amoris semper materialem[1] passionem significaret, et ideo non esset eo utendum in divinis. Hanc autem objectionem primo quidem excludit per rationem; secundo, per auctoritates, ibi : « Secundo ut non ista dicere videamur sicut divina eloquia pervertentes, audiant illa qui amoris nominationem accusant. » Circa primum duo facit. Primo, dicit objectionem esse irrationabilem; secundo, adhibet rationem, ibi : « Oportet videre secundum rectam rationem quod elementis, et syllabis, et dictionibus, et lineis, et orationibus utimur propter sensus. » Dicit ergo primo quod nullus debet opinari quod nos commendemus in Deo nomen amoris præter consuetudinem et convenientiam sacrarum Scripturarum. « Irrationabile enim est, et pravum (sicut arbitror) » quod homo non attendat ad virtutem[2] « intentionis, » id est ad id quod aliquis intendit significare per nomen, sed ad ipsas dictiones; et hoc non pertinet ad eos qui volunt intelligere divina, sed ad eos qui respiciunt ad ipsas dictiones vel ipsos sonos leviter, non ponderando significationes eorum, et qui etiam[3] continent sonos extra tantum, scilicet usque ad aures, ita quod non transeant ultra usque ad intellectum; qui non volunt videre quid talis dictio significet, et quomodo contingit unam dictionem exponere per alias dictiones manifestiores idem significantes. Sed tales patiuntur aliquid ab ipsis elementis, id est litteris, syllabis et lineis, id est figuris scriptis, sensibilibus et non intelligibilibus, quia ipsi soni dictionum non transeunt usque ad intelligibilem partem animæ, sed morantur circa labia loquentium, et circa auditus audientium, sicut non sit possibile quod quaternarius numerus significetur per bis duo, aut hoc quod dico rectilineum, significetur per habens rectas lineas, aut maternum solum significetur per patriam. Et simile est de quibuscumque aliis, in quibus contingit unam intentionem significari diversis partibus orationis. Illi autem dicuntur compati litteris et dictionibus vocalibus, et non intellectualibus, qui acceptant aliquas dictiones, quia afficiuntur ad ipsas voces, et non attendunt ad sensus eorum.

Deinde cum dicit : « Oportet videre secundum rectam rationem, quod elementis, syllabis, et dictionibus, et lineis, et orationibus utimur propter sensus, » assignat rationem præmissorum; et primo, quod non oportet attendere ad voces, quando constat de sensibus; secundo, quod utendum sit vocibus planioribus, ibi : « Quando autem mens per sensibilia moveri studet ad contemplativos intellectus, pretiosiores omnino sunt manifestiores sensuum partitiones. » Dicit ergo primo quod « oportet videre secundum rectam rationem, quod elementis, » scilicet vocibus, « et syllabis, et dictionibus, et lineis[4], et orationibus » scriptis vel dictis, « utimur propter sensus » ipsos, scilicet propter auditum et visum. Sed quando anima nostra movetur intelligibili operatione ad intelligibilia participanda, tunc sensus exteriorum sensibilium superflunt, quia sensibilia sunt preambula ad intelligibilia. Quando autem pervenimus ad terminum, recedimus a via, et ita quando jam constat de intentione intellecta per voces, cessat officium vocum quibus significantur. Et ideo de hoc non est disceptandum. Et ponit exemplum de hoc quod intelligibiles virtutes nostræ naturalis rationis etiam superfluunt, quando anima nostra Deo conformata immittit se rebus divinis, non immissione oculorum corporalium, sed immissione fidei, scilicet per hoc quod divinum lumen ignotum et inaccessibile, seipsum nobis unit et communicat. Dum enim consideramus ea quæ fidei sunt, non dijudicamus ea per rationem naturalem; et similiter cum volumus aliquid intelligere, non oportet hoc dijudicare per voces.

[1] Parm. : « naturalem. » — [2] Parm. : « veritatem. » — [3] Parm. : « eos. » — [4] Al. : « et scripturis, orationibus, » etc.

Deinde cum dicit : « Quando autem mens per sensibilia moveri studet ad contemplativos intellectus, pretiosiores omnino sunt manifestiores sensuum partitiones, » ostendit quod vocibus manifestioribus est magis utendum, et dicit quod, quando mens nostra studet moveri ad contemplationem intellectivam per sensibilia, tunc « sunt pretiosiores, » id est utiliores illæ[1] sensibiles species quæ[2] manifestius portant vel deferunt intellectuales intentiones, ut planiores orationes manifestiora visibilia. Sed quando ea quæ non sunt manifesta in sensibus, repræsentantur sensibus, tunc nec ipsi sensus possunt bene repræsentare sensibilia menti, ita scilicet quod ex ipsis sensibilibus intelligibilia capiantur. Et ideo quia nomen amoris planius et communius quam nomen dilectionis, est[3] magis eo utendum ad intelligibilem intentionem significandam.

Deinde cum dicit : « Sed ut non ista dicere videamur sicut divina eloquia pervertentes, audiant illa qui amoris nominationem accusant, » manifestat idem per auctoritates Scripturæ, et circa hoc tria facit. Primo, ostendit quomodo nomine amoris sacra Scriptura utitur in divinis rebus ; secundo, quomodo quidam reputant convenientius uti nomine amoris quam nomine dilectionis, ibi : « Quamvis visum fuit quibusdam nostrorum sanctos sermones dicentium, divinius esse amoris nomen nomine dilectionis ; » tertio, ostendit quod indifferenter utroque est utendum, ibi : « Ab audientibus autem recte divina in eadem virtute recte ordinatur a sanctis theologis dilectionis et amoris nomen secundum divinas manifestationes. » Dicit ergo primo quod ut non videatur prædictas rationes inducere tanquam volens pervertere sacras Scripturas, contra istos qui nomen amoris in divinis accusant, et inducit has auctoritates : « Ama eam, et servabit te, » secundum aliam translationem ; nostra autem translatio habet Prov., IV, 6 : *Dilige illam* (id est sapientiam), *et servabit te ...; arripe illam, et exaltabit te, et glorificaberis ab ea, cum eam fueris amplexatus.* Et multa alia dicuntur ad laudem amoris in Scripturis, ut patet « in amatoriis theologiis, » id est in *Canticis canticorum.*

Deinde cum dicit : « Quamvis visum fuit quibusdam nostrorum sanctos sermones dicentium, divinius esse amoris nomen nomine dilectionis, » ostendit quod quidam magis utendum hoc nomine amoris in divinis censebant, et circa hoc tria facit. Primo, ponit sententiam aliorum; secundo, ostendit quod sibi super hoc videtur ibi : « Mihi enim videtur theologi commune quidem ducere dilectionis, et amoris nomen ; » tertio, assignat rationem sententiæ aliorum, ibi : « Propter hoc autem divinis apponi verum amorem propter inconvenientem talium virorum acceptionem. » Dicit ergo primo quod quibusdam doctorum qui sanctos sermones tractaverunt, licet canonicas Scripturas non conderent, visum est quod nomen amoris convenientius esset rebus divinis quam nomen dilectionis. Unde Ignatius martyr scribit de Christo, dicens : « Meus amor, » id est Christus, in quo totus meus amor est, « crucifixus est. » Et Philo (*a*) dicit in libro quem fecit introducentem ad sacra eloquia, de divina sapientia : *Amator factus sum pulchritudinis ejus,* Sapient., VIII, 2. Ex quo patet quod liber Sapientiæ nondum habebatur inter canonicas Scripturas. Unde concluditur quod non debemus timere uti nomine amoris, nec ab hoc debet nos revocare aliqua objectio super hoc dubitationem ingerere intendens.

Deinde cum dicit : « Mihi enim videntur theologi commune quidem dicere dilectionis et amoris nomen, » ostendit quid sibi super hoc videatur, et dicit quod sibi videtur quod conditores sacræ Scripturæ communiter et indifferenter utuntur nomine dilectionis et amoris.

Deinde cum dicit : « Propter hoc autem divinis magis apponi verum amorem, propter inconvenientem talium virorum acceptionem, » assignat rationem quare quidam in divinis magis dicunt utendum

[1] Parm. omittit : « illæ. » — [2] Parm. : « et. » — [3] Parm. : « quia nomen dilectionis communius est, et nomen amoris planius, magis eo utendum. » Et in notula quadam : al. : « quia nomen dilectionis est, et communius est quam nomen amoris planius. »

(*a*) Hic S. Thomas sequitur opinionem S. Hieronymi et quorumdam veterum qui Philoni cuidam librum sapientiæ adjudicarunt. Hujus Philonis Josephus etiam meminit; sed opera ipsius nullibi inveniuntur. — Cfr. Clem. Alexandr., lib. I *Strom.;* Eusebium, lib. IX *Præpar. evang.;* S. Hieronym., *Prolog. in IV lib. Sap.;* Dupinium, *Dissert. præv. in Bibliam.*

nomine amoris, et dicit quod propter hoc videtur quod nomen amoris apponatur rebus divinis, ut excludatur acceptio illorum qui inconvenienter nomine amoris utuntur : quia cum in Deo, ut ipsum decet, laudetur verus amor non solum a nobis qui sacras Scripturas exponimus, sed et ab his Scripturis; multitudines hominum insipientium, qui non possunt capere uniformitatem quam signat nomen amoris divini, prolapsæ sunt secundum suam consuetudinem ad amorem qui invenitur in rebus corporalibus, qui est dissimilis et divisus, quia talis amor non invenit in uno totum quod ei sufficiat; et ideo dividitur per diversa, et si per aliquod tempus sibi satisfiat in uno, tamen in hoc non durat, sed natus est quærere in diversis quod sibi placet. Et hoc contingit rebus corporalibus, quia sunt dissimilia et divisa. Hic autem amor « non est verus amor, » sicut nec bonum divisum, cum divisibile non sit verum et perfectum bonum, sed bonum indivisibile, quod est maxime unum; bonum enim et unum in idem concurrunt, ut Boetius probat in libro *De consolatione*. Hic autem amor corporalis est quoddam « idolum, » id est similitudo veri amoris, vel « magis » quidam defectus, sive « casus a vero amore. » Ideo autem prolabuntur multitudines ad hunc amorem, quia non possunt capere uniformitatem divini amoris; et ideo hoc nomen dispositum « est in divina sapientia sicut apparens multis molestius, » id est inconvenientius, ad hoc quod « sursum » eleventur, et excitentur, quasi in inferioribus recumbentes, « ad cognitionem veri amoris, » et ut etiam liberentur a difficultate quam patiuntur circa hoc nomen; sicut etiam et in aliis Dei nominationibus frequenter attribuuntur corporalia magis infima, ut mens cogatur in eis non remanere, sed super omnia Deum intelligere, ut in II cap. *Angelicæ hierarchiæ* dictum est. Et ideo nomine amoris utitur Scriptura in divinis, quia hoc nomine magis utimur pro infimo et carnali amore. « Rursus, » inquam, « inconveniens esset » quod a nobis opinaretur, esse « terrenos zelos, » id est amores, in rebus divinis, qui videntur exprimi per nomen dilectionis, secundum quod apparet ex plano modo Scripturæ. « Dixit » enim « quidam, » scilicet David, II Reg., I, 26, secundum aliam translationem : « Cecidit dilectio tua super me, sicut dilectio mulierum; » nostra vero translatio habet : *Doleo super te, frater mi Jonatha, decore nimis, et amabilis super amorem mulierum.*

Deinde cum dicit : « Ab audientibus autem recte divina in eadem virtute recte ordinatur a sanctis theologis dilectionis et amoris nomen secundum divinas manifestationes, » ostendit quomodo accipitur secundum Scripturas nomen dilectionis et amoris, et dicit quod ab illis qui recte audiunt divina hoc sancitur, quod in eadem virtute et significatione accipitur a sanctis theologis qui canonicas Scripturas ediderunt, nomen dilectionis, et amoris, secundum ea quæ eis a Deo manifestata sunt, vel quæ ipsi de Deo manifestaverunt. Utrumque enim nomen est significativum cujusdam « virtutis unitivæ, » inquantum unit amantem amato, prout utrumque idem desiderant, et « conjunctivæ, » prout utrumque connectitur [1] alteri secundum inclinationem, secundum quam duo amantia se habent invicem, et « differenter concretivæ [2], » secundum quod in tali conjunctione salvatur differentia utriusque amantium; quorum quandoque unum est superius, aliud inferius, et hæc quidem virtus præexistit « in pulchro et bono, » scilicet in Deo, qui amat et se, et alia propter suam pulchritudinem et bonitatem. Et iterum hæc virtus attribuitur rebus creatis a Deo, qui est pulcher et bonus, « propter pulchrum et bonum, » quod est proprium objectum amoris. Nihil enim amatur nisi secundum quod habet rationem pulchri et boni. Et hæc quidem virtus continet « coordinata, » id est æqualia, secundum quod sic se habent ad invicem quod alternatim sibi invicem communicant sua. Movet etiam virtus amoris superiora ad providendum inferioribus, et collocat « minus habentia, » id est inferiora, « in superioribus, » inquantum convertit hæc ad illa, sicut ad proprium bonum, quod habent in illis. Et hæc supra exposita sunt.

[1] Parm. : « conjungitur convenientiæ alterius. » — [2] Al. : « et differunt concretive. »

LECTIO X.

De extasi; de zelo.

Est autem faciens et extasim divinus amor, non dimittens suiipsorum esse amatores, sed amatorum. Et monstrant quidem superiora providentiæ facta minus habentium, et coordinata sui invicem continentiæ, et subjecta divinioris conversionis ad prima. Propter quod et Paulus magnus in continentia divini factus amoris, et virtute ipsius extasim faciente participans, divino ore: *Vivo ego,* dicit *jam non ego, in me autem vivit Christus;* sicut verus amator, et extasim passus, sicut ipse dicit, Deo, et non suiipsius vivens, sed amati vita, sicut valde diligibili. Audendum autem et hoc pro veritate dicere quod et ipse omnium causa pulchro et bono, omnium amore per abundantiam amativæ bonitatis extra seipsum sit, ad omnia existentia providentis, et sicut bonitate, et dilectione, et amore trahitur, et ex eo quod est super omnia, et ab omnibus segregatur, ad id quod est in omnibus deponitur, secundum extasim facientem supersubstantialem virtutem, a seipso inegressibilem.

Propter quod, qui fortes sunt in divinis, ipsum zelotem appellant, sicut multum in bono amore ad existentia, et sicut excitativum ad zelum desiderii ipsius amativi, et sicut zelotem ipsum demonstrantes, per quem et desiderata sunt zelabilia, et sicut provisis ipsis existentibus zelabilibus, et totaliter pulchri et boni est amabile, et amor et in pulchro et in bono præcollocatur, et propter pulchrum et bonum est, et gignitur.

Est autem et extasim faciens divinus amor. » Postquam Dionysius determinavit de amore, hic determinat de extasi, quæ est effectus amoris, et circa hoc tria facit. Primo, proponit extasim esse amoris effectum; secundo, manifestat hoc in creaturis, ibi : « Et monstrant quidem superiora providentiæ facta minus habentium; » tertio, manifestat hoc idem, ibi : « Audendum autem et hoc pro veritate dicere. »

Circa primum considerandum est quod hæc est differentia inter vim cognitivam et appetitivam, quia actus virtutis cognoscitivæ est secundum quod cognita sunt in cognoscente; actus autem virtutis appetitivæ est secundum inclinationem quam habet appetens ad rem quæ appetitur. Prima autem operatio appetitus est amor, ut supra dictum est; unde amor importat primam inclinationem appetitus in rem, secundum quod habet rationem boni, quod est objectum appetitus. Sicut autem ens dupliciter dicitur, scilicet de eo quod per se subsistit, et de eo quod alteri inest, ita et bonum uno modo dicitur de re subsistente, quæ habet bonitatem, sicut homo dicitur bonus; alio modo de eo quod inest alicui, faciens ipsum bonum; sicut virtus dicitur bonum hominis, quia ea homo est bonus. Similiter enim albedo dicitur ens, non quia ipsa sit subsistens in suo esse, sed quia ea aliquid est album. Tendit ergo amor dupliciter in aliquid. Uno modo ut in bonum substantiale, quod quidem fit dum sic amamus aliquid ut ei velimus bonum, sicut amamus hominem, volentes bonum ejus; alio modo amor tendit in aliquid tanquam in bonum accidentale, sicut amamus virtutem, non quidem ea ratione quod volumus eam esse bonum, sed ratione ut per eam simus boni. Primum autem amoris modum quidam nominant amorem amicitiæ, secundum autem amorem concupiscentiæ. Contingit autem quandoque quod etiam aliqua bona subsistentia amamus hoc secundo modo amoris, quia non amamus ipsa secundum se, sed secundum aliquod eorum accidens, sicut amamus vinum, volentes potiri dulcedine ejus, et similiter cum homo propter delectationem vel utilitatem amatur, non ipse secundum se amatur, sed per accidens. In utroque igitur modo amoris, affectus amantis per quamdam inclinationem trahitur ad rem amatam, sed diversimode. Nam in secundo modo amoris, affectus amantis[1] trahitur ad rem amatam per actum voluntatis, sed per intentionem affectus recurrit in seipsum, dum enim appeto justitiam vel vinum; affectus quidem meus inclinatur in alterum horum, sed tamen recurrit in seipsum, quia sic fertur in prædicta ut per ea bonum sit ei; unde talis amor non ponit amantem extra se quantum ad finem intentionis. Sed cum aliquid amatur primo modo amoris, sic affectus fertur in rem amatam quod non recurrit in seipsum, quia ipsi rei amatæ vult bonum, non ex ea

[1] Al. : « amoris. »

ratione quia ei exinde aliquid accidat. Sic igitur talis amor extasim facit, quia ponit amantem extra seipsum. Sed hoc contingit tripliciter. Potest enim illud substantiale bonum in quod affectus fertur, tripliciter se habere. Uno modo sic quod illud bonum sit perfectius quam ipse amans, et per hoc amans comparetur ad ipsum ut pars ad totum, quia quæ totaliter [1] sunt in perfectis, partialiter sunt in imperfectis. Unde secundum hoc, amans est aliquid amati. Alio modo sic quod bonum amatum sit ejusdem ordinis cum amante. Tertio modo quod amans sit perfectius re amata, et sic amor amantis fertur in amatum sicut in aliquid suum. Sic igitur cum affectus amantis fertur in amatum superius, cujus aliquid est ipse amans, ipsum suum bonum amans ordinat in amatum; sicut si manus amaret hominem, hoc ipsum quod ipsa est, in totum ordinaret; unde totaliter extra se poneretur, quia nullo modo aliquid sui sibi relinqueretur, sed totum in amatum ordinaret. Non autem ita est cum aliquid amat sibi æquale, vel id quod infra se est. Non enim una manus si aliam amaret, totam se in aliam ordinaret, neque homo amans suam manum, totum bonum suum in bonum manus ordinat. Sic ergo aliquis debet Deum amare, quod nihil sui sibi relinquat quin in Deum ordinetur. Cum autem æqualia vel inferiora amat, sufficit quod sit extra se exiens in illa, ita duntaxat quod non sibi soli intendat, sed aliis, nec oportet quod totaliter se in illa ordinet. Sic igitur amor divinus dupliciter potest hic accipi. Uno modo amor quo Deus amatur et sic exponenda est hæc littera quod « amor divinus facit extasim, » id est ponit amantem extra se, id est ordinat ipsum in Deum, ita quod non permittit ipsos amatores esse sui ipsorum, sed rerum divinarum quæ amantur, quia nihil sui sibi relinquunt quin in Deum ordinent. Alio modo potest intelligi amor divinus qui est a Deo derivatus non solum in Deum, sed etiam in alia, scilicet æqualia vel inferiora, et sic intelligendum est : « Non dimittens amatores esse suiipsorum » tantum, « sed amatorum, » id est eorum quæ amantur, quia amor facit quod non solum sibi intendat, sed etiam aliis.

Deinde cum dicit : « Et monstrant quidem superiora providentia facta minus habentium, » manifestat quod dixerat in creaturis; et primo, per inductionem; secundo, per auctoritatem, ibi : « Propter quod et Paulus magnus in continentia divini factus amoris ..... dicit. » Dicit ergo primo quod prædictum effectum amoris « demonstrant superiora » per providentiam quam faciunt de inferioribus; in hoc enim quodammodo extra se ponuntur, quod aliis intendunt; et similiter monstrant « coordinata, » id est æqualia, per continentiam qua se invicem continent, prout scilicet unum ab altero juvatur et fovetur; et monstrant etiam inferiora per hoc quod divinius convertuntur in sua superiora, ut in quibus eorum bonum existit. In omnibus enim his apparet quod aliquid extra se exit, dum ad alterum convertitur. Utitur autem hic genitivis pro ablativis, quia Græci ablativis carent.

Deinde cum dicit : « Propter quod et Paulus magnus in continentia divini factus amoris et virtute ipsius extasim faciente participans, divino ore ... dicit, » ostendit idem per auctoritatem; et dicit quod propter hoc quod amor non permittit amatorem esse suiipsius, sed amati, magnus Paulus constitutus in divino amore, sicut in quodam continente, et virtute divini amoris faciente ipsum totaliter extra se exire, quasi divino ore loquens, dicit, Gal., II, 20 : *Vivo ego, jam non ego, vivit autem in me Christus,* scilicet quia a se exiens, totum se in Deum projecerat, non quærens quod sui est, sed quod Dei, « sicut verus amator, et passus extasim, Deo » vivens, et non vivens » vita « suiipsius, sed vita » Christi ut « amati, » quæ vita erat sibi « valde diligibilis. »

Deinde cum dicit : « Audendum autem et hoc pro veritate dicere, » dicit quod prædicta operatio amoris etiam in Deo invenitur, dicens quod hoc audacter dicendum est « pro veritate, » id est veritatem hanc audacter faciente, vel « pro veritate, » id est pro vero hoc asserendo, « quod ipse » qui est « omnium causa » per suum pulchrum et bonum amorem quo omnia amat secundum abundantiam suæ bonitatis, qua amat res, « fit extra seipsum, » inquantum providet omnibus existentibus per suam bonitatem et amorem vel dilectionem, et quodammodo « trahitur et deponitur » quodammodo a sua excellentia, secundum

[1] Al. : « cum totaliter. »

quod supra omnia existit, et ab omnibus segregatur, ad hoc quod sit in omnibus per effectus suæ bonitatis secundum quamdam extasim ; quæ tamen sic ipsum faciat in omnibus inferioribus esse, ut supersubstantialis ejus virtus non egrediatur ab ipso. Sic enim implet omnia quod ipse in nullo evacuatur sua virtute. Quod quidem addit, ut per hoc quod dixerat « deponitur, » non intelligatur aliqua ejus minoratio, sed hoc solum quod se inferioribus ingerit propter suæ bonitatis participationem.

Deinde cum dicit : « Propter quod qui fortes sunt in divinis, ipsum zelotem appellant, » determinat de zelo, qui importat quamdam intensionem amoris, et dicit quod, quia operatio amoris excellentissime in Deo invenitur, propter hoc illi qui sunt excellentes in cognitione divinorum nominant Deum zelotem [1], ut patet Exod., xx : *Ego Dominus Deus tuus zelotes,* quia habet multum de amore bono ad existentia creaturarum. Zelus autem importat intensionem amoris ; quæ quidem intensio contingit quandoque in hominibus, quia homo volens singulariter possidere quod amat, non patitur illud ab alio amari, et secundum hoc quidam definiunt zelum, dicentes : Zelus est amor intensus non patiens consortium in amato, sed hoc excludit a divino zelo cum subdit quod « excitat omnia ad zelum sui desiderii amativi ; » facit enim quod illud quidem quod amat [2] ipse, etiam ab aliis ametur. Invenitur etiam [3] in zelo et amore humano alia conditio per quam differt a divino. Amor enim in nobis causatur, et similiter zelus, ex pulchritudine et bonitate ; non enim ideo aliquid est pulchrum quia nos illud amamus, sed quia est pulchrum et bonum, ideo amatur a nobis; voluntas enim nostra non est causa rerum, sed a rebus movetur ; voluntas autem Dei est causa rerum, et ideo amor suus facit bona ea quæ amat, et non e converso, quia sua bonitas movet seipsum in seipso, quod non facit nostra [4] ; et hoc est quod Deus dicitur zelotes sicut per quem fiunt « zelabilia, » id est intense amabilia, ea quæ sunt volita vel desiderata ab ipso, vel a quibuscumque aliis. Contingit autem quandoque quod etiam nos facimus quædam amabilia quæ sunt ex opere nostro, sed tamen non omnia quæ operamur amabilia sunt ; facimus enim interdum mala et defectiva opera ; Deus autem omnia quæ facit, ex hoc ipso sunt bona et amabilia et hoc est quod subdit quod Deus dicitur zelotes, « sicut » omnibus quæ per ejus providentiam proveniunt, « existentibus zelabilibus, » id est amabilibus intense [5]. Sic igitur finito eo quod dicere intendebat de bono et pulchro et amore, subjungit quasi ex præmissis colligendo quod amabile et amor totaliter est pulchri et boni. Sic amor et præexistit « in pulchro et bono, » sicut in subjecto, quamvis non proprie dici possit primum pulchrum et bonum, scilicet Deus, subjectum alicujus. Et iterum « propter pulchrum et bonum fit » et præexistit amor et amabilitas in rebus, sicut propter causam.

LECTIO XI.

Quare Deus dicitur amor et dilectio.

Quid autem totaliter theologi volentes, aliquando quidem amorem et dilectionem ipsum dicunt, aliquando autem amabilem et diligibilem? Hujus enim est quidem causa, et sicut emissor, et sicut progenitor. Hoc autem ipse est, et hoc quidem movetur, illud autem movet, aut quoniam ipse suiipsius et sibiipsi est adductivus et motivus. Ita quidem diligibilem et amabilem ipsum vocant sicut pulchrum et bonum; amorem autem rursus et dilectionem, sicut moventem simul, sicut quod est virtus sursum agens, ad seipsum, quod solum ipsum propter seipsum pulchrum et bonum est, et sicut quod est manifestatio suiipsius per seipsum, et segregatæ unitionis bonus processus, et amativus motus, simpliciter per se mobilis et per se operans, præexistens in bono, et ex bono existentibus emanans et rursus ad bonum conversus. In quo et interminabile suiipsius et non habens principium divinis amor monstrat differenter, sicut quidam æternus circulus, propter bonum, ex bono, in bono et ad bonum, in non errante convolutione circumambulans, et in eodem et secundum idem, et procedens et manens semper et restitutus.

[1] Parm. : « zelantem. » — [2] Parm. : « amat cupiat quod ipse. » — [3] Parm. : « enim. » — [4] Cod. Vict. non habet : « quia sua bonitas movet seipsum in seipso, quod non facit nostra. » — [5] Al. : « in zelantibus, id est in amantibus intense. »

« Quid autem totaliter theologi volentes, aliquando quidem amorem et dilectionem ipsum dicunt, aliquando autem amabilem et diligibilem? » Postquam Dionysius de amore et de his quæ consequuntur ad amorem, determinavit, hic solvit quamdam dubitationem; et primo, ponitur quæstio; secundo, solutio, ibi : « Hujus enim est quidem causa, et sicut emissor, et sicut progenitor; » tertio, ponitur manifestatio solutionis, ibi : « Ita quidem diligibilem, amabilem ipsum vocant sicut pulchrum et bonum. »

Quærit ergo primo quid voluerint significare editores sacræ Scripturæ quos theologos vocat, quod Deum aliquando quidem nominaverunt dilectionem et amorem, sicut patet I Joan., IV, 16 : *Deus caritas est*, aliquando vero nominant ipsum amabilem et diligibilem, Cant., I, 2 : *Adolescentulæ dilexerunt te nimis*.

Deinde cum dicit : « Hujus enim est quidem causa, et sicut emissor, et sicut progenitor, » ponit duas solutiones ad præmissam quæstionem, quarum prima est quod Deus dicitur amor et dilectio causaliter, quia scilicet est causa amoris inquantum immittit amorem aliis, et quodam modo in eis amorem generat secundum quamdam similitudinem. Dicitur autem amabilis et diligibilis essentialiter, quia ipse est hoc quod est amabile et diligibile. Et assignat hujus solutionis rationem, quia amor signat aliquem motum quo aliquis amans movetur; sed diligibile est illud quod movet tali motu. Ad Deum autem pertinet quod moveat et causet motum in aliis; et ideo ad eum pertinere videtur quod sit amabilis, in aliis amorem creans. Secunda solutio est quod Deus dicitur amor et amabilis, quia ipse amat motu suiipsius, et adducit se ad seipsum; velle enim est quidam motus. Vult enim Deus bonum suum, et secundum hoc, prout ipse est sua bonitas, quæ voluntatem ipsius, quodammodo movet, dicitur etiam esse diligibilis et amabilis a seipso. Inquantum vero ipsum suum velle quo bonum suum vult est suum esse et sua substantia [1], Deus est suus amor. Sic ergo prima solutio accepta fuit secundum amorem quo omnia amant Deum; hæc autem secundum amorem quo Deus seipsum amat.

Deinde cum dicit : « Ita quidem diligibilem et amabilem ipsum vocant sint pulchrum et bonum, » manifestat positam solutionem; et primo, quantum ab hoc quod Deus dicitur amabilis; secundo, inquantum Deus dicitur amor, ibi : « Amorem autem rursus et dilectionem simul, et sicut quod est virtus sursum agens ad seipsum. » Dicit ergo primo quod Deus est diligibilis et amabilis, inquantum est ipsum pulchrum et bonum; in hoc enim importatur objectum amoris.

Deinde cum dicit : « Amorem autem rursus et dilectionem, sicut moventem simul, et sicut quod est virtus sursum agens ad seipsum, » manifestat quomodo Deus dicatur amor, et circa hoc tria facit. Primo, ponit effectus amoris qui Deo attribuntur; secundo, proprietates amoris, ibi : « Et segregatæ unitionis bonus processus; » tertio, processum amoris, ibi : « Præexistens in bono, et ex bono existentibus emanans. » Est autem triplex effectus amoris. Primus quidem est quod movet amantem ad aliquam operationem; secundus effectus est quod convertit opera amantis per intentionem in amatum; tertius effectus est quod omnis amor est manifestativus suiipsius per signa et effectus amoris; et per hoc quærit amans ut non solum amet, sed etiam ametur, et hæc tria Deo attribuit; unde dicit quod Deus dicitur amor et dilectio, inquantum movet et se et alia per amorem ad aliquid operandum, quantum ad primum : et simul cum hoc dicitur Deus amor elevans alia ad seipsum, qui solus secundum seipsum est pulchrum et bonum, quasi essentia quædam pulchritudinis et bonitatis : et hoc quantum ad secundum; et dicitur etiam Deus amor secundum quod est manifestativus « suiipsius per seipsum, » id est sua propria virtute.

Deinde cum dicit : « Et segregatæ unitionis bonus processus, » ponit quinque proprietates amoris : quarum prima capitur secundum ejus causam, quæ quidem est aliqua unitio amantis et amati, inquantum est ens, quod naturaliter amat seipsum, inquantum unumquodque naturaliter appetit suum bonum : et ex hoc quod aliquid est unum secum, sequitur quod amat ipsum ; et ideo ea quæ sunt nobis magis conjuncta, magis amamus; et hoc est quod dicit quod amor attribuitur Deo sicut quidam « bonus

[1] Parm. : « suum velle bonum suum vult esse suum esse et suam substantiam. »

processus » cujusdam « segregatæ, » id est excellentis, « unitionis, » quia quanto amor est perfectior, tanto et unitio ex qua procedit est major. Secunda proprietas sumitur ex parte objecti; est enim objectum proprium amoris ut faciat amantem tendere in amatum, per quod amor distinguitur a cognitione, quæ non trahit cognoscentem ad rem cognitam, sed e converso; et hoc est quod dicit « et amoris motus. » Tertia proprietas est quod dicit « simpliciter[1]. » Primum enim in quolibet genere oportet esse simplex; unde, cum primus motus appetitus sit amor, oportet quod simplex sit; et per hoc differt amor ab ira, quæ est motus compositus ex tristitia provocante et desiderio vindictæ. Quarta conditio ejus est quod est « per se mobilis, » quæ competit ei inquantum est primus motus appetitus, quia in quolibet genere prius est quod per se est, quam quod per aliud; et per hoc differt amor a timore : nam timor est sicut motus violentus ab extrinseco proveniens, amor autem est sicut motus naturalis simul ab intimo procedens. Quinta proprietas est quod est « per se operans, » quod etiam convenit ei ratione suæ prioritatis, et in hoc a spe differt, nam qui propter spem alterius operatur, propter aliud operatur; qui autem ex amore operatur aliquid, per seipsum operatur illud tanquam sibi placitum.

Deinde cum dicit : « Præexistens in bono, et ex bono existentibus emanans, et rursus ad bonum conversus, » ostendit processum amoris; et dicit quod iste amor primo est in ipso bono, quod est Deus, et ex isto bono emanavit in existentia, et iterum in existentibus participatus convertit se ad suum principium, quod est bonum; et quantum ad hoc quod est divinus amor, demonstrat differenter præ aliis suam interminabilitatem et carentiam principii, quæ pertinent ad rationem circuli; quædam enim circulatio apparet in amore secundum quod est ex bono et ad bonum : et ista circulatio convenit æternitati divini amoris, quia solus motus circularis potest esse perpetuus; et hoc est quod dicit, quod amor est « sicut quidam circulus internus, » inquantum est « propter bonum, » sicut objectum, « et ex bono, » sicut ex causa, « et in bono » perseverans, « et ad bonum » consequendum tendens ; et sic circuit bonum quadam convolutione non existente propter uniformitatem. Viæ enim tortuosæ et difformes sunt causa erroris, sed uniformitas viæ præservat ab errore; et hanc uniformitatem in via amoris dicit cum subdit quod amor est « in eodem et secundum idem, » id est in bono, et secundum bonum procedit, sicut in causa, et manet semper, inquantum retinet formam boni, ut proprii objecti, et restituitur in idem sicut in finem.

LECTIO XII.

Verba sancti Hierothei ex amativis hymnis.

Hæc et nobilis noster sanctitatis perfector a Deo motus recitavit in amativis hymnis, quos non inconveniens est memorare, et sicut sanctum quoddam caput imponere sermoni de amore.

Amorem, sive divinum, sive angelicum, sive intellectualem, sive animalem, sive naturalem dicamus, unitivam quamdam, et concretivam intelligimus virtutem, superiora quidem moventem ad providentiam minus habentium, coordinata autem rursus ad communicativam alternam habitudinem in extremis subjecta ad meliorum et superpositorum conversionem.

Quoniam ex uno multos amores ordinavimus, consequenter dicemus quales quidem sunt mundanorum et supermundanorum amorum cognitiones et virtutes, ex quibus excedunt secundum assignatam intentionem intellectualium et intelligibilium amorum, et ordines et ornatus. Post quos per se intelligibiles et divini, existentibus ibi vere pulchris amoribus præeminent, et a nobis proprie laudati sunt. Nunc rursus resumentes universos ad unum et conclusum amorem, et omnium ipsorum patrem convolvamus simul et congregemus a multis; primum ad duas colligentes ipsum amativas universaliter virtutes, ex quibus superat et principatur omnino incomprehensibilis causa omnis amoris, ex eo qui est super omnia, et ad quam extenditur[2] secundum naturam unius cujusque existentibus universis totalis amor.

Age igitur, et istas ad unum rursus congregantes, dicimus quod una quædam est simplex virtus, per se motiva ad unitivam quamdam concretionem ex bono usque ad extremum existentium, et ab illo rursus consequenter per omnia ad bonum ex eadem et per eamdem et in eadem seipsam reflectens, et ad eamdem semper eodem modo revoluta.

[1] Al. : « simplex. » — [2] Al. : « intenditur. »

« Hæc et nobilis noster sanctitatis perfector a Deo motus recitavit in amativis hymnis. » Postquam Dionysius tractavit de amore, hic ad confirmationem prædictorum introducit verba Hierothei de amore; et primo, dicit quid intendat; secundo, ponit ipsa verba, ibi : « Amorem sive divinum, sive angelicum, sive intellectualem, sive animalem, sive naturalem dicamus, unitivam quamdam et concretivam intelligimus virtutem. »

Dicit ergo primo quod hæc quæ infra ponentur, et sunt convenientia præmissis, noster recitavit Hierotheus, qui fuit « perfector, » id est magister, in his quæ ad sanctitatem pertinent, in quibusdam divinis laudibus quas de amore fecit, inspiratus a Deo, quos quidem hymnos hic commemorare non est inconveniens ad hoc quod imponantur tractatui nostro « de amore, sicut quoddam sanctum caput, » id est sicut quædam regula et quoddam principium ad confirmandum quæ supra dicta sunt de amore.

Deinde cum dicit : « Amorem, sive divinum, sive angelicum, sive intellectualem, sive animalem, sive naturalem dicamus, unitivam quamdam et concretivam intelligimus virtutem, » ponit verba Hierothei de amore, et circa hoc tria facit. Primo, ponuntur verba continentia divisionem et definitionem amoris; secundo, verba demonstrantia ordinem amorum ex uno amore procedentium, ibi : « Quoniam ex uno multos amores ordinavimus; » tertio, verba demonstrantia reductionem omnium amorum ad unum amorem, ibi : « Nunc rursus resumentes universos, ad unum et conclusum amorem, et omnium ipsorum patrem convolvamus simul et congregemus a multis. » Distinguit[1] autem primo quinque amores : quorum primus est amor divinus; secundus amor angelicus; tertius amor intellectualis, quo scilicet homines amant secundum intellectivam partem; quartus est amor animalis, qui pertinet ad sensitivam partem, sive in hominibus, sive in animalibus; quintus est naturalis, qui pertinet ad appetitum naturalem, sive in animalibus quantum ad nutritivam partem, sive in plantis, sive etiam in rebus inanimatis. Cum enim dictum sit quod amor importet primum motum voluntatis et appetitus, in quibuscumque contingit esse voluntatem et appetitum, contingit esse amorem. Communis autem quædam notificatio amoris omnibus prædictis amoribus conveniens est; unde[2] subjungit quod quemcumque prædictorum amorum nominemus, intelligimus per nomen amoris « quamdam virtutem unitivam et concretivam. » Sed virtus hic non accipitur nec pro passione nec pro habitu, cum amor non sit passio vel actus, sed accipitur communiter prout omne illud quod habet efficaciam ad aliquid producendum, potest dici virtus, vel virtuosum; unde planius esset si diceretur unitio et concretio virtuosa, sed maluit dicere virtutem emphatice loquens, ad ostendendum efficaciam amoris. Unitio autem a concretione differt. Est enim amor unitio secundum quod amans et amatum conveniunt in aliquo uno, sive illud sit substantia utriusque sicut cum aliquis amat seipsum, sive sit species, sicut animalia quæ sunt ejusdem speciei, se invicem diligunt, sive sit patria, sicut compatriotæ se diligunt, sive sit quodcumque aliud. Concretio autem ad amorem pertinet, secundum quod ea quæ sic uniuntur, quantum ad aliquid distincta remanent, scilicet quantum ad divisionem amantis et amati. Hæc autem unitio vel concretio diversimode in diversis amoribus inveniuntur. Nam in cognoscentibus hæc unitio vel concretio est ex apprehensione amantis, qui æstimat amatum aliquo modo esse unum sibi, et ex hoc movetur in illud per affectum amando, sicut etiam in seipsum, et propter hoc secundum diversas rationes apprehensibilium distinguuntur diversi amores. Alia enim est ratio cognitionis divinæ et cognitionis angelicæ et humanæ, secundum intellectum, et omnium animalium secundum sensum. Sed unitio et concretio in amore naturali est ex quadam convenientia naturali, ex qua provenit ut aliquid inclinetur in alterum sicut in sibi conveniens, et talis inclinatio amoris naturalis dicitur. Ad quid autem se extendat virtus amoris, ostendit subdens quod movet superiora ad providendum inferioribus, æqualia ad alternatim sibi convenientia communicandum invicem, et inferiora ut convertantur ad sua superiora, subjiciendo se eis, et attendendo ad ea sicut

[1] Parm. : « distinguuntur. » — [2] Parm. : « quod. »

ad suas causas, et desiderando ea sicut ex quibus dependent eorum bona.

Deinde cum dicit : « Quoniam ex uno multos amores ordinavimus, consequenter dicemus quales quidem sunt mundanorum et supermundanorum amorum cognitiones et virtutes, » ponit verba Hierothei ostendentia ordinem multorum amorum derivatorum ab amore divino, et videntur esse verba quasi recapitulantia aliqua supradicta. Dicit ergo Hierotheus : « Quoniam ordinavimus multos amores ex uno, » id est ostendimus quod ex uno divino amore multi amores ordinati proveniunt, etiam « consequenter dicemus quales sunt cognitiones et virtutes mundanorum et supermundanorum amorum, » id est, qualiter mundani et supramundani amores cognosci possint, et quæ sit efficacia utrorumque amorum. Ex quo datur intelligi quod amores omnes diviserat in mundanos et supermundanos; mundanos amores nominans, quibus bona sensibilis mundi amantur quocumque amore, maxime autem animali; amores autem supermundanos, quibus intelligibilia et vera bona amantur. Et inter istos amores assignat ordinem quem consequenter tangit. « Ex quibus, » scilicet mundanis et supermundanis amoribus, « excedunt secundum assignatam rationem » supermundani amores, qui in duos ordines dividuntur, quorum inferior et propinquior mundano amori « est ordo et ornatus amorum intellectualium, » id est humanorum, et « intelligibilium, » id est supermundanorum. Intelligibilem enim supra vocavit humanum. Dicit autem « intellectualium » ex parte amantium; « intelligibilium » autem ex parte eorum quæ amantur. Quod autem super « ordines » addit « ornatus, » ostendit in intellectualibus amoribus non solum ordinem, sed etiam convenientiam ordinis esse, quæ ordinem ornat et pulchrum facit. Sed ascendentibus a mundanis amoribus post intellectuales amores humanos supereminent et a Hierotheo laudati fuerunt amores angelici, quos vocat per se intelligibiles, quia intelligibilia amant absque communione affectus terreni. Et vocat eos divinos, quia maxime assimilantur divino amori, quia in angelis vere existunt pulchri amores absque alicujus turpitudinis admixtione.

Deinde cum dicit : « Nunc rursus resumentes universos, ad unum et conclusum amorem, et omnium ipsorum patrem convolvamus simul et congregemus a multis, » præmisso ordine multorum amorum, nunc reducit omnes ad unum amorem ; et primo reducit omnes in duos ; secundo, illos duos reducit ulterius in unum amorem, ibi : « Age igitur, et istas ad unum rursus congregantes, dicimus quod una quadam est simplex virtus. »

Est autem considerandum quod superior constructio pendet usque huc, quasi diceret : Quoniam præmissa diximus, « nunc rursus resumentes omnes » amores, « convolvamus eos et congregemus, » id est quadam revolutione adunemus et reducamus ad amorem divinum, qui in se est unus et conclusus, quia omnes rationes amorum in eo concluduntur, et est sicut pater, id est principium profundens per quamdam similitudinem omnes amores. Et in hoc reductio est, ut primo colligamus amorem omnem « ad duas universales amativas virtutes, » quia omne quod amatur, vel amatur propter bonum creatum, vel propter bonum increatum. Ratio enim amoris est bonum, quod vel est ultimus finis vel proximus. Inter has autem amativas virtutes excedit « incomprehensibilis causa omnis amoris, » quæ est bonum increatum, et hoc est quod subdit : Quæ quidem causa amoris est « ex eo qui est super omnia, et ad quam » causam extendit se omnis amor ab omnibus entibus, diversimode tamen « secundum naturam uniuscujusque, » quia omnia convertuntur in ipsum Deum, sicut dictum est. Nec solum dicit quod excedat amor habens Deum pro causa, sed etiam quod « principatur, » quia amor, qui dependet ex bono creato, regulatur ab amore qui dependet a bono increato.

Deinde cum dicit : « Age igitur, et istas ad unum rursus congregantes, dicimus quod una quædam est simplex virtus, » reducit ulterius prædictos duos modos amorum in unum primum, et dicit quod rursus congregat prædictas duas virtutes amoris in unum primum amorem, scilicet divinum, quo Deus quidem « una quædam simplex virtus[1], » amat; quæ « per se » movet « ad quamdam unitivam concretio-

[1] Al. : « scilicet Deus amor divinus, quo Deus amat. »

nem » omnia quæ amat, procedens a primo bono quod est Deus, et venit per modum cujusdam derivationis usque ad infimum de numero existentium; et per quamdam conversionem in finem « rursus ab illo » rediens, scilicet ab ultimo existentium, « consequenter per omnia » ascendens [1], redit ad primum bonum per modum circulationis cujusdam, « reflectens seipsam, et semper eodem modo revoluta, » ex ea prima virtute procedendo, et per eamdem, quia omnes secundæ virtutes a prima per quamdam similitudinem derivantur, et in eamdem redeunt causa eadem, quia non solum per causas, sed etiam per effectus similitudo primæ virtutis invenitur; et sic amor semper manet in illa virtute, et ulterius semper revolvitur ad eamdem sicut ad finem.

LECTIO XIII.

Quod malum neque existens, neque ex existente, neque in existentibus.

Et quidem dicat aliquis : Si omnibus est bonum et pulchrum, et amabile, et desiderabile, et diligibile : desiderat enim ipsum et quod non est, ut dictum est, et certat aliquo modo in ipso esse; et ipsum est quod format informia; et in ipso et non existens supersubstantialiter dicitur et est; quomodo dæmonum multitudo non desiderat pulchrum et bonum; inclinata autem ad materiam, et ab angelica identitate circa desiderium boni prolapsa, malorum universorum causa, et sibiipsi et aliis efficitur, quæcumque mala fieri dicuntur? Quomodo autem totaliter ex bono deducta dæmonum tribus non est boniformis? Aut quomodo bonum, ex bono factum, variatum est? Et quid est quod malum fecit illud? Et totaliter quid est malum, et ex quo principio consistit, et in quo existentium est? Et quomodo bonus ipsum producere voluit; quomodo autem volens potuit? Et si ex alia causa est malum, quæ alia est existentibus præter bonum causa? Quomodo autem et providentia existente est malum aut factum totaliter, aut non destructum? Et quomodo aliquid existentium desiderat ipsum præter bonum?

« Et quidem dicat aliquis : Si omnibus est bonum, et pulchrum, et amabile, et desiderabile, et diligibile ....., quomodo dæmonum multitudo non desiderat pulchrum et bonum? » Postquam Dionysius determinavit de bono et de his quæ ad bonum pertinent, hic determinat de malo; et primo, movet dubitationes; secundo, determinat veritatem, ibi : « Igitur hæc quidem forsitan dicet talis dubitans sermo. » Circa primum duo facit. Primo, repetit de bono quæ dicta sunt dubitationis occasione; secundo, dubitationem movet, ibi : « Quomodo dæmonum multitudo non desiderat pulchrum et bonum? »

De his autem quæ supra dicta sunt, resumit quod pulchrum et bonum est amabile, et desiderabile, et diligibile omnibus, et quod non solum ea quæ sunt, desiderant bonum, sed etiam id « quod non est, » scilicet materia prima, sicut supra dictum est, desiderat bonum, et suo modo certat ad hoc quod sit in bono, inquantum scilicet habet inclinationem ad ipsum, secundum quod est in potentia ad illud; et bonum quod format ea quæ non sunt formata, et quod dicitur non existens, dicitur de summo bono, et est etiam in eo, non quidem per defectum, sicut dicitur de materia prima et de pura negatione vel privatione, sed supersubstantialiter. Deus enim [2] dicitur non existens, non quia deficiat ab existendo, sed quia est super omnia existentia.

Deinde cum dicit : « Quomodo dæmonum multitudo non desiderat pulchrum et bonum? » movet dubitationes de malo; et primo, quantum ad dæmones; secundo, communiter ad omnia, ibi : « Et totaliter quid est malum, et ex quo principio consistit, et in quo existentium est? » Movet autem circa malum dæmonum quatuor quæstiones, quarum prima est : Cum omnia bonum desiderent, ut dictum est, « quomodo multitudo dæmonum non desiderat pulchrum et bonum? » sed inclinatur ad desiderandum res materiales, sicut honores ab hominibus exhibitos, et nidores sacrificiorum, et alia hujusmodi materialia; et per hoc quod ipsi lapsi sunt ab uniformitate desiderii quod angeli habent circa summum bonum, efficiuntur « causa om-

[1] Al. : « attendens; » Parm. : « tendens. » —

[2] Parm. erronee : « etiam. »

nium malorum, » non solum sibiipsis, sed « aliis, quæcumque mala fieri dicuntur » quantum ab homines, quia *invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum,* ut dicitur Sapient., II, 24. Secunda quæstio est : Quomodo multitudo dæmonum, cum sit producta a bono Deo, non est conformis ei in bonitate, cum unumquodque natum sit similia facere? Et quia posset aliquis dicere quod dæmones facti sunt boni, sed versi sunt in malitiam, facit tertiam quæstionem : Quomodo illud quod fuit naturaliter bonum, utpote ex bono causatum, potuit variari? Ea enim quæ sunt naturalia, semper manent. Et quia omne quod fit, fit ab aliquo, movet quartam quæstionem : Quid fuit illud quod fecit dæmonem malum?

Deinde cum dicit : « Et totaliter quid est malum, et ex quo principio consistit, et in quo existentium est? » movet dubitationes in communi de malo, et movet quatuor quæstiones, quarum prima est : Quid est malum universaliter? Secunda quæstio est : Ex quo principio processit malum? Et apparet ordo quæstionum. Prius enim quærendum est quid est malum, et postea unde malum ortum sit, ut Augustinus dicit. Tertia quæstio est : In quo existentium invenitur malum? His autem tribus quæstionibus propositis, secundam multiplicat dupliciter. Primo, quid sit, quia aut causa mali est ipse Deus, vel aliquid aliud. Si detur quod ipse Deus, duæ dubitationes consurgunt, quarum prima est : Quomodo Deus, cum sit bonus, voluit producere malum? Non enim boni est quod velit malum facere. Secunda quæstio est : Si voluit malum facere, quomodo potuit? Non enim calidum potest infrigidare, et similiter nec bonum potest malum facere. Si vero malum sit ex alia causa quam ex Deo, hoc videtur impossibile, quia nulla est alia causa essendi nisi summum bonum, quod est Deus. Secunda deductio est quod cum providentiæ sit malum impedire vel excludere, dubium videtur, cum Deus habeat de omnibus providentiam, quomodo malum potuit fieri in mundo, aut factum non statim destruitur. Quarta quæstio est : Quomodo aliquid potuit desiderare malum, prætermisso desiderio boni?

LECTIO XIV.

Solutiones quæstionum dictarum.

Igitur hæc quidem forsitan dicet talis dubitans sermo. Nos autem rogabimus ipsum ad rerum veritatem conspicere. Et primum quidem hoc dicere confidemus. Malum non est ex bono, et si ex bono est, non est malum. Nequo enim ignis est infrigidare, neque boni non bona producere. Et si existentia omnia ex bono (natura enim est bono, producere et salvare, malo autem corrumpere et destruere) nihil est existentium ex malo. Et neque ipsum erit quod malum est, si et per seipsum malum sit. Et si non hoc, non omnino malum est, quod est malum ; sed habet quamdam boni partem, secundum quam totaliter est. Et si existentia pulchrum et bonum desiderant, et omnia quæcumque faciunt, propter hoc quod videtur bonum, faciunt; et omnium existentium intentio principium habet, et finem bonum (nihil enim ad mali naturam respiciens facit quæ facit) quomodo erit malum in existentibus, aut totaliter existens a tali bono appetitu segregatum? Et si existentia omnia ex bono, et bonum supra existentia, est quidem in bono et non existens, malum autem non existens est : alioquin non omnino malum, neque non existens. Nihil enim est universaliter non existens, nisi in bono secundum supersubstantiale dicatur. Igitur bonum erit quidem, et supersimpliciter existens et non existens multo prius collocatum ; malum autem neque in existentibus, neque in non existentibus, sed et ab ipso non existente magis absistens quam a bono et alienum, et magis non substantia.

« Igitur hæc quidem forsitan dicet talis dubitans sermo. » Præmissis quæstionibus de malo, hic incipit solvere ; et primo, quæstiones quæ pertinent ad malum simpliciter ; secundo, quæstiones quæ pertinent ad malum secundum quod in dæmonibus invenitur, ibi : « Non igitur existens est malum. » Prima autem pars dividitur in duas. In prima solvit tres principales quæstiones, quas fecerat de malo in communi ; in secunda procedit ad solvendum alias secundarias quæstiones, quæ positæ sunt ad magis explicandum quæstionem de causa mali, ibi : « Est autem colligentem dicere : « Bonum ex una et tota est causa ; malum autem ex multis et particularibus defectibus. Prima pars adhuc dividitur in tres. In prima solvit

primam quæstionem, qua quærebatur quid est malum; in secunda solvit secundam, qua quærebatur ex quo principio malum consistit, ibi : « Unde igitur est malum? dicat aliquis ; » in tertia solvit tertiam quæstionem, qua quærebatur in quo existentium esset malum, ibi : « Sed neque in existentibus est malum. » Circa primum duo facit : primo, continuat se ad præcedentia ; secundo, ostendit propositum, ibi : « Et primum quidem hoc dicere confidemus. »

Dicit ergo primo quod ea quæ prædicta sunt, forte poterit aliquis dicere dubitando. Sed nos rogamus eum ut respiciat ad rerum veritatem, et sic quæstionum solutionem invenire poterit, in quo et attentum et benevolum auditorem reddit.

Deinde cum dicit : « Et primum quidem hoc dicere confidemus, » ostendit propositum, scilicet quod malum non est aliquod subsistens, quod per suam naturam sit malum, et circa hoc duo facit. Primo, ostendit quod malum non est aliquid existens secundum suam naturam ; secundo, quod malum per seipsum non est aliquod existens, ibi : « Et si existentia omnia ex bono, et bonum supra existentia, est quidem in bono et non existens. » Primum ostendit duabus rationibus, quarum prima talis est. Omne existens aut habet causam, aut ipsum est causa alterius ; sed malum non habet causam, nec est causa alterius[1] : ergo malum non est aliquid existens. Veritas autem primæ propositionis per se manifesta est, quia omne existens secundum existentiam suam est in actu. Unumquodque autem secundum hoc agit secundum quod actu est. Si ergo essentia alicujus sit actus purus, erit causa tantum ; si autem habeat permixtum aliquid potentiæ, poterit esse et causa et causatum. Quod autem malum non habeat causam, sic probat. Malum non potest esse ex bono, et si esset ex bono, non esset malum ; unum enim contrariorum non est causa alterius. Non enim ad ignem pertinet infrigidare, neque ad bonum pertinet producere ea quæ non sunt bona, sed unumquodque producit sibi simile. Similiter etiam non potest dici quod malum sit causa productiva alicujus. Quod enim est de ratione boni, non potest convenire malo ; sed producere et salvare naturale est bono, et de ejus ratione, quia generatio et salus bona sunt ; similiter corrumpere et destruere pertinet ad rationem mali. Ex quo sequitur quod solum bonum sit causa existentium, et quod malum nullius existentis sit causa. Unde sequitur, si malum non est ex bono, sicut ex causa, quod non habeat causam et quod non sit causatum. Sed est attendendum quod ratio qua probavit quod bonum non est causa mali, probat quod bonum non sit causa mali per se, non autem quod non sit causa mali per accidens, quia sic et calidum per accidens potest esse causa frigidi, sicut major flamma consumendo materiam minoris per accidens inducit frigus. Sed hoc non est contra intentionem Dionysii. Oportet enim quod omne quod habet essentiam, natum sit habere causa per se, et non per accidens. Unde, si malum non habet causam per se, sed solum per accidens, solum sequitur quod malum non habet essentiam ; et hoc est quod quasi concludens subdit quod neque ipsum malum est aliquid, si accipiatur malum secundum se, sicut aliquod subsistens in natura mali. Omne autem quod est totaliter aliquale, est essentialiter tale, sicut si aliquid est totaliter bonum, est essentia bonitatis. Si enim participat bono, oportet quod dividatur in participans et participatum. Si ergo nihil est malum essentialiter, illud quod est malum non est totaliter malum, sed habet aliquam partem boni, et secundum illam est totum esse illius quod dicitur malum. Sic igitur per hoc manifestavit quid est malum. Non enim malum potest esse aliqua essentia subsistens, sicut bonum est ipsa essentia bonitatis ; sed quælibet res mala per suam essentiam est bona, mala autem est, secundum quod deficit ab aliquo bono, quod debet habere et non habet.

Secundam ponit rationem, ibi : « Et si existentia pulchrum et bonum desiderant, et omnia quæcumque faciunt, propter hoc quod videtur bonum, faciunt, quomodo erit malum in existentibus? » quæ talis est. Omnia existentia desiderant pulchrum et bonum, ut ex supra dictis patet ; similiter et omnia quæcumque faciunt, propter hoc quod est bonum, vel saltem propter hoc quod videtur bonum, faciunt. Et sic omnis intentio quorumcumque existentium, habet

[1] Parm. omittit : « sed malum non habet causam, nec est causa alterius. »

bonum pro principio et fine, quia[1] desiderium boni movet sicut principium quoddam ad volendum ea quæ sunt propter finem; et iterum ipsam voluntatem eorum, quæ sunt ad finem, referimus in bonum sicut in finem. Et hoc manifestat per hoc quod nullus facit illa quæ facit, respiciens ad rationem mali, etsi aliquando id ad quod respicit sit malum; sicut aliquis facit aliquid ut fornicetur, non respiciendo ad fornicationem inquantum est mala, sed inquantum est delectabilis. Ex quo patet quod nullum existens desiderat malum nisi per accidens, et quod omne existens desiderat bonum. Sed si aliquid esset per suam essentiam malum, non posset desiderare bonum, cum contrarium non desideret suum contrarium, quia est ejus destructivum, sed desideraret per se malum sicut sibi simile et conforme. Unde relinquitur quod malum essentialiter acceptum, neque est aliqua pars alicujus existentis, neque est universaliter existens.

Deinde cum dicit : « Et si existentia omnia ex bono, et bonum supra existentia, est quidem in bono et non existens, » ostendit quod non potest aliquid esse per seipsum malum, ita quod sit non existens; et ad hoc probandum inducit quod « si omnia existentia sunt ex summo bono, et illud summum bonum est supra omnia existentia[2], » relinquitur quod in ipso summo bono invenitur hoc quod est non existens. Quod enim est super omnia existentia, oportet esse non existens, sicut quod est supra omnia corpora, est non corporeum. Sed hoc non potest dici de malo, quod hoc ipsum quod dicitur malum sit[3] non existens. Non enim est existens, quia non esset[4] totaliter malum, cum hoc quod est existens, sit quoddam bonum; neque iterum est non existens totaliter, quia nihil est totaliter non existens, nisi secundum quod non existens dicitur de summo bono secundum suam supersubstantialitatem. Sed sic non potest dici de malo, quia excedens omnem substantiam est optimum. Unde relinquitur quod bonum est multo altius collocatum, et supersubstantialiter existens, et supra non existens, secundum quod invenitur in rebus. Sed malum neque est in existentibus, quasi sit de numero existentium, aut aliqua pars, aut proprietas existentis alicujus, neque iterum est de numero non existentium; sed magis est « absistens, » id est recedens vel distans, « a non existente quam a bono, » et magis « alienum » ab eo, quia malum in bono saltem est, sicut in subjecto, sed non ens[5] simpliciter, neque est malum. Et iterum malum magis est sine subjecto quam non ens, quia non ens potest intelligi esse non in aliquo; sed malum oportet quod intelligatur in aliquo[6] bono.

Sed contra hoc quod hic dicitur, objicitur dupliciter. Primo quidem, quia malum est privatio boni; privatio autem est non ens. Secundo, quia cum existens et non existens opponantur contradictorie, non potest inter ea esse aliquod medium; unde si malum non est existens, sequitur quod sit non existens.

Sed dicendum quod loquitur hic de malo secundum quod malum dicitur res mala. Malum autem non est res quædam existens, quæ scilicet per suam essentiam sit mala, neque iterum malum est res totaliter non existens; sed malum est res quæ partim est bona, et ex illa parte existit, et dicitur mala, quia deficit ab aliquo esse.

LECTIO XV.

Unde proveniat malum in rebus.

Unde igitur est malum? dicat aliquis. Si enim non est malum, virtus et malitia idem, et omnis toti et particularis proportionali, aut neque repugnans virtuti erit malum. Et quidem contrariæ sunt castitas et impudicitia, et justitia et injustitia, et non dico secundum justum et injustum, et eum qui est pudicus, et qui est impudicus. Sed et ante apparentem extra distantiam habentis virtutem ad oppositum, in ipsa anima[7] prius universaliter destiterunt a virtutibus malitiæ, et ad rationem passiones pugnant, et ex istis necesse est dare quoddam malum bono contrarium. Non enim sibiipsi bonum contrarium, sed sicut ab uno principio, et genitum ab una causa, communione

[1] Parm. : « quod. » — [2] Parm. : « si omnia existentia ex bono, relinquitur. » — [3] Parm. : « dicitur. » — [4] Parm. : « est. » — [5] Parm. : « non est ens. » — [6] Parm. omittit : « aliquo. » — [7] In cit. translatione : « multo prius. »

et unitate et amicitia gaudet, et neque minus bonum majori est contrarium; neque enim aut minus calidum, aut frigidum, amplius existenti est contrarium. Est igitur in existentibus, et existens est, et adversatur bono malum. Et si corruptio est existentium, non excludit istud ab essentia malum, sed erit et ipsum existens, et existentium generativum. Aut numquid multoties cujusdam corruptio alterius sit generatio? Et erit malum ad omnis complectionem conferens, et toti non imperfectum esse per seipsum largiens.

« Unde igitur est malum? dicat aliquis. » Postquam Dionysius ostendit quod malum non habet essentiam, et quod neque est causa neque causatum, nunc inquirit unde malum proveniat in rebus; et primo, movet dubitationem; secundo, solvit, ibi : « Dicit autem ad hæc verus sermo. » Movet autem duplicem dubitationem : et primo quidem, ex repugnantia, sive contrarietate, quæ invenitur in rebus; secundo, ex concomitantia generationis et corruptionis, ibi : « Et si corruptio est existentium, non excludit istud ab essentia malum. » Circa primum duo facit. Primo, movet dubitationem ex illis in quibus apparet manifeste contrarietas boni et mali; secundo, ex illis in quibus non sic manifeste apparet, ibi : « Et ad rationem passiones pugnant. »

Dicit ergo primo quod si malum non habet existentiam, nec est causa neque causatum, ut supra ostensum est, aliquis objiciendo dicet : Unde igitur malum invenitur in rebus? Si enim respondeas quod in rebus non est malum, sequuntur duo inconvenientia, quorum primum est quod « virtus et malitia sunt idem, et omnis toti, » id est virtus in generali, malitiæ in generali, « et particularis proportionali, » id est specialis virtus speciali malitiæ sibi proportionalitate contrariorum respondenti, ut justitia injustitiæ, quia et malitia in generali virtuti contrariatur, et specialis malitia speciali virtuti. Virtus hujus deductionis in hoc consistit quod, remotis differentiis, quibus aliqua ad invicem differunt, sequitur ea esse[1] idem. Differentiæ autem quibus virtus et malitia differunt, sunt bonum et malum. Nam virtus est bona qualitas mentis. Remota igitur differentia boni et mali, si malum non sit in rebus, sequitur quod virtus et malitia sunt idem in universali et in speciali. Secundum inconveniens est quod etiam si virtus et malitia differant, sequitur quod malum non contrariatur nec repugnat virtuti, quia quod non est, non potest contrariari aut impugnare. Utrumque enim contrariorum oportet esse aliquid, et natura manifesta. Est autem contrarietas virtutis ad malum per hoc quod « castitas et impudicitia » contrarientur, et « justitia et injustitia. » Et quia posset aliquis dicere quod ista contrarietas non est nisi secundum quod homines sibi invicem contrariantur, quorum unus habet virtutem, et alter non habet; hoc excludit. « Et non dico, » inquit, quod « castitas et impudicitia, et justitia et injustitia » sunt contraria solum, secundum quod homo justus et homo injustus, et pudicus et impudicus sibi contrariantur invicem, sed per prius naturæ ordine ante distantiam et contrarietatem quæ exterius apparet inter eum qui habet virtutem et eum qui habet vitium oppositum, ipsa vitia sive malitiæ universaliter differunt a virtutibus in ipsa anima. Non enim castitas et impudicitia sunt contraria propter contrarietatem casti et impudici, sed potius e converso. Primo ergo dubitationem movit de contrarietate virtutis et malitiæ, quia de ratione ejus quod est contrarium virtuti, est malum, nec invenitur in aliquo genere quod aliquæ species distinguantur per differentiam boni et mali, nisi in habitibus animæ vitiosis et virtuosis. Hujus ratio est quia virtutes et vitia pertinent ad voluntatem, cujus objectum est bonum et malum.

Deinde cum dicit : « Et ad rationem passiones pugnant, » movet dubitationem de illis quæ non habent de sua ratione quod contrarientur bono, sicut passiones, quæ pugnant contra rationem. Dicuntur autem passiones motus appetitus sensitivi, qui dividitur per irascibilem et concupiscibilem potentiam. De ratione autem harum passionum non est quod contrarientur virtuti, quia contingit etiam secundum virtutem concupiscere, et gaudere, et irasci, et alias hujusmodi passiones habere, sed contrariantur virtuti secundum quod inordinatæ sunt. Omne autem inordinatum non est de ratione earum. Hujusmodi igitur passiones contra rationem pugnant, quia sicut appre-

[1] Parm. : « ea idem dicere. »

hensio sensitiva est ejus quod est hic et nunc, ita appetitus sensitivus, hujusmodi apprehensionem consequens, est ejus quod est bonum hic et nunc; et secundum hoc bonum non simpliciter est quod ratio attendit. Cum igitur contingit id quod est bonum hic et nunc, non esse bonum simpliciter, sequitur quod passio pugnet contra rationem; et ex istis passionibus contra rationem pugnantibus necesse est dare, aliquod malum esse contrarium bono, quamvis de ratione passionum non sit malum, sicut erat de ratione malitiarum. Et ideo necesse fuit ut probaret quod ex hujusmodi pugna sequatur contrarietas mali ad bonum. Manifestum est enim quod bonum non est contrarium sibiipsi, sed omne bonum sicut « ab uno principio » procedens, et sicut « genitum ab una causa, gaudet » mutua « communione et amicitia et unitate. » Nec etiam potest dici quod minus bonum sit contrarium majori bono, sicut nec minus calidum aut frigidum est contrarium magis calido et frigido. Quod quidem intelligendum et ex ea parte qua utrumque est calidum aut frigidum. Sed inquantum minus calidum habet aliquod permixtum de frigido, vel magis appropinquat ei, sic quod minus est calidum est contrarium magis calido, ut dicit Philosophus V *Phys.*, sed hoc est secundum quid, non simpliciter. Dionysius autem hic loquitur de contrariis et simpliciter. Habito ergo quod bonum nullo modo contrarietur bono, relinquitur quod id quod contrariatur bono et pugnat contra ipsum, sit malum. Sic igitur non solum ex passionibus, quæ pugnant contra rationem, sed ex quibuscumque aliis contrariis et contra pugnantibus, videtur sequi quod malum sit in numero existentium et sit aliquid existens, et quod contrarietur bono.

Deinde cum dicit : « Et si corruptio est existentium, non excludit istud ab essentia malum, » procedit alia via ad idem ostendendum, scilicet ex concomitantia generationis et corruptionis, et dicit quod si malum est corruptio existentium, istud non excludit ipsum ab hoc quod habeat essentiam, sed magis per hoc probatur quod sit « existens, » et quod sit « generativum existentium. » Corruptio enim unius est generatio alterius; unde quod corruptivum existentium est, est etiam existentium generativum. Omne autem quod est generativum existentium, confert ad perfectionem universi; sequitur ergo quod malum sit « conferens ad completionem omnis, » id est universi, et quod largiatur « toti, » id est universo, quod non sit imperfectum : et hoc « per seipsum; » quod est inconveniens, quia quod malum per accidens conferat ad pulchritudinem et perfectionem universi, non est inconveniens, inquantum ex malis per accidens consequuntur bona, ut Augustinus dicit in *Enchir.*

LECTIO XVI.

Solutiones dubitationum.

Dicit autem ad hæc verus sermo, quod malum, secundum quod est malum, nullam substantiam aut generationem facit, solum autem malum facit, et corrumpit existentium substantiam, quantum in ipso est. Si autem generationis operativum ipsum aliquis esse dicat, et hujus corruptione alii dare generationem, respondendum est vere : Non corruptio dat generationem; sed et corruptio quidem et malum corrumpit, et malum facit solum; generatio autem et substantia propter bonum fit; et erit malum corruptio quidem propter seipsum, generativum autem propter bonum; et secundum quod quidem est malum, neque existens est, neque existentium effectivum; propter bonum autem existens et bonorum effectivum[1]. Magis autem. Neque enim erit idem secundum idem et bonum et malum, neque ejusdem corruptio et generatio eadem secundum idem virtus, neque per se virtus neque per se corruptio. Igitur ipsum malum quidem neque existens est, neque bonum, neque generationis operativum, neque existentium, neque bonorum effectivum; bonum autem, in quibus perfecte quidem ingignitur, perfecta facit et immixta et integra bona, quæ autem minus ipso participant, et imperfecta sunt bona et mixta propter defectum boni. Et non est universaliter malum, neque bonum, neque faciens bonum; sed quod magis et minus bono appropinquat, proportionaliter erit bonum. Quoniam per universa vadens perfecta bonitas, non usque ad solas quæ circa ipsam sunt proficiscitur sanctissimas substantias, sed extenditur usque ad ultimas; his quidem totaliter præsens, illis autem subjecte, aliis autem extreme, sicut unumquodque existentium ipsa participare potest. Et hæc omnino bono participant; illa autem magis et minus privantur; alia autem habent boni obscuriorem participationem, et aliis secundum ultimam resonantiam adest bonum. Si enim non proportionaliter unicuique bonum adesset, essent quidem divinissima et provectissima extremorum habentia ordinem; quo-

[1] In cit. translatione : « bonum autem et existens, et bonum existens, et bonorum effectivum. »

modo autem esset possibile uniformiter omnia participare bono? cum non omnia existentia eodem modo a totalem ipsius participationem sint opportuna. Nunc autem hæc est boni virtutis excellens magnitudo, quod et privata, et suiipsius privationem firmat secundum totalem ipsius participationem. Et, si oportet confidenter dicere vera, et adversantia ipsi, ipsius virtute et sunt et adversari possunt. Magis autem ut comprehendens dicam, omnia existentia, inquantum sunt, ei bona sunt, et ex bono; inquantum autem privata sunt bono, neque bona neque existentia sunt. Nam in aliis habitibus quidem, sicut caliditate aut frigiditate, sunt calefactiva [1], et derelinquente ipsa caliditate et vitæ et mentis multa existentium sunt expertia; et a substantia Deus segregatur, et est substantialis et simpliciter quidem in universis aliis, et abeunte, et non ingenito omnino habitu sunt existentia, et subsistere possunt. Quod autem secundum omnem modum bono privatum est, nusquam ullo modo neque erat, neque est, neque erit, neque esse potest. Sicut impudicus, quamvis privatus est bono secundum irrationabilem concupiscentiam, in hoc quidem neque est, neque existentia concupiscit; participat autem bono secundum ipsam unitionis et amicitiæ obscuram resonantiam. Et furor quidem participat bono secundum ipsum moveri, et desiderare apparentia mala ad apparens pulchrum redigere et convertere, et ipse pessimam vitam desiderans, et optimam ipsi apparentem secundum ipsum desiderare, et ad optimam vitam respicere, participat bono. Et si omnino bonum auferas, neque substantia erit, neque vita, neque desiderium, neque motus, neque aliud nihil. Quare et fieri ex corruptione generationem, non est mali virtus, sed minoris boni præsentia, inquantum et morbus est defectus ordinis, non omnis, si enim hoc fiat, neque morbus ipse subsistet. Manet autem, et est morbus substantiam habens minimum ordinem, et in ipso subsistens. Quod est enim omnino expers boni, neque existens est, neque in existentibus; quod autem est mixtum, propter bonum est in existentibus, et secundum hoc in existentibus existens, secundum quod ipso participat. Magis autem existentia omnia intantum erant magis et minus, inquantum bono participant. Etenim in ipso esse quod nusquam nullo modo existit, hoc non potest esse, neque erit. Quod autem secundum aliquam partem quidem est, secundum aliquam autem non est; inquantum quidem cecidit a semper existente, non est; inquantum autem esse participat intantum est, et totaliter esse, et non existens ipsius tenetur et salvatur. Et malum, quod quidem omnino a bono cecidit, neque in magis, neque in minus bonis erit; quod autem secundum aliquam partem quidem est bonum, secundum aliam autem non bonum, adversatur quidem bono cuidam, non toti autem bono; tenetur autem et ipsum boni participatione, et substantificat ipsius privationem bonum totaliter ipsius participatione. Omnino enim abeunte bono, neque universaliter aliquid erit bonum, neque mixtum, neque ipsum malum. Si enim malum imperfectum est bonum, absentia perfecta boni, et imperfectum et perfectum bonum aberit; et tunc solum erit et videbitur malum, quando istis quidem est malum quibus adversatur, ab istis autem sicut bonum segregatur. Adversari enim sibi invicem eadem secundum, eadem in omnibus, est impossibile. Non igitur existens est malum.

« Dicit autem ad hæc verus sermo quod malum, secundum quod est malum, nullam substantiam aut generationem facit. » Propositis dubitationibus de existentia et causa mali, hic incipit solvere; et primo, solvit particulariter id quod objectum est de concomitantia generationis et corruptionis; secundo, universaliter omnia quæ supra opposita sunt, investigans veritatis radicem. Dicit ergo primo quod ad præmissa verus sermo respondet « quod malum, secundum quod est malum, nullam substantiam facit, neque generationem, » sed per se loquendo causat solummodo malum et corruptionem existentium. Et si aliquis objiciat quod malum est operativum generationis, per hoc quod ex[2] corruptione unius datur generatio alterius, « respondendum est, » secundum veritatem, quod « corruptio non dat generationem, » sed corruptio solum corrumpit, et malum solum male facit per se loquendo; « sed generatio et substantia fit propter bonum. » Quod quidem patet tam in naturalibus quam in moralibus. Manifestum est enim quod ignis generat ignem et corrumpit aerem; conjungitur enim in igne forma ignis, quæ pertinet ad bonum, et privatio formæ aeris, quæ pertinet ad malum. Quod autem ignis generat ignem, non est ex hoc quod caret forma aeris, sed ex hoc quod habet formam ignis. Alioquin quod careret[3] forma aeris, faceret[4] ignem, quod falsum est[5]; sed corrumpit aerem, inquantum ex necessitate formæ ignis adjungitur privatio formæ aeris. Similiter in moralibus, adulterium corrumpit virtutem, inquantum caret ordine debito, quod pertinet ad rationem mali; sed secundum quod est delectabile, quod pertinet ad rationem boni, delectat, et multa alia bona facit. Sic igitur apparet quod malum secundum seipsum est corruptivum, sed « generativum, » non nisi per accidens, scilicet « propter bonum. » Et ulterius quod » secundum quod est malum, neque existens, neque effectivum existentium, » sed per accidens, scilicet « propter bonum » adjunctum, est « existens, et bonorum effectivum. »

Deinde cum dicit : « Magis autem, » hic Dionysius manifestat prædictam solutionem, et virtutem totius dubitationis pro-

[1] In cit. translatione : « calefacta. » — [2] Parm. omittit : « ex. » — [3] Parm. : « caret. » — [4] Parm. : « facit. » — [5] Parm. : « quod est forma. »

fundius investigat. Et circa hoc tria facit : primo enim ostendit differentiam mali et boni; secundo, universalem virtutem boni in essendo, ibi : « Magis autem, ut comprehendens dicam, omnia existentia, inquantum sunt, et bona sunt, et ex bono ; » tertio, universalem virtutem boni in hoc quod est facere magis vel minus bona, et magis et minus existentia, ibi : « Magis autem existentia omnia intantum erunt magis et minus, inquantum bono participant. » Circa primum tria facit. Primo, distinguit malum a bono; secundo, ostendit quid conveniat malo, ibi : « Igitur ipsum malum quidem neque existens est, neque bonum; » tertio, quid conveniat bono, ibi : « Bonum autem in quibus perfecte quidem ingignitur, perfecta facit, et immixta et integra bona. »

Dixerat autem supra quod malum non generat inquantum est malum, sed inquantum est bonum. Ne autem aliquis crederet quod idem secundum idem esset malum et bonum, subjungit quod non est idem secundum idem et bonum et malum. Unde cum dicitur quod malum non generat inquantum malum, sed inquantum bonum, non est distinctio secundum rationem tantum, scilicet quasi eadem res secundum unam rationem sit bona, et secundum aliam mala; sed aliqualiter[1] secundum rem, secundum[2] scilicet quod una et eadem res, inquantum habet de esse, est bona; quantum vero ad hoc quod privatur perfectione debita, est mala. Et similiter « generatio et corruptio non est eadem virtus ejusdem et secundum idem. » Non enim idem secundum idem malum generatur et corrumpitur. Et quia dixerat quod non est idem bonum et malum, nec generatio et corruptio, et posset aliquis credere quod malum seorsum inveniretur a bono per se existens, et corruptio seorsum a generatione; hoc consequenter removet, dicens quod non est aliqua virtus per se existens, sed est in bono, sicut in subjecto; ita quod idem subjectum est bonum et malum, secundum aliud et aliud. Et similiter neque corruptio est per se existens absque generatione, sed simul est et generatio et corruptio in subjecto, sed non secundum idem, quia generatio unius est cum corruptione alterius. Quod autem dicit : « Magis autem, » idem est quod in libris Aristotelis transfertur : Amplius autem, et signat additionem rationis supra rationem.

Deinde cum dicit : « Ipsum igitur malum quidem neque existens est, neque bonum, » concludit ex præmissis quid pertineat ad malum. Si enim malum non est per se virtus, sequitur quod « ipsum malum, » ita quod ly « ipsum » ponatur loco articuli, et « malum » accipiatur pro essentia mali; sic, inquam, malum acceptum « neque existens est, neque bonum, » neque operatur generationem, « neque est effectivum existentium et bonorum ; » sed res quæ est mala, inquantum habet aliquid de bono, est existens et operativa generationis, et effectiva existentium et bonorum.

Deinde cum dicit : « Bonum autem, in quibus perfecte ingignitur, perfecta facit et immixta et integra bona, » ostendit quid pertineat ad bonum, et circa hoc duo facit : primo enim ostendit quod bonum est universalis causa rerum omnium bonarum; secundo, ostendit quomodo causalitas boni extendit se etiam ad mala, ibi : « Nunc autem hæc est boni virtutis excellens magnitudo quod et privata, et suiipsius privationem firmat. » Circa primum tria facit. Primo, proponit quod per bonum fiunt quædam bona perfecta et quædam imperfecta; secundo, assignat modum per quem hoc fiat, ibi : « Quoniam per universa vadens perfecta bonitas, non usque ad solas proficiscitur ... sanctissimas substantias ; » tertio, probat, rationem assignando præmissorum, ibi : « Si enim non proportionaliter unicuique bonum adesset, essent quidem divinissima et provectissima extremorum habentia ordinem. »

Dicit ergo primo quod cum malum non sit operativum bonorum, « bonum » est quod quidem ea in quibus interius generatur « perfecte » ab eo quod est per suam essentiam bonum, « facit, » formaliter loquendo ; « bona perfecta quidem, » secundum participationem bonitatis, « immixta » secundum remotionem mali, « et integra » secundum remotionem corruptionis. Sed illa « quæ minus participant » bono, « sunt imperfecta bona, » et habent aliquam permixtionem mali propter defectum boni, quod non perfecte in eis participatur. Et sic universaliter malum non est existens,

[1] Parm. : « æqualiter. » — [2] Parm. omittit : « secundum. »

neque est bonum, neque facit bonum, sed et quod magis et minus appropinquant ei quod est per essentiam bonum, scilicet Deo, est bonum secundum eam proportionem boni; propter distantiam autem a primo bono, hoc dicitur malum, non quasi sit universaliter privatum a bono, sed inquantum est in eo aliquis defectus boni.

Deinde cum dicit : « Quoniam per universa vadens perfecta bonitas, non usque ad solas, quæ circa ipsam sunt, proficiscitur sanctissimas substantias, » assignat modum prædictorum, scilicet quomodo magis et minus bonum inveniantur in rebus ; et dicit quod hoc ideo est, « quia perfecta bonitas, » scilicet divina, « vadens per universa, » inquantum scilicet communicat se omnibus per similitudinem suæ bonitatis, « non proficiscitur usque ad solas sanctissimas substantias » angelorum, quæ propinquæ Deo sunt, « sed se extendit, » diffundendo per bonitatem « usque ad infimas » substantias. Illis enim sanctissimis substantiis angelorum divina bonitas est « totaliter præsens, » sicut perfecte participata ab eis secundum modum possibilem creaturæ ; « aliis autem subjecte, » id est inferiori modo præsens est, a quibus scilicet participatur, sed non ita perfecte sicut ab angelis, quod potest referri ad animas humanas; « aliis vero extreme, » id est infimo modo præsens est, sicut irrationabilibus creaturis, et hoc quidem contingit secundum possibilitatem uniuscujusque ad participandam divinam bonitatem. Quædam enim « omnino » perfecte secundum modum possibilem creaturæ « participant » divinam bonitatem, propter quod dicit quod eis divina bonitas totaliter præsens est. Alia vero « privantur » ista perfecta participatione, recedendo ab eo secundum « magis et minus, » ut patet in diversis gradibus entium, et maxime in creaturis viventibus. « Alia vero habent obscuriorem participationem boni, » sicut creaturæ corporales, et præcipue non viventes, in quibus obscuratur quodammodo divinæ bonitatis claritas, propter eorum materialitatem et corruptionem ; unde eorum obscuritas in hoc attenditur quod non sunt intelligibilia actu, sed secundum potentiam tantum. Quibusdam vero « adest bonum secundum ultimam resonantiam, » quæ scilicet tenent ultimum gradum in bonitate, ut sunt corrupta, et ea quæ dicuntur mala. Et loquitur ad similitudinem ejus quod in sonis accidit. Qui enim propinqui sunt, audiunt totum sonum ; et secundum quod magis distant, minus audiunt de sono, ita quod in fine non audiunt ipsum sonum, sed solum quamdam resonantiam aut reboationem.

Deinde cum dicit : « Si enim non proportionaliter unicuique bonum adesset, essent quidem divinissima et provectissima extremorum habentia ordinem, » assignat duas rationes prædictæ diversitatis. Ad quarum evidentiam considerandum est quod aliter assignatur ratio diversitatis in effectibus causæ per necessitatem naturæ agentis, et aliter in effectibus causæ agentis per voluntatem. In his enim quæ per necessitatem naturæ agunt, tota diversitatis ratio est ex diversa proportione materiæ. Non enim potest assignari ratio quare ignis ceram liquefaciat et lutum induret, nisi propter diversam materiæ recipientis dispositionem, quia agens naturale, quantum est de se, semper natum est unum facere. Sed in his quæ agunt per voluntatem, duplex ratio assignatur diversitatis effectuum. Primo quidem, ex parte finis; secundo, ex diversa dispositione materiæ. Sicut ædificator alio modo facit fundamenta, et alio modo parietes, et alio modo tectum propter quemdam finem, scilicet propter complementum domus, quod recipit hanc diversitatem. Secundo, ad hoc quod ista diversitas possit esse in partibus, quærit materiam diversimode dispositam, vel ipse etiam eam diversimode disponit ad diversitatem partium constituendam. Et similiter duplicem rationem assignat diversitatis effectuum divinorum. Primum quidem quantum est ex parte finis, qui est complementum universi, quod non esset, si esset unus tantum gradus bonitatis in entibus omnibus æqualibus ; et hoc est quod dicit quod [1] « si bonum non adesset unicuique, » secundum proportionem suam diversimode, sed omnia essent æqualia, sequeretur quod illa quæ sunt Deo propinquissima in rebus et perfectissima, essent in gradu et ordine « extremorum, » id est inferiorum, et sic non esset universum completum. Secundam rationem assignat ex diversa capacitate

[1] Parm. : « et. »

rerum, quæ tamen diversitas est a Deo provisa propter finem; unde dicit: « Quomodo autem esset possibile quod omnia uniformiter participarent bono? cum non omnia existentia sint eodem modo disposita ad perfectam ipsius participationem. » His autem rationibus assignatis, ulterius protendit virtutem boni usque ad malum, et dicit quod in hoc apparet excellens virtus boni, quod non solum bona producit, sed etiam firmat et statuit ea quæ privantur bono, et etiam suiipsius privationem, et hoc fit « secundum totalem ipsius participationem, » id est secundum rationem suæ universalis participationis, quia necesse est quocumque modo est aliquid quod participet bono [1]; et sic oportet quod subjectum privationis participet bono, cum sit quoddam ens, et per consequens ipsa privatio per bonum firmatur, inquantum non posset esse nisi in subjecto. Et non solum per virtutem boni, et privata et privatio firmantur, sed etiam, « si oportet confidenter dicere veritatem, » ea quæ adversantur bono « virtute ipsius boni et sunt et adversari possunt, » quia hoc ipsum quod agunt adversando, est eis virtute boni.

Deinde cum dicit: « Magis autem, ut comprehendens dicam, omnia existentia, inquantum sunt, et bona sunt et ex bono, » ostendit universalitatem boni in essendo; quod valet ad manifestationem ejus quod privata et privatio firmantur per bonum, et circa hoc tria facit. Primo, proponit propositum; secundo, manifestat propositum per exempla, ibi: « Sicut impudicus; » tertio, adaptat ad solutionem more distinctionis, ibi: « Quare fieri ex corruptione generationem, non est mali virtus. »

Dicit ergo primo quod non solum bonum invenitur in singulis gradibus existentium, sed, ut universaliter comprehendendo dicam, « omnia entia, inquantum sunt, et sunt bona et ex bono, » sed « inquantum sunt privata bono, » non solum non sunt bona, sed neque existentia; non enim ita est de bono sicut de aliis particularibus habitibus et privationibus. Patet enim in caliditate et frigiditate, quod substantia, quæ fuerit calida, remanet existens, postquam totaliter deseritur a caliditate, et multa quæ fiunt in entibus quæ carent vita et mente, id est intellectu; et etiam Deus est absque substantia, quasi super omnem substantiam existens; et universaliter in omnibus aliis formis et perfectionibus invenitur hoc quod aliqua et sunt et subsistere etiam possunt recedente perfectione et non habendo talem perfectionem. Sed illud quod omnino privatum est bono, in nullo loco, nullo modo, nullo tempore aut est aut esse potest.

Deinde cum dicit: « Sicut impudicus, » manifestat quomodo ea quæ dicuntur mala in moribus habent aliquid de bono; et primo, manifestat hoc in malo impudicitiæ, quæ est secundum corruptionem concupiscibilis. Impudicus enim privatus est bono, inquantum ejus concupiscentia privatur ordine rationis, et quantum ad hoc non est; privari enim ordine rationis [2] non ponit aliquid esse, sed non esse; et sic etiam quantum ad hoc non concupiscit existentia, sed concupiscit inordinata, quæ inquantum sunt inordinata, sunt non existentia; sed tamen « impudicus participat bono secundum quamdam resonantiam obscuram » et defectivam « unitionis et amicitiæ, » quam supra diximus bono convenire. Secundo, ostendit idem in malo iracundiæ quod est secundum inordinationem irascibilis, et dicit quod « furor, » id est ira inordinata, « participat bono » secundum hoc ipsum quod movetur in quiddam quod ei apparet bonum et justum, scilicet vindicare offensam, et inquantum desiderat illa quæ secundum se videntur mala, sicut læsiones proximi, reducere et convertere in aliquid apparens bonum et pulchrum; est enim proprium iracundi semper ad hoc niti quod videatur juste vindictam inferre. Unde et Philosophus dicit in VII *Ethicorum,* quod iracundus assimilatur ei qui audit quasdam [3] leges quantum ad hoc quod est vindicare peccata, sed statim movetur, antequam totum audiat, scilicet a quo et qualiter et quantum offensam illatam debeat vindicare. Tertio, ostendit idem in eo qui ex malitia peccat, non per passionem, sed per electionem malum agens, et dicit quod ille qui pessimam vitam desiderat, quæ tamen sibi optima videtur, ut dicitur, participat bono, quantum ad ipsum motum desiderii, et quantum ad hoc

[1] Al.: « quocumque modo est, participat bono. » — [2] Parm. omittit: « et quantum ad hoc non est; privari enim ordine rationis. » — [3] Cod. Victor.: « quidem. »

quod respicit optimam vitam, quia malam vitam eligit, inquantum sibi apparet bona. Et universaliter comprehendit quod « si omnino bonum auferatur, neque erit substantia, neque vita, neque aliquod desiderium, neque metus, neque aliud nihil. »

Deinde cum dicit : « Quare et fieri ex corruptione generationem, non est mali virtus, sed minoris boni præsentia, » applicat prædictam veritatem ad solutionem dubitationis motæ, et dicit, cum ita sit[1], quod cum nihil, quodcumque videatur malum, est totaliter privatum bono, ipsum quod per corruptionem unius, quæ appropriatur malo, fit generatio alterius, non est ex parte mali, sed ex præsentia boni imperfecti ; sicut morbus, qui corrumpit naturam, est quidem defectus ordinis, scilicet proportionis humorum, in qua consistit sanitas; non tamen est defectus cujuslibet ordinis, quia si omnis ordo tollatur, neque ipse morbus remanebit, humoribus ab invicem totaliter recedentibus, sed manet ordo et ipsa ægritudo hæc pro substantia vel essentia, quod sit quidam ordo minimus, id est perfectus. Et quantum ad hunc ordinem ægritudo aliquid est et corrumpere potest, sicut per calorem excedentem, vel aliquid hujusmodi. Illud « enim quod omnino est expers boni, neque est existens, neque est in existentibus, » sed illud quod est « mixtum, » id est partem habens de bono et partem de malo, secundum hoc quod habet de bono, connumeratur inter existentia, et est aliquo modo existens.

Deinde cum dicit : « Magis autem existentia omnia intantum erunt magis et minus, inquantum bono participant, » ostendit quod ex bono est diversitas graduum in entibus, et hoc ad solutionem applicat. Dicit ergo quod omnia existentia intantum magis et minus de esse participant, inquantum magis et minus participant bono quia ens, inquantum ens, est bonum. Idem est de bono sicut et de ente quia in ipso esse, si aliquid nullo modo existit participans, sequitur quod nullo modo erit. Illud autem quod secundum aliquam partem est et secundum aliquam partem non est (sicut homo cæcus, qui est quidem homo, sed non est videns), inquantum quidem deficit ab eo quod est semper et perfecte existens, non est; « inquantum autem participat esse, intantum est; et » ut universaliter loquamur, ipsum « non existens » per ipsum « esse tenetur et salvatur; » tamdiu enim remanet cæcitas, quamdiu remanet homo. Ita et similiter est de malo, quia si aliquid sit malum quod totaliter recedat a bono, illud nullo modo potest esse, neque inter ea quæ sunt magis vel minus bona. Sed illud quod est secundum aliquam partem bonum, secundum vero aliam partem non bonum, contrariatur quidem bono non universali, quia non deficit universaliter a bono, sed alicui bono, a quo deficit, sicut malum cæcitatis opponitur bono visionis. Sed ipsum malum quod opponitur particulari bono, retinetur per participationem boni; inquantum scilicet subjectum privationis participat aliquo bono, et ipsum bonum dat subjectum alicujus boni, inquantum bonum universaliter participatur in omnibus entibus. Nec est inconveniens quod bonum, universaliter loquendo, sit subjectum privationis alicujus particulari boni, sicut quod est subjectum alicujus particularis entis continetur sub ente communi. « Omnino autem, recedente bono, neque aliquid erit totaliter bonum, neque » erit aliquod bonum « mixtum » cum malo, « neque » erit « ipsum malum, » quia subjecto subtracto, et privatio subtrahitur. Si enim malum est in aliquo bono imperfecto, manifestum est quod si totaliter subtrahatur bonum, tolletur et bonum imperfectum et bonum perfectum, et per consequens tolletur malum. Tunc igitur solum potest esse malum quando respecto quorumdam bonorum est malum, quibus opponitur, sed ab aliis bonis distinguitur sicut bonum a bono. Non enim est possibile quod aliqua opponantur sibi secundum omnia, quia saltem oportet quod in esse conveniant. Sic igitur, cum malum non sit totaliter privatum bono, sed aliquo particulari bono, relinquitur quod hoc ipsum quod est malum, non est aliqua res per se existens.

[1] Parm. : « dum ita fit. »

LECTIO XVII.

Sed neque in existentibus est malum. Si enim omnia existentia ex bono, et in omnibus est existentibus, et omnia continet bonum; aut non erit malum in existentibus, aut in bono erit. Et quidem in bono non erit : etenim neque in igne frigidum, neque malum in eo fieri quod et malum bonum facit. Si autem erit in bono malum [1], videtur hic deficere quomodo erit. Si quidem ex ipso, inconveniens et impossibile : non enim potest (sicut eloquiorum veritas dicit) arbor bona fructus malos facere, neque quidem e converso. Si autem non ex ipso, manifestum quod ex alio principio et causa : etenim aut malum ex bono erit, aut bonum ex malo ; aut si non hoc est possibile, ex alio principio et causa erit bonum et malum. Omnis enim binarius non principium ; unitas autem erit omnis binarii principium. Etenim [2] inconveniens, ex uno et eodem duo perfecte contraria procedere et esse, et ipsum principium non simplex et singulare esse, sed divisibile et biforme et contrarium sibiipsi et variatum. Et quidem neque duo existentium contraria principia possibile est esse, et ista in se invicem, et in omnibus adversantia. Si enim hoc datum sit, erit et Deus non sine læsione, neque extra molestiam, si sit aliquid ipsi adversans ; postea erunt omnia inordinata, et semper pugnantia. Et quidem de [3] amicitia omnibus existentibus bonum tribuit et per se pax et pacis donator laudatur a sanctis theologis. Propter quod et amica bona et convenientia omnia, et unius vitæ germina et ad unum bonum ordinata, et mansueta, et similia, et se invicem adjuvantia. Quare non in Deo est malum, et malum non est res mota a Deo. Sed neque ex Deo est malum : aut enim non est bonus, aut bona facit et producit. Et non aliquando quidem et quædam, aliquando autem non et non omnia. Transmutationem enim in hoc patietur, et variationem circa seipsum quod omnium divinissimum est secundum causam [4]. Si enim in Deo bonum essentia est, erit transiens ex bono Deus ; aliquando quidem existens, aliquando autem non existens. Si autem participatione bonum habet, et ex altero habebit, et aliquando quidem habebit, aliquando autem non habebit. Non igitur ex Deo malum, neque simpliciter, neque secundum tempus.

« Sed neque in existentibus est malum. » Postquam Dionysius ostendit quod malum non est aliquid existens per seipsum, hic incipit ostendere quod malum non est aliquid in existentibus, ut pars vel accidens, ut color in corpore; et primo, ostendit hoc in generali; secundo, in speciali, ibi : « Et quidem neque duo existentium contraria principia possibile est esse. »

Quod autem in existentibus non sit malum tanquam aliquid inhærens, sic probat communi ratione : Omnia existentia causantur ex bono, ut ex præmissis patet, sed effectus assimilatur causæ : ergo bonum invenitur in quolibet existente. Omne autem illud quod in aliquo invenitur bonum, continetur sub illo, sicut omne in quo invenitur animal, continetur sub animali. Omne ergo subsistens continetur sub bono tanquam bonum existens. Aut ergo oportet quod malum non sit aliquid in aliquo existente, aut oportet quod sit in bono, sed hoc est impossibile; ergo impossibile est quod malum sit in existente. Quod autem malum non sit in bono, probat dupliciter. Primo sic : Nullum contrariorum est in suo contrario, sicut frigidum non est in igne. Sed si malum est aliquid quod sit contrarium bono, malum non potest convenire bono, cum bonum etiam de malo faciat bonum. Secundo, probat sic : Si malum est aliquid in bono, sicut in subjecto, cum omne accidens causetur vel ex subjecto, vel ex aliquo alio extrinseco, oportebit quod malum causetur ex ipso bono, vel ex aliqua causa alia. Sed inconveniens et impossibile est quod malum causetur ex bono naturali effluxu, sicut accidentia naturalia causantur a suis subjectis, quia, ut Dominus dicit (Matth., VII, 18), *non potest arbor bona fructus malos facere, nec e converso.* Si dicatur quod malum, quod ponitur accidens boni, non causatur ex ipso bono, manifestum est quod oportet ipsum causari ex aliquo alio principio et causa; omne enim accidens, cum non sit de esse subjecti ex aliqua causa in subjecto causatur. Similiter autem bonum, quod ponitur subjectum mali, oportet esse causatum; cum sit bonum per perticipationem, non autem per essentiam. Oportet ergo alterum duorum ponere : quorum unum est quod malum sit ex bono; secundum est quod bonum sit ex malo. Aut si ista duo sunt impossibilia, ut patet per auctoritatem inductam, oportet ponere tertium, scilicet quod et bonum et malum causentur ex quodam principio et causa boni. Quartum enim poni non potest, scilicet quod neque

[1] In cit. translatione omittuntur sequentia usque ad « Si quidem. » — [2] Ibid. : « et quidem. » — [3] In cit. translatione omittitur « de. » — [4] In cit. translatione : « coordinata. »

bonum sit causatum, neque malum, quia binarius non potest esse principium, sed omnis binarii principium est unitas, et sic oportet quod contraria duo vel ita se habeant quod unum sit causa alterius, vel ab una causa causentur. Sicut autem duo prima sunt impossibilia, ita et tertium; inconveniens enim est quod ex uno et eodem principio procedant et sint aliqua quæ totaliter sunt contraria, sicut bonum et malum. Et quia posset aliquis dicere quod idem secundum diversa facit contraria, ad hoc excludendum subjungit quod impossibile est dicere quod ipsum primum principium non sit « simplex et singulare, » id est uniforme, « sed divisibile, biforme et contrarium sibiipsi, et variatum » a seipso. Oportet enim si aliquid idem causet contraria secundum aliud et aliud, quod ex contrariis componatur, et sic non erit primum participium, quod oportet esse simplex. Patet ergo quod malum non est in existente.

Deinde cum dicit : « Et quidem neque duo existentium contraria principia possibile est esse, » ostendit per singula quod malum non est aliquid in existentibus; et primo quod non potest esse in Deo, et circa hoc tria facit. Primo, ostendit quod malum non est aliquod primum principium contrarium Deo; secundo, quod malum non est in Deo, ibi : « Et quidem de amicitia omnibus existentibus bonum tribuit; » tertio, quod malum non est ex Deo, ibi : « Sed neque ex Deo est malum. »

Primum ostendit duabus rationibus, quarum prima talis est : Si malum esset aliquod primum principium contrarium Deo, quod est ponere duo principia existentium contraria, et sibi invicem totaliter adversantia (cum omne illud cui potest suum contrarium adversari, possit ab eo lædi et molestari), sequeretur quod Deus, qui est ipsum bonum, non esset absque læsione et molestia. Sed hoc est impossibile; non enim esset summum bonum nec summe beatus, si læderetur et molestaretur. Non ergo sunt duo prima principia contraria bonum et malum. Secunda ratio talis est. Effectus sequuntur conditionem causarum et principiorum. Si ergo prima principia sunt contraria et sibi invicem adversantia, sequeretur quod omnia in effectibus contra se invicem pugnarent, et unum ad aliud non ordinaretur, quod est impossibile, et contra hoc quod apparet de ordine universi. Non igitur sunt duo prima principia contraria.

Deinde cum dicit : « Et quidem de amicitia omnibus existentibus bonum tribuit, » ostendit quod malum non est in Deo; et quidem hoc evidenter apparet ex hoc quod Deus est ipsum bonum, et malum non potest esse in ipso bono, sicut nec frigidum in igne. Sed quia hæc ratio supra tacta est, ostendit alia ratione sumpta ab effectu. Ipsum enim bonum, quod est Deus, « laudatur » ut « pax, » Ephes., II, 14 : *Ipse est pax nostra,* et ut « pacis dator, » secundum illud I Corinth., XIV, 33 : *Non enim dissensionis est Deus, sed pacis,* inquantum dat de amicitia omnibus entibus; et ex hoc consequitur quod omnia bona sunt amica sibi invicem et conveniunt, utpote generata ex uno primo uniente principio. Et iterum sicut sunt ab uno primo principio procedentia, ita ad unum bonum ultimum ordinantur. Et quamvis quantum ad aliqua propria dissideant, tamen in ordine ad illud unum bonum omnia mansuete et sine impedimento se habent ad invicem, et omnia in hoc similantur et juvant se invicem. Non autem ista pax et convenientia esset in rebus a Deo, et per comparationem ad Deum, si in Deo esset aliqua contrarietas boni et mali. Unde manifestum est quod in Deo non est aliquod malum, et ulterius etiam quod malum non est aliqua res quæ subdatur divinæ motioni, quia omnia quæ moventur a Deo, concordant in uno fine saltem ultimo, ut dictum est.

Deinde cum dicit : « Sed neque ex Deo est malum, » ostendit quod malum non est ex Deo; et primo, quod non est ab eo simpliciter; secundo, quod non est ab eo secundum aliquod tempus, ibi : « Et non aliquando quidem et quædam, aliquando autem non, et non omnia. »

Primum ostendit hoc modo. Bonum non est productivum mali, ut ex dictis patet. Aut igitur oportet dicere quod Deus non sit bonus, aut quod facit et producit bona et non mala.

Deinde cum dicit : « Et non aliquando quidem et quædam, aliquando autem non et non omnia, » ostendit quod Deus non producit malum secundum aliquod tempus, et dicit quod non potest dici quod Deus quandoque quædam mala producat, quandoque autem non et non omnia, quia cum

malum non possit produci a bono; si Deus quandoque produceret malum, sequeretur quod transmutaretur a sua bonitate, et variaretur secundum seipsum, quod patet esse impossibile dupliciter. Primo quidem, quia illud quod « est divinissimum, » id est optimum, et causa omnis bonitatis, non potest mutari a bonitate, sicut nec ignis a caliditate. Secundo, quia Deus aut est bonus per essentiam suam, aut per participationem. Si per essentiam, idem erit Deo recedere a bonitate et recedere ab essentia, et fieri totaliter non existens; si autem sit bonum participative, oportet quod habeat causam suæ bonitatis, et hoc modo poterit aliquando bonus, aliquando non bonus esse. Sed hoc est contra hoc quod intelligimus per hoc nomen, Deus, aliquod primum bonum, et causam omnis bonitatis. Sic igitur patet quod malum nec simpliciter in Deo, vel a Deo est, nec secundum aliquod tempus.

LECTIO XVIII.

Quod in creaturis malum non sit aliquid.

Sed neque in angelis est malum. Si enim enuntiat bonitatem divinam boniformis angelus, illud existens secundum participationem secundario, quod est secundum causam enuntiatum primo; imago Dei est angelus, manifestatio occulti luminis, speculum purum, clarissimum, incontaminatum, incoinquinatum, immaculatum, suscipiens totam, si est conveniens dicere, pulchritudinem boniformis deiformitatis, et munde resplendere faciens in seipso, quemadmodum possibile est, bonitatem silentii quod est in abditis. Non igitur neque in angelis est malum [1]. Sed eo quod puniunt peccantes, sunt mali? Hac igitur ratione et castigatores peccantium sunt mali, et sacerdotes, qui immundum a divinis abigunt mysteriis. Et quidem neque puniri est malum, sed fieri pœna dignum; neque secundum dignitatem abigi a sanctis, sed inquinatum et non sanctum fieri, et ad incontaminata non idoneum.

« Sed neque in angelis est malum. » Postquam Dionysius ostendit quod in Deo non est malum, incipit hic ostendere quod in creaturis malum non sit aliquid ; et primo, ostendit de angelis bonis quod in eis nullo modo sit malum, et circa hoc duo facit. Primo, ostendit veritatem; secundo, excludit objectionem, ibi : « Sed eo quod puniunt peccantes, sunt mali? » Circa primum duo facit. Primo, ponit expositionem angelici nominis; secundo, ex illa expositione accipit definitionem angeli, ibi : « Speculum purum, clarissimum, incontaminatum. »

Circa primum sciendum est quod angelus nuntius interpretatur. Dicitur ergo divinæ bonitati conformis annuntiare divinam bonitatem, inquantum in angelis secundario per participationem existit quod primo enunciatur de Deo, non secundum participationem, sed secundum causam; sicut si dicerem quod aer illuminatus annuntiat claritatem solis, inquantum secundario et participative est in aere, et primo et causaliter est in sole. Et quia illud quod participative et secundario habet aliquid, est imago ejus quod primo et causaliter habet illud, et actus imaginis est ut manifestet illud cujus est imago; consequenter concludit notificationem quamdam boni angeli, manifestationem divini luminis, quod est nobis occultum propter sui excellentiam et simplicitatem. Hanc autem notificationem manifestat consequenter; et primo, manifestat quomodo angelus sit imago Dei; secundo, quomodo sit manifestatio occulti luminis, ibi : « Et munde resplendere faciens in seipso. » Quod autem angelus sit imago Dei, manifestat per quoddam sensibile exemplum. Videmus enim sensibiliter quod in speculo repræsentatur imago videntis. Est autem in speculo duo considerare. Primo quidem substantiam ipsius speculi. Unde per quamdam similitudinem angelum secundum suam naturam vocat speculum. Requiritur autem in speculo quædam opportunitas ad recipiendam imaginem alicujus rei; quæ quidem opportunitas invenitur in angelo, qui quidem dicitur « speculum purum » propter simplicitatem et immaterialitatem suæ naturæ, « clarissimum » autem propter perfectissi-

[1] Al. perperam interponitur : « sed est malum. »

mam participationem intellectualis luminis, « incontaminatum » autem, inquantum nihil est in angelo repugnans rectitudini ejus, quæ ad sanctitatem pertinet. Nam proprie sancta contaminari dicuntur. Dicitur autem « incoinquinatum, » inquantum nihil est in angelo repugnans puritati naturæ, « et immaculatum, » inquantum nihil est in eo repugnans claritati intellectus. Sic autem descripta opportunitate istius speculi, exponit receptionem similitudinis, secundum quam imago dicitur; et dicit quod suscipit « totam pulchritudinem boniformis deiformitatis[1], » id est similitudinis ad Dei bonitatem comparatam : quia si optime disposita est natura angeli, oportet quod perfecte suscipiat dictam similitudinem.

Sed considerandum est quod non dicit quod suscipiat totam pulchritudinem deitatis, sed deiformitatis, quia impossibile est quod in aliquo creato speculo recipiatur tota pulchritudo Dei, sed in aliquo creato speculo propter sui puritatem et claritatem recipitur perfecte tota pulchritudo quæ est possibilis esse in creatura per assimilationem ad Deum. Et quia deiformitas creaturæ semper est ex parte, et non tota, propter hoc temperavit, addens : « Si est conveniens dicere. »

Ostenso igitur quomodo angelus sit imago, ostendit consequenter quomodo manifestat divinum bonum, et dicit quod ex hoc ipso quod perfecte recipit divinæ pulchritudinis similitudinem, fit hoc consequenter quod in ipso resplendet quodammodo, sicut est possibile creaturæ, bonitas « silentii, quod est in abditis, » id est occultis Dei, qui exprimi non potest propter hoc quod occultus est intellectui creato. Dicit autem « faciens, » non active, sed dispositive; sicut si dicerem quod speculum facit in seipso resplendere imaginem alicujus corporis ex hoc ipso quod est dispositum ad recipiendum ejus similitudinem. Quia igitur angelus est tam perfecta imago divinæ bonitatis, bonitas autem nullum malum compatitur, sequitur quod neque in angelis sit malum.

Deinde cum dicit : « Sed eo quod puniunt peccantes, sunt mali? » excludit objectionem. Et primo ponit eam. Posset enim aliquis dicere quod in eo ipso quod angeli puniunt peccatores, sunt mali. Et quod puniant peccatores, expresse habetur Matth., XIII, quod *ejicient de regno omnia scandala.* Est ergo quæstio, an eo quod puniunt, sint mali. Secundo ostendit quod non propter hoc possunt dici mali, quia secundum eamdem rationem etiam illi qui castigant malos, puniendo eos, esse mali, sicut judices et magistri, et similiter sequeretur quod aliqui sacerdotum, qui excludunt « immundum, » id est peccatorem, « a divinis mysteriis, » excommunicando eum, essent mali, quod est contra Apostolum, qui hoc præcipit I Corinth., V. Sed quia multiplicare inconveniens non est solvere, ideo tertio solvit omnia præmissa, et dicit quod puniri non est malum simpliciter et secundum se, sed est secundum se bonum, cum sit justum, sed est malum secundum quid, inquantum privat aliquod bonum alicujus. Sed fieri peccatorem hoc est simpliciter malum; et ideo ille qui punit peccatorem non est malus, sed est malus ille qui peccat. Eadem ratione non est secundum se malum excludi a sanctis secundum justitiam, sed secundum se malum est quod inquinetur aliquis per peccatum et discedat a sanctitate, et per hoc fiat non idoneus ad divina, quæ sunt secundum se incontaminata. Et non peccat ille qui excommunicat, sed ille peccat qui facit aliquid unde fit excommunicatione dignus.

LECTIO XIX.

Neque dæmones sunt natura mali.

Sed neque dæmones sunt natura mali; etenim si natura mali, neque ex bono neque in existentibus, neque quidem ex bono transmutati essent, natura et semper mali existentes. Postea igitur sibiipsis sunt mali, aut aliis? Si sibiipsis quidem, et corrumpunt seipsos; si autem aliis, quomodo corrumpentes, aut quid corrumpentes? Substantiam, aut virtutem, aut operationem? Si substantiam quidem, prius quidem, non præter naturam. Nam natura incorruptibilia non corrumpunt, sed sus-

[1] Al. : « deitatis. »

ceptibilia corruptionis. Postea neque hoc omnibus et omnino malum. Sed neque corrumpitur aliquid existentium, secundum quod est substantia et natura; sed defectu ordinationis, quæ est secundum naturam harmoniæ et commensurationis ratio, infirmatur, manere similiter habens. Infirmitas autem non perfecta est; etenim perfecta et corruptionem et subjectum destrueret, et erit talis corruptio et suimet corruptio. Quare tale non malum, sed deficiens bonum; quod enim est expers omnino boni, usque in existentibus est. Et de corruptione virtutis et operationis eadem ratio est. Deinde quomodo a Deo facti sunt mali dæmones? Etenim bonum bona producit, et subsistere facit. Et quidem mali dicuntur, dicat aliquis, sed non secundum quod sunt (ex bono enim sunt, et bonam obtinuerunt substantiam), sed secundum quod non sunt infirmi existentes, ut eloquia dicunt servare suiipsorum principatum[1]. In quo enim (dic mihi) malos fieri dicitur dæmones, nisi in carentia habitus, et operationis divinorum bonorum? Et aliter, si natura mali dæmones, semper mali; et quidem malum instabile est; igitur si semper eodem modo se habent, non mali. Quod enim est semper idem, boni et proprium. Si autem non semper mali, non natura mali, sed defectu angelicorum bonorum. Et non omnino expertes boni, secundum quod sunt et vivunt, et intelligunt, et totaliter quidem est in ipsis desiderii motus. Mali autem esse dicuntur propter hoc quod infirmantur circa operationem secundum naturam. Aversio est igitur ipsis malum, et convenientium ipsis excessus, et non consecutio, et imperfectio, et impotentia, et salvantis ipsius perfectionem virtutis infirmitas, et fuga, et casus. Et aliter, quid est in dæmonibus malum? Furor irrationabilis, demens concupiscentia, phantasia proterva. Sed ista, etsi sint in dæmonibus, non omnino, neque in omnibus, neque ipsa secundum seipsa mala. Etenim in aliis animalibus non habitus horum, sed ablatio et corruptio animali[2] malum. Habitus autem salvat et esse facit ista habentis[3] animalis naturam. Non igitur mala est dæmonum tribus, secundum quod est secundum naturam, sed secundum quod non est. Et non variatum est datum ipsis totum bonum, sed ipsi deciderunt a dato toto bono; et data ipsis angelica dona nequaquam ipsa mutata esse dicimus, sed sunt et integra et splendidissima, quamvis ipsi non vident, claudentes ipsorum boni inspectivas virtutes. Quare quod sunt, et ex bono sunt, et boni, et pulchrum et bonum desiderant esse, et vivere et intelligere, quæ sunt existentia desiderantes; et privatione, et recessione, et casu a convenientibus ipsis bonis dicuntur mali, et sunt mali, secundum quod non sunt; et non existens[4] desiderantes, malum desiderant.

« Sed neque dæmones sunt natura mali. » Postquam Dionysius ostendit quod malum non est in angelis, hic ostendit quod non sit in dæmonibus, et circa hoc duo facit. Primo, ostendit quod dæmones non sunt naturaliter mali; secundo, qualiter mali sunt, ibi: « Quomodo a Deo facti sunt mali dæmones? »

Circa primum ponit quatuor rationes. Quarum prima talis est: Ex bono non causatur aliquid naturaliter malum. Sed omnia quæ sunt in mundo, sunt causata a Deo, qui est ipsum primum bonum, inter quæ sunt dæmones. Ergo dæmones non sunt naturaliter mali. Secunda ratio talis est: Ostensum est quod malum neque est existens, neque est in existentibus. Si igitur dæmones essent naturaliter mali, non essent de numero existentium. Tertia ratio talis est : Illud quod naturaliter convenit alicui, semper ei convenit. Si igitur dæmones essent naturaliter mali, semper fuissent mali, et non fuissent transmutati de bono in malum, ut fides catholica confitetur. Quarta ratio talis est : quod si dæmones sunt naturaliter mali, aut sunt naturaliter mali sibiipsis, aut aliis. Si sibiipsis, cum de ratione mali sit quod noceat et corrumpat, sequitur quod corrumpant seipsos, quod est impossibile ; nihil enim est corruptivum suiipsius secundum naturam. Si autem sunt naturaliter mali aliis, ergo naturaliter corrumpunt alia. Quæritur ergo quid naturaliter corrumpant, vel quomodo corrumpant: utrum substantiam aut virtutem aut operationem, quæ tria inveniuntur in rebus omnibus. Si detur quod sunt naturaliter mali, quia corrumpunt substantiam alicujus, contra hoc objicit tribus rationibus, quarum prima talis est : Nihil quod est corruptivum alterius secundum ordinem naturæ est malum naturaliter, quia hoc ipsum quod est conservare naturæ ordinem, est bonum naturæ. Sed si malum corrumpat substantiam, non facit hoc præter naturæ ordinem ; non enim corrumpit incorruptibilia, sed ea quæ sunt corruptionis susceptiva. Non ergo erit secundum naturam malum. Secunda ratio talis est : Illud quod est naturaliter tale, simpliciter et respectu cujuscumque est tale, sicut illud quod est naturaliter calidum, simpliciter et respectu cujuscumque est calidum, sicut ignis. Si igitur aliquid naturaliter est malum, erit simpliciter malum, et respectu cujuscumque, et respectu suiipsius, quod est impossibile, ut dictum est. Tertia ratio talis est : Nullum existentium corrumpitur per malum quantum ad ipsam substantiam vel naturam rei quæ dicitur mala, sicut in homine malo manet substantia et natura hominis. Sed

[1] Al. : « principium. » — [2] In cit. translatione : « et malum. » Forte : « est corruptio animalis, et malum. » — [3] Ibid. : « habentem. » — [4] Al. : « et non existunt. »

dicitur aliquid malum per hoc quod « ratio, » id est proportio, « harmoniæ et commensurationis, » quæ est secundum naturam, debilitatur per aliquem defectum ordinis ; ita tamen quod non totaliter tollitur, sed aliquantulum manet. Ista « autem infirmitas, » quæ debilitatur talis proportio, « non est perfecta, » quia, si esset perfecta, destrueret ipsum subjectum, et per consequens corruptionem quæ est in subjecto, et sic talis corruptio corrumpit seipsam. Hoc ergo quod est infirmum, non simpliciter, sed secundum quid, non est naturaliter malum, sed bonum cum defectu, quia illud quod omnino expers est boni, non potest inveniri inter existentia. Eadem ratio est de corruptione virtutis naturalis, quia si semper remaneret in re quæ dicitur mala vel corrupta per malum, corrumperetur per malum. Relinquitur ergo quod nihil est malum secundum naturam.

Deinde cum dicit : « Quomodo a Deo facti sunt mali dæmones? » ostendit quomodo sit malum in dæmonibus ; et primo, quæstionem movet ; secundo, solvit, ibi : « et quidem mali dicuntur. » Quærit ergo primo quomodo dæmones, cum sint facti a Deo, sint mali. Boni enim est bona producere et conservare.

Deinde cum dicit : « et quidem mali dicuntur, » solvit propositam quæstionem, et circa hoc duo facit. Primo ostendit quod dæmones dicuntur mali, non secundum aliquam naturam, sed secundum defectum boni ; secundo, ostendit quod iste defectus in eis non est ex variatione ipsius boni, sed ex eorum voluntate, ibi : « et non variatum est datum ipsis totum bonum. » Quod autem dæmones non sint mali naturaliter, sed secundum quod carent aliquo bono, tripliciter ostendit. Primo quidem, per auctoritatem sacræ Scripturæ, et dicit quod sic debet aliquis dicere quod dæmones dicuntur mali, non inquantum sunt, quia ex bono, scilicet Deo, causatur eorum esse, et ab eodem bonam essentiam obtinuerunt, sed dicuntur mali inquantum non sunt, prout scilicet sunt infirmi servare principatum suiipsorum, ut dicunt eloquia sacræ Scripturæ. Et sumitur hoc de Canonica Judæ, ubi, vers. 6, dicitur : *Angelos vero, qui non servaverunt suum principatum ..., vinculis æternis reservavit.* Dicuntur autem non servasse suum principatum, vel quia non servaverunt suam innocentiam, in qua a principio conditi sunt, vel quia a Deo, qui est eorum principium, sunt aversi. Et huic expositioni consonat quod subdit : Non enim dicimus dæmones fieri malos, nisi in hoc quod carent habitu et operatione, per quam ordinari deberent in bona divina.

Secundo, cum subdit : « Et aliter. Si natura mali dæmones, semper mali, et quidem malum instabile est ; igitur si semper eodem modo se habent, non mali, » ostendit idem per [1] rationem, et circa hoc tria facit. Primo, ostendit quod dæmones non sunt naturaliter mali, sed per defectum alicujus boni ; secundo, quod non totaliter bono carent, ibi : « Et non omnino expertes boni ; » tertio, ostendit cujus boni in eis defectus sit, ibi : « Mali autem esse dicuntur propter hoc quod infirmantur circa operationem secundum naturam. » Circa primum ponit talem rationem. Si dæmones essent naturaliter mali, semper essent mali, quia quod naturaliter inest alicui, semper inest ei. Sed si semper sunt mali, non naturaliter sunt mali ; quod sic probat, quia omne instabile est quoddam malum, et esse semper idem, est proprium boni ; unde videmus quod omnia sempiternitatem desiderant, quantum possibile est. Et sic apparet quod si semper se habent eodem modo, quod non sunt naturaliter mali ; ergo de primo ad ultimum, si sunt naturaliter mali, non sunt naturaliter mali, quod est impossibile. Sic igitur patet quod si non semper sunt mali, quia hoc est proprium boni, non erant naturaliter mali, sed per defectum aliquorum bonorum, quæ debentur angelis.

Deinde cum dicit : « Et non omnino expertes boni, » ostendit quod non totaliter bono privantur, et dicit quod non sunt omnino expertes boni ; participant enim bono, inquantum « sunt, et vivunt, et intelligunt, » et inquantum est in eis aliquis « motus desiderii, » qui non tendit nisi in bonum verum vel apparens.

Deinde cum dicit : « Mali autem esse dicuntur propter hoc quod infirmatur circa operationem secundum naturam, » ostendit secundum cujus boni defectum dicantur [2] mali ; et dicit quod dicuntur mali [3] propter

[1] Parm. addit : « secundum. » — [2] Parm. : « dicuntur. » — [3] Parm. omittit : « et dicit quod dicuntur mali. »

hoc quod defective se habent in operatione quæ competit naturæ eorum. Et quo ordine hoc eveniat, consequenter ostendit, dicens : « Aversio igitur est ipsis malum. » Ubi considerandum est quod omne illud quod est naturaliter subjectum alicui, bonum suum habet in hoc quod ei subdatur, sicut bonum appetitus sensibilium in homine est quod reguletur ratione. Omnis autem voluntas et angeli et hominis est Deo naturaliter subdita. Bonum igitur voluntatis angelicæ et humanæ est ut a divina voluntate reguletur. Aversio igitur a regula divinæ voluntatis est malum in dæmonibus. Omnis autem appetitus deficiens a sua regula tendit in suum objectum ultra quam rectum sit, sicut concupiscibilis in delectabile secundum sensum plus debito tendit, quanto ratione non regulatur. Sic igitur voluntas dæmonum aversa a regula divinæ voluntatis, magis debito in appetitum sui boni tendit, et hoc est quod subdit : « et convenientium ipsis excessus, » quia scilicet appetiverunt sibi aliquid quod excedebat conditionem eorum. Omne autem quod natum est consequi aliquem finem per determinatum modum, si recedat ab illo modo finem consequi non potest. Modus autem quo angeli nati sunt consequi ultimum finem suæ voluntatis, est per voluntatem moderatam secundum divinam regulam. Si igitur excedant istum modum, non consequentur finem, et hoc est quod subdit : « et non consecutio. » Omne autem quod non consequitur suam perfectionem, remanet imperfectum ; unde subditur : « et imperfectio. » Omne autem imperfectum, inquantum hujusmodi, est impotens ; unde subditur : « et impotentia. » Et quia virtus est perfectio potentiæ, sequitur circa virtutem, quæ salvare perfectionem ipsorum poterat « infirmitas, et fuga, et casus. » Et ponit hic tria secundum ea quæ accidunt apud homines. Si enim aliquis sit infirmus ad resistendum alicui vel ad consequendum aliquid, fugit ab illo, et fugiens propter infirmitatem cadit. Et similiter dæmones infirmati circa consecutionem divini finis, fugiunt ab eo et cadunt præcipitati in peccatum.

Deinde cum dicit : « Et aliter quid est in dæmonibus malum ? » ostendit tertio modo quod dæmones non dicuntur mali secundum naturam, sed secundum defectum alicujus boni, et hoc secundum opinionem aliorum. Quidam enim posuerunt dæmones esse animalia corpore aerea, mente rationalia, animo passiva, tempore æterna, ut Apuleius dicit et Augustinus introducit IX *De civit. Dei*. Secundum ergo horum opinionem in dæmonibus est vis sensibilis et appetitus passivus, qui est sensitivus, et dividitur per irascibilem et concupiscibilem. Hæc autem opinio non fuit Dionysii, quod patet ex eo quod supra dixit angelos immateriales et incorruptibiles, hic autem dicit dæmones esse malos per defectum angelicorum[1] bonorum. Unde manifestum est quod non est opinatus dæmones esse corporales et per consequens sensitivos, aut animo passivos. Sed quia ipse intendit ostendere quod dæmones non sunt naturaliter mali, postquam hoc ostenderat secundum opinionem propriam, scilicet si dæmones fiunt de natura angelica, ostendit consequenter quod idem sequitur, si ponatur quod sit eis natura sensitiva ; tunc enim idem judicium erit de malo dæmonum et de malo hominis. In nobis autem malum est per hoc quod pars sensitiva non regulatur ratione, et hoc quantum ad tria, scilicet quantum ad irascibilem, quæ dum non regulatur ratione, irrationabiliter furit vel irascitur, et quantum ad concupiscibilem, quæ dum non regulatur ratione, stulte concupiscit, et quantum ad phantasiam sive imaginativam, quæ dum non regulatur ratione, contra veritatem protervit. Secundum ergo prædictam opinionem malum (in dæmonibus non est aliud quam[2] « furor irrationabilis et demens concupiscentia et phantasia proterva. » Dicit autem : « demens concupiscentia, furor irrationabilis, » quia concupiscentia nihil attendit ad rationem ; furor autem attendit, sed imperfecte, ut supra dictum est. Si ergo ista tria sunt in dæmonibus secundum opinionem aliorum, non tamen omnino, quia non contra quamlibet veritatem proterviunt, neque quælibet eorum concupiscentia est demens. Naturaliter enim bonum et optimum concupiscunt ; neque est etiam in omnibus dæmonibus eodem modo, neque etiam ista tria, scilicet furor, et concupiscentia, et phantasia, secundum seipsa sunt mala, sed[3] secundum quod carent ordine rationis

[1] Parm. : « angelorum. » — [2] Parm. : « non est. Ait namque. » — [3] Parm. incaute omittit : « sed. »

et debito objecto. Unde videmus quod in animalibus irrationalibus habere ista non est malum, sed ablatio horum est corruptio animalis et malum, sed habere ista conservat et facit quod habeatur animalis natura. Si vero Dionysius loquitur hic secundum propriam opinionem, dicendum est quod loquitur metaphorice; sic enim hujusmodi animæ passiones angelis attribuuntur in Scripturis, ut Augustinus dicit in IX *De civit. Dei.* Sic ergo concludit quod genus dæmonum non est malum, secundum quod est in sua natura, sed secundum quod non est, id est secundum quod privatur aliquo bono.

Deinde cum dicit : « Et non variatum est datum ipsis totum bonum, » ostendit unde provenit defectus boni in dæmonibus. Posset enim aliquis credere quod sicut defectus vel infirmitas naturalis operationis provenit in hominibus ex ipsa variatione naturæ, quæ senescens deterioratur, et sic operationes naturales debilitantur, ita etiam ex transmutatione alicujus boni defectus bonæ operationis in dæmonibus provenit. Sed hoc ipse excludit et quantum ad bonum universale, quod Deus est, a quo aversi sunt, et quantum ad bona participata, quæ sunt naturalia bona angelis data. Dicit ergo quod universale bonum, scilicet divinum, quod datum est eis, inquantum aliqualiter facti sunt ejus participes, non est variatum aliquo modo. Unde non sunt facti mali propter boni variationem, sed quia « ipsi deciderunt » ab universali « bono dato » eis; et similiter « dona angelica, » ad angelicam naturam pertinentia, quæ in principio sunt data eis, « nequaquam dicimus esse mutata, » ut ex eorum mutatione mali effecti sint, sed permanent adhuc « integra, » id est absque corruptione naturæ, « et splendidissima, » id est absque diminutione naturalis luminis intellectualis. Sed quod ipsi non vident, hoc provenit ex hoc quod ipsi per liberum arbitrium clauserunt « suas virtutes inspectivas boni, » id est averterunt voluntarie suum intellectum, non a consideratione veri, sed ab inspectione boni inquantum est bonum, quia scilicet nolunt illud sequi. Unde patet quod inquantum sunt, et bonam causam habent, et boni sunt secundum suam naturam, et bonum desiderant, scilicet esse, vivere et intelligere; sed inquantum privantur hoc per voluntarium recessum, quo quidem recessu infirmati decidunt a bonis quæ eis conveniebant secundum ordinem suæ naturæ, « dicuntur et sunt mali, inquantum non sunt, » id est inquantum aliquod bonum eis deest, et similiter quod desiderant malum, desiderant non existens. Dicuntur enim malum desiderare, quantum desiderant aliquod bonum cum defectu debiti modi et ordinis.

LECTIO XX.

Quomodo sit malum in animabus.

Sed animas aliquis dicat esse malas. Si ideo quidem quod coassistunt malis provisive et salvative, hoc autem non malum, sed bonum et ex bono, quod et malum bonum facit. Si autem malas fieri animas dicimus, in quo malæ fiunt nisi in bonorum habituum et operationum defectu, et propter propriam infirmitatem non consecutione et prolapsu? Etenim et aerem, qui est super nos, dicimus obtenebrari defectu et absentia luminis; ipsum autem lumen est quod et tenebras illuminat. Non igitur neque in dæmonibus neque in nobis est malum ut existens, sed est sicut defectus, et desertum perfectionis propriorum bonorum. Sed neque in animalibus irrationalibus est malum, si auferas furorem et concupiscentiam, et alia quæcumque dicuntur et non sunt simpliciter eorum naturæ mala. Etenim animosum et superbum leo cum perdiderit, neque leo erit; mansuetus autem omnibus factus canis, non erit canis; si quidem canis est custodire, et accedere quidem ad familiarem, abjicere autem alienum. Quare quod non corrumpit naturam, non malum. Corruptio autem naturæ est defectus et infirmitas naturalium habitudinum, et virtutum, et operationum; et si omnia per generationem in tempore habent perfectum, neque imperfectum omnino præter omnem naturam.

« Sed animas aliquis dicat esse malas. » Postquam Dionysius ostendit quomodo malum sit in dæmonibus, hic ostendit quomodo sit in animabus; et primo, excludit modum falsum; secundo, ponit modum verum, ibi : « Si autem malas fieri animas dicimus, in quo malæ fiunt nisi in bonorum habituum et operationum defectu? » tertio, concludit propositum, ibi : « Non igitur neque in dæmonibus neque in nobis est malum ut existens. »

Dicit ergo primo quod forte aliquis dicit

animas humanas esse malas, quod quidem verum est de aliquibus ; sed inquirendum est quomodo malæ dicantur. Si autem aliquis dicat quod ideo dicuntur malæ, quia assistunt malis, quibus provident, et quos salvare intendunt, sicut aliquis bonus homo cohabitat malis ut eos salvet, vel sicut etiam ipsa anima communicat et coassistit corruptioni corporis, et passionibus animæ inordinatis, et hujusmodi, ad ordinem reducere intendens, hoc non est malum, sed est bonum, et ex primo bono derivatur, cujus virtute etiam mala fiunt bona, vel inquantum mala transmutantur et fiunt bona, vel inquantum ex malis divina ordinatione eliciuntur bona.

Deinde cum dicit : « Si autem malas fieri animas dicimus, in quo malæ fiunt nisi in bonorum habituum et operationum defectu ? » ponit verum modum, et dicit quod si nos dicimus animas fieri malas, hoc non possumus nisi inquantum deficiunt a bono et quantum ad habitum, et quantum ad actum, et sic infirmatæ ex defectu boni non possunt consequi debitum finem, sed prolabuntur ad aliquid contrarium fini, sicut et « aerem, qui est super nos, dicimus obtenebrari per defectum et absentiam luminis. » Sed « lumen est quod et tenebras illuminat, » id est, quæ prius tenebrosa erant, facit luminosa, et sic bonum de malo facit bonum.

Deinde cum dicit : « Non igitur neque in dæmonibus neque in nobis est malum ut existens, » concludit propositum, quod scilicet neque in dæmonibus neque in hominibus sit malum quasi aliquid existens positive, sed sicut defectus et quasi quoddam defectivum [1] perfectionis propriorum bonorum. Sic igitur intendit ostendere quod in existentibus non est malum, quia in quibusdam quidem nullo modo est malum, sicut in Deo vel in angelis, in quibusdam vero est malum, sed sicut privatio et defectus [2] non sicut aliquid existens.

Deinde cum dicit : « Sed neque in animalibus irrationalibus est malum, » ostendit quod non est naturaliter in animalibus irrationalibus, et excludit duo secundum quæ posset videri quod in eis esset naturaliter malum, scilicet passiones et passionis defectum. Posset enim aliquis videns in brutis animalibus naturaliter furorem et concupiscentiam, quæ in hominibus dicuntur mala, existimare hujusmodi animalia naturaliter esse mala. Sed hoc excludit, dicens quod si auferas ab hujusmodi animalibus furorem et concupiscentiam et alias hujusmodi passiones, quæ ab aliquibus dicuntur mala, et tamen non sunt mala simpliciter eorum naturæ ; si, inquam, ista auferantur [3], natura eorum jam interimitur. Nam cum leo perdiderit animositatem et superbiam, jam non erit leo, et similiter canis, cum perdiderit furorem, omnibus factus mansuetus, non erit canis. Et hoc apparet in utilitate quam facit in rebus humanis, in quibus officium canis est custodire domum vel alia hujusmodi, et hoc facit accedendo [4] ad familiarem et abjiciendo alienum. Manifestum est autem quod ea per quæ servatur natura ne corrumpatur, non sunt mala, sed corruptio ipsius naturæ est infirmitas, et quicumque defectus alius naturalium habituum, et virtutum, et operationum, et hoc est malum, ut supra dictum est. Unde patet quod prædictæ passiones, quibus interemptis interimitur natura brutorum animalium, non sunt in eis mala, sed bona. Posset autem aliquis dicere quod ex hoc quod sunt imperfecta, ratione carentia secundum suam naturam hujusmodi animalia, sunt naturaliter mala. Sed hoc ipse excludit dicens : quæcumque enim generantur, non perveniunt ad suam perfectionem nisi post determinatum tempus ; ex quo patet quod esse imperfectum ante illud tempus est naturale, et secundum naturam ; ex quo patet quod non omnis imperfectio est præter naturam, sed solum illa imperfectio per quam tollitur perfectio debita secundum illud tempus est mala.

[1] Parm. : « desertum. » — [2] Parm. omittit : « et defectus. » — [3] Al. : « sed inquantum ista auferantur. » — [4] Cod. Vict. : « attendendo, » et omittit : « et abjiciendo alienum. »

LECTIO XXI.

Malum non est in rebus naturalibus.

Sed neque in tota natura malum. Si enim omnes naturales rationes sunt ab universali natura, nihil est ipsi contrarium. Particulari autem hoc quidem secundum naturam erit, illud autem non secundum naturam. Alii enim aliquid est præter naturam, et hoc huic secundum naturam, illi autem præter naturam. Naturæ autem malitia est hoc quod est præter naturam, scilicet privatio ordinis naturalium. Quare non est mala natura, sed hoc est naturæ malum, impotentem esse ea quæ sunt propriæ naturæ perficere. Sed neque in corpore est malum; turpitudo enim et infirmitas est defectus formæ et privatio ordinis; hoc autem non omnino malum, sed minus bonum. Si enim perfecta fiat solutio pulchritudinis et formæ et ordinis, peribit et ipsum corpus. Quoniam autem neque malitiæ causa est animæ corpus, manifestum est ex eo quod potest et sine corpore malitia esse, sicut in dæmonibus. Hoc enim est et mentibus, et animabus, et corporibus malum, habitus propriorum bonorum infirmitas et casus. Sed neque multum vulgatum in materia est malum, sicut dicunt, secundum quod est materia; etenim ipsa ornatus et pulchritudinis et formæ habet participationem. Si autem extra hoc materia existens secundum seipsam sine qualitate est et sine forma, quomodo facit aliquid materia, quæ neque pati posse secundum seipsam habet? Et aliter quomodo est materia malum? Si enim nusquam quidem nullo modo est, neque bonum neque malum est; si autem existens, existentia autem omnia ex bono sunt, et ipsa ex bono fit. Et aut bonum mali est effectivum, aut malum, sicut ex bono existens, est bonum; aut malum boni est effectivum; aut bonum, sicut ex malo existens, est malum; aut duo rursus principia, et ipsa ab alio uno vertice segregata. Si autem necessariam dicunt materiam ad completionem omnis mundi, quomodo materia est malum? Aliud enim est malum et aliud necessarium. Quomodo autem bonus ex malo deducit quædam ad generationem? Aut quomodo est malum quod est necessarium bono? Fugit enim boni natura malum. Quomodo autem gignit et nutrit naturam materia existens mala? Etenim malum, secundum quod malum, est nullius generativum aut nutritivum, aut totaliter effectivum, aut salvativum. Si autem dicant ipsam quidem non facere malitiam in animabus, attrahere autem ipsas, quomodo erit hoc verum? Multæ enim ipsarum ad bonum aspiciunt, Et quidem quomodo factum est hoc materia omnino ipsas ad malum attrahente? Quare non ex materia in animabus malum est, sed ex inordinato et peccante motu. Si autem et hoc dicunt materiæ esse omnino consequens, et necessaria est instabilis materia his quæ in seipsis collocari non possunt, quomodo malum est necessarium, aut necessarium malum? Sed neque hoc quod dicimus privationem, secundum virtutem propriam adversatur bono. Etenim perfecta privatio universaliter impotens; particularis autem non secundum hoc quod privatio est, habet virtutem, sed secundum hoc quod non perfecta est privatio. Privatione enim boni particulari existente, nondum est malum et recedente, et mali natura abiit.

« Sed neque in tota natura malum. » Postquam ostendit Dionysius quod in his quæ per cognitionem agunt, non est malum aliquod existens, ostendit idem in rebus naturalibus; et primo, in ipsa natura; secundo, in corpore naturali, ibi: « Sed neque in corpore est malum; » tertio, quod neque in materia, ibi: « Sed neque multum vulgatum in materia est malum; » quarto, ostendit quomodo privatio se habet ad malum, ibi: « Sed neque hoc quod dicimus privationem, secundum virtutem propriam adversatur bono. » Circa primum duo facit. Primo, ostendit quod non est malum in natura universali; secundo, quomodo sit malum in natura particulari, ibi: « Particulari autem hoc quidem secundum naturam erit, illud autem non secundum naturam. »

Circa primum sciendum est quod natura universalis dicitur causa universalis omnium eorum quæ naturaliter fiunt. Est autem Deus universalis causa omnium quæ naturaliter fiunt; unde et quidam ipsum nominant naturam naturantem. Sed melius est ut natura universalis intelligatur causa universalis eorum quæ naturaliter fiunt in genere rerum naturalium. Quidam ergo posuerunt naturam universalem esse aliquid separatum, communiter se habens ad omnia naturalia, sicut homo separatus secundum platonicos communiter se habet[1] ad homines singulares. Sed quia species rerum non sunt separatæ, sed ipsæ formæ in materia existentes sunt principia actionum, ut probatur in VII *Metaph.;* melius est dicendum quod natura universalis dicitur vis activa primi corporis, quod est primum in genere causarum naturalium. In hac igitur natura universali non potest esse malum; malum enim in qualibet natura est recessus ab ordine illius naturæ, sicut oculus est æger quando non est in sua dispositione naturali. Licet autem ali-

[1] Parm.: « habens. »

quid possit esse præter ordinem alicujus particularis naturæ, nihil tamen potest contrariari naturæ universali. Non enim disceditur ab ordine alicujus naturæ, nisi aliquo in contrariam agente; puta ab ordine sanitatis, quod est naturale bonum corporis humani, disceditur per actionem calidi aut frigidi. Omnes autem naturales actiones, quæ sunt virtutes activæ, dependent ab universali natura, et sic nihil potest agere in contrarium toti universali naturæ. Unde patet quod in natura universali non potest esse malum.

Deinde cum dicit : « Particulari autem hoc quidem secundum naturam erit, illud autem non secundum naturam, » ostendit quomodo sit malum in particulari natura, et dicitur particularis natura principium motus alicujus rei determinatæ. Dicit ergo quod alicui particulari naturæ aliquid est secundum naturam et aliquid non secundum naturam; sicut igni secundum naturam est moveri sursum, moveri autem deorsum non secundum naturam. Nec est idem omnibus præter naturam, sed unum et idem potest esse alicui secundum naturam, et alicui præter naturam sicut moveri deorsum est præter naturam igni, et secundum naturam terræ. Nihil est autem malum aliquod naturæ, quam præter naturam esse, hoc est privari aliquo naturali. Ex quo patet quod ipsa natura non est mala, sed hoc est malum naturæ non posse pertingere ad ea quæ pertinent ad perfectionem propriæ naturæ.

Deinde cum dicit : « Sed neque in corpore est malum, » ostendit qualiter in corpore est malum, et circa hoc tria facit. Primo, ostendit quid dicatur malum corporis; secundo, excludit quamdam objectionem, ibi : « Quoniam autem neque malitiæ causa est animæ corpus, manifestum est ex eo quod potest et sine corpore malitia esse; » tertio, universaliter colligit quid sit malum in omnibus quæ dicuntur mala, ibi : « Hoc enim est, et mentibus et animabus, et corporibus malum, habitus proprium bonorum infirmitas et casus. Dicit ergo primo quod, sicut dictum est quod in dæmonibus et in animabus non est malum quasi aliquid existens, ita et neque in corpore est malum quasi aliquid existens. Malum enim corporis dicitur esse vel turpitudo vel infirmitas, et utrumque horum est defectus alicujus formæ aut privatio alicujus ordinis. Requiritur enim ad pulchritudinem et claritatem forma et commensuratio quæ ad ordinem pertinet. Utrolibet autem privato, sequitur turpitudo. Nec tamen ita est malum in corpore quod omnino privetur forma et ordine, quia si totaliter tolleretur omnis forma et omnis ordo, et per consequens totum id quod est in pulchritudine, nec ipsum corpus remanere posset, et per consequens neque turpitudo corporis. Unde patet quod hoc quod dicitur turpe, non est totaliter malum nihil retinens de bono, sed est bonum minoratum a debita perfectione.

Deinde cum dicit : « Quoniam autem neque malitiæ causa est animæ corpus, manifestum est ex eo quod potest et sine corpore malitia esse, » excludit quamdam objectionem. Posset enim aliquis dicere : Hoc corpus ex hoc ipso est malum quod animæ malitiæ causa est. Sed hoc ipse excludit, dicens quod causa malitiæ animæ non est corpus. Remota enim causa per se, removetur effectus. Remoto autem corpore, non removetur malitia in natura spirituali, ut patet in dæmonibus, qui sunt incorporei, et tamen mali. Relinquitur ergo quod causa malitiæ animæ non sit corpus. Sed in peccato actuali manifestum est quod malitia animæ est ex libero arbitrio, in hoc quod male utitur corporalibus rebus; in peccato autem originali[1] (*a*), ipsa infectio corporis, secundum quam inficit animam sibi unitam ex[2] primo ex anima primi parentis.

Deinde cum dicit : « Hoc autem est et mentibus, et animabus, et corporibus malum, habitus propriorum bonorum infirmitas et casus, » colligit universaliter quid sit malum in omnibus quæ dicuntur mala, et dicit quod tam in mentibus dæmonum quam in animabus, quam etiam in corporibus, malum non est aliquid existens, sed

[1] Parm. addit : « hanc maculam attraxit. » — [2] Parm. : « et. »

(*a*) Sensus est : « In peccato actuali malitia animæ est ex libero arbitrio. In peccato originali, ipsa infectio corporis secundum quam peccatum originale inficit animam sibi unitam est ex primo peccato hominis quod fuit ex anima primi parentis. » Et dicit : « Infectio corporis secundum quam originale inficit animam, » quia originale inficit solummodo conceptos secundum seminalem rationem ex Adam.

infirme et debiliter habere propria bona quæ eis conveniunt, vel totaliter cadere ab habendo, hoc dicitur malum in singulis.

Deinde cum dicit : « Sed neque multum vulgatum in materia est malum, » ostendit quomodo materiæ attribuitur malum; et primo, ostendit veritatem; secundo, excludit objectionem, ibi : « Si autem dicant, ipsam quidem non facere malitiam in animabus, attrahere autem ipsas, quomodo erit hoc verum? » Circa primum duo facit. Primo, proponit veritatem; secundo, probat eam, ibi : « Etenim ipsa ornatur et pulchritudinis et formæ habet participationem. »

Circa primum sciendum est quod apud multos antiquorum vulgariter dicebatur quod materia est secundum se mala, et hoc ideo, quia non distinguebant inter privationem et materiam. Privatio autem est non ens et malum. Unde, sicut Plato dicebat materiam esse non ens, ita dicebat[1] materiam esse secundum se malum. Sed Aristoteles in I *Physic.,* dicit quod materia non est non ens, nec malum, nisi per accidens, id est ratione privationis quæ ei accidit; et hoc est etiam quod hic Dionysius dicit quod materia non est mala[2], secundum quod est materia, et hoc probat tribus rationibus, quarum prima sumitur per comparationem ad formam; quæ talis est : Materia potest dupliciter considerari. Uno modo ut sub forma existens, et sic habet participationem « formæ » quantum ad esse substantiale, « et pulchritudinis » quantum ad commensurationem et decorem, ad quem operantur etiam accidentia intrinseca, « et » etiam « ornatus » quantum ad exteriora, quæ ipsam circumstant. Alio modo potest accipi materia prout intelligitur secundum seipsam, præter prædicta, quasi carens qualitate et omni forma. Et si aliquis dicat quod materia sic accepta sit primum malum, hoc non potest esse, quia primum malum dicunt quod facit omnia mala. Materia autem secundum seipsam existens sine qualitate et forma, non potest aliquid facere, quia principium agendi est forma, per quam aliquid est actu; unumquodque autem agit, secundum quod actu est. Similiter etiam neque potest per se pati, secundum quod pati est in abjiciendo aliquid a substantia, prout pati dicitur contrarium a contrario. Sed secundum quod pati dicit recipere tantum, sic materiæ convenit pati secundum seipsam; manifestum est ergo[3] quod materia non est secundum seipsam mala tanquam primum malum. Secundam rationem ponit ibi : « Et aliter, quomodo est materia malum? » quæ sumitur ex comparatione ad causam, quæ talis est : Aut materia nullo modo est, aut aliquo modo[4] est. Si non est, neque in aliquo loco, neque per aliquem modum. Quod autem non est, neque bonum neque malum est. Sequitur ergo quod materia neque sit bonum neque sit malum. Si vero materia sit, cum omnia existentia sint ex bono, sequitur quod materia sit ex bono. Quod autem est ex bono, non est secundum se malum. Ergo materia non est secundum se malum. Ad hoc autem ostendendum inducit divisionem quinque membrorum. Circa causalitatem enim rerum oportet alterum istorum quinque dicere. Quorum primum est quod bonum sit causa mali permanentis mali[5]. Secundum membrum est quod malum ex hoc ipso quod procedit ex bono, sit bonum. Tertium membrum est quod e converso malum sit effectivum boni permanentis boni. Quartum membrum est quod bonum eo ipso quod procedit ex malo, sit malum. Et hæc quatuor sunt impossibilia, quia dicere quod bonum sit effectivum mali, vel malum boni, est ponere quod unum oppositorum sit causa alterius; dicere vero quod malum sit bonum, aut e converso, est dicere quod opposita sint simul. Quintum membrum est quod[6] sint duo principia bonum et malum; sed[7] oportet dicere quod ista duo, quæ in se sunt distincta, procedant ab uno primo principio, quia ante omnem multitudinem est unitas. Illud autem primum principium oportet esse bonum vel malum, et sic redibunt iterum quatuor prima inconvenientia. Si dicatur quod bonum sit aliquid et malum sit aliquid, oportet ergo dicere quod primum sit[8] bonum et omne quod est aliquid existens, est bonum tanquam a bono principio causatum, et sic

[1] Parm. : « et ita quidem materiam. » — [2] Parm. : « malum. » — [3] Parm. : « enim. » — [4] Parm. omittit : « aliquo modo. » — [5] Parm. omittit : « mali. » — [6] Parm. : « si sint. » — [7] Parm. : « sic. » — [8] Parm. omittit : « sit. »

materia prima, si sit existens, est secundum se bona tanquam a bono causata. Tertiam rationem ponit, ibi : « Si autem necessariam dicunt materiam ad completionem omnis mundi, quomodo materia est malum? » quæ sumitur ex utilitate materiæ, et hæc ratio habet quasi tria media secundum tres utilitates materiæ. Quarum prima est quod materia est complementum universi; non enim esset universitas entium completa, si tolleretur ens in potentia; et hoc medium tangit dicens quod, si aliqui hoc concedant quod materia sit necessaria ad completionem totius mundi, quomodo potest quod materia sit secundum se malum? necessarium enim est diversum a malo. Ex hoc enim dicitur aliquid necessarium quod habet ordinem ad bonum [1], et ex hoc ipso habet rationem boni. Secunda utilitas materiæ est respectu particularium entium, quæ ex materia generantur, et hoc medium tangit dicens : « Quomodo bonus, » scilicet Deus, « quædam » entia « deducit ad generationem ex malo? » quod videtur inconveniens; sicut enim calidum non facit aliquid ex ipsa frigiditate, ita nec bonum facit aliquid ex ipso malo, et tamen hoc sequeretur, si materia esset secundum se mala. Aut iterum, quomodo potest esse malum quod est necessarium ad generationem boni? Hoc autem pertinet ad rationem mali quod fugiat naturam boni [2] et non inducat ad ipsam? Dicit autem quædam ad generationem deduci ex materia, propter substantias immateriales, quæ non habent materiam. Tertia utilitas materiæ est quod nutrit, sustentando formam; unde Plato comparavit materiam nutrici, et hoc tangit cum dicit : Quomodo materia, cum sit mala, secundum seipsam potest gignere et nutrire naturam rei generatæ [3], suscipiendo et retinendo formam ejus? Malum enim, inquantum hujusmodi, non est generativum aut nutritivum alicujus, aut, ut universalius loquamur, non est effectivum aut salvativum alicujus. Effectivum enim continet sub se generativum, sicut minus commune, et similiter salvativum continet sub se nutritivum. Efficere autem et salvare pertinet ad rationem boni unde non possunt convenire malo, inquantum hujusmodi.

Deinde cum dicit : « Si autem dicant ipsam quidem non facere malitiam in animabus, attrahere autem ipsas, quomodo erit hoc verum? » removet quamdam objectionem. Dixerat enim supra quod corpus non potest dici malum, quia sit causa malitiæ ipsius animæ. Posset autem aliquis dicere quod, licet materia corporalis non causet [4] malitiam in animabus, tamen materia corporalis attrahit animas ad malitiam, alliciendo eas. Sed ipse dicit hoc non esse verum. Si enim materia esset causa attrahens animas ad malitiam, sequeretur quod hoc ex necessitate faceret. Posita enim causa, ex necessitate sequitur effectus, nisi aliquis impediat. Sed hoc videmus esse falsum. Multæ enim animarum respiciunt ad bonum; quod non posset esse, si materia totaliter attraheret eas ad malum. Unde manifestum est quod malum in animabus non est ex materia, sed ex inordinato motu liberi arbitrii, qui est ipsum peccatum. Si autem aliquis hoc ipsum [5] imputat materiæ corporali, inquantum exterius existens [6], allicit aliquo modo et conjuncta animæ [7] inclinat, licet non ex necessitate; non propter hoc removetur quin materia sit secundum se bona, quia aliquid potest esse occasio mali alicujus, quod tamen secundum se est bonum. Hoc est ergo quod dicit, quod si aliqui hoc ipsum dicunt esse ex materia quod anima moveretur ad malum, oportet nihilominus dicere quod materia, licet sit instabilis, tamen omnino consequens est, id est consequentiam et ordinem habens in universo, et necessaria est formis, quæ non possent in seipsis firmari. Quomodo autem malum potest esse necessarium, aut id quod necessarium est, potest esse secundum se malum?

Et notandum est quod signanter dicitur « instabilis materia, » quia inclinari ad materiam intantum videtur esse malum, inquantum deserto incommutabili bono, adhæret commutabilibus bonis. Principium autem mutabilitatis est materia, inquantum est in potentia ad diversa. Nec tamen hoc ipsum quod est in potentia ad diversa, ostendit eam malam; quinimo per hoc ipsum habet ordinem ad diversa bona, id est ad diversas formas, quæ in ipsa firmantur.

Deinde cum dicit : « Sed neque hoc quod

[1] Parm. : « bona. » — [2] Parm. omittit : « Hoc autem pertinet ad rationem mali quod fugiat naturam boni, » et habet : « etsi non inducat. » — [3] Cod. Vict. : « generandæ. » — [4] Parm. : « corpus non faciat. » — [5] Parm. omittit : « hoc ipsum. — [6] Parm. omittit : « existens. » — [7] Parm. : « animo. »

dicimus privationem, secundum virtutem propriam adversatur bono, » ostendit quomodo se habeat privatio ad rationem mali, et dicit quod nec ipsa privatio adversatur bono, agendo contra ipsum secundum propriam virtutem, sed secundum virtutem boni, quia, si sit perfecta privatio, id est quæ totum removeat omnino, excludet omnem potentiam et ita erit non potens ad agendum contra bonum. Si autem sit particularis privatio excludens unam formam et non aliam, habet virtutem agendi, non ex hoc quod est privatio, sed ex hoc quod non est perfecta privatio, id est ex forma conjuncta, qua non privatur. Sed si bonum particulariter privetur, nondum est totaliter malum, et si redeat privatio particularis, vel quia non sit aliquid privatum, vel quia sit totaliter ablatum, sequitur quod natura mali pereat.

LECTIO XXII.

Utrum malum ex bono causetur.

Est autem colligentem dicere : Bonum ex una et tota est causa, malum autem ex multis et particularibus defectibus. Vidit Deus malum aut bonum, et apud ipsam causæ malorum virtutes sunt bonum facientes. Si autem malum æternum est, et creat, et potest, et est, et facit, unde ipsi hoc? Aut ex bono, aut bono ex malo, aut ambobus ex alia causa. Omne quod est secundum naturam, ex causa determinata generatur. Sed malum est sine causa et indefinitum non est secundum naturam; neque enim in natura omnia, neque contra naturam, neque in artificiis aut in arte ratio. Utrum anima malorum est causa, quemadmodum ignis calefaciendi et omnia quibus appropinquat, malitia implet? Bona quidem est animæ natura, operationibus autem aliquando quidem habet ita, aliquando autem non ita. Si natura quidem et esse ipsius est malum, et unde ipsi est esse nisi ex creativa totorum bona causa? Sed si ex ista [1], quomodo secundum substantiam est malum? Bona enim cuncta sunt ex hac genita. Si autem operationibus, neque hoc est intransmutabile. Alioquin unde sunt virtutes et boniformiter ipsa facta? Relinquitur igitur, malum infirmitatem et defectum boni esse, bonorum causa est una. Si bono malum est contrarium, mali causæ sunt multæ. Non quidem quæ efficiunt mala, sunt rationes et virtutes, sed impotentia, et infirmitas, et mixtio dissimilium non commensurabilis. Neque immobilia sunt et semper eodem modo habentia mala, sed infinita, et interminata, et in aliis portata, et istis infinitis. Omnium et malorum, principium et finis erit bonum. Etenim boni gratia sunt omnia, quæcumque bona et quæcumque contraria. Etenim ista facimus, bonum desiderantes; nullus enim ad malum respiciens facit quæ facit; propter quod neque subsistentiam habet malum; sed privationem substantiæ boni gratia et non suiipsius factum. Malo esse ponendum est secundum accidens et propter aliud et non ex principio proprio. Quare quod fit rectum quidem esse apparere, quoniam boni gratia fit; revera autem non rectum esse, idcirco quod non bonum, bonum opinantur. Demonstratum est aliud esse desideratum, et aliud factum. Igitur malum est præter viam, et præter intentionem, et præter naturam, et præter causam, et præter principium, et præter finem, et præter definitionem, et præter voluntatem, et præter substantiam. Igitur privatio est malum, et defectus infirmitas, et incommensuratio, et peccatum, et sine intentione, et sine pulchritudine, et sine vita, et sine mente, et sine ratione, et imperfectum, et non collocatum, et sine causa, et indefinitum, et sine germine, et vacuum, et non operans, et inordinatum, et dissimile, et infinitum, et obscurum, et sine substantia, et ipsum nullo modo usquam nihil existens. Sicut [2] totaliter potest aliquid malum ad bonum mixtione. Quod enim omnino boni expers, neque est aliquid neque potest. Etenim si bonum et existens est, et voluntate appetitum, et potens, et activum, quomodo poterit aliquid quod est bono contrarium, quod est substantia et voluntate, et operatione privatum? Non omnia omnibus et omnino eadem secundum idem mala. Dæmoni est malum præter boniformem intellectum esse, animæ præter rationem, corpori præter naturam.

« Est autem colligentem dicere : Bonum ex una, et tota causa est, malum autem ex multis et particularibus defectibus. » Pertractatis principalibus quæstionibus, quas supra moverat de malo : scilicet an malum sit aliquid, et unde sit malum, et quibus sit malum, hic prosequitur alias quæstiones adjunctas; et primo, illam qua quærebatur utrum malum causaretur ex bono, aut ex aliqua alia causa; secundo, qua quærebatur quomodo providentia compatitur malum, ibi : « Quomodo totaliter mala sunt et providentia existente? » tertio, quæstionem qua quærebatur quomodo aliquid existentium desiderat malum, ibi : « Non igitur existens est malum. » Circa primum duo facit. Primo, præmittit quasdam considerationes de causa mali, per quas solvitur prædicta quæstio; secundo, manifestat eas, ibi : « Omne quod est secundum naturam, ex causa determinata generatur. »

Ponit ergo primo tres considerationes, quarum prima est, quod ex omnibus colligi potest quod bonum procedit ex una et

[1] Al. : « si existat. » — [2] Forte : « sic. »

perfecta causa; malum autem procedit ex multis particularibus defectibus. Et hoc apparet tam in naturalibus quam in moralibus. Sanitas enim et pulchritudo causantur per hoc quod[1] corpus quantum ad omnes partes est bene proportionatum, sed ad hoc quod sit turpitudo vel ægritudo, sufficit quod desit debita proportio in quacumque parte. Et ideo multipliciter contingit esse ægrum et turpe, sed uno modo esse sanum et pulchrum. Similiter ad actum requiritur quod sit commensuratus secundum omnes debitas circumstantias, quarum quæcumque tollatur, efficitur actus vitiosus. Et ideo Philosophus dicit, in II *Ethic.*, quod bonum contingit uno modo, malum vero multipliciter.

Deinde cum dicit : « Vidit Deus malum aut bonum, » ponit secundam considerationem, quæ talis est : Quidquid est in mundo, sive bonum, sive malum, sic est visum a Deo; omne autem visum, inquantum est visum, est in vidente; et quia Deo convenit nobilissimus modus videndi, qui est videre aliquid per causam, manifestum est quod in Deo, qui videt bona et mala, sunt causæ et bonorum et malorum. Sed causæ[2] malorum quæ apud Deum sunt, sunt ipsæ virtutes quæ faciunt bonum. Eadem enim virtus est quæ facit bonum inquantum est perfecta, et quæ facit malum inquantum est deficiens : sicut patet de libero arbitrio, quod est causa boni et mali; et universaliter omne quod est causa mali, est etiam causa alicujus boni.

Deinde cum dicit : « Si autem malum æternum est, et creat, et potest, et est, et facit, unde ipsi hoc? » ponit tertiam considerationem, quæ est contra hoc quod malum non sit primum principium, quia si malum sit ab æterno non causatum, sed potius alia causans, et habeat potestatem aliqua faciendi, et habeat existentiam et habeat causalitatem, dum aliqua facit, quærendum remanet unde hoc habeat; quandocumque enim aliquod unum convenit multis, oportet quod illius unius sit una aliqua causa; non est enim causa multiplicior quam effectus, ut scilicet effectus sit unus et causæ sint multæ. Si igitur æternitas, et creatio, et potentia, et esse, et facere communiter conveniat bono et malo, oportet quod hoc procedat ab una causa. Aut igitur malum hoc habet a bono, aut bonum a malo, aut ambo ex aliqua causa priori; et quid horum verius sit, posterius ostendetur.

Deinde cum dicit : « Omne quod est secundum naturam, ex causa determinata generatur, » manifestat tres præmissas considerationes; et primo, primam; secundo, secundam, ibi : « Omnium et malorum principium et finis erit bonum; » tertio, tertiam ibi : « Sicut totaliter potest aliquid malum ad bonum mixtione. » Primam considerationem, scilicet quod malum non sit ex aliqua causa determinata, probat tribus rationibus, quarum prima talis est : Videmus enim quod omne quod habet causam determinatam, aut est a natura, aut est ab arte; omne enim quod est secundum naturam, generatur ex aliqua causa determinata, et similiter quod est secundum artem. Sed malum non est secundum naturam neque secundum artem, quia omne quod est secundum naturam, est aliquo modo in natura, sicut effectus sunt in suis causis, neque est secundum artem, quia omne quod est secundum artem, habet aliquam rationem in arte. Malum autem in rebus naturalibus est contra naturam esse, et in rebus artificialibus malum est etiam inartificiatum esse. Non autem potest dici quod id quod est contra naturam, sit in natura, neque quod ratio ejus quod est inartificiatum sit in arte. Et ita malum non est a natura neque ab arte. Ex quo sequitur quod malum sit sine causa, et sic indeterminatum, sicut non proveniens ex aliqua determinata causa.

Secundam autem rationem ponit, ibi : « Utrum anima malorum est causa? » Maxime enim videtur quod anima per liberum arbitrium sit causa mali. Unde si anima non sit per se causa mali, videtur quod nihil aliud sit per se causa mali. Quærit ergo utrum anima sit per se causa malorum, ita quod omnia quibus adjungitur, impleat malitia, sicut ignis omnia quibus appropinquat, calefacit, quia est per se causa calefaciendi. Et ad hujus quæstionis solutionem proponit duo, quorum primum est quod natura animæ est bona; secundum est quod anima secundum suas operationes aliquando est bona, aliquando mala. Primum horum hic probat : Si enim detur

[1] Al. : « partim quod. » — [2] Parm. omittit : « sed. »

quod natura animæ sit mala, et esse ejus malum, hoc videtur impossibile, quia anima non habet suum esse nisi ex causa creativa omnium, quam oportet esse bonum, quia producere bonum[1] (*a*) pertinet ad rationem boni. Quæcumque autem sunt creata ex bona causa, sunt bona. Nullo modo igitur potest esse quod anima secundum suam substantiam et naturam sit mala. Si autem detur secundum membrum, scilicet quod anima sit mala propter suam operationem, hoc non est quasi operatio mala ex necessitate et intransmutabiliter ab anima per se sit causa malæ operationis. Non enim possent in anima esse virtutes et virtuosi actus, nisi ipsa bono conformaretur. Sic igitur anima non est per se causa mali determinata. Unde relinquitur quod malum sit magis ex quadam debilitate causæ et defectu boni.

Tertiam rationem ponit ibi : « Bonorum causa est una, » quæ talis est : Causa bonorum est una ; sed sicut bono malum est oppositum, ita et uni multitudo ; ergo causæ mali sunt multæ et indeterminatæ. Non quidem quod mala efficiantur per aliquas « rationes et virtutes » (et dicit « rationes » quantum ad ea quæ fiunt per artem[2], et « virtutes » quantum ad ea quæ fiunt per naturam), sed causa malorum est totalis defectus rationis, quæ dicitur impotentia, vel debilitas potentiæ, quæ dicitur infirmitas, vel etiam hoc quod aliquid dissimile adjungitur alteri absque debita commensuratione, sicut si calidum adjungitur frigido absque debita commensuratione, sequitur ægritudo. Quod autem aliqua immobiliter et eodem modo perseverent, contingit ex fortitudine causæ imprimentis et conservantis. Quia igitur mala proveniunt ex subtractione potentiæ et debilitate ipsius, sequitur quod non sint immobilia, neque semper eodem modo se habentia, sed quod habeant infinitas varietates, et quod sint indeterminata[3], quia quod ex debilitate causæ provenit, aliquando accidit sic, aliquando aliter, propter hoc quod causa debilis non potest conservare eumdem ordinem in causando. Et quia sunt quædam debilitates, oportet quod portentur in aliis, id est sustententur, sicut privationes in subjectis, et quod habeant subjecta determinata, sicut habent causas determinatas.

Deinde cum dicit : « Omnium et majorum, principium et finis est bonum, » manifestat secundam considerationem, scilicet quod causæ malorum sint virtutes bonum facientes, et circa hoc duo facit. Primo, ostendit quod bonum sit principium mali ; secundo, ostendit per quem modum, ibi : « Malo esse ponendum est secundum accidens et propter aliud, et non ex principio proprio. » Quod autem bonum sit principium mali, sic ostendit. Semper finis respondet principio activo ; ad hoc enim operatur unumquodque quod est conveniens suæ naturæ, sicut ignis agit ad generationem ignis. Sed finis omnium malorum est bonum. Ergo et principium omnium malorum est bonum. Quod autem finis malorum sit bonum, sic probat : Illud enim finis alicujus est propter quod illud fit. Sed quodcumque facit aliquid, sive bonum sive malum, facit illud propter bonum. Et hoc manifestat in his quæ faciunt mala, de quibus minus videtur ; non enim facimus mala nisi ex desiderio alicujus boni ; nullus enim facit ea quæ facit, respiciens per intentionem ad malum, sicut ille qui committit adulterium, non allicitur ex inordinatione, propter quam adulterium est malum, sed ex delectatione, quæ est aliquod bonum. Ergo finis malorum est bonum, et ita sequitur quod bonum sit etiam malorum principium. Omne autem quod habet aliquam substantiam, habet principium et finem suæ substantiæ convenientem, quod non potest dici de malo, ut ostensum est. Ergo relinquitur quod malum non habeat substantiam, sed quod sit privatio substantiæ, cum sit factum boni gratia, et non gratia suiipsius, sicut ostensum est.

Sed si ille qui facit malum intendit ad bonum, ut hic dicit, videtur quod non peccet, quia peccatum præcipue ex intentione dependet. Sed dicendum est quod si illud malum conjunctum bono esset ignoratum, utpote adjunctum ei raro et ut in paucioribus, intentio quæ fertur in bonum non esset mala. Sed quando malum adjunctum non latet, utpote semper adjunctum huic

[1] Parm. omittit : « bonum. » — [2] Parm. omittit : « quantum ad ea quæ fiunt per artem. » — [3] Al. : « interminata. »

(*a*) Sensus est : « Inter omnia, bona numerari debent ; atqui producere bonum pertinet ad rationem boni ; ergo oportet causam creativam omnium esse bonam.

bono in quod intentio fertur, aliquo etiam modo fertur in malum, licet non principaliter. Ex quo enim non recusat illud bonum propter malum adjunctum, sequitur quod magis velit illud malum, quam carere bono, et quod minus velit majus bonum, quo privatur per illud malum, quam minus bonum, cui conjungitur malum.

Deinde cum dicit : « Malo esse ponendum est secundum accidens et propter aliud, » ostendit qualiter bonum sit principium mali, et circa hoc duo facit. Primo, ostendit propositum ; secundo, infert conclusionem ex dictis, ibi : « Igitur privatio est malum, et non ex principio proprio. » Quia ergo supra ostenderat quod bonum est principium mali, ne aliquis crederet quod sit per se principium ejus, ad hoc excludendum dicit quod malo assignandum est esse per accidens et propter aliud, et non quasi ex proprio et per se principio, quod sic probat : Quandocumque est aliud factum et aliud desideratum, illud quod fit habet causam per accidens : sicut si aliquis fodiens sepulchrum, inveniat aurum, dicimus inventionem auri per accidens provenisse. Sed quando aliquis facit malum, aliud est quod fit, et aliud quod desideratur sive intenditur, quia illud quod fit, apparet esse bonum, quod omnino necesse est, quia fit boni gratia omne quod fit, ut ostensum est, sed secundum rei veritatem non est bonum, quia contingit quod aliquis opinatur esse bonum quod non est bonum. Ergo relinquitur quod malum non habeat principium nisi per accidens ; et inde ulterius concludit quod « malum est præter viam, » quia motus, qui est via non ens, non per se terminatur ad malum. Et iterum est « præter intentionem » moventis, quia omnis intentio agentis fertur in bonum. Et iterum est « præter naturam, » quia non progreditur ab agente secundum convenientiam suæ naturæ, cum omne agens agat virtute boni. Et ulterius est etiam « præter causam, » quia non habet causam per se, sed solum per accidens, sive per causam intelligatur principium effectivum, sive causa finalis. Et sicut est præter naturam, ita est etiam præter artem. Est etiam « præter definitionem » rationis, quæ dirigit in operibus artis, et « præter voluntatem, » quæ manet in eis. Et similiter est « præter substantiam » subsistentem, quia non habet formam per quam subsistat, sed est privatio formæ.

Si quis objiciat quod alicui peccanti apparet bonum illud quod facit, et sic videtur ex ignorantia peccare omnis peccans, et ita a peccato excusari, dicendum est quod hujusmodi error, propter quem opinatur esse bonum quod non est bonum, est secundum ignorantiam electionis, qua ignoratur in particulari quod scitur in universali. Ille enim qui in universali scit adulterium esse malum, in particulari judicat bonum esse nunc adulterare, inquantum præponderat in sua voluntate bonum delectabile, bono honesto cui opponitur malum delectationi adjunctum. Unde hujus ignorantia magis est ex inordinatione voluntatis, quam quod sit causa inordinatæ voluntatis. Et propter hoc dicit Philosophus, in III *Ethic.*, quod peccat quidem ignorans, sed non ex ignorantia. Unde non excusatur nec in toto nec in parte.

Deinde cum dicit : « Igitur privatio est malum, et defectus, et infirmitas, et incommensuratio, et peccatum, » infert conclusionem ex dictis, in qua multiplicat rationes mali. Cum igitur malum sit privatio boni, dupliciter potest variari malum, aut ex parte privationis, quia contingit multipliciter aliquid privari, aut ex parte boni, quia multipliciter bonum contingit privari. Concludit ergo quod quia malum non habet subsistentiam, quod sit « privatio » privans totaliter aliquod particulare bonum ; sicut cæcitas est malum, quia privat totaliter visum ; et iterum malum est « defectus, » quando scilicet non totaliter aliquid tollitur, sed deficienter habetur, ut patet in eo qui obscure videt ; et est etiam « infirmitas, » quando scilicet non firmiter habetur bonum, etiam si intense habeatur ; sicut si quis acute videat, et tamen non habeat firmum visum, sed facile visus ejus destituatur [1]. Tria hæc ergo accipiuntur ex parte privationis ; sed [2] ex parte ejus quod privatur per malum primo [3], accipienda est ratio boni in communi, ad quam tria pertinent, scilicet commensuratio aliquorum, ex quibus aliquid componitur, ut sanitas est com-

[1] Cod. Vict. : « disgregatur. » — [2] Parm. : « scilicet. » — [3] Parm. : « per malum. Tum accipienda est. »

mensuratio humorum, et pulchritudo commensuratio membrorum, et per oppositum, malum est « incommensuratio, » sicut ægritudo et turpitudo. Secundum quod pertinet ad rationem boni, est quod actus pertingat ad debitum finem; et per oppositum dicit quod malum est « peccatum, » nam peccatum dicitur et in natura et in arte et in voluntate, quando actus non pertingit ad debitum finem, sicut cum natura producit partum monstruosum, et cum scriptor non facit bonam scripturam, et cum voluntas non facit actum virtuosum. Est etiam de ratione boni quod sit intentum, quia bonum est quod omnia appetunt, et per oppositum dicit quod malum est « sine intentione. » Et hæc tria possunt reduci ad modum, speciem et ordinem, quem ponit Augustinus. Nam « incommensuratio » est per privationem modi, « peccatum » per privationem speciei; hoc autem quod dicit « sine intentione, » per privationem ordinis. Deinde ponit ea quæ consequuntur communem rationem boni; et primo, dicit « sine pulchritudine, » quia pulchrum convertitur cum bono, ut supra dictum est; et primo, ponit quædam particularia bona quæ privantur per malum, et dicit quod malum est « sine vita et sine mente, » id est intellectu, « et sine ratione, » et est « imperfectum, » perfectio enim ad rationem boni pertinet, et est « non collocatum, » id est non firmatum in aliquo, firmari enim in aliquo est de ratione boni, et est « sine causa, » ordo enim ad causam est quoddam bonum, et est « indefinitum, » sicut non ex propria causa procedens, et est « sine germine, » quasi non habens proprium et per se effectum, et est « vacuum, » id est absque plenitudine, et est « non operans, » quia et ipsa operatio est quoddam bonum et perfectio operantis, et est « inordinatum, » quia etiam ordo ad rationem boni pertinet, et est « dissimile, » quia etiam similitudo quidam ordo est, et ad rationem boni pertinens, et est « infinitum, » quia finis est bonum et perfectio uniuscujusque, et est « obscurum, » id est sine claritate, et breviter « sine » omni « substantia, » et non est existens aliquo modo, nec in aliquo tempore, nec aliquid est malum, inquantum est malum.

Deinde cum dicit : « Sicut totaliter potest aliquid malum ad bonum mixtione, » procedit ad manifestandum tertiam considerationem supra positam, scilicet quod malum non est æternum, et causativum quoddam primum principium, et hoc probat dupliciter. Primo sic. Malum enim eo modo quo aliquid potest facere, potest hoc per bonum sibi adjunctum, quia illud « quod omnino est expers boni, neque est aliquid, neque potest » aliquid. Et hoc sic probat : Si enim ita est, quod existere, et appeti per voluntatem, et esse potens, et esse effectivum pertinent ad rationem boni, quomodo illud quod est bono contrarium, scilicet malum, quod est absque substantia et operatione et voluntate, ut supradictum est, poterit aliquid propria virtute? quasi diceret. Nullo modo. Si igitur malum nihil potest per seipsum, sed solum virtute boni, manifestum est quod malum non est primum principium causativum.

Secundo, ibi : « Non omnia omnibus, et omnino eadem secundum idem mala, » probat idem sic. Nos videmus quod non omnia sunt omnibus mala, nec eadem omnino sunt mala omnibus [1] secundum idem; malum enim cujuscumque opponitur proprio bono ejus ; malum enim dæmonis est esse intellectum non conformem divinæ bonitati, et malum animæ est esse præter rationem, et malum corporis est esse præter naturalem dispositionem. Non ergo est aliquod malum quod idem sit malum omnibus. Hoc autem oporteret, si esset aliquod primum malum causativum omnium malorum, sicut primum causativum omnium bonorum est omnibus bonum. Patet igitur quod malum non est primum principium causativum.

[1] Parm. omittit : « nec eadem omnino sunt mala omnibus. »

LECTIO XXIII.

Quomodo mala possint esse, divina providentia existente.

Quomodo autem totaliter mala sunt, et providentia existente? Non est malum, secundum quod est malum, neque existens, neque in existentibus, et nihil existentium est improvisum, neque enim est malum conspicuum subsistens bono. Et si nullum existentium non particeps boni, malum autem defectus boni. Nihil autem existentium privatur universaliter bono, in omnibus existentibus divina providentia, et nihil existentium non provisum. Sed et factis malis benigne providentia utitur, aut ad ipsorum, aut aliorum, aut propriam, aut communem utilitatem, et proprie unumquodque existentium providet. Propter quod et vanam multorum non recipiemus rationem, qui oportere dicunt providentiam et invitos nos ad virtutem agere; etenim corrumpere naturam, non providentiæ. Unde sicut providentia uniuscujusque naturæ est salvativa, per se mobilia providet ut per se mobilia; et tota particularia juxta proprietatem totius et uniuscujusque inquantum provisorum natura suscipit totius largissimæ providentiæ proportionaliter attributas unicuique provisivas bonitates. Non igitur existens est malum, neque in existentibus est malum. Nusquam enim est malum secundum quod est malum, et fieri malum non est secundum virtutem, sed propter infirmitatem. Et dæmonibus quod quidem sunt, et ex bono est et bonum; malum autem est ex ipsis ex casu a propriis bonis, et variatio quæ est circa identitatem et habitum, infirmitas convenientis ipsis, angelos decentis perfectionis. Et desiderant bonum, inquantum esse et vivere, et intelligere desiderant. Non existens bonum desiderant, et non est hoc desiderium, sed peccatum desiderii existens. In cognitione autem peccantes vocant eloquia circa cognitionem boni non obliviscibilem aut actionem infirmos existentes et scientes voluntatem et non facientes; qui audierunt quidem, infirmantur autem circa fidem aut operationem boni, et quod nolunt quidem intelligere ut bene agant, secundum aversionem aut infirmitatem voluntatis. Et totaliter malum, ut multoties dicimus, est infirmitas, et potentia, et defectus, aut cognitionis, aut fidei, aut desiderii, aut operationis boni. Et quidem dicat aliquis : Non est punienda infirmitas, sed e contra condonanda. Si non quidem esset posse, bene quidem se habet sermo, si autem ex bono posse, quod dat secundum eloquia omnibus simpliciter convenientia, non est laudabile peccatum habitus propriorum bonorum ex bono, et aversio, et fuga, et casus. Sed hæc quidem a nobis in his quæ sunt de justitia, et divinæ justitiæ observantia, secundum virtutem sufficienter sunt dicta. In quo sancto negotio eloquiorum veritas sophisticas, et injustitiam, et mendacium contra Deum loquentes contrivit, sicut insipientes rationes. Nunc autem sufficienter sicut secundum nos laudatum est bonum, sicut vere amabile, sicut principium et finis omnium, sicut circumitus existentium, sicut informans non existentia, sicut omnium bonorum causa, sicut malorum non causa, sicut providentia et donatrix boni perfecta et superegrediens existentia et non existentia, et mala secundum ipsius privationem ad bonum redigens, omnibus desiderabile, et amabile, et diligibile, et quæcumque alia in prioribus verus sermo demonstravit.

« Quomodo autem totaliter mala sunt, et providentia existente? » Soluta prima quæstione de causa mali, hic solvit secundam de providentia : quomodo scilicet mala possint esse, divina providentia existente, et circa hoc tria facit. Primo, ostendit quod malum non cadit sub providentia, quasi ex providentia causatum; secundo, ostendit quod cadit sub providentia, quia a providentia ordinatum, ibi : « Sed et factis malis benigne providentia utitur; » tertio, quod malum non debet esse totaliter per providentiam impeditum, ibi : « Et proprie unumquodque existentium providet. »

Dicit ergo primo quod malum, inquantum est malum, non est existens, neque in existentibus, ut supra probatum est, et cum « nihil » sit « existentium improvisum, » id est ex divina providentia non causatum, malum[1] non est intentum seu causatum ex divina providentia. Quod autem omnia existentia causantur ex divina providentia et nullum malum sit intentum seu causatum ex divina providentia[2], sic probat : Nullum enim est existentium quin aliquo modo participet bono, sed de ratione mali est quod sit defectus boni. Nullum autem universaliter existentium privatur seu deficit a bono; proprius autem effectus providentiæ videtur esse bonum; hoc enim quilibet providens intendit, ut sua providentia, ea quibus providet, in bono statu constituat. Relinquitur ergo quod divina providentia ad omnia existentia se extendit, et nihil existentium est non provisum a Deo, sed malum intantum non causatum est per providentiam divinam, inquantum non est existens.

Deinde cum dicit : « Sed et factis malis benigne providentia utitur, » ostendit quomodo mala cadunt sub providentia, ut a providentia ordinata, et dicit quod divina providentia bene utitur malis quandoque quidem ad ipsorum utilitatem in quibus

[1] Al. : « malum autem. » — [2] Parm. omittit : « sit intentum seu causatum ex divina providentia. »

sunt mala, sicut cum infirmitates corporales vel etiam spirituales, Deo id agente, cedunt in utilitatem eorum qui eas patiuntur; quandoque vero ad utilitatem aliorum, et hoc dupliciter, quandoque quidem ad propriam utilitatem alicujus, sicut est cum ex pœna unius alius emendatur, quandoque vero ad utilitatem communem, sicut cum pœna malefactorum ordinatur ad pacem civitatis.

Deinde cum dicit : « Et proprie unumquodque existentium providet, » ostendit quod malum non debet esse totaliter per divinam providentiam impeditum, et dicit quod divina providentia « providet unicuique existentium proprie, » id est secundum proprietatem et conditionem suæ naturæ. Et ideo non sunt recipienda vana objecta multorum, qui dicunt quod divina providentia debet et nos invitos inducere ad virtutem. Non enim pertinet ad providentiam quod corrumpat naturam rerum, sed quod servet; unde eo modo providentia est conservativa naturæ uniuscujusque rei, sed « providet » ea quæ per suam naturam sunt « mobilia, quasi per se mobilia, » id est non auferens ab eis quin per se moveri possint; et similiter ea quæ sunt tota et universalia et perfecta, et ea quæ sunt particularia providet juxta proprietatem naturalem totius et uniuscujusque particularis, et hoc inquantum natura eorum quibus Deus providet, suscipit proportionaliter sibi bonitates datas largissima et universali Dei providentia. Et quia rationalis creatura secundum suam naturam defectibilis est, et per liberum arbitrium potest deficere, non pertinet ad divinam providentiam ut ejus mobilitatem impediat; et similiter non pertinet ad Dei providentiam ut tantam bonitatem attribuat uni particulari enti, sicut toti universo, vel rei quæ est in inferiori gradu sicut rei quæ est in superiori.

« Non igitur existens est malum, neque in existentibus est malum. » Hic solvit tertiam quæstionem de desiderio mali, et circa hoc duo facit. Primo, ostendit quomodo malum contingit esse in desiderio; secundo, quomodo contingit in cognitione peccare, ibi : « In cognitione autem peccantes vocant eloquia circa cognitionem boni non obliviscibilem aut actionem infirmos existentes. » Circa primum primo resumit quædam quæ sunt in malo, in communi concludens ex dictis quod malum neque est per se existens, neque in existentibus. Ostensum est enim quod malum, secundum quod est malum, « nusquam est, » id est, non est aliquid existens in aliquo; et iterum ostensum est quod hoc quod aliquid dicitur fieri malum, non contingit ex aliqua virtute activa, sed propter infirmitatem et defectum virtutis. Secundo, ibi : « Et dæmonibus quod quidem sunt, et ex bono est, et bonum, » resumit quod dictum est specialiter de malo dæmonum, et dicit quod in dæmonibus hoc ipsum quod sunt, est « bonum, » et eis est « ex bono, » scilicet Deo, sed malum invenitur in ipsis ex hoc quod ceciderunt « a bonis propriis, » id est ad quæ erant ordinati secundum ordinem suæ naturæ; « et » iterum « variatio, » qua decesserunt ab illa identitate in qua sunt boni angeli, et ab habendo ea quæ illi habent, quod nihil est aliud quam infirmitas quædam perfectionis eis naturaliter convenientis, prout decet angelos. Tertio, ibi : « Et desiderant bonum, » ostendit quomodo desiderium se habet ad bonum et malum, et dicit quod dæmones desiderant bonum inquantum desiderant bonum naturale, quod est esse, vivere et intelligere, sed inquantum non desiderant bonum, sed malum, desiderant non existens, quia malum, inquantum malum, est non existens; et hoc ipsum desiderare, sicut non existens, non est ex perfectione desiderii, sed est quædam infirmitas et peccatum circa desiderium. Sicut enim opinari falsum, est ex infirmitate intellectus, ita desiderare malum, est ex defectu virtutis desiderativæ.

Deinde cum dicit : « In cognitione autem peccantes vocant eloquia circa cognitionem boni non obliviscibilem aut actionem infirmos existentes, » ostendit quomodo peccatum contingit esse in cognitionem, et circa hoc tria facit. Primo, ostendit propositum; secundo, excludit objectionem, ibi : « Et quidem dicat aliquis : Non est punienda infirmitas, sed e contra condonanda; » tertio, epilogat quæ in hoc capitulo dicta sunt, ibi : « Nunc autem sufficienter sicut secundum nos laudatum est bonum. »

Dicit ergo primo quod, sicut peccare in desiderio est quædam infirmitas desiderii, ita peccare in cognitione, secundum sacra eloquia, dicitur esse infirmum circa duo. Primo quidem, circa cognitionem boni quam scire tenetur, et quam obliviscitur; si enim aliquis infirmetur in cognitione

ejus quod scire non tenetur, non est peccatum. Secundo, circa actionem boni quod quis cognoscit, et quantum ad hunc secundum modum vituperantur scientes voluntatem domini sui et non facientes, ut habetur Luc., XII cap. Et hi sunt qui audiunt quidem, et non possunt se excusare de ignorantia, sed sunt infirmi ad credendum aut ad bonum operandum. Quantum ad primum vero vituperantur in Psalm. XXXV, illi qui nolunt intelligere ut bene agant, quod quidem fit secundum quod avertitur voluntas, aut infirme se habet ad cognitionem boni. Et, ut universaliter dicamus, « malum, sicut multoties dictum est, est » quædam « infirmitas, » id est debilitas potentiæ, vel totaliter impotentia, et, quicumque potentiæ « defectus » aut circa cognitionem, aut circa fidem, aut circa desiderium, aut circa operationem boni. Et loquitur hic de malo culpæ, quod circa aliquod horum quatuor necesse est consistere.

Deinde cum dicit : « Et quidem dicat aliquis : « Non est punienda infirmitas, sed e contra condonanda, » movet quamdam objectionem. Potest enim aliquis objiciendo dicere quod infirmitas non est imputanda, sed condonanda. Parcendum enim est, ut videtur, infirmitati. Si igitur peccatum est infirmitas circa aliquod prædictorum, videtur quod peccatum non sit puniendum. Sed ad hoc respondet aliquis, quod talis objectio bene procederet, si omnino peccanti deesset posse ad bonum, sed quia unusquisque habet posse bene facere « ex bono, » id est ex auxilio Dei, qui dat omnibus convenientia ipsis affluenter, ut dicitur Jac., I, « non est laudabile, » id est excusabile, « peccatum, » quod est aversio, et fuga, et casus ab habitu propriorum bonorum, quæ proveniunt ex per se[1] bono, scilicet Deo. Homo enim se avertit ab auxilio Dei sibi parato, et ei imputatur ad culpam quidem peccati, sicut si aliquis infirmus caderet dum nollet uti auxilio manum porrigentis. Sed dicit quod hæc sufficienter secundum suam virtutem dixit in quodam libro quem fecit *De justitia,* et observantia divinæ justitiæ, qui ad nos non pervenit, in quo quidem secundum veritatem sacræ Scripturæ reprobavit sophisticas rationes eorum qui contra divinam justitiam injuste et mendaciter loquuntur.

Deinde cum dicit : « Nunc autem sufficienter sicut secundum nos laudatum est bonum, » epilogat ea quæ dicta sunt in hoc capitulo, et dicit quod nunc in isto capitulo sufficienter laudavit secundum suum posse bonum « sicut vere amabile, » ubi tractavit de amore, « et sicut principium et finis omnium, » in principio, ubi dixit de effectu boni; in quo manifestatur quasi quidam circulus in existentibus, dum habent idem principium et finem, scilicet bonum; et ostensum est etiam ibi quod Deus informat non existentia in actu, sed in potentia, et quod Deus omnium bonorum est causa, et quod non est causa malorum, et quod sua providentia est perfecta, datrix omnis boni, et quod supergreditur tam existentia quam non existentia, et quod mala quæ dicuntur secundum privationem, ordinat in bonum, quod est desiderabile omnibus et diligibile, et quæcumque alia demonstrata sunt secundum veritatem in præcedentibus, sunt vera.

CAPUT QUINTUM.

DE EXISTENTE, IN QUO ET DE EXEMPLIS.

LECTIO I.

Transeundum autem est nunc ad vere existentem vere existentis Dei theologicam laudationem. Tantum autem memorabimus, quod sermonis intentio est, non supersubstantialem substantiam, secundum quod supersubstantialis est, manifestare (ineffabile enim hoc, et ignotum est, et perfecte non manifestabile, et ipsam excedens unitionem) sed substantificum thearchicæ substantiæ principatus processum ad omnia existentia laudare. Etenim boni Dei nominatio, totius esse omnium

[1] Parm. omittit : « per se. »

processus manifestans, et ad existentia et ad non existentia extenditur, et super existentia est; vitæ autem ad omnia viventia extenditur, et super viventia est; sapientiæ vero ad omnia intellectualia, et rationalia, et sensibilia extenditur, et super omnia ista est. Istas igitur providentiæ manifestativas Dei nominationes sermo laudare desiderat. Non enim promittit enarrare per se substantialem bonitatem, et deitatem, et substantiam, et vitam, et sapientiam per se substantialis divinitatis, quæ est super omnem bonitatem, et deitatem, et substantiam, et vitam, et sapientiam in absconditis, sicut eloquia dicunt, supercollocatam; sed manifestatam bonitatem, et excedenter beneficam providentiam, et omnium bonorum causam laudat, et existentem, et vitam, et sapientiam, quæ facit substantiam, et vivificat, et est sapientia donatrix causa his quæ substantia et vita, et ratione, et sensu participant. Non autem aliud esse bonum dicit, et aliud existens, et aliud vitam aut sapientiam, neque multas causas, et aliorum alias productivas deitates, excedentes et subjectas, sed unius esse omnes bonos processus, et a nobis laudatas Dei nominationes; et hanc quidem esse perfecte unius Dei providentiæ manifestativam; quasdam autem universaliorum ejusdem, et magis particularium. Et quidem dicat aliquis : quare existente excedente vitam, et vita sapientiam, existentibus quidem viventia, viventibus autem sensibilia, istis autem rationabilia, et rationabilibus mentes excellunt, et circa Deum sunt, et magis ipsi appropinquant? Et quidem oportet ea quæ majoribus donis ex Deo participant, et meliora esse, et reliquis excellere. Sed si non subsistentia quidem et non viventia aliquis supponeret esse ea quæ sunt intellectualia, bene quidem se haberet sermo; si autem et sunt divinæ mentes super reliqua existentia, et vivunt super reliqua viventia, et intelligunt et cognoscunt super sensum et rationem, et plusquam omnia existentia pulchrum et bonum desiderant, et eo participant; ipsæ magis sunt circa bonum abundanter ipso participantes et plura et majora ex ipso dona possidentes, sicut et rationabilia sensibilibus excellunt, abundantia rationis plus illis possidentia, et quædam sensu, et alia vita. Et est, sicut arbitror, hoc verum, quod magis uno, et infiniti doni Deo participantia, magis ipsi sunt propinqua, et diviniora derelictis. Quoniam autem et de istis diximus, age, bonum sicut vere existens, et existentium universorum substantificum laudemus quod totius esse secundum virtutem [1] supersubstantialem est substantificatrix causa, et causatrix existentis, mentis, personæ, substantiæ, naturæ, principium, et mensura sæculorum, et quod facit esse tempora et ævum existentium, tempus eorum quæ fiunt [2], esse quocumque modo existentibus, generatio quocumque modo genitis ex existente, et ævum, et substantia, et existens, et tempus, et generatio [3] et genitura, et ea quæ sunt in existentibus, et ea quæ quocumque modo insunt et substant. Etenim Deus non quodam modo est existens, sed simpliciter et incircumscripte, totum in seipso esse qui accepit et præaccepit : propter quod et rex dicitur sæculorum, sicut in seipso, et circa seipsum omnium esse existentibus [4] et substantifico et existente, et neque erat, neque erit, neque factus est; neque gignitur, neque gignetur; magis autem neque est, sed ipse est esse existentibus : et non existentia solum, sed ipsum esse existentium est ex existente ante sæcula; ipse enim est ævum ævorum, qui est ante sæcula. Resumentes igitur dicimus quod omnibus existentibus, et sæculis, est esse a præexistente [5], et omne quidem ævum et tempus ex ipso. Omnis autem et sæculi, et temporis, et omnis quocumque modo existentis, præexistens et principium et causa; et omnia ipso participant, et a nullo existentium recedit; et ipse est ante omnia et omnia in ipso consistunt : et simpliciter, si aliquid quocumque modo est, in præexistente et est, et intelligitur, et salvatur; et ante alias ipsius participationes, esse propositum est, et est ipsum secundum se esse, senius eo quod est se per vitam esse, et eo quod est per se sapientiam esse, et eo quod est per se similitudinem divinam esse; et alia quæcumque existentia participantia, ante omnia illa esse participant, magis autem et ipsa secundum seipsa omnia quibus existentia participant ipso, secundum se esse participant, et nihil est existens, cujus non sit substantia et ævum ipsum esse. Convenienter igitur cunctis aliis principalius sicut existens Deus laudatur ex digniore aliorum donorum ejus. Etenim præesse et superesse, præhabens et superhabens ex ipso quod est, ipsum, dico, secundum se esse præexistere fecit, et per ipsum esse, omne quocumque modo existens subsistere facit. Et quidem principia existentium omnia esse participant, et sunt, et principia sunt, et primum sunt, postea principia sunt; et si vis viventium sicut viventium principium dicere per se vitam, et similium sicut similium per se similitudinem, et unitorum sicut unitorum per se unitionem, et ordinatorum sicut ordinatorum per se ordinationem, et aliorum quocumque hoc, aut hoc, aut ambobus, aut multis participant hoc, aut hoc, aut utraque, aut multa participata, per se participationes invenies ipso esse primum illas participantes, et ipso esse quidem primum existentes, postea hujus aut hujus principia existentes, et participare esse, et existentes et participatas. Si autem ista essendi participatione sunt, multo quidem magis ea quæ ipsis primum participant. Primum igitur per se essendi donum, per se bonitas proponens, digniore prima participatione laudatur; et est ex ipsa et in ipsa, et ipsum esse, et existentium principia existentia omnia, et quæ quocumque modo ab esse sunt contenta, et hoc incomprehensibiliter, et conjuncte, et singulariter. Etenim in unitate omnis numerus uniformiter præexistit, et habet omnem numerum unitas in seipsa singulariter, et omnis numerus unitur quidem in unitate; inquantum autem ab unitate procedit, tantum discernitur, et in multitudinem agitur. Et in centro omnes circuli lineæ secundum unam unitionem coextiterunt [6], et omnes habent signum in seipso lineas uniformiter unitas, et ad se invicem, et ad unum principium a quo processerunt : et in ipso quidem centro perfecte uniuntur parum autem ab ipso distantes, parum et discernuntur; magis autem distantes, et discernuntur simpliciter [7]; et inquantum centro sunt propinquiores, intantum et ipsi, et sibi invicem uniuntur, et inquantum ab ipso procedunt, intantum a se invicem discernuntur. Sed et in tota totorum natura, omnes naturæ uniuscujusque rationes congregatæ sunt secundum unam inconfusam unitionem, et in anima uniformiter particularium omnium provisive totius corporis virtutes. Nihil igitur est inconveniens ex obscuris imaginibus ad omnium causam ascendentes, supermundanis oculis contemplare omnia in omnium causa, et sibi invicem contraria uniformiter et unite. Principium enim est existentium, a quo et ipsum esse, et omnia quocumque modo existentia, omne principium, omnis finis, omnis vita, omnis immortalitas, omnis sapientia, omnis harmonia, omnis virtus, omnis custodia, omnis collocatio, omnis distributio, omnis intellectus, omnis sermo, omnis sensus, omnis habitus, omnis statio, omnis motus, omnis unitio, omnis concretio, omnis amicitia, omnis concordatio, omnis discretio, omnis definitio, et alia quæcumque per esse existentia.

[1] Al. : « substantiam. » — [2] Al. : « esse quocumque modo genitis, generatione quoque existente, est ævum, » etc. — [3] Al. : « et genitum. » — [4] In cit. translatione : « omni esse, et substantia, et existente. » — [5] Al. : « apud existentem. » — [6] Al. : « extiterunt. » — [7] In translatione cit. : « magis et simpliciter. »

« Transeundum est autem nunc ad vere existentem vere existentis Dei theologicam laudationem. » Postquam Dionysius tractavit de bono in IV capitulo, hic in V determinat de ente, de quo determinat primum post bonum, quia bonum quodammodo ad plura se extendit, ut platonici dixerunt; nam etiam non existens actu, quod est ens in potentia, ex hoc ipso quod habet ordinem ad bonum, habet rationem boni secundum causalitatem entis quod[1] participat quando fit ens actu. Et quia quidam ponebant res fieri in actu secundum aliquod exemplum alicujus formæ præexistentis, ideo in capitulo « De ente » determinat etiam et de exemplis ad quæ sunt entia, ut ex titulo patet. Dividitur autem hoc capitulum in duas partes. In prima, præmittit quædam quæ sunt necessaria ad propositam intentionem; in secunda, prosequitur de causalitate primi entis, ibi : « Quoniam autem et de istis diximus, age, bonum sicut vere existens, et existentium universorum substantificum laudemus. » Circa primum tria facit. Primo, manifestat suam iutentionem; secundo, excludit errorem, ibi : « Non autem aliud esse bonum dicit, et aliud existens; » tertio, respondet cuidam objectioni, ibi : « Et quidem dicat aliquis, » etc.

Dicit ergo primo quod a consideratione boni transeundum est nunc ad veram laudem Dei, secundum quod a sanctis theogis nominatur ut vere existens. Sed hoc præscire oportet quod non est in præsenti sermone intentio quod ipsa supersubstantialis substantia Dei, secundum quod in seipsa supersubstantialiter existit, manifestetur, id est ut cognoscatur Dei essentia; hoc enim sermone explicari non potest, nec nostra cognitione capi. Quidquid enim intellectus noster apprehendit, minus est quam Dei essentia, et quidquid lingua nostra loquitur, minus est quam esse divinum, nec potest divina essentia manifestari perfecte unicuique intellectui creato, ita quod eam comprehendat[2]; sed excedit ipsam unitionem intellectus beatorum, qui essentiam Dei vident per unitionem sui intellectus ad ipsam Dei essentiam. Quamvis enim videant hoc ipsum quod Deus est, non tamen est tanta perfectio visionis, quanta est perfectio ipsius esse divini, et quanta est perfectio visionis qua Deus se videt. Non est ergo præsentis intentionis ut manifestetur ipsa Dei essentia per quam omnia substantificantur secundum quod in se est, sed quod laudetur processus essendi a divino principio in omnia existentia[3]. Quolibet enim divino nomine manifestatur aliquis processus alicujus perfectionis a Deo in existentia, et secundum quod de Deo dicitur, est supra omnia entia. Sicut nomen boni manifestat omnes processus universalis essentiæ rerum, et extendit se tam ad existentia quam ad non existentia, inquantum non existentia habent aliquid boni prout sunt in potentia ad esse. Nomen vero entis designat processum essendi a Deo in omnia entia, et secundum quod de Deo dicitur esse super omnia existentia. Nomen vero vitæ extenditur ad omnia viventia, et secundum quod de Deo dicitur est super omnia viventia. Nomen vero sapientiæ significat processum qui extenditur ad omnia intellectualia, et rationalia, et sensibilia, quia etiam ipse sensus, inquantum est cognitio quædam, est participatio divinæ sapientiæ, cum tamen divina sapientia sit super omnia ista. Ad hoc ergo tendit iste sermo ut exponat Dei nomina secundum quod sunt manifestativa divinæ providentiæ, per quam perfectiones rebus attribuuntur[4]. Non enim promittit sermo iste quod narret istam Dei supersubstantialem bonitatem, et subtantiam, et vitam, et sapientiam secundum quod in seipsa supersubstantialiter existit super omnia quæ in creaturis inveniuntur. Unde de sapientia Dei dicitur Job, XXVIII, quod *abscondita est ab oculis omnium viventium.* Intentio ergo præsentis sermonis est laudare Deum nomine boni, secundum quod est causa omnium bonorum, et nomine existentis, secundum quod facit omnem substantiam, et nomine vitæ secundum quod vivificat omnia, et nomine sapientiæ, secundum quod dat sapientiam.

Deinde cum dicit : « Non autem aliud esse bonum dicit, et aliud existens, » excludit errorem quorumdam platonicorum, qui universales[5] effectus in universalio-

[1] Parm. : « sed causalitatem entis participat. » — [2] Parm. : « apprehendat. » — [3] Parm. omittit : secundum quod in se est, sed quod laudem processus essendi a divino principio in omnia existentia. » — [4] Parm. : « attribuit. » — [5] Parm. : « universales. »

res[1] causas reducebant. Et quia videbant effectum boni universalissimum esse, dicebant suam causam esse ipsum bonum, quod effundit bonitatem in omnia, et sub ea ponebant aliam causam quæ dat esse omnibus, et postmodum aliam quæ dat[2] vitam, et sic de aliis, et hujusmodi principia dicebant deos. Hoc ergo excludit ipse Dionysius, dicens quod præsens sermo non dicit aliud principium esse ipsum bonum, et aliud ipsum existens, et aliud vitam, et aliud sapientiam. Neque dicit præsens sermo esse multas causas, et diversas deitates productivas diversorum, quorum quædam sunt excedentes et quædam inferiores secundum omnes processus perfectionum in creaturis. Et omnia nomina quæ hic exponuntur, dicit præsens sermo esse unius principii, et aliquod nomen esse quod manifestat totam providentiam Dei universaliter, scilicet nomen boni; quædam vero manifestant divinam providentiam quantum ad aliquos determinatos effectus vel magis universales vel magis particulares, sicut ens, vivens et sapiens, et hujusmodi.

Deinde cum dicit : « Et quidem dicat aliquis, » etc., solvit quamdam objectionem; et primo, ponit eam, quæ talis est : Cum ipsum esse excedat vitam et vita excedat sapientiam, existentibus et sententia viventibus et rationabilia sentientibus, « et mentes, » id est intellectus angelici, « rationabilibus » creaturis, id est hominibus, « et magis sunt circa Deum, » et quasi magis assimilatæ ei, « et magis ei appropinquant » secundum dignitatem naturæ, cum tamen oporteat ea quæ majora dona participant a Deo, esse meliora et supereminere aliis quæ minora dona participant.

Secundo, ibi : « Sed si non subsistentia quidem et non viventia aliquis supponeret esse ea quæ sunt intellectualia, bene quidem se haberet sermo, » solvit præmissam objectionem, et dicit quod sermo prædictæ objectionis recte se haberet, si ea quæ sunt intelligibilia supponeret esse aliquis non existentia, vel non esse viventia; tunc enim sicut esse præemineret vitæ et vita sapientiæ, ita existentia præeminerent viventibus et viventia sapientibus. Sed divinæ mentes angelorum non carent esse, quinimo habent excellentius super alia existentia creata, et habent vitam super alia viventia, et intelligunt et cognoscunt super cognitionem sensus animalium et rationis humanæ, et quantum ad ordinem ad bonum, super omnia existentia desiderant pulchrum et bonum, et non solum magis desiderant quasi perfectius ordinatæ in ipsum, sed eo magis participant, perfectiorem bonitatem actu habentes. His enim[3] duobus modis bonum in creaturis invenitur, aut secundum participationem actualem boni, aut secundum ordinem ad bonum, sicut supra dictum est in IV cap., quod bonum se extendit etiam ad non ens actu. Unde rationabiliter substantiæ angelicæ magis sunt circa bonum divinum per quamdam appropinquationem ad ipsum, quasi abundantius ipso divino bono participantes, quasi possidentes ab eo plura et majora bona quam alia; plura quidem, quia habent intelligentiam, quod multa non habent; majora vero, quia ipsum esse et vivere quod alia habent, perfectius ab angelis possidetur. Et similiter etiam « rationalia, » scilicet homines, supereminent « sensibilibus, » id est brutis animalibus, quia præabundant eis in ratione quam præ eis possident; « et quædam, » sicut animalia bruta, superant alia, ut plantas, in sensibili, « et alia, » scilicet plantæ, superant cætera corpora inanimata in vita. Et universaliter hoc verum dici potest quod illa quæ magis participant ipso « uno, » quod est Deus, « et infiniti doni Deo, » qui donativus est *affluenter omnibus,* ut dicitur Jac., I, propinquiora sunt Deo, et magis ei similia, « derelictis, » id est his quæ exceduntur.

« Quoniam autem et de istis diximus, age bonum sicut vere existens et existentium universorum substantificum laudemus. » Præmissis quibusdam quæ erant necessaria ad præsentem intentionem, hic Dionysius accedit ad exponendum nomen entis secundum quod de Deo dicitur. Et quia, sicut jam dixit, non est suæ intentionis ineffabilem Dei essentiam manifestare secundum quod in se est, sed secundum quod nomen entis de Deo dictum, manifestat processionem essendi a Deo in creaturas; ideo primo, ostendit processum essendi univer-

[1] Parm. : « intelligibiliores. » — [2] Parm. omittit : « esse omnibus, et postmodum aliam quæ dat. » —

[3] Al. : « vix enim. »

saliter a Deo[1] in omnia; secundo, ostendit quod a divino esse effluunt etiam singula in speciali, ibi : « Et ex eadem omnium causa sunt et intelligibiles et intellectuales deiformium angelorum substantiæ. » Circa primum duo facit. Primo, ostendit omnia existentia universaliter esse a Deo; secundo, ostendit omnia in ipso esse, ibi : « Et est ex ipsa, et in ipsa, et ipsum esse, et existentium principia, et existentia omnia. » Circa primum duo facit. Primo, ostendit divinum esse universalem causalitatem respectu omnium existentium; secundo, ostendit quod ex ipso esse Deus proprie magis denominatur, ibi : « Et ante alias ipsius participationes esse propositum est. » Circa primum tria facit. Primo, ostendit de quo est intentio; secundo, prosequitur propositum, ibi : « Quod totius esse secundum virtutem supersubstantialem est substantificatrix causa; » tertio, epilogat ibi : « Resumentes igitur dicimus quod omnibus existentibus et sæculis, est esse a præexistente. »

Dicit ergo primo : Quia de præmissis dictum est, quorum cognitio præexigebatur ad præsentem intentionem, debemus laudare ipsum bonum, quod est Deus, sicut in se vere existens, et sicut faciens substantiam omnium existentium.

Deinde cum dicit : « Quod totius esse secundum virtutem supersubstantialem est substantificatrix causa, » prosequitur propositum, et circa hoc tria facit. Primo, ostendit quod Deus est causa omnium quæ ad esse pertinent; secundo, quod omnia ei quodammodo conveniunt, ibi : « Etenim Deus non quodam modo est existens, sed simpliciter; » tertio, quod omnia ab eo removentur, ibi : « Et neque erat, neque erit, neque factus est. »

Dicit ergo primo quod ipsum bonum, quod est Deus, secundum suam supereminentem virtutem, est substantificatrix, id est[2] causa factrix omnium substantiarum et creatrix omnium existentium, quia scilicet non producit substantias ex aliquo præexistente, sed simpliciter omne existens ex virtute ipsius provenit.

Deinde enumerat ea quæ ad esse pertinere videntur; et primo ponit duo universalia, scilicet existens et mentem, id est intellectum. Nam mens comprehensiva est totius esse. Sed quia mens, id est intellectus, non fit actu intelligens nisi per participationem intelligibilis, quod est ipsum existens, posuerunt platonici quod ipsum existens, quod separatum ponebant, est supra intellectum creatum primum, sicut intelligibile est ante intellectum[3] et participatum ante participans. Et propter hoc Dionysius hic dixit quod Deus est et ipsius « existentis causa causatrix et ipsius mentis. »

Deinde ponit ea quæ pertinent specialiter ad ipsas substantias existentium, in quibus tria possunt considerari : quorum unum est ipsum singulare, quod in se actu complectitur principia et universalia et individualia, ut Socrates vel Plato, et quantum ad hoc dicit « personæ. » Secundum vero est species vel genus, ut homo vel animal, in quibus comprehenduntur universalia principia in actu, singularia autem in potentia. Homo enim dicitur qui habet humanitatem absque præcisione individualium principiorum, et quantum ad hoc dicit « substantiæ. » Tertium vero est ipsa essentia generis vel speciei, ut significetur nomine humanitatis (in quo quidem nomine comprehenduntur sola principia) speciei ratio. Nullum enim individualium principiorum pertinet ad rationem humanitatis, cum humanitas[4] præcise significet hoc quod homo est homo. Nullum autem individualium principiorum est hujusmodi. Unde in nomine humanitatis non includitur nec actu nec potentia aliquod individuale principium, et quantum ad hoc dicit « natura. »

Ad rationem autem essendi pertinet primo quidem substantia rei, de qua jam dictum est; secundo vero ipsa mensura durationis rerum, et quantum ad hoc subdit quod est « principium et mensura sæculorum. » Dicitur autem sæculum[5] mensura durationis uniuscujusque rei. Unde unum sæculum dicitur tempus quo una generatio hominum durare potest, vel quo solet durare communiter memoria factorum humanorum; unde spatium mille annorum a quibusdam sæculum dicitur. Manifestum est autem quod a Deo præfigitur mensura durationis uniuscujusque rei; et ideo dicit quod

[1] Parm. : « universalem in omnia. » — [2] Parm. omittit : « substantificatrix, id est. » — [3] Parm. : « ante intelligens. » — [4] Parm. : « humanitatis, nisi præcise. » — [5] Parm. omittit : « sæculum. »

est principium in quolibet genere et est mensura eorum quæ sunt in genere illo, sicut unitas numerorum et tonus[1] in melodiis. Ipsum ergo divinum esse est mensura omnium sæculorum, non quidem adæquata, sed excedens. Et consequenter exponit in speciali quomodo sit principium sæculorum. Dupliciter enim aliqua existentia durationem habent. Quorumdam enim esse subjectum est mutationi, et horum duratio tempore mensuratur, et quantum ad hoc dicit : « Et quod facit esse tempora. » Quorumdam vero esse non subjacet mutationi, et horum duratio mensuratur, et quantum ad hoc dicit : « Et facit ævum existentium. » Sicut enim se habet tempus ad motum, ita se habet ævum ad ipsum esse ; et ideo subdit quod Deus causaliter est tempus eorum quæ fiunt, et ipse est esse causaliter omnibus quocumque modo existentibus, in quo excludit opinionem platonicorum, qui ponebant et tempus et ipsum esse quasi separata subsistere sub Deo. Tertio, ad rationem essendi pertinet generatio, quæ est mutatio ad esse ; et ideo subdit quod Deus est generatio[2] causaliter omnibus quocumque modo generatis, quia ipse omnibus generationem tribuit, ut dicitur Isa., ult. Et sic patet quod ex ipso primo existente, quod est Deus, causatur et ævum, quod est mensura essendi, et substantia, quæ est per se existens, et omne existens quocumque modo ; et iterum ex Deo causatur quod est mensura motus et ipsa generatio et id quod generatur ; et non solum ipsa existentia causantur a Deo, sed etiam quæcumque « sunt in existentibus, » ut partes et proprietates naturales, et ea quæ quocumque modo vel insunt, ut accidentia, vel substant, ut substantiæ.

Deinde cum dicit : « Etenim Deus non quodammodo est existens, sed simpliciter, » ostendit quod omnia conveniunt Deo quodam modo. Ad cujus evidentiam considerandum est quod omnis forma recepta in aliquo, limitatur et finitur secundum capacitatem recipientis ; unde hoc corpus album non habet totam albedinem secundum totum posse albedinis. Sed si esset albedo separata, nihil deesset ei quod ad virtutem albedinis pertineret. Omnia autem alia, sicut superius dictum est, habent esse receptum et participatum ; et ideo non habent esse secundum totam virtutem essendi, sed solus Deus, qui est ipsum esse subsistens, secundum totam virtutem essendi esse habet ; et hoc est quod dicit quod ideo potest esse causa essendi omnibus, quia ipse « non est existens quodam modo, » id est secundum aliquem modum finitum et limitatum, sed ipse universaliter et infinite accepit in seipso totum esse et præaccepit, quia in eo præexistit sicut in causa, et ab eo ad alia derivatur. Et ideo dicitur I Tim., I : *Rex sæculorum,* quia in seipso habet totum esse et omnem substantiam et omnia existentia, et iterum sunt circa ipsum, inquantum ex eo derivantur.

Deinde cum dicit : « Et neque erat, neque erit, neque factus est, » ostendit quod omnia ab eo removentur quantum ad illum modum quo creaturis conveniunt, et dicit quod ipse « non erat, » quasi aliquid de suo esse in præteritum dilapsum sit ; « neque erit, » quasi aliquid de suo esse expectetur in futurum, et hoc ideo quia ipse non « est factus ; » solum autem illorum esse per præteritum et futurum variatur quibus convenit[3] fieri ; neque etiam ei contingit quod generetur in præsenti vel in futuro ad modum generationis temporalis ; et, quod plus est, « neque est, » secundum scilicet quod significatur tempus præsens, quia ejus esse tempore non mensuratur, sed ipse est existentibus, non quidem ita quod ipse Deus[4] sit ipsum esse[5] formale existentium ; sed eo modo loquendi utitur quo platonici utebantur, qui esse separatum dicebant esse existentium, inquantum compositiva per participationem abstractorum participantur. Et quod causaliter sit intelligendum, apparet per hoc quod subdit quod « non solum existentia » sunt ex Deo, « sed » etiam « ipsum esse existentium est » ex Deo, qui est « ante sæcula ; » et dicitur esse ante sæcula, quia est ævum ævorum, id est mensura omnium dimensionum.

Deinde cum dicit : « Resumentes igitur dicimus quod omnibus existentibus et sæculis, est esse a præexistente, » colligit ea quæ dicta sunt, et dicit resumendo quod omnia existentia et mensuræ essendi ha-

[1] Parm. : « sonus. » — [2] Al. omittitur « generatio. » — [3] Parm. : « quæ contingit. » — [4] Al. : « ita quod est, ipse Deus. » — [5] Parm. omittit : « esse. »

bent esse a præexistente, id est a primo ente[1] et omne ævum et tempus, quæ sunt durationes, sunt « ex ipso, » et ipse est principium effectivum, et causa finalis omnis sæculi, et temporis, et cujuslibet quocumque modo existentis; et iterum omnia ipso participant, sicut prima forma exemplari; et non solum est causa quantum ad fieri rerum, sed et quantum ad totum esse et durationem, quod manifestat cum dicit : « Et a nullo existentium recedit; » ædificatore enim recedente, domus remanet, quia est causa domus quantum ad fieri, et non quantum ad esse; sed si Deus subtraheret suam operationem nihil[2], remaneret, quia est causa ipsius esse. Et quia causa præeminet effectibus, « ipse est ante omnia, et omnia consistunt in ipso, » sicut effectus virtute præexistunt in causa; et universaliter, quidquid quocumque modo est, præexistit in primo ente, scilicet Deo, in sua natura, et quantum ad esse quod habet in intellectu[3], et quantum ad conservationem sui esse.

Deinde cum subdit : « Et ante alia ipsius participationes esse propositum est, » ostendit quod ens dictum de Deo signat processum existentium a Deo, et ostendit quod hoc nomen ens, vel qui est, convenientissime de Deo dicitur. Ostendit autem hoc duabus rationibus, quarum secunda incipit ibi : « Etenim præesse et superesse, præhabens et superhabens ex ipso quod est, ipsum, dico secundum se esse præexistere fecit. » Prima ratio talis est : Si qua causa nominetur a suo effectu, convenientissime nominatur a principali et dignissimo suorum effectuum. Ipsum autem esse inter alios Dei effectus est principalius et dignius. Ergo Deus, qui a nobis nominari non potest nisi per suos effectus, convenientissime nominatur nomine entis. Hoc est ergo quod dicit quod ipsum « esse propositum » est creaturis ad participandum ante alias Dei participationes. » Quamcumque enim perfectionem creatura habeat, fit per hoc in Dei participatione, qui quasi proponitur et offertur omnibus ad participandum, sed per prius participatur quantum ad ipsum esse, quam quamcumque aliam perfectionem; « et ipsum per se esse est senius[4], » id est primum et dignius « eo quod est per se vitam esse, et eo quod est per se sapientiam esse, et eo quod est per se similitudinem divinam esse. »

Considerandum autem hic occurrit quid hic dicatur per se esse, vel per se vita et hujusmodi. Ad cujus evidentiam sciendum est quod platonici, quos multum in hoc opere Dionysius imitatur, ante omnia participantia composita[5], posuerunt separata per se existentia, quæ a compositis participantur, sicut ante homines singulares, qui participant humanitatem, posuerunt hominem separatum sine materia existentem cujus participatione homines singulares homines dicuntur. Et similiter dicebant, quod ante ista viventia composita erat quædam vita separata, cujus participatione cuncta viventia vivunt, quam vocabant per se vitam, et similiter per se sapientiam, et per se esse. Hæc autem separata principia ponebant ab invicem diversa a primo principio, quod nominabant per se bonum et per se unum. Dionysius autem in aliquo eis consentit, et in aliquo dissentit. Consentit quidem cum eis in hoc quod ponit vitam separatam per se existentem, et similiter sapientiam, et esse, et alia hujusmodi. Dissentit autem ab eis in hoc quod ista principia separata non dicit esse diversa, sed unum principium, quod est Deus, sicut supra dixit. Cum ergo dicitur per se vita, secundum sententiam Dionysii, dupliciter intelligi potest. Uno modo secundum quod per se importat discretionem vel separationem realem, et sic per se vita est ipse Deus. Alio modo secundum quod importat discretionem vel separationem solum secundum rationem; et sic per se vita est ipsa vita[6] quæ inest viventibus, quæ non distinguitur secundum rem, sed secundum rationem tantum a viventibus. Et eadem ratio est de per se sapientia, et sic de aliis. Et istam expositionem ponit infra in VI cap. Hic autem per se vitam accipit pro vita quæ inest viventibus; loquitur enim hic de participationibus, vita autem per se existens non est participatio.

Quod autem per se esse sit primum et dignius quam per se vita et per se sapientia, ostendit dupliciter. Primo quidem per

[1] Parm. omittit : « id est, a priori ente. » — [2] Parm. : « ab effectu recederet, effectus non. » — [3] Parm. : « Deo, et quantum ad esse quod habet sine defectu, et quantum ad conservationem. » — [4] Al. : « ipsum pro se est senius. » — [5] Parm. : « compositionem. » — [6] Parm. omittit : « ipsa vita. »

hoc quod quæcumque participant aliis participationibus, primo participant ipso esse; prius enim intelligitur aliquod ens quam unum, vivens, vel sapiens. Secundo, quia ipsum esse comparatur ad vitam et ad alia hujusmodi sicut participatum ad participans; nam etiam ipsa vita est ens quoddam, et sic esse prius et simplicius est quam vita et alia hujusmodi, et comparatur ad ea ut actus eorum. Et ideo dicit quod non solum ea quæ participant aliis participationibus, prius participant ipso esse; sed, quod magis est, omnia[1] quæ nominantur per se ipsa, ut per se vita, per se sapientia, et alia hujusmodi, quibus existentia participant, participant[2] ipso per se esse, quia nihil est existens cujus ipsum per se esse non sit substantia et ævum, id est forma participata ad subsistendum et durandum. Unde cum vita sit quoddam existens, vita etiam participat ipso esse. Ex hoc ergo concludit principale propositum, scilicet quod Deus convenienter principalius præ omnibus[3] aliis nominibus laudatur sicut existens, quasi ex digniore donorum suorum. Et quod principalius sic laudetur, patet Exod., III, 14, ubi dicitur : *Qui est misit me ad vos.*

Deinde cum dicit : « Etenim præesse et superesse, præhabens et superhabens ex ipso quod est, ipsum, dico secundum se esse præexistere fecit, » ponit secundum rationem, quæ talis est : Si alia causa nominetur a suo effectu, oportet quod principalius nominetur Deus per ipsum esse a primo effectu per quem omnia facit; hujusmodi autem est ens : ergo principalius nominatur Deus per ipsum esse. Hoc ergo est quod dicit quod ipse Deus præesse et superesse, præhabet et superhabet.

Hic ergo considerandum est quod dupliciter unum potest alteri præferri, scilicet quantum ad hoc quod habetur et quantum ad modum habendi. Sicut unus homo qui habet majorem scientiam quam alius, præfertur ei quantum ad quantitatem ejus quod habetur. Sed angelus in sapientia præfertur homini, non solum quantum ad quantitatem sapientiæ, sed etiam quantum ad modum habendi, quia homo habet rationaliter, angelus vero intellectualiter; et sic utroque modo excedit, scilicet et quantum ad id quod habet, et quantum ad modum habendi. Quantum autem ad id quod habet, excedit dupliciter, scilicet secundum ordinem, quia prius habet esse, et propter hoc dicit « præesse, » et quantum ad dignitatem, quia excellentius esse habet, et propter hoc dicit « superesse. » Et similiter quantum ad modum habendi potest intelligi ratio ordinis et dignitatis, et ideo dicit « præhabens et superhabens. » Sic igitur Deus eminentius esse habens ex seipso, per quamdam similitudinem inter alios effectus prius fecit esse quod est, id est ipsum secundum se esse, et per ipsum esse fecit subsistere omnia quæcumque sunt; per hoc enim unumquodque est causatum a Deo quod suum esse est[4] ex Deo, et non solum alia existentia causata participant esse[5], sed etiam ipsa principia existentium participant esse, inquantum sunt, et principia sunt. Et primum competit eis esse secundum se, et postea quod sint principia aliorum, etiamsi aliquis velit dicere, secundum opinionem platonicorum, quod per se vita, id est vita quædam separata sub Deo, sit principium viventium inquantum sunt viventia, et similium per se similitudo; et similiter de omnibus aliis participantibus quæcumque participant hoc vel illo, vel ambobus, vel multis, semper invenies quod hujusmodi licet participentur ab aliis, tamen ipsa etiam participant ipso esse, et primo intelliguntur ut participantes esse quam[6] quod sint principia aliorum per hoc quod ab[7] aliis participantur. Potest autem et hoc intelligi secundum quod per se vita intelligitur ipsa vita quæ inest[8] viventibus, quæ est formale viventibus principium, et similiter de aliis. Ergo si ista, quæ sunt principia aliorum, non sunt nisi per participationem essendi, multo magis ea quæ participant ipsis, non sunt nisi per participationem ipsius esse. Et sic patet quod Deus per ipsum esse omnia causat. Ex quo concludit principale intentum, et dicit quod Deus, qui est « per se bonitas, » id est tribuens rebus creatis hoc donum, quod est per se esse, laudatur hoc nomine, quod est quasi a digniore, et primo suarum participationum.

[1] Parm. : « divina. » — [2] Parm. omittit : « participant. » — [3] Parm. omittit : « omnibus. » — [4] Parm. : « causatur a Deo per suum esse ex Deo. » — [5] Parm. omittit : « esse. » — [6] Al. omittitur « quam. » — [7] Parm. omittit : « ab. » — [8] Parm. : « vita quidem in. »

« Et ex ipsa et in ipsa est ipsum esse, et existentium principia, et existentia omnia. » Postquam Dionysius ostendit quod omnia existentia universaliter sunt a Deo, hic intendit ostendere quod omnia universaliter sunt in ipso, et circa hoc duo facit. Primo, proponit quod intendit; secundo, manifestat propositum, ibi : « Etenim in unitate omnis numerus uniformiter præexistit. » Dicit ergo primo quod non solum ex ipsa Dei bonitate, sed etiam in ipsa est ipsum per se esse, quod est Dei participatio et omnia principia existentium, et omnia existentia, tam[1] substantiæ quam accidentia, et omnia quocumque modo continentur sub esse, sicut entia imperfecta, ut ens in potentia, et motus, et alia hujusmodi. Et ne aliquis crederet quod ista hoc modo sint in Deo sicut in seipsis, consequenter hoc excludit. In seipsis enim omnia causata sunt finita; in Deo autem sunt infinita, quia in Deo sunt ipsa divina essentia. Et ideo dicit quod hæc incomprehensibiliter iterum in seipsis oppositionem habent et diversitatem, in Deo autem conjunguntur simul; et ideo dicit « et conjuncte. » Iterum in seipsis habent multitudinem, in Deo autem sunt unum, et ideo addit « et singulariter » id est unite.

Deinde cum dicit : « Etenim in unitate omnis numerus uniformiter præexistit, » probat propositum; et primo, per exempla; secundo, per rationem, ibi : « Principium enim est existentium. » Circa primum duo facit. Primo, proponit exempla; secundo, per exemplum arguit, ibi : « Nihil igitur inconveniens est ex obscuris imaginibus ad omnium causam ascendentes, supermundanis oculis contemplari omnia in omnium causa. »

Circa primum proponit quatuor exempla, quorum primum est de unitate et numero, et dicit quod numerus uniformiter præexistit in unitate, quia unitas virtute est omnis numerus, ut Boetius dicit in *Arithmetica*. Dicit autem « uniformiter, » quia omne quod est in altero, est in eo per modum ejus in quo est; unde numerus in unitate est existens in ea per modum unitatis, et hoc est quod dicit « uniformiter. » Iterum dicit : « Unitas habet in seipsa omnem numerum, » quia omnes proprietates omnium numerorum aliquo modo inveniuntur in unitate. Sive enim accipiam numeros quadratos, sive cubicos, sive quascumque alias figuras numerorum, in qualibet dispositione numerorum invenitur unitas prima. Et iterum considerandum est quod omnis numerus in ipsa unitate est unus, sed quanto magis recedit ab unitate, tanto magis distinguitur et in multitudinem deducitur.

Secundum exemplum ponit de centro, et dicit quod in centro omnes lineæ quæ deducuntur ad circumferentiam, simul existunt sicut in principio communi, et illud signum, idest punctum, quod dicitur centrum, habet in seipso uniformiter omnes lineas[2] conjunctas, et sibi invicem, et principio a quo processerunt, quia sicut ab uno principio[3] producuntur in multitudinem, ita eorum multitudo terminatur ad centrum sicut ad terminum. Et considerandum est quod lineæ quæ in ipso centro uniuntur perfecte, parum recedentes a centro, parum distant ab invicem, et hoc simpliciter dicendum est quod inquantum sunt[4] centro propinquiores, intantum et ipsi centro et sibi invicem magis uniuntur; quanto vero magis distant a centro, tantum etiam magis distant a se invicem, sicut etiam est de numero, qui quanto magis recedit ab unitate, tanto magis multiplicatur.

Tertium exemplum ponit de natura universali, quæ, secundum Platonem, est aliqua substantia separata, secundum Aristotelem vero est aliqua virtus primi corporis naturalis. Utrolibet autem modo accipiatur natura universalis, manifestum est quod in universali natura omnium naturalium adunantur naturæ cujuslibet naturæ particularis, non per modum confusionis, sicut adunantur lapides in acervo, sed per modum unitionis cujusdam, sicut si dicamus quod rationes generabilium virtualiter consistunt in sole, et omnes rationes membrorum virtualiter existunt in semine.

Quartum exemplum ponit de anima, quæ est causa corporis, et sicut efficiens, et sicut forma, et sicut finis, ut dicitur in II *De anima,* et sic in anima, sicut in causa communi, præexistunt omnes virtutes partium animalis, quibus toti corpori providetur.

[1] Parm. addit : « solæ. » — [2] Parm. omittit : « omnes lineas. » — [3] Parm. omittit : « principio. » — [4] Parm. omittit : « sunt. »

Omnes enim radicantur in anima sicut in communi radice. Ex his igitur exemplis concludit ulterius, quod nos possumus ex præmissis sicut ex quibusdam similitudinibus obscuris, id est deficientibus a divina repræsentatione, ascendere ad universalem causam omnium per similitudinem causarum particularium, ut sic oculis mentis transcendendo omnia mundana, contemplemur omnia simpliciter esse in Deo, qui est omnium causa, et quod ea quæ sibi sunt invicem contraria prout sunt in suis naturis, in Deo præexistunt simpliciter et unite. Quæ enim est proportio particularis causæ ad suos effectus, eadem est proportio universalis causæ ad omnia.

Deinde cum dicit : « Principium enim est existentium, » probat idem per rationem, per quam etiam prædicta probatio confirmatur. Omnia enim multa quæ sunt ex uno principio, præexistunt unite in principio primo. Sic igitur patet quod omnia sunt in Deo unite, cum ipse sit principium omnium. In hac autem Dei causalitate primo ponit ea quæ pertinent ad ipsum esse, et dicit quod a Deo est « ipsum esse, » rerum, « et omnia existentia, quocumque modo sint. » Ad esse autem pertinet et principium essendi, et finis, quia in omnibus existentibus inveniuntur; et ideo dicit quod ab ipso est « omne principium » et « omnis finis. » Secundo, ponit ea quæ pertinent ad vitam, et dicit quod ex Deo est « omnis vita » et « immortalitas, » quæ est indeficientia vitæ. Tertio, ponit ea quæ pertinent ad sapientiam, et dicit quod ex Deo est « omnis sapientia . » Et quia sapientis est ordinare, subjungit « et omnis ordo » et « omnis harmonia, » quæ est convenientia ordinis. Quarto, ponit ea quæ pertinent ad virtutem, et dicit quod ex Deo est « omnis virtus. » Ad virtutem autem pertinet quod aliquid conservetur a nocivis, et quantum ad hoc dicit « omnis custodia; et quod firmetur in his quæ ei conveniunt, et quantum ad hoc dicit « omnis collocatio; » et quod diffundat ea quæ quis habet, et quantum ad hoc dicit « omnis distributio. » Quinto, ponit ea quæ pertinent specialiter ad cognitionem; unde dicit « omnis intellectus » quantum ad angelos; « omnis sermo, » id est ratio, quantum ad homines; « omnis sensus » quantum ad animalia; « omnis habitus, » quo perficitur ratio cognoscitiva vel appetitiva. Sexto, ponit ea quæ pertinent ad corporalia, et dicit « omnis statio, » id est quies, et « omnis motus. » Septimo, ponit ea quæ pertinent ad unum, et dicit « omnis unitio » universaliter, « omnis concretio » quantum ad unitionem[1] corporum, « omnis amicitia » quantum ad unionem affectuum, « omnis concordatio » quantum ad unionem conceptionum et sententiarum. Ultimo ponit ea quæ pertinent ad multitudinem, et dicit « omnis discretio, » id est distinctio, et « omnis definitio, » id est determinatio uniuscujusque; unumquodque enim determinatur in se per hoc quod est ab aliis distinctum. Et non solum ista sunt a Deo, sed etiam quæcumque alia pertinent ad esse quibus entia informantur.

LECTIO II.

Deus est causa particularium entium.

Existentia omnia figurant, et ex eadem omnium causa sunt, et intelligibiles, et intellectuales deiformium angelorum substantiæ, et animarum, et omnis mundi naturæ, et quocumque modo aliis inesse, aut secundum cogitationem esse dicta. Et quidem sanctissime et provectissimæ virtutes existentes, et sicut in vestibulis supersubstantialis Trinitatis collocatæ, ab ipsa et in ipsa, et esse et deiformiter esse habent; et post illas subjecte et extreme sicut ad angelos, sicut ad nos autem supermundanæ; et animæ, et alia omnia existentia secundum eamdem rationem et esse et bene esse habent, et sunt et bene sunt, ex præexistente esse et bene esse habentia, et in ipso et existentia et bene existentia, et ex ipso incipientia, et in ipso custodita, et ad ipsum terminata. Et quasdam quidem dignitates essendi distribuit superioribus[2] substantiis, quas et æternas vocant eloquia; esse autem ipsum ab existentibus omnibus nequaquam derelinquitur. Et ipsum autem esse est ex præexistente, et ipsius est esse, et non ipse est esse, et in ipso est esse, et non ipse est in eo quod est esse, et ipsum habet esse, et non ipse habet esse, et ipse est essendi ævum, et principium, et mensura ante substantiam existens, et ante id quod existit, et ante ævum, et omnium substantificator, et principium, et medietas, et finis. Et propter hoc ab eloquiis qui vere præexistit, secundum omnium existentium intentionem multiplicatur, et erat in ipso et est et erit, et factum est et fit et fiet, pro-

[1] Al. : « ad diminutionem. » — [2] In cit. translatione : « melioribus. »

prie laudatur. Ista enim omnia, ut decet Deum, intelligentibus ipsum secundum omnem intentionem supersubstantialiter esse significant, et existentium ubique causam. Etenim non hoc quidem est, hoc autem non est, neque alicubi quidem est, alicubi autem non est; sed omnia est, ut omnium causa, et in ipso omnia principia, omnes terminationes, omnium causa totorum, comprehendens et præhabens, et super omnia est sicut ante omnia supersubstantialiter superexistens, propter quod et omnia de ipso et simul prædicantur et nihil est omnium; omnis figuræ, omnis formæ sine forma, sine pulchritudine; principia et media, et fines existentium incomprehensibiliter, et excellenter in seipso præaccipiens, et omnibus esse, secundum unam et superunitam causam, immaculate lucendo superfundens. Si enim noster sol sensibilium substantias et qualitates, et quidem multas et differentes existentes, tamen ipse unus existens, et uniforme lucendo superfundens lumen, renovat et nutrit, et custodit, et perficit, et discernit, et unit, et reflorere facit, et germinabilia esse facit, et auget, et commutat, et collocat, et ex planta prodire facit, et sursum movet, et vivificat omnia, et totorum unumquodque juxta proprietatem suam, eodem et uno solo participat; et multorum participantium unus sol causas in seipso uniformiter præaccepit; multo magis in causa omnium et ipsius, et omnium præexistere existentium exemplaria secundum unam supersubstantialem unitionem, est concedendum quoniam et substantias producit secundum excessum a substantia.

« Existentia omnia figurant, et ex eadem omnia causa sunt. » Postquam Dionysius ostendit Deum universalem omnium causam essendi; hic ostendit quod est causa omnium particularium entium secundum quod sunt in propriis naturis, et dividitur in partes tres. In prima, ostendit propositum; in secunda, determinat de exemplaribus, ibi : « Exemplaria autem esse dicimus in Deo existentium rationes substantificas, et singulariter præexistentes. » In tertia, epilogat quæ supra dicta sunt, ibi : « Igitur omnia existentia ipsi secundum unam omnium segregatam unitionem sunt attribuenda. » Circa primum tria facit. Primo, ostendit proprias naturas rerum esse a Deo; secundo, infert corollarium ex dictis, ibi : « Et propter hoc ab eloquiis qui vere præexistit secundum omnium existentium intentionem multiplicatur; » tertio, manifestat per exemplum, ibi : « Si enim noster sol sensibilium substantias et qualitates, et quidem multas et differentes existentes, tamen ipse unus existens et uniforme lucendo superfundens lumen, renovat, et nutrit, et custodit ..... multo magis in causa omnium, » etc. Circa primum duo facit. Primo, ponit omnes gradus entium a Deo esse; secundo, quod etiam ipsum esse commune est a Deo, ibi : « Et quasdam quidem dignitates essendi distribuit superioribus substantiis. » Circa primum tria facit. Primo, distinguit gradus entium, dicens eos esse a Deo; secundo, subjungit gradus supremorum entium, ibi : « Et quidem sanctissimæ et provectissimæ virtutis existentes ..... ab ipsa et in ipsa, et esse et deiformiter esse habent; » tertio, distinguit gradus inferiorum entium, ibi : « Et animæ et alia omnia existentia secundum eamdem rationem et esse et bene esse habent. »

Dicit ergo primo quod ex universali causa omnium, quæ Deus est, sunt substantiæ angelorum, Deo similium, quæ sunt « intelligibiles, » inquantum sunt immateriales, et sunt « intellectuales, » inquantum habent virtutes intelligendi se et alia, et iste est primus gradus substantiarum quæ nec corpora sunt nec corporibus unita. Secundus gradus est substantiarum quæ non sunt corpora, sed corporibus unita sunt, et quantum ad hoc dicit « et animarum. » Tertius gradus est substantiarum corporalium, et quantum ad hoc dicit « et omnis mundi naturæ. » In quarto gradu entium sunt accidentia, quæ sunt in novem generibus. Quintus gradus est eorum quæ non sunt in rerum natura, sed in sola cogitatione, quæ dicuntur entia rationis, ut genus, species, opinio et hujusmodi, et quantum ad hos duos gradus dicit quod a Deo sunt « quocumque modo » aliqua dicantur inesse aliis, sicut accidentia, « aut esse secundum cogitationem, » sicut entia rationis.

Deinde cum dicit : « Et quidem sanctissimæ et provectissimæ virtutes existentes ..... ab ipsa et in ipsa, et esse et deiformiter esse habent, » distinguit gradus supremorum entium, id est angelorum, qui in tres hierarchias[1] distinguuntur. Quantum ergo ad angelos supremæ hierarchiæ dicit quod ab ipsa universali causa omnium, et etiam in ipsa habent et esse et conformitatem ad Deum « virtutes » angelicæ supremæ hierarchiæ, quæ sunt « sanctissimæ » propter perfectam conjunctionem ad Deum, « et provectissimæ » propter altitudinem qua

[1] Parm. omittit : « hierarchias. »

aliis supereminent, et sunt « collocatæ » quasi « in vestibulis supersubstantialis » divinæ « Trinitatis. » Est enim sententia Dionysii, ut patet in XIII cap. *Angelicæ hierarchiæ,* quod angeli supremæ hierarchiæ ad exteriora non mittuntur, et sic in abscondito altissimæ divinæ contemplationis constituti, semper assistere dicuntur ad similitudinem ministrorum qui cum Rege semper morantur, in domibus ejus excubantes. Quantum vero ad angelos secundæ hierarchiæ, dicit quod virtutes angelicæ mediæ hierarchiæ quæ prædictis virtutibus subjiciuntur « subjecte, » id est inferiori modo, a Deo esse habent. Quantum vero ad angelos infimæ hierarchiæ, angelicæ virtutes habent esse a Deo « extreme, » id est infimo modo. Sed extremum et infimum dicitur in angelis per comparationem ad superiores, sed per comparationem ad nos sunt supermundanæ, et super modum rerum mundanarum Dei bonitatem participant.

Deinde cum dicit : « Et animæ et alia omnia existentia secundum eamdem rationem et esse et bene esse habent, » distinguit quosdam gradus in inferioribus, scilicet in animabus et in corporalibus substantiis, et hoc dupliciter. Primo, secundum ordinem qui est inter esse et bene esse, et hoc est quod dicit quod « animæ, et omnia alia existentia » infra animas « habent esse et bene esse, » et denominantur « existentia, et bene existentia, » inquantum habent esse et bene esse a primo ente, et inquantum sunt in primo ente et entia et bene entia, et hoc « secundum eamdem rationem » secundum quam dictum est[1] de angelis. Secundo, ostendit gradum in istis quantum ad progressum essendi ; hujusmodi enim incipiunt esse ex ipso primo ente, sicut ex primo principio, et in ipso primo ente custodiuntur, id est conservantur, sicut in primo principio, quod est causa non solum faciens sed et conservans in esse, et ad ipsum primum ens terminantur omnia sicut ad ultimum finem. Hujusmodi autem gradus attribuuntur substantiis inferioribus, inquantum sunt mutationi subjectæ, per quam esse incipiunt, et meliorantur secundum processum de esse in bene esse.

Deinde cum dicit : « Et quasdam quidem dignitates essendi distribuit superioribus substantiis, » ostendit quod Deus est causa ipsius esse communis, et circa hoc duo facit. Primo, ostendit quod ipsum esse est omnibus commune ; secundo, ostendit qualiter ipsum esse commune se habeat ad Deum, ibi : « Et ipsum autem esse est ex præexistente. » Dicit ergo primo quod Deus distribuit superioribus substantiis quasdam nobiliores proprietates essendi, per quas superiores substantiæ vocantur æternæ, quasi semper existentes, secundum illud Psalmistæ (Ps. XXIII, 7) : *Elevamini portæ æternales.* Dicuntur autem æternæ, quia quantum ad aliquid æternitatem participant, non quia semper fuerunt, sed quia ex quo fuerunt, nunquam desinunt esse. Et licet hujusmodi dignitates essendi superioribus tantum substantiis conveniant, tamen hoc ipsum quod est esse, ab omnibus existentibus non derelinquitur, quia nihil potest dici existens nisi habeat esse.

Deinde cum dicit : « Et ipsum autem esse est ex præexistente, » ostendit quomodo esse se habeat ad Deum, et dicit quod ipsum esse commune est ex primo ente quod est Deus, et ex hoc sequitur quod esse commune aliter se habeat ad Deum quam alia existentia, quantum ad tria. Primo quidem, quantum ad hoc quod alia existentia dependent ab esse communi, non autem Deus, sed magis esse commune dependet a Deo, et hoc est quod dicit quod « ipsum esse commune est ipsius Dei, » tanquam ab ipso dependens, « et non ipse » Deus « est esse, » id est ipsius esse communis, tanquam ab ipso dependens. Secundo, quantum ad hoc quod omnia existentia continentur sub ipso esse communi, non autem Deus, sed magis esse commune continetur sub ejus virtute, quia virtus divina plus extenditur quam ipsum esse creatum, et hoc est quod dicit quod « esse » commune « est in ipso » Deo sicut contentum in continente, « et non » e converso « ipse » Deus « est in eo quod est esse. » Tertio, quantum ad hoc quod omnia alia existentia participant eo quod est esse, non autem Deus, sed magis ipsum esse creatum est quædam participatio Dei et similitudo ipsius, et hoc est quod dicit quod « esse » commune « habet ipsum, » scilicet Deum, ut participans similitudinem ejus, « non » autem « ipse »

[1] Parm. : « dicuntur hæc. »

Deus « habet esse, » quasi participans ipso esse. Et ex hoc patet quod ipse Deus est ipsius esse creati ævum, et duratio ejus, hoc est durationis ratio, et est etiam principium ejus et mensura, ita tamen quod ipse est existens ante omnem substantiam et ante omne ens et ante omne ævum, et non solum est ante duratione vel ordine, sed etiam causalitate, quia est « omnium substantificator, » sicut causa subsistendi omnibus est « principium » essendi omnibus, « et medietas, » secundum quod duratio et processus omnium est ab eo, et est etiam « finis » in quem omnia tendunt.

Deinde cum dicit : « Propter hoc ab eloquiis qui vere præexistit, secundum omnium existentium intentionem multiplicatur, » infert conclusionem ex dictis, et dicit quod propter hoc quod Deus est principium omnibus, in sacra Scriptura ipse Deus qui vere præexistit omnibus, multipliciter laudatur secundum omnem rationem existentium. Dicitur enim de eo quod *erat, et est, et futurus est,* Apoc., I, per quod intelligitur « quod factum est, » id est præteritum, et quod « fit[1], » id est præsens, et quod « fiet, » id est futurum. Quod quidem non est intelligendum quasi esse divinum subjaceat tempori, sed per hoc significatur his qui possunt intelligere divina, ut decet secundum Deum, quod omne esse secundum quamcumque rationem essendi, substantialiter existit in eo qui omnium existentium est causa. Non enim esse suum est finitum per aliquam naturam determinatam ad genus vel speciem, ut possit dici quod est hoc et non est illud, ut sunt determinatæ etiam substantiæ spirituales, neque etiam per locum, ut possit dici quod est hic et non est ibi, sicut accidit in corporibus, sed ipse quasi « omnium causa » est, id est, omne esse in se præhabet, et in ipso comprehenduntur et præhabentur principia omnium entium et fines, non tamen eodem modo sicut in ipsis rebus, sed ipse est super omnia, sicut ante omnia supereminenter existens. Et quia in ipso quodammodo sunt omnia, quasi in se omnia comprehendente, simul de ipso omnia prædicantur, et simul ab ipso omnia removentur, quia nihil est omnium, sed super omnia, sicut dicitur quod ipse est omnis figuræ, inquantum omnes in ipso præexistunt, et tamen est sine figura, quia non habet esse ad modum rerum figuraturum, et eadem ratione est omnis pulchritudinis, et tamen sine pulchritudine, inquantum scilicet ipse in seipso incomprehensibiliter et excellenter præaccepit principia, media et fines, non secundum aliquam compositionem, sed ex hoc quod ipse secundum unitatem unam omnibus esse infundit, superlucendo eis absque sui maculatione; non enim est alterans alteratum, sicut in corporibus accidit.

Deinde cum dicit : « Si enim noster sol sensibilium substantias et qualitates, et quidem multas et differentes, tamen ipse unus existens ... renovat, et nutrit, et custodit, et perficit ... multo magis in causa omnium, et ipsius, et omnium præexistere existentium exemplaria secundum unam supersubstantialem unitionem est concedendum, » manifestat quod dixerat per exemplum sensibile, et dicit quod noster sensibilis sol unus existens, et uniformiter lumen infundendo omnibus, omnia sensibilia, et quantum ad substantias, et quantum ad qualitates, « renovat, » quibusdam corruptis alia de novo generando, sicut in plantis et in vitibus ex gelu percussis apparet, « et nutrit » omnia viventia, « et custodit, » id est conservat universaliter omnia tam viventia quam non viventia, « et perficit, » id est ad vitam et debitam perfectionem adducit, « et discernit, » id est distinguit sensibilium diversitatem, « et unit, » ex multis unum constituendo, et plantas hieme per frigus exsiccatas « reflorere facit, » etiam infra tecta conclusas, et facit eas germinare, et ejus virtute generantur[2] plantæ[3] et animalia, « et commutat ea » quæ commutantur in rerum natura, « et collocat, » id est firmiter esse et convalescere facit unumquodque in suo loco, vel etiam in suis principiis ; iterum « ex planta facit prodire » fructus et semina et alias plantas, « et sursum movet » alimentum a radice plantarum ad summitates ipsarum, « et vivificat omnia » quæ vivunt, et unumquodque omnium naturalium corporum secundum suam proprietatem participat virtutem unius et ejusdem solis. Ex quo patet quod « unus » et idem « sol in seipso » causaliter « præcepit uniformiter, » id est secundum suam virtutem, ea quæ a diversis participantur. Non enim effectus participa-

[1] Parm. : « sit. » — [2] Parm. : « germinant. » — [3] Parm. addit : « vites. »

rent causam nisi causa in se præhaberet causaliter ea quæ sunt effectuum. Eadem autem est proportio causæ particularis ad suos particulares effectus et causæ universalis ad suos, quinimo plus influit causa universalis ad suos effectus, quam causa particularis. Si igitur in sole secundum unam ejus virtutem præexistunt uniformiter omnes ejus effectus, multo magis in Deo, qui est causa et ipsius solis et omnium existentium, concedendum est quod præexistant exemplares rationes omnium entium secundum unitatem supersubstantialem, quæ scilicet omnium substantiarum unitates excedit. Sic enim omnia præexistunt in Deo, sicut ipse omnium est productivus, producit autem omnes substantias secundum virtutem qua excedit substantias omnes. Unde sequitur quod omnia in Deo præexistant secundum virtutem substantialiter unam.

LECTIO III.

De exemplaribus rerum.

Exemplaria autem esse dicimus in Deo existentium rationes substantificas, et singulariter præexistens, quas theologia prædefinitiones vocat, et divinas et bonas voluntates, existentium prædeterminativas et effectivas, secundum quas substantialis essentia omnia prædefinivit et produxit. Si autem philosophus Clemens probat, et ad aliquid exemplaria dici in existentibus principaliora, procedit quidem non per propria et perfecta et simplicia nomina sermo ille. Concedentibus autem et hoc recte dici, memoranda est theologia dicens quod non demonstrabo tibi illa ut eas post illa, sed ut per istorum proportionalem cognitionem ad omnium causam, sicut possumus, sursum agamur. Igitur omnia existentia ipsi secundum unam omnium segregatam unitionem sunt attribuenda, quoniam ab essentia substantificæ processionis et bonitatis incipiens, et per omnia vadens, et omnia ex ipsa essentia implens, et in omnibus existentibus exultans, omnia quidem in seipsa præhabet secundum unum simplicitatis excessum, omnem duplicitatem refutans, omnia autem eodem modo continet secundum supersimplificatam ipsius infinitatem, et ab omnibus singulariter participatur; quemadmodum et vox una existens et eadem a multis audientibus sicut una participatur. Omnium igitur existentium est principium et finis qui præexistit. Principium quidem sicut causa, finis autem sicut cujus gratia, et terminus omnium, et infinitas omnis infinitatis[1], et finis excedenter sicut oppositorum. In uno enim, sicut multoties dictum est, existentia omnia; et præhabet, et subsistere facit[2], præsens omnis et ubique, et secundum unum et idem, et secundum idem omne, et ad omnia procedens, et manens in seipso et stans, et motus, et neque stans neque motus, neque principium habens aut medium aut finem, neque in aliquo existentium existens; et neque totaliter ipsi convenit aliquid æternaliter existentium, aut temporaliter subsistentium; sed a tempore et ævo, et his quæ sunt in ævo, et his quæ sunt in tempore omnibus segregatur. Propter quod et ipsum ævum, et existentia, et mensuræ existentium, et mensurata per ipsum et ab ipso.

« Exemplaria autem esse dicimus in Deo existentium rationes substantificas, et singulariter præexistentes. » Postquam Dionysius ostendit Deum esse causam omnium entium secundum proprias naturas, hic determinat de exemplaribus rerum secundum quæ quæcumque res in propriis naturis productæ[3] esse videntur, et circa hoc duo facit. Primo, enim ostendit quæ sunt rerum exemplaria; secundo, excludit errorem, ibi : « Si autem philosophus Clemens probat et ad aliquid exemplaria dici in existentibus principaliora, procedit quidem non per propria et perfecta et simplicia nomina sermo ille. »

Circa primum considerandum est quod platonici ponentes Deum esse totius esse causam, quia credebant quod idem non posset esse causa plurium secundum propria in quibus differunt, sed solum secundum id quod est omnibus commune, posuerunt quasdam secundas causas, per quas res ad proprias naturas determinantur, et quæ communiter esse a Deo recipiunt, et has causas exemplaria rerum vocabant, sicut exemplar hominis dicebant quemdam hominem separatum, qui esset causa humanitatis omnibus singularibus hominibus, et similiter de aliis. Sed Dionysius sicut dixerat Deum esse causam totius esse communis, ita dixerat eum esse causam proprietatis uniuscujusque; unde consequebatur quod in ipso Deo essent omnium entium exemplaria. Quod quidem hoc modo intelligi oportet. Deus enim etsi sit in essentia sua unus, tamen intelligendo

[1] Al. : « finalitatis. » — [2] Al. : « præexistere facit. » — [3] Parm. : « productivæ. »

suam unitatem et virtutem cognoscit quidquid in eo virtualiter existit. Sic igitur cognoscit ex ipso posse procedere res diversas. Hujusmodi igitur quæ cognoscit ex se posse prodire, rationes [1] intellectæ dicuntur. Non autem omnes hujusmodi rationes exemplaria dici possunt. Exemplar enim est ad cujus imitationem fit aliud. Non autem omnia, quæ scit Deus ex ipso posse prodire, vult in rerum natura producere. Illæ igitur solæ rationes intellectæ a [2] Deo exemplaria dici possunt ad quarum imitationem vult res in esse producere, sicut producit artifex [3] artificiata ad imitationem formarum artis quas mente concepit, quæ etiam artificialium exemplaria dici possunt. Hoc est ergo quod dicit quod « exemplaria dicimus esse » non res aliquas extra Deum, sed in ipso intellectu divino quasdam existentium « rationes » intellectas, quæ sunt substantiarum factivæ, et præexistunt in Deo « singulariter, » id est unite, et non secundum aliquam diversitatem; et hujusmodi rationes sancta Scriptura vocat « prædefinitiones, » sive prædestinationes, secundum illud Rom., VIII, 30 : *Quos prædestinavit, hos et vocavit;* et vocat etiam eas « divinas et bonas voluntates, » secundum illud Psal. CX, 2 : *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus.* Quæ quidem prædefinitiones et voluntates sunt distinctivæ entium, et effectivæ ipsorum, quia hujusmodi rationes « supersubstantialis Dei essentia prædeterminavit omnia et produxit. »

Deinde cum dicit : « Si autem philosophus Clemens probat, et ad aliquid exemplaria dici in existentibus principaliora, procedit quidem non per priora et perfecta et simplicia nomina sermo ille, » excludit contrarium errorem ponentium exemplaria rerum esse quædam suprema entia separata, et imponit hunc errorem quidam Clementi philosopho, et dicit quod si ille philosophus approbat quod quantum ad aliquid ea quæ sunt principaliora in existentibus, dicuntur inferiorum exemplaria, non procedit ejus ratio per nomina propria et perfecta et simplicia. Exemplar enim est secundum quod fit aliud, ut sic exemplar imitetur. Res autem non sunt factæ ad hoc ut imitentur aliqua superiora entia, sed ad hoc quod in eis impleatur quod divina sapientia ordinavit. Unde non sunt proprie rerum exemplaria quæcumque rerum principalia; similiter etiam non sunt perfecta exemplaria, cum et ipsa aliis exemplaribus indigeant; non sunt etiam simplicia, quia sunt simul exemplaria et exemplata. Sed si et hoc concedatur quod hoc recte dici possit quod superiora sunt inferiorum exemplaria [4] inquantum inferiora imitantur secundum quod possunt superiora, tamen commemoranda est sacræ Scripturæ sententia, quæ dicit : *Non monstrabo tibi illa,* scilicet superiora entia, *ut eas post illa,* sed ut cognoscendo ista secundum nostram proportionem elevemur prout possumus ad cognoscendum omnium causam. Sic ergo concedi potest quod sunt exemplaria, non quidem ut eis finaliter conformemur, sed ut per eorum considerationem tendamus in Deum, cui conformari debemus. Sumitur autem sententia illa sacræ Scripturæ ex hoc quod dicitur Deuter., IV, 19 : *Ne forte* (inquit) *oculis elevatis ad cœlum, videas solem et lunam et omnia astra cœli, et errore deceptus adores ea.*

Deinde cum dicit : « Igitur omnia existentia ipsi secundum unam omnium segregatam unitionem sunt attribuenda, » epilogat quæ supra dicta sunt, ostendens quomodo Deus habet universalem habitudinem ad omnia. Concludit ergo primo ex præmissis quod omnia sunt ei attribuenda, non quidem secundum aliquam compositionem, sed secundum aliquam simplicem unitatem. Et hoc ideo quia ipse Deus incipit suam perfectionem aliis communicare ab ipsa processione essendi, per quam res substantificantur, et ab ipsa processione bonitatis; hæc enim inveniuntur primo inter ea quæ a Deo procedunt in creaturas, esse et bonum; posteriora enim his sunt vita et sapientia, et hujusmodi processio esse et bonitatis vadit per omnia entia, quia omnia sunt entia et bona, non omnia sunt viventia vel sapientia, et sic omnia implentur ex participatione ipsius esse, et sic in omnibus existentibus existit per quamdam existentiam. Quia igitur sic omnibus esse largitur divina essentia, omnia in seipsa præhabet, non quidem secundum aliquam compositionem, sed secundum simplicissi-

[1] Parm. : « res » — [2] Parm. : « intellectuales in Deo. » — [3] Al. additur « artificio. » — [4] Al. : « quod superiorum exemplaria. »

mam unitatem, omnem pluralitatem refutans. Sic igitur prima universalis habitudo est quod essentia divina omnia in seipsa præhabet. Secunda est quod omnia in esse continet et conservat secundum simplicem sui infinitam unitatem. Tertia universalis habitudo est quod singularis et una existens participatur ab omnibus, sicut et vox una et eadem existens, participatur a multis audientibus ; est enim vox una secundum principium, multiplex vero secundum diffusionem. Ex his autem concludit quartam universalem habitudinem, scilicet quod divina essentia est « principium omnium existentium et finis, » non quidem quod per essentiam generetur, sicut sanitas generatur per medicinam, sed sicut qui præexistentibus præexistit. « Principium quidem » est omnium « sicut causa » factiva rerum ; « finis vero sicut cujus gratia » fiunt omnia, et ipse est etiam « terminus omnium ; » cujuslibet enim motus terminatio est ad divinam essentiam, et ab ipsius infinitate derivatur « omnis infinitas » et omnis « finis, » sicut a causa excedente, quæ producit opposita, quia neutri appropriatur tanquam ad unum eorum limitata. Ratio quare potest esse omnium causa, est ista, quia omnia existentia præhabet in sui unitate, et quia ex eo quod habet unumquodque et causat aliquid ad similitudinem sui sequitur quod ille qui in se habet omnia, subsistere facit omnia, præsens omnibus rebus et ubique, non secundum diversas sui partes, sed secundum unum et idem, et secundum idem est omnia, inquantum in sua simplici essentia omnia virtualiter præexistunt, et similiter secundum idem procedit ad omnia causative, et tamen manet in seipso immutabilis existens in causando, « et stans » est inquantum non mutatur, « et motus » inquantum diffundit ad alia sui similitudinem. Et omnia ista quæ de Deo affirmamus, possunt etiam ab eo negari, quia non ita conveniunt ei sicut inveniuntur in rebus creatis et sicut intelliguntur a nobis et significantur. Unde, licet bene dictum sit quod sit principium omnium et finis, tamen neque habet principium neque medium neque finem. Et licet dictum sit quod est præsens omnibus et ubique, tamen non est in aliquo existentium eo modo quo unum creatum dicitur esse in alio. Et licet dictum sit quod ipse est omne existens, non tamen est aliquid existens de numero existentium creatorum. Et universaliter non convenit ei aliquid de numero creatorum, vel « existentium æternaliter, » id est supra tempus vel etiam « subsistentium temporaliter, » sed separatur per quamdam eminentiam et « a tempore, » quod mensurat motum et mutabilia, et ab « ævo, » quod mensurat ipsum esse et ea quæ existunt immutabiliter, et etiam separatur « ab his quæ sunt in ævo et tempore » per eminentiam quamdam. Et ideo ipsum ævum et ea quæ sunt et quæcumque aliæ mensuræ entium et ea quæ hujusmodi mensuris mensurantur, sunt « per ipsum, » quia similitudinem ejus habent sicut primi exemplaris « et ab ipso » sicut a primo activo principio.

CAPUT SEXTUM.

DE VITA.

LECTIO I.

Sed de istis quidem in aliis opportunius dictum sit, nunc autem laudanda est nobis vita æterna, ex qua est per se vita et omnis vita et a qua ad omnia quocumque modo vita participantia vivere juxta proprietatem uniuscujusque disseminatur. Et quidem immortalium angelorum vita et immortalitas et ipsum non destructivum angelici sempiterni motus, ex ipsa et propter ipsam et sunt et subsistunt; propter quod et viventes semper et immortales dicuntur et non immortales rursus, quoniam non a seipsis habent immortales esse et æternaliter vivere, sed ex vivifica et omnis vitæ effectiva et contentiva causa Et sicut in existente dicebamus, quod et ipsius quod est per se esse, est causa [1], ita et hic rursus, quod et ipsius per se vitæ semper vivens [2] divina vita est vivificata et substantificativa, et omnis vita et vivificativus motus est ex vita quæ est super omnem vitam et

[1] In cit. translat. : « ævum. » Forte utrumque apponendum sic : « ævum et causa, » ut in Commentario. — [2] Ibid. : « supervivens. »

omne principium omnis vitæ. Ex ipsa et animæ non destructibile habent et animalia omnia et plantæ secundum ultimam resonantiam vitæ habent vivere. Qua destructa, secundum eloquium, deficit omnis vita et ad quam et ea quæ infirmitate ad participandum ipsa defecerunt, rursus conversa rursus animalia fiunt. Et dat quidem prius per se vitæ esse vitam et omni vitæ et particulari esse proprie unamquamque quod esse naturaliter habet, Et supercœlestibus quidem vitis immaterialem et deiformem, et invariabilem immortalitatem, et fortem, et indeclinabilem motum sempiternum, superextenta propter abundantiam bonitatis et ad dæmonum vitam; neque enim ista esse ab alia causa, sed ex ipsa et esse vitam et permanentiam habet.

« Sed de istis quidem in aliis opportunius dictum est, nunc autem laudanda est nobis vita æterna. » Postquam Dionysius determinavit de existente, hic determinat de vita[1], quia processio vitæ est minus communis quam processio ipsius esse, et circa hoc duo facit. Primo, proponit quomodo nomine vitæ ostenditur in Deo causalitas omnis vitæ; secundo, manifestat divinæ vitæ causalitatem, ibi : « Et quidem immortalium angelorum vita et immortalitas et ipsum non destructivum angelici sempiterni motus, ex ipsa et propter ipsam et sunt et subsistunt. »

Dicit ergo primo quod de his quæ pertinent ad ens, dictum est diffusius et diligentius in aliis libris ; fecit enim multos libros quos non habemus. Sed nunc laudandus est Deus per hoc quod dicitur « vita æterna, » secundum illud I Joan., ult., 20 : *Hic est verus Deus et vita æterna,* sicut « ex qua est ipsa per se vita, » id est ipsa vita communis, « et omnis vita » particularis et ab ipsa divina vita « disseminatur, » id est distribuitur, « vivere » ad omnia quæ participant vitam « quocumque modo secundum proprietatem uniuscujusque ; » quasi diceret quod Deus dicitur vita æterna inquantum est causa communis et particularis vitæ et omnium viventium.

Deinde cum dicit : « Et quidem immortalium angelorum vita et immortalitas et ipsum non destructivum angelici sempiterni motus ex ipsa et propter ipsam et sunt et subsistunt, » manifestat causalitatem divinæ vitæ, et circa hoc tria facit. Primo, manifestat universalem causalitatem Dei respectu vitæ ; secundo, ostendit causalitatem ejus respectu cujuslibet proprietatis vivendi, ibi : « Et dat quidem prius per se vitæ esse vitam ; » tertio, ostendit qualis sit comparatio cujuslibet vitæ ad primam vitam, ibi : « Et sive intellectualem dicas, sive rationalem, sive sensibilem et augmentativam ....., ex ipsa vivunt et vivificant. » Circa primum tria facit. Primo, manifestat causalitatem Dei respectu supremæ vitæ, quæ est angelorum ; secundo, respectu vitæ communis, ibi : « Et sicut in existente dicebamus ..., ita et hic rursus ; » tertio, quantum ad vitam infimam, ibi : « Ex ipsa et animæ non destructibile habent. »

Circa primum considerandum est quod illa proprie dicuntur viventia in corporalibus quæ habent motum ex seipsis, non ab aliquo extrinseco mota, sicut animalia et plantæ. Et quia quælibet operatio quodammodo est motus, quæcumque habent operationem ex seipsis, non ab aliis exterioribus acta vel mota ad agendum, hæc[2] dicuntur viventia. Et quia operatio rei consequitur existentiam[3] ejus, in nomine vitæ duo intelliguntur, scilicet ipsum esse viventis, ut tale sit quod ei competat per se operari, et propter hoc quod operatio vel motus viventis inest ei per seipsum. Quantum ergo ad primum horum dicit quod ex ipsa divina vita sicut ex primo activo principio et propter ipsam sicut propter finem, non solum esse, sed et consistere habet vita et immortalitas angelorum immortaliter viventium. Quantum vero ad secundum dicit quod existentia vitæ est ipsa incorruptibilitas « sempiterni motus angelici, » id est operationis angelorum in perpetuum durantis. Et quia semper vivere et operari possunt, possunt dici immortales, sed hoc ipsum quod sunt immortales et in perpetuum vivunt, non habent a seipsis, sed a prima causa, quæ est effectiva et conservativa omnis vitæ. Illud autem proprie et vere est immortale quod non indiget aliquo extrinseco ad id quod semper vivat, sed habet semper vivere ex seipso, et sic solus Deus dicitur immortalis, secundum illud I Timoth., I, 17 : *Regi sæculorum immortali et invisibili, soli Deo honor et gloria.*

Deinde cum dicit : « Et sicut in existente dicebamus ..., ita et hic rursus, » manifes-

[1] Al. : « postquam Dionysius determinat de vita, » etc. — [2] Parm. : « hic. » — [3] Al. : « essentiam. »

tat divinam causalitatem respectu vitæ communis, et dicit quod, sicut dictum est supra, quod ipsum ens primum est « ævum, » id est mensura « et causa ejus quod est per se esse, » id est ipsius esse communis, ita hic dicendum est quod divina vita, quæ est supereminenter vivens, est causa factiva et conservativa « ipsius per se vitæ, » id est vitæ communis, et per consequens omnis vita particularis et omnis motus vitalis et omne principium cujuscumque vitæ procedit a vita divina, quæ est super omnem mentem.

Deinde cum dicit : « Ex ipsa et animæ non destructibile habent, » manifestat divinam causalitatem respectu vitæ inferioris, et dicit quod ex vita divina habent incorruptibiliter[1] vivere etiam animæ humanæ, et ex vita divina sunt et omnia animalia quæ vivunt vita sensitiva, et omnes plantæ, quæ habent vitam « secundum ultimam resonantiam, » id est secundum extremam et infimam participationem vitæ, quia vita ultra plantas non procedit. Destructa autem vita participata in creaturis, destruitur omnis vita, secundum doctrinam sacræ Scripturæ, ubi dicitur Psalm. CIII, 29 : *Auferes spiritum eorum, et deficient, et in pulverem suum revertentur.* Sed inquantum ea quæ per infirmitatem naturæ deficiunt a participatione vitæ, iterato convertuntur ad vitam, iterum fiunt animalia, vel qualitercumque viventia, ut patet in plantis et animalibus ex putrefactione generatis, et propter hoc ibid., 30, subditur : *Emitte spiritum tuum et creabuntur, et renovabis faciem terræ.*

Deinde cum dicit : « Et dat quidem prius per se vitæ esse vitam, » manifestat causalitatem divinæ vitæ quantum ad proprietates cujuslibet vitæ, et hoc propter quosdam qui dicebant quod Deus est communis causa vitæ, tamen particulares proprietates vivendi sunt ex causis propriis, per quas effectus causæ communis determinatur ad proprias species, et circa hoc tria facit. Primo, ostendit causalitatem divinæ vitæ quantum ad proprietates vivendi quæ sunt in supremis viventibus, scilicet angelis[2] dæmonibus ; secundo, quantum ad proprietates vivendi quæ sunt in hominibus, ibi : « Dans autem et viris sicut commixtis contingentem ad angelorum formam vitam ; » tertio, quantum ad proprietates vivendi quæ sunt in infimis viventibus, scilicet animalibus et plantis, ibi : « Ex ipsa vivificantur et conflorent et animalia omnia et plantæ. »

Dicit ergo primo quod Deus non solum dat vitæ communi quod sit vita, sed etiam cuilibet particulari vitæ dat quod sit proprie illud quod competit ei secundum naturam, sicut « supercœlestibus vitis » angelorum, quantum quidem ad esse viventium dat immortalem vitam ; primo, quidem « immaterialem, » quia non habent vitam adjunctam materiæ ; secundo, vitam « deiformem, » quia ex hoc ipso conformantur divinæ vitæ, quod absque materia vivunt ; tertio, sequitur quod habeant vitam « invariabilem, » quia subjectum variationis et motus est materia. Quantum etiam ad operationem vitæ ponit tria contraria his quæ sunt in nobis. In nobis enim operatio intellectualis primo quidem infirma est ad comprehensionem veritatis, et contra hoc dicit quod habent « motum, » id est operationem intellectualem, « fortem. » Secundo, operatio intellectualis in nobis potest perverti in falsam opinionem, et contra hoc dicit quod habent motum « indeclinabilem. » Tertio, operatio intellectualis in nobis non potest esse continua, quia non possumus semper et continue meditari, et contra hoc dicit quod habent « motum sempiternum. » Et quia ipsæ proprietates manifeste apparent in angelis beatis, ne aliquis a causalitate divinæ vitæ velit excludere dæmonum vitam, subjungit quod vita divina superextenditur per modum influentiæ et causalitatis, et abundantia suæ bonitatis etiam ad dæmonum vitam, quæ non posset ab alia causa conservari nisi a divina vita, ex qua habet quod sit vita, et permaneat conservata in esse.

[1] Al. : « corruptibiliter. » — [2] Parm. : « in dæmonibus. »

LECTIO II.

Causalitas quantum ad proprietates humanæ vitæ.

Dans autem et viris sicut commixtis contingentem ad angelorum formam vitam, et superemanationem bonitatis [1] et recedentes nos ad seipsam convertens et revocans. Et quod quidem est divinius, quod totos nos, dico, animas et conjuga corpora, ad perfectam vitam et immortalitatem se promittit translaturam Rem quidem antiquitati æqualiter præter naturam apparentem; mihi autem et tibi, et veritati, et divinam, et super naturam apparentem. Super naturam autem secundum nos dico vitam, non omnipotentem divinæ vitæ. Ipsi enim sicut omnium existenti vitarum naturæ, et maximæ divinorum, nulla vita præter naturam aut super naturam. Quare de hoc stultitiæ Simonis contradicentia verba longe a divino choro et tua sancta anima expellantur. Latuit enim ipsum (sicut arbitror) et in istis sapientem putatum esse non oportere, bene scientem uti manifesta sensus ratione, compugnante contra omnium occultam causam, et hoc est dicendum ipsi præter naturam dicere. Ipsi enim nihil est contrarium, ex ipsa vivificantur, et circumflorent, et animalia omnia et plantæ; et sive intellectualem dicas, sive rationalem, sive sensibilem et augmentativam, sive qualemcumque vitam, aut vitæ principium, aut vitæ substantiam, ex ipsa et vivunt et vivificant, quæ est super omnem vitam, et in ipsa secundum causam uniformiter præexstiterunt. Etenim supervivens et princeps vitæ vita, et omnis vitæ causa [2], et vitæ generativa, et adimpletiva, et discretiva [3], et divisiva vitæ, et ex omni vita est laudanda secundum multam fecunditatem omnium vitarum, sicut largissima, et omnis vitæ contemplativæ comprehensa, et laudata, et sicut non indigens, magis autem superplena [4], per se vivens, et sicut super omnem vitam vivificans et supervivens, aut quomodo aliquis vitam superviventem [5] et ineffabilem humane laudet.

« Dans autem et viris sicut commixtis contingentem ad angelorum formam vitam. » Hic manifestat Dionysius divinam causalitatem quantum ad proprietates humanæ vitæ; et primo, quantum ad vitam naturæ; secundo, quantum ad vitam gratiæ, cum dicit : « Et superemanatione bonitatis, et recedentes nos ad seipsam convertens; » tertio, quantum ad vitam gloriæ, quæ erit in resurgentibus, ibi : « Et, quod quidem est divinius, quod totos nos ... ad perfectam vitam et immortalitatem se promittit translaturam. » Vita autem naturalis in hominibus, in aliquo est conformis vitæ angelicæ, prout est intellectualis, et in aliquo ab ea differt, inquantum est vita conjuncta materiæ; et ideo dicit quod divina vita dat hominibus, quasi commixtis ex natura spirituali et corporali, vitam ad similitudinem angelorum, non perfecte, sed prout convenit [6]. Deinde quantum ad vitam gratiæ dicit quod divina vita per superemanationem suæ bonitatis etiam recedentes nos ab ea per peccatum, convertit et revocat ad seipsam, secundum illud Thren., v, 21 : *Converte nos, Domine, ad te, et convertemur*. Quantum vero ad vitam gloriæ resurgentium subjungit quod divina vita promittit quod transferet « nos totos, » id est animas et corpora eadem quæ nunc sunt animabus nostris conjuncta, « ad vitam perfectam, » id est beatam et immortalem, et hoc dicit esse divinius, quia est magis divinæ virtutis indicium. Et hæc quidem res antiquis communiter præter naturam apparebat quod scilicet corpora mortua resurgerent, « sed mihi et tibi, » id est fidelibus omnibus, secundum veritatem fidei apparet quiddam « divinum et supra naturam, » scilicet quæ a nobis cognoscitur in istis rebus particularibus, non autem supra naturam omnipotentem divinæ vitæ, quia divinæ vitæ [7], quæ est naturale principium omnium vitarum et maxime vitarum [8], divinarum, quarum est immediatum principium, nulla vita est præter naturam, vel supra naturam [9], quia ejus virtuti subest dare vitam quibus voluerit. Unde stultissima verba Simonis, quæ resurrectioni contradicunt, longe repellenda sunt a divina Ecclesia, « et a tua sancta anima, » ne scilicet eis aliquo modo acquiescas. Cum enim ipse reputaretur esse sapiens in istis rebus sensibilibus et naturalibus, tamen latuit ipsum, quia non oportet eum qui habet scientiam horum sensibilium quæ apparent, uti ratione quæ sumitur ex apparentibus secundum sensum, ad impugnandum uni-

[1] In cit. translatione : « benignitatis. » — [2] Ibid. : « et omnis est causa. » — [3] Ibid. omittitur : « et discretiva. » — [4] Ibid. additur : « vita. » — [5] Ibid. : « superunientem. » — [6] Parm. addit : « ei. » — [7] Parm. omittit : « quia divinæ vitæ. » — [8] Parm. omittit : « et maxime vitarum. » — [9] Parm. omittit : « vel supra naturam. »

versalem causam omnium quæ propter sui excellentiam est occulta, quia universalis causæ virtus non potest comprehendi aut mensurari per ea quæ in sensibus apparent. Et dicendum est Simoni quod cum dicitur aliquid esse contra naturam, hoc intelligitur, scilicet quod sit contra manifestissimam sensus rationem. Sed ipsi occultæ et universali causæ omnium nihil potest esse contrarium, quia omnia quæcumque sunt, ab ipsa derivantur.

Deinde cum dicit : « Ex ipsa vivificantur et circumflorent et animalia omnia et plantæ, » ostendit causalitatem divinæ vitæ respectu inferiorum viventium, scilicet animalium et plantarum, et dicit quod ex divina vita « et animalia omnia, et » etiam « plantæ vivificantur » interius, et exterius « circumflorent. » Quidquid enim exterius in eis apparet ad decorem vitæ pertinens, totum ex divina vita derivatur.

Deinde cum dicit : « Et sive intellectualem dicas, sive rationalem, sive sensibilem et augmentativam ..., ex ipsa et vivunt et vivificant, » ostendit habitudinem divinæ vitæ ad omnes vitas, et primo ponit duas habitudines divinæ vitæ ad omnes vitas, quarum prima est quod Deus est omnis vitæ causa, et est hoc quod dicit quod « sive tu dicas intellectualem » vitam, sicut est in angelis, sive « rationalem, » sicut est in hominibus, « sive sensibilem, » sicut est in animalibus, « et augmentativam, » sicut est in plantis, « sive qualemcumque vitam, » etiam si essent alii modi vivendi, et non solum omnis vita, sed etiam omne vitæ principium, et omnis substantia habens vitam, a vita divina, quæ est super omnem vitam, habent quod vivant substantiæ viventes, et quod vivificent vitæ principia. Secunda habitudo est quod in divina vita omnis vita præexistit, et hoc est quod dicit quod omnes vitæ prædictæ præexistunt causaliter in ipsa divina vita, non quidem secundum aliquam compositionem, sed uniformiter secundum unitatem vitæ divinæ et simplicitatem.

Secundo, ibi : « Etenim super vivens et princeps vitæ vita, » manifestat prædictas duas habitudines, et dicit ad manifestandam primam habitudinem quod divina vita, quæ est super omnem vitam, et quæ omni vitæ principatur, est « causa omnis vitæ, » quantum ad primam vitæ originem, et est « generativa vita, » quia hoc ipsum quod unum vivens ex alio vivente generari potest, ex divina vita est, et est « adimpletiva vitæ, » quia quod vivens ex imperfecto ad perfectum adducitur ex divina vita est, et est « divisiva vitæ, » quia diversitates viventium ex virtute divinæ vitæ procedunt.

Ad manifestandam autem secundam habitudinem, scilicet quod omnis vita in ipso existat, subjungit quod divina vita laudatur ex omni vita propter ejus fecunditatem qua producit omnes vitas. Et hoc quidem competit divinæ vitæ inquantum est « largissima, » quasi non coarctata ad aliquam speciem vitæ, sed habens amplitudinem comprehensivam omnis vitæ; et exinde est quod comprehenditur et laudatur ex contemplatione omnis vitæ.

Tertio, ibi : « Et sicut non indigens, magis autem superplena, per se vivens, » ponit conditiones divinæ vitæ per quas differt ab aliis; et primo quidem invenitur vita nostra multis indigens ad conservationem vitæ, sicut alimento et aliis hujusmodi; et ad hoc removendum dicit quod divina vita est non indigens, sed magis est superabundanter plena. Secundo vero id quod vivit in istis inferioribus non per se vivit, sed corpus vivit per animam; sed divina vita est per se vivens, quia non est in Deo aliud vivificans et supereminenter vivens, vel qualitercumque aliquis posset humanis verbis laudare vitam divinam, supereminenter viventem et ineffabilem.

CAPUT SEPTIMUM.

DE SAPIENTIA, MENTE, RATIONE, VERITATE ET FIDE.

LECTIO I.

Age autem, si videtur, bonam et æternam vitam et sicut sapientem, et sicut per se sapientiam laudemus; magis autem sicut omnis sapientiæ substantificativam, et super omnem sapientiam et prudentiam superexistentem. Non enim tantum Deus est superplenus sapientia et prudentiæ ipsius non est numerus, sed super omnem rationem, et mentem, et sapientiam supercollocatur. Et hoc supernaturaliter intendens divinus vere vir communis nostri et ducis sol, stultum Dei sapientius hominibus esse dicit, non solum quoniam humana deliberatio error quidam est, judicata ad stabile et manens divinorum et perfectissimorum intellectuum, sed quoniam consuetum est theologis contraria passione in Deo ea quæ sunt privationis dicere. Ita et invisibilem dicunt eloquia, clarissimum lumen; et multum laudabilem et multum nominabilem, ineffabilem et innominabilem; et omnibus præsentem, et ex omnibus inventum, incomprehensibilem et non investigabilem. Hoc modo igitur et nunc divinus apostolus laudare dicitur stultitiam Dei, quod apparet in ipsa præter rationem et inconveniens, ad ineffabilem et ante rationem omnem sursum agens veritatem. Sed quod in aliis dixi, juxta proprietatem nostram ea quæ sunt super nos accipientes et rationi connutritæ sensibus infixi et nostris divina comparantes decipimur, secundum apparens divinam et ineffabilem rationem exequentes. Oportet autem videre mentem nostram habere quidem virtutem ad intelligendum, per quam intelligibilia inspicit, unitionem autem excedentem mentis naturam, per quam conjungitur ad ea quæ sunt super ipsam. Secundum hanc igitur oportet divina intelligere, non secundum nos, sed nosipsos totos[1] extra nosipsos statutos et totos deificatos. Melius enim est esse Dei et non nostri ipsorum. Ita enim erunt divina data cum Deo factis[2].

« Age autem, si videtur, bonam et æternam vitam, et sicut sapientem et sicut per se sapientem laudemus. » Postquam Dionysius determinavit de ente et vita, hic determinat de sapientia et his quæ sapientiæ adjunguntur ad cognitionem pertinentia, et circa hoc tria facit. Primo, determinat de sapientia et mente; secundo, de ratione, ibi : « Ratio autem Deus laudatur a sanctis eloquiis; » tertio, de veritate et fide, ibi : « Hæc ratio est simplex et existens veritas. » Circa primum duo facit. Primo, ostendit quomodo sapientia in Deo accipiatur; secundo, manifestat quod dixerat, ibi : « Non enim tantum Deus est superplenus sapientia ....., sed super omnem rationem et mentem. »

Est autem considerandum quod semper in posterioribus priora salvantur. Bonum autem, secundum quod prius dictum est, quantum ad causalitatem est prius quam ens, quia bonum etiam ad non entia suam causalitatem extendit; ens autem ad plura se extendit quam vita, et vita quam sapientia, quia quædam sunt quæ non vivunt, et quædam vivunt quæ non cognoscunt. Et hoc Dionysius subtiliter insinuat. Nam vitam quidem divinam, quia secundum intellectum bonitatem præsupponit, nominat bonam. Quia vero præsupponit esse immutabilem, nominat eam æternam. Sed quia vitæ nulla sapientia deest, laudat eam ex sapientia, et hoc tripliciter. Primo quidem, quia divina vita sapiens est. Et, ut non intelligas quod sit participative sapiens, subjungit, quod ipsa est per se sapientia, sicut enim Deus est sua vita, ita est sua sapientia[3]; secundo, quod divina vita est causa producens in esse omnem sapientiam; tertio vero, quia divina vita est super omnem sapientiam quæ ad speculationem pertinet, et super omnem prudentiam quæ ad actionem pertinet.

Deinde cum dicit : « Non enim tantum Deus est superplenus sapientia et prudentiæ ejus non est numerus, sed super omnem rationem et mentem, » manifestat tria prædicta, et circa hoc tria facit. Primo, manifestat quod divina sapientia est super omnem sapientiam; secundo, quod sit omnis sapientiæ causa, ibi : « Hanc igitur irrationabilem, amentem et stultam sapientiam excedenter laudantes dicimus, quod omnis est mentis et rationis, et omnis sapientiæ et prudentiæ causa; » tertio, manifestat quomodo Deus est sapiens alia co-

[1] Al. deest « totos. » — [2] Al. : « futuris. » — [3] Parm. omittit : « ita est sua sapientia. »

gnoscendo, ibi : « Sic autem ipse Deus, qui est supersapiens, sapientia et mens et ratio et cognitor laudatur. » Circa primum duo facit. Primo, ostendit excessum divinæ sapientiæ ; secundo, ostendit quomodo ad ipsam divinam sapientiam excedentem nos habere debeamus, ibi : « Sed, quod in aliis dixi, juxta proprietatem nostram ea quæ sunt super nos accipientes et rationi connutritæ sensibus infixi ..... decipimur. »

Circa primum tria facit. Primo, proponit quod intendit, scilicet quod Deus non tantum dicitur superabundanter plenus omni sapientia, et quod habet prudentiam infinitam, sed etiam dicitur esse firmatus supra omne id quod ad cognitionem pertinere videtur, scilicet super « rationem, » et super « mentem, » id est intellectum, et super « sapientiam, » quæ est perfectio intellectus. Secundo, ibi : « Et hoc supernaturaliter intendens divinus vere vir, communis nostri et ducis sol, stultum « Dei sapientius hominibus esse dicit, » probat excessum divinæ sapientiæ per auctoritatem, et dicit quod hujusmodi excessum divinæ sapientiæ[1] supernaturali modo intelligens Paulus, qui fuit « divinus vir » ex participatione divinæ sapientiæ, et fuit « sol, » id est suo magisterio illustrator tam Dionysii quam ducis ejus, id est Hierothei, qui fuit ejus magister, dicit, I Corinth., I, 25 : *Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus*. Tertio, ibi : « Non solum quoniam omnis humana deliberatio error quidam est, judicata ad stabile et manens divinorum et perfectissimorum intellectuum, sed quoniam consuetum est theologis contraria passione in Deo ea quæ sunt privationis dicere, » exponit auctoritatem inductam.

Ubi considerandum est quod duplex modus invenitur in Scripturis ad signandum excellentiam divinorum. Quoniam enim ea quæ ad privationem et defectum pertinent, rebus creatis attribuuntur secundum comparationem ad excellentiam divinam, sicut si dicamus quod omnis justitia hominis est immunditia in comparatione ad Dei justitiam ; et similiter possumus dicere quod omnis humana deliberatio et cognitio reputatur quidam error in comparatione ad stabilitatem et permanentiam divinæ et perfectæ cognitionis, quam pluraliter nominat propter cognoscendam pluralitatem. Alio modo consuetum est in divina Scriptura ut ea quæ privative dicuntur, Deo attribuantur propter ejus excessum; sicut Deus, qui est clarissimum lumen, dicitur invisibilis, et qui est ex omnibus laudabilis et nominabilis, dicitur ineffabilis, et qui est omnibus præsens, dicitur incomprehensibilis, quasi sit omnibus absens, et qui ex omnibus rebus inveniri potest, dicitur non investigabilis; et hoc propter difficultatem inveniendi, quia nusquam ejus sphæræ circumferentia est, sed punctum ejusdem sphæræ intelligibilis ubique est[2], et hæc cuncta[3] dicuntur propter ejus excessum. Sic igitur et Apostolus in Deo laudat stultitiam propter id quod apparet tale[4] in Dei sapientia, propter nostram rationem, et videtur[5] nobis inconveniens, dum non possumus Dei sapientiam comprehendere, et per hoc elevat nos ad veritatem divinam, quæ est nobis ineffabilis, et quæ omnem nostram rationem excedit.

Deinde cum dicit : « Sed, quod in aliis dixi, juxta proprietatem nostram ea quæ sunt super nos accipientes ..., decipimur, » dicit qualiter nos habere debeamus ad excellentiam divinæ sapientiæ, et circa hoc tria facit. Primo, ostendit quomodo decipimur in contemplatione divinæ sapientiæ, et dicit quod, sicut in aliis libris suis dixit, dum res divinas, quæ sunt supra nos, volumus accipere secundum modum nostrum, et dum innitimur rationi nostræ quæ connutritur[6] sensibus a principio, scilicet a sensibilibus veritatem colligens[7], et dum volumus comparare res divinas rebus nostris, quæ scilicet nobis sunt notæ, ex hoc decipimur[8] volentes perscrutari rationem divinam et ineffabilem nobis, secundum illud quod nobis apparet per rationem et per sensum.

Secundo, ibi : « Oportet autem videre mentem nostram habere quidem virtutem ad intelligendum, unitionem autem excedentem mentis naturam, » ostendit quo-

[1] Parm. omittit : « per auctoritatem, et dicit quod hujusmodi excessum divinæ sapientiæ. » — [2] Cod. Vict. non habet : « Et hoc propter difficultatem inveniendi, quia nusquam ejus sphæræ circumferentia est, sed punctum ejusdem sphæræ intelligibilis ubique est. » — [3] Cod. Vict. : « et hoc totum propter. » — [4] Parm. omittit : « tale. » — [5] Parm. : « et ut nobis. » — [6] Parm. : « continetur. » — [7] Parm. : « colligentes. » — [8] Parm. : « notæ : hoc decipi. »

modo hanc deceptionem vitemus, et dicit quod oportet considerare quod mens nostra duo habet ad intelligibilia cognoscenda. Primo, quod habet naturalem virtutem, id est intelligentiam, per quam inspicere potest intelligibilia sibi proportionata. Secundo vero, habet quamdam unitionem ad res divinas per gratiam, quæ excedit naturam mentis nostræ, per quam unitionem conjunguntur homines per fidem aut[1] quamcumque cognitionem ad ea quæ sunt super naturalem mentis virtutem. Oportet ergo ut intelligamus divina secundum hanc unitionem gratiæ, quasi[2] non trahendo divina ad ea quæ sunt secundum nos, sed magis totos nos statuentes extra[3] nos in Deum, ita ut[4] per prædictam unitionem totaliter deificemur. Et quia posset aliquis dicere quod hoc nobis esset nocivum, si nosipsos deseramus[5], ideo hoc tertio excludit, ibi : « Melius enim est esse Dei, et non nostri ipsorum ; » et dicit quod cum Deus sit melior nobis, melius est nobis quod simus Dei per unitionem gratiæ quam[6] quod simus nostri ipsorum, id est[7] nostris naturalibus innitentes. Sic enim nobis « factis cum Deo, » id est[8] cum Deo uniti fuerimus, divina nobis dona adhærent nobis[9], quæ percipere non possumus, si Dei unitionem negligentes nobis ipsis inhæreamus.

LECTIO II.

Causalitas divinæ sapientiæ primo in generali.

Hanc igitur irrationabilem et amentem et stultam sapientiam excedenter laudantes, dicimus quod omnis est mentis et rationis, et omnis sapientiæ et prudentiæ causa, et ipsa est omne consilium, et ab ipsa est omnis cognitio et prudentia, et in ipsa sunt omnes thesauri sapientiæ et cognitionis absconditi. Etenim juxta consequentiam jam prædictorum, persapiens et omnisapiens causa, et ipsius per se sapientiæ, et totius et particularis est substantificatrix ; ex ipsa intelligibiles et intellectuales angelicarum mentium virtutes, simplices et beatos et bonos[10] habent intellectus, non in divisibilibus partibus[11], a divisibilibus, aut sensibilibus[12], aut sermonibus diffusis congregantes divinam cognitionem, neque ab aliquo communi[13] ad ista simul actæ. Ab omni autem materiali multitudine mundæ existentes, intellectualiter et immaterialiter uniformiter intelligibilia divinorum intelligunt, et est ipsis intellectualis virtus et operatio, munda et immaculata puritate resplendens, et conspicaci divinorum intellectuum simplicitate et immaterialitate, et divinitus unitio ad divinam supersapientem, et mentem, et rationem, sicut est possibile figurata, propter divinam sapientiam et animæ rationale habent, diffusive quidem, et circulo circa existentium veritatem circumeuntes, et divisibili et largissimo varietatis deficientes ab unitivis mentibus. Multorum autem ad unum convolutione et intellectibus æqualibus angelis, inquantum animabus est proprium et possibile, dignæ habitæ. Sed et aliquis non peccet ab intentione, dicens sensus ipsos esse resonantiam sapientiæ. Et quidem et dæmonum mens, secundum quod mens est, ex ipsa est ; inquantum autem mens est rationis depravatæ, consequi quod desiderat neque sciens neque volens, casum a sapientia magis proprie ipsam oportet appellare, secundum quod quidem sapientiæ ipsius omnis, et mentis omnis et rationis et sensus omnis divina sapientia et principium est et causa, et substantificatrix, et perfectio, et custodia, et finis dictum est. Sic autem ipse Deus, qui est supersapiens sapientia, et mens, et ratio, et cognitor laudater.

« Hanc igitur irrationabilem et amentem et stultam sapientiam excedenter laudantes, dicimus quod omnis est et mentis et rationis, et omnis sapientiæ et prudentiæ causa. » Postquam Dionysius ostendit excessum divinæ sapientiæ, hic ostendit causalitatem ipsius; et primo, in generali; secundo, in speciali, ibi : « Ex ipsa intelligibiles et intellectuales angelicarum mentium virtutes, simplices et beatos et bonos habent intellectus. »

Recolligit ergo primo excessum divinæ sapientiæ, dicens quod divina sapientia laudatur excellenter sicut irrationabilis, inquantum excedit rationem, et sicut amens, inquantum excedit mentem sive intellectum, et sicut stulta, inquantum excedit habitum mentis, scilicet sapientiam ; et adjungit causalitatem divinæ sapientiæ, ponens tres conditiones hujus causæ. Primo quidem, causalitatem ejus, dicens quod divina sapientia causa est per suæ similitu-

[1] Parm. : « ad. » — [2] Parm. omittit : « gratiæ quasi. » — [3] Parm. : « supra. » — [4] Parm. omittit : « ut. » — [5] Parm. : « deificaremus. » — [6] Parm. omittit : « gratiæ quam. » — [7] Parm. omittit : « id est. » — [8] Parm. omittit : « id est. » — [9] Parm. : « aderunt. » — [10] Al. omittitur « et beatos; » in cit. translatione deest « et bonos. » — [11] Ibid. omittitur « partibus. » — [12] Ibid. : « aut sensibus. » — [13] Al. : « in communi. »

dinis aliqualem participationem, potentiarum et practicarum et cognoscitivarum, scilicet « mentis, » id est intellectus, « et rationis, » quæ est intellectuum et habituum practicorum et cognoscitivorum, « sapientiæ, » quæ est habitus contemplativus mentis, « et prudentiæ, » quæ est ratio recta in agendis. Secunda conditio hujus causæ est quod effectus dicuntur de ipsa; ipsa enim est omne consilium, et tamen ab ipsa est omnis cognitio et prudentia. Tertia conditio hujus causæ est quod effectus existunt in ipsa; « in ipsa » enim sapientia Dei, quæ est Christus, *sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi,* sicut Apostolus dicit Coloss., II. Et hujusmodi tertia conditio est causa secundæ. Ideo enim Deus nominatur a suis effectibus, quia effectus supereminenter præexistunt in ipso. Unde, quantum ad abundantiam sapientiæ et cognitionis in Deo, utitur nomine thesaurorum; quantum vero ad eminentiam divinæ cognitionis, prout excedit nostrum intellectum, attribuit hujusmodi thesauro absconsionem. Et hanc quidem universalem divinæ sapientiæ causalitatem manifestat per similitudinem præmissorum, scilicet bonitatis, essentiæ et vitæ, et dicit : Sicut dicitur in prædictis, consequenter et hic dicendum est quod Deus, qui est causa supereminenter sapiens, et abundanter, utpote omnem sapientiam habens, et causa dans etiam ipsi per se sapientiæ, prout intelligitur ut quoddam formale, sive intelligatur in universali, sive in particulari, prout inducit sapientiam hujus vel illius.

Deinde cum dicit : « Ex ipsa intelligibiles et intellectuales angelicarum mentium virtutes, simplices et beatos et bonos habent intellectus, » ostendit causalitatem divinæ sapientiæ in particulari respectu singulorum; et primo, quantum ad angelos; secundo, quantum ad animam rationalem, ibi : « Propter divinam sapientiam et animæ rationale habent; » tertio, quantum ad sensus, ibi : « Sed et aliquis non peccet ab intentione, dicens sensus ipsos esse resonantiam sapientiæ; » quarto, quantum ad dæmones, non inquantum est depravatio cognitionis, sed inquantum est de natura sua, in quibus est scientia quædam cognoscens.

Circa primum tria facit. Primo, ponit processum angelicæ cognitionis a Deo, et dicit quod ex divina sapientia « virtutes angelicarum mentium, » quæ sunt « intelligibiles, » inquantum sunt immateriales, et sunt « intellectuales, » inquantum intelligere possunt, secundum quamdam divinæ similitudinis participationem « habent » quidem « intellectus simplices » secundum proprietatem suæ naturæ, « et beatos » secundum unitionem ad Deum, « et bonos » secundum proprietatem suæ scientiæ dirigere sermonem ad Deum.

Secundo, ibi : « Non in divisibilibus partibus, aut a divisibilibus, aut sensibilibus, aut sermonibus diffusis congregantes divinam cognitionem, » manifestat simplicitatem angelici intellectus per remotionem eorum quæ in nostro intellectu compositionem inducunt. Est autem considerandum quod in nobis est duplex compositio intellectus. Una quidem quæ pertinet ad inventionem veritatis; alia vero quæ pertinet ad judicium. Inveniendo quidem quasi congregantes, ex multis ad unum procedimus, sive multa dicantur diversa sensibilia, per quorum experimentum universalem cognitionem accipimus, sive multa dicantur diversa signa, ex quibus ratiocinando ad talem veritatem pervenimus. Non solum autem hujusmodi multis et divisibilibus procedimus ad unam intelligibilem veritatem, cum primo scientiam acquirimus, sed etiam jam scientiam habentes, in ipsis multis vel divisibilibus per quamdam applicationem consideramus quod in universali cognitione tenemus. In judicio vero procedimus ab aliquo communi principio ad prædicta multa et divisibilia, sive particularia sui effectus et signa. Utrumque autem istorum ab angelis excludens dicit quod intellectus angelorum non congregant sicut nos divinam cognitionem in divisibilibus diversis considerantes quæ jam sciunt, aut ab hujusmodi divisibilibus scientiam acquirentes. « Divisibilibus, » dico, « aut sensibilibus » quantum ad sensibilia, « aut sermonibus diffusis, » id est « rationibus, » ut alia translatio habet. Nam logos in græco et rationem et sermonem significat. Et dicitur ratio diffusa propter processum ex uno in aliud. Neque etiam prædictæ intellectuales virtutes, similiter ut in nobis, aguntur ab aliquo communi ad ista multa et divisa; sed cum sint puræ ab omni materia, per quod differunt a sensibus et sensibilibus, et « multitudine, » per quod differunt a rationibus diffusis, « intelligunt

intelligibilia divinorum, » non sensibiliter, neque rationabiliter, sed « intellectualiter; » sed « et immaterialiter, » ad differentiam sensus, et « uniformiter » ad differentiam rationis.

Tertio, ibi : « Et est ipsis intellectualis virtus et operatio, munda et immaculata puritate resplendens, » assignat causam tam excellentis cognitionis in angelis; et primo quidem, ex parte naturæ ipsorum, et dicit quod ipsis angelis est « virtus et operatio intellectualis resplendens puritate munda et immaculata. » Munda quidem per remotionem interioris immunditiæ, immaculata per remotionem[1] exterioris iniquitatis. Et hæc puritas in eis provenit ex duobus. Primo quidem, ex quadam simplicitate naturali et immaterialitate, et convenit ipsis intellectibus angelicis, quos vocat divinos, propter proprietatem[2] et similitudinem ad Deum; et ex hac simplicitate et immaterialitate redduntur conspicaces, id est acute intelligentes. Secundo etiam, resplendet in eis puritas ex dono divinitus eis dato, per quod uniuntur ad Deum; per quod quidem donum, secundum eorum possibilitatem intendunt « ad divinum, » id est ad hoc ipsum quod Deus est, ad divinam « mentem et rationem, » quæ omnem sapientiam excedit. Est ergo in eis puritas intellectus et splendor tam ex eorum simplicitate quam etiam ex dono divinæ gratiæ.

Deinde cum dicit : « Propter divinam sapientiam et animæ rationale habent, » ostendit quomodo animarum rationabilitas a divina sapientia derivatur, et dicit quod propter divinam sapientiam et animæ humanæ habent quod sint rationales. Et ad exponendum secundum quod animæ rationales dicuntur, subjungit quod circumeunt circa veritatem existentium « diffusive et circulo. » Veritas enim existentium radicaliter consistit in apprehensione quidditatis[3] rerum, quam quidditatem[4] rationales animæ non statim apprehendere possunt per seipsam, sed diffundunt se per proprietates et effectus qui circumstant rei essentiam, ut ex his ad propriam veritatem ingrediantur. Hæc autem circulo quodam efficiunt, dum ex proprietatibus et effectibus causas inveniunt, et ex causis de effectibus judicant. Et quia mentes angelicæ secundum unitam et simplicem considerationem veritatem inspiciunt, deficiunt ab eis animæ inquantum per divisionem et multitudinem variarum rerum diffunduntur ad veritatis cognitionem. Sed tamen in hoc ipso quod multa in unum convolvere possunt, sicut cum ex multis effectibus et proprietatibus perveniunt ad cognoscendam rei essentiam, intantum dignæ habentur animæ ut homines habeant intellectus quodammodo angelis æquales, scilicet secundum proprietatem et possibilitatem animarum. Inquisitio enim rationis ad simplicem intelligentiam veritatis terminatur, sicut incipit a simplici intelligentia veritatis, quæ consideratur in primis principiis. Et ideo in processu rationis est quædam convolutio ut circulus, dum ratio ab uno incipiens per multa procedens, ad unum terminatur.

Deinde cum dicit : « Sed et aliquis non peccet ab intentione, dicens sensus ipsos esse resonautiam sapientiæ, » ponit quod etiam cognitio sensitiva a divina sapientia derivatur, et dicit quod aliquis non peccabit quasi divertens ab intentione proposita, secundum quam intendimus processum divinæ sapientiæ assignare, si etiam ipsos sensus esse quamdam resonantiam dixerit sapientiæ divinæ. Infimum enim cujuslibet processionis resonantia nominatur, ad similitudinem ejus quod non potest sentiri de sono propter distantiam. Sicut enim ultimum vitæ est in plantis, ita infimum cognitionis est in sensu. Nam divina sapientia est super omnem cognitionem, cujus primus effectus est cognitio intellectus angelici, quæ tota in uniformitate consistit; secundus effectus est cognitio rationis, quæ multa ad unum convolvit; tertius autem effectus est cognitio sensitiva, quæ circa multa diffunditur, sed uniformitatem cognoscere non valet.

Deinde cum dicit : « Et quidem et dæmonum mens, secundum quod mens est, ex ipsa est, » ostendit quod etiam cognitio dæmonum a divina sapientia derivatur, et ponit ultimo cognitionem dæmonum, quia est cognitio depravata, licet secundum naturæ ordinem sit altior cognitione rationis et sensus, et dicit quod mens dæmonum,

[1] Parm omittit : « interioris immunditiæ, immaculata per remotionem. » — [2] Parm. : « propinquitatem. » — [3] Parm. omittit : « quidditatis. » — [4] Parm. : « quam quidem. »

inquantum retinet de natura et virtute mentis, ex divina sapientia procedit,- sed inquantum habet cognitionem depravatam per malam voluntatem, dum summum bonum, quod naturaliter desiderat, neque scit consequi[1], neque vult, eo modo quo oportet, in hoc magis cadit a divina sapientia; qui quidem casus non est eis a Deo, sed ex libero arbitrio.

Ultimo autem recapitulat quod dixerat, et dicit, quod dictum est, quod divina sapientia est principium a quo tota cognitionis emanatio incipit, et causa ipsam profundens, « et substantificatrix, » inquantum facit esse sapientiam in unoquoque, « et perfectio, » inquantum cognitionem ad perfectum adducit, « et custodia, » id est conservatio, « et finis, » quia in hoc terminatur omnis cognitio quod Deus cognoscatur. Est igitur divina sapientia « et principium, et causa » ipsius sapientiæ secundum se acceptæ[2] in communi, « et omnis mentis, » id est intellectus quantum ad angelos, « et omnis rationis » quantum ad homines, « et omnis sensus » quantum ad animalia.

LECTIO III.

Quomodo Deus cognoscit per divinam sapientiam.

Quomodo enim intelliget aliquid intelligibilium non habens intellectuales operationes? Aut quomodo cognoscet sensibilia super omnem sensum collocatus? Et quidem omnia ipsum scire dicunt eloquia, et nihil effugere divinam cognitionem. Sed quod dixi multoties, divina, ut decet Deum, intelligere convenit. Etenim sine mente, et non sensibile, secundum excessum, non secundum defectum in Deo est ordinandum, sicut irrationale reponimus ei qui est super rationem, et imperfectionem ei qui est superperfectus, et præperfectus, et impalpabilem et invisibilem caliginem lumini inaccessibili secundum excessum visibilis luminis. Quare divina mens omnia continet, ab omnibus segregata cognitione, secundum omnium causam, in seipso omnium scientiam præaccipiens. Antequam angeli fierent, sciens et producens angelos, et cuncta alia intus, et ab ipso, ut ita dicam, principio sciens, et ad substantiam agens. Et hoc arbitror tradere eloquium, quando dicit : Qui scit omnia antequam fiant ipsa. Non enim ex existentibus existentia dicens, novit divina mens, sed ex seipsa[3] secundum causam omnium scientiam, et cognitionem, et substantiam præhabet, et præaccepit, non secundum visionem singulis se immittens, sed secundum unam causæ continentiam omnia sciens et continens; sicut et lumen secundum causam per semetipsum tenebrarum præaccepit visionem, non aliunde videns tenebras quam a lumine. Igitur seipsam divina sapientia cognoscens cognoscit omnia, immaterialiter materialia, et indivisibiliter divisibilia, et multa unitive, in seipso uno omnia et cognoscens, et producens. Etenim si secundum unam causam Deus omnibus existentibus esse tradidit, secundum eamdem causam sciet omnia, sicut ex ipso existentia, et quæ in ipso præextiterunt; et non ex existentibus sumet ipsorum cognitionem, sed et ipsis singulis eorum; et aliis aliorum cognitionis erit largitor. Non igitur Deus propriam habet suiipsius cognitionem, aliam autem communem, existentia omnia comprehendentem. Ipsa enim omnium causa seipsam cognoscens vacat alicubi, si ea quæ sunt ab ipsa et quorum est causa, ignoraverit. Ita igitur Deus existentia cognoscit, non scientia quæ sit existentium, sed quæ sit suiipsius. Etenim et angelos scire dicunt eloquia ea quæ sunt in terra, non secundum sensus, ita cognoscentes sensibilia quidem existentia, sed secundum propriam deiformis mentis virtutem et naturam.

« Quomodo enim intelliget aliquid intelligibilium non habens intellectuales operationes? » Postquam Dionysius manifestavit eminentiam et causalitatem divinæ sapientiæ, hic ostendit quomodo per divinam sapientiam Deus cognoscat, et circa hoc duo facit. Primo, ostendit quomodo Deus cognoscat; secundo, quomodo cognoscatur, ibi : « Propterea[4] inquirere oportet quomodo nos cognoscimus Deum. » Circa primum tria facit. Primo, movet dubitationem; secundo, solvit eam, ibi : « Sed, quod dixi multoties, divina, ut decet Deum, intelligere convenit; » tertio, ex solutione posita quasdam conclusiones infert, ibi : « Igitur seipsam divina sapientia cognoscens cognoscit omnia. »

Dicit ergo primo ut sapientia quod cum Deus sit super omnem sapientiam, ipse tamen laudatur[5] et ut mens, et ut ratio, et ut cognitor. Est enim dubitatio quomodo possit intelligere intelligibilia, cum non habeat intellectuales operationes, et quomodo possit cognoscere sensibilia, cum

[1] Parm. : « neque sic consequitur, neque vult. » — [2] Parm. : « accepta. » — [3] Al. : « sed se ex ipsa; » in cit. autem translatione : « sed ex ipsa et in ipsa secundum causam, » etc. — [4] Al. : « præterea. » — [5] Al. : « in sapientia; » Parm. : « in Scriptura. »

sensum non habeat, sed sit super omnem sensum; cum tamen sacra eloquia tradant, quod ipse cognoscat omnia, et quod nihil effugit divinam cognitionem, secundum illud Hebr., IV, 13 : *Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus, et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus.*

Deinde cum dicit : « Sed quod dixi multoties, divina, ut decet Deum, intelligere convenit, » solvit propositam dubitationem, et circa hoc tria facit. Primo, ostendit quomodo sensus et intellectus removeantur a Deo; secundo, quomodo cognitio ei conveniat, ibi : « Quare divina mens omnia continet; » tertio, probat per auctoritatem, ibi : « Et hoc arbritror tradere eloquium. » Dicit ergo primo quod, sicut multoties dictum est conveniens est ut intelligantur divina ut decet Deum. Quod enim dicitur quod Deus est sine intellectu et sine sensu, non est accipiendum secundum defectum, quasi Deus deterior sit his quæ habent sensum vel intellectum, sed secundum excessum accipi debet, quia scilicet omnia intelligibilia excedit. Sic etiam attribuimus ei irrationale, inquantum est supra rationem, et attribuimus ei imperfectionem, inquantum est perfectus super omnia et ante omnia, et attribuimus ei quod est caligo impalpabilis et invisibilis, inquantum est lumen inaccessibile, excedens omne lumen quod a nobis videri potest vel per sensum vel per intellectum.

Deinde cum dicit : « Quare divina mens omnia continet, » concludit ex præmissis quod « divina mens omnia » cognoscendo « continet » per cognitionem separatam « ab omnibus, » quia scilicet ejus cognitio est et supra cognitionem intellectus, et supra cognitionem sensus, inquantum cognoscit omnia per ipsam primam causam omnium, primo in se habens omnem scientiam quam omnia esse habeant; sicut prius habuit notitiam angelorum quam angeli fierent, et prius etiam intus in sui dispositione produxit angelos et omnia alia quam in propriis naturis essent, quasi sciens omnia, ut ita dicam, ab ipso primordiali rerum principio, et per suam scientiam duxit omnia ad hoc quod ipsa subsistunt.

Deinde cum dicit : « Et hoc arbitror tradere eloquium, » probat quod dixerat per auctoritatem Scripturæ, et dicit quod hoc quod dictum est significatur in sacra Scriptura, cum dicit quod Deus *scit omnia antequam fiant;* et potest accipi Eccli., XXXIII, 29, ubi dicitur : *Domino enim Deo, antequam crearentur, omnia sunt agnita.* Et exponit hoc dicens quod hoc quod dicit quia divina mens novit omnia, non est per hoc quod [1] acquirit scientiam rerum a rebus, sed ex seipsa et in seipsa [2] præhabet per modum causæ omnem scientiam et cognitionem et substantiam. Et dicit substantiam, quia, sicut supra dictum est in capitulo « De ente, » in ipso esse divino præexistit omne esse; aliter enim per suam essentiam non posset omnia cognoscere nisi omnia causaliter in ipso essent. Et quia omnia per suam essentiam cognoscit, sequitur quod ipse sciat [3] omnia et contineat sciendo, non per hoc quod seorsum se immittat dividendo singulis (sicut nos seorsum applicamus intellectum nostrum diversis), sed per unam causæ continentiam, quia scilicet cognoscendo unam causam continentem omnia, cognoscit omnia, sicut et lumen, si esset cognoscitivum, per seipsum cognosceret tenebras, non aliunde accipiens tenebrarum cognitionem quam a seipso. Comparatur autem Deus ad creaturas sicut lumen ad tenebras propter deficientiam creaturarum a divino lumine.

Deinde cum dicit : « Igitur seipsam sapientia divina cognoscens cognoscit omnia, » infert ex præmissis tres conclusiones. Manifestum est enim quod omnis cognitio est secundum modum ejus quo aliquid cognoscitur, sicut omnis operatio est secundum modum formæ quo aliquis operatur. Cum igitur divina sapientia omnia cognoscat per hoc quod cognoscit seipsam, ut dictum est, ipsa autem est immaterialis, et indivisibilis, et una, sequitur quod cognoscat « materialia immaterialiter et divisibilia indivisibiliter, et multa unitive [4], » inquantum scilicet omnia cognoscit et producit per unum, quod est ejus essentia. Si enim per causam possunt cognosci effectus, sequitur quod si ipse tradit esse omnibus secundum unam causam, quæ est ejus essentia, quod etiam secundum eamdem causam sciat omnia, sicut quæ ab ipso processerunt et quæ præextiterunt in ipso

[1] Al. : « non quia hoc quod, » etc. — [2] Parm. omittit : « et in seipsa. » — [3] Parm. : « ipse sicut omnia. » — [4] Al. : « et multa virtute. »

Deo [1], antequam essent in propriis naturis. Et sic manifestum est quod Deus non sumit cognitiones rerum ab ipsis rebus, sed magis ipsis cognoscentibus dat quod possunt seipsa cognoscere, et quod alia ab aliis cognoscantur.

Secundam conclusionem infert, ibi : « Non igitur Deus propriam habet suiipsius cognitionem, aliam autem communem. » Si enim Deus, cognoscendo se, cognoscat omnia, sequitur quod non sit in ipso alia cognitio qua cognoscit seipsum et alia qua communiter comprehendit omnia. Si enim ita esset quod cognoscendo seipsum non cognosceret omnia, sequeretur quod ejus causalitas alicubi vacaret, ita scilicet quod essent aliqua non ab eo causata. Sicut igitur impossibile est quod sit aliquid a Deo non causatum, ita impossibile quod sit aliquid a Deo non [2] cognitum.

Tertiam conclusionem infert, ibi : « Ita igitur Deus existentia cognoscit, non scientia quæ sit existentium, sed quæ sit suiipsius. » Si enim modus cognitionis sequitur cognitionis principium ; ex quo Deus cognitionem rerum non accepit a rebus, sequitur quod non cognoscit existentia per cognitionem quæ sit ad modum existentium [3], sed per cognitionem quæ sit ad modum suiipsius; quod etiam de angelis Scriptura dicit quod cognoscunt quæ sunt in terra, non tamen quod cognoscant sensibilia per sensus, sed per propriam virtutem et naturam suæ mentis, prout Deo assimilantur, qui per suam essentiam cognoscit omnia, non solum universalia, sed etiam singularia. Superioris enim naturæ major est virtus, et potest plus per unum cognoscere quod inferior cognoscit per multa. Deus igitur, et etiam angelus per assimilationem ad Deum, cognoscit per mentem non solum universalia, sed etiam singularia, quamvis homo intellectu cognoscat universalia, sensu vero singularia.

LECTIO IV.

Quomodo cognoscatur Deus.

Propterea inquirere oportet quomodo nos cognoscimus Deum, neque intelligibilem, neque sensibilem, neque aliud universaliter existentium existentem. Numquid igitur verum est dicere, quoniam Deum cognoscimus non ex natura ipsius? Ignotum enim est hoc et omnem intellectum [4], et rationem, et mentem excedens ; sed ex omnium totorum ordinatione, sicut ex ipso proposita, et imagines quasdam et assimilationes divinorum ipsius exemplarium habente, ad illud quod est super omnia, vita et ordine secundum virtutem ascendimus, in omnium ablatione et excessu et in omnium causa : propter quod et in omnibus Deus cognoscitur et sine omnibus; et per cognitionem Deus cognoscitur et per ignorantiam; et est ipsius, et intellectus, et sermo, et scientia, et tactus, et sensus, et opinio, et phantasia, et nomen, et alia omnia ; et neque intelligitur, neque dicitur, neque nominatur; et non est aliquid existentium, neque in aliquo existentium cognoscitur, et in omnibus [5] omnia est, et in nullo nihil, et in omnibus cunctis cognoscitur et ex nullo nulli. Etenim et hoc recte de Deo dicimus et ex existentibus universis laudatur secundum proportionem omnium quorum est causa; et est rursus divinissima Dei cognitio, quæ est per ignorantiam cognita secundum unitionem super mentem, quando mens ab aliis omnibus recedens, postea et seipsam dimittens, unita est supersplendentibus radiis ; inde et ibi non scrutabili profundo sapientiæ illuminata ; et quidem ex omnibus, quod dixi, ipsa est cognoscenda. Ipsa enim est, secundum eloquium, quæ est omnium effectiva, super omnia concordans [6] et indissolubilis omnium concordationis et ordinis causa, et semper fines primorum conjungens principiis secundorum et unam omnium conspirationem et harmoniam pulchre operans.

« Propterea inquirere oportet quomodo nos cognoscimus Deum. » Postquam Dionysius ostendit quomodo Deus cognoscat, hic ostendit quomodo cognoscatur, et circa hoc tria facit. Primo, movet dubitationem ; secundo, solvit, ibi : « Numquid igitur verum est dicere quoniam Deum cognoscimus non ex natura ipsius ? » tertio, infert conclusionem ex dictis, ibi : « Propter quod et in omnibus Deus cognoscitur et sine omnibus. »

Dicit ergo primo quod, cum dictum sit quod Deus cognoscit omnia per essentiam suam, quæ est super intellectum et sensum et super omnia existentia, restat quærendum quomodo nos possumus cognoscere

[1] Parm. : « in præponendo, » et in notula : Forte : « in ejus proposito vel mente. » — [2] Parm. : « sic igitur impossibile est quod sit aliquid a Deo non cognitum. » — [3] Parm. : « per modum existentiæ. » — [4] In cit. translatione : « intellectum. » — [5] Ibid. : « et ex omnibus. » — [6] Ibid. : « et semper omnia concordans. »

Deum, cum ipse non sit intelligibilis, sed supra intelligibilia, neque sensibilis sed supra sensibilia, neque est aliquid de numero existentium, sed super omnia existentia; omnis autem cognitio nostra est per intellectum vel sensum, nec cognoscimus nisi existentia.

Deinde cum dicit : « Numquid igitur verum est dicere, quoniam Deum cognoscimus non ex natura ipsius? » Solvit propositam dubitationem, et quia quæstio ita est, solutionem sub interrogatione infert. Est ergo hæc solutio, quod nos cognoscimus Deum, non per naturam ipsius, quasi ipsam essentiam ejus videntes; ejus enim essentia est ignota creaturæ et excedit non solum sensum, sed etiam omnem rationem humanam et etiam omnem mentem angelicam quantum ad naturalem virtutem rationis et mentis; unde non potest aliter convenire alicui nisi ex dono gratiæ. Non ergo cognoscimus Deum videntes ejus essentiam, sed cognoscimus ipsum ex ordine totius universi. Ipsa enim universitas creaturarum est nobis a Deo proposita ut per eam Deum cognoscamus, inquantum universum ordinatum habet quasdam imagines et assimilationes imperfectas divinorum, quæ comparantur ad ipsa sicut principalia exemplaria vel imagines. Sic ergo ex ordine universi, sicut quadam « via et ordine ascendimus » per intellectum « secundum » nostram « virtutem » ad Deum, « qui est super omnia, » et hoc tribus modis. Primo quidem et principaliter, « in omnium ablatione, » inquantum scilicet nihil horum quæ in creaturarum ordine inspicimus Deum æstimamus, aut Deo conveniens. Secundario vero, per excessum; non enim creaturarum perfectiones, ut vitam, sapientiam, et hujusmodi, Deo auferimus propter aliquem defectum Dei, sed propter hoc quod omnem perfectionem creaturæ excedit, propterea removemus ab eo sapientiam, quia omnem sapientiam excedit. Tertio, secundum causalitatem omnium, dum consideramus quod quidquid est in creaturis, a Deo procedit sicut a causa. Sic ergo nostra cognitio contrario modo se habet cognitioni Dei. Nam Deus creaturas quidem per suam naturam cognoscit, nos autem Deum per creaturas.

Deinde cum dicit : « Propter quod et in omnibus Deus cognoscitur et sine omnibus, » infert conclusionem ex dictis, et circa hoc tria facit. Primo, infert conclusionem; secundo, ostendit quomodo conclusio ex præmissis sequatur, ibi : « Etenim et hoc recte de Deo dicimus; » tertio, manifestat quoddam quod supposuerat, ibi : « Et quidem ex omnibus, quod dixi, ipsa est cognoscenda. » Dicit ergo primo quod, quia a creaturis in Deum ascendimus et in « omnium ablatione, et excessu, « et in omnium causa, » propterea « Deus cognoscitur in omnibus, » sicut in effectibus, et sine omnibus, » sicut ab omnibus remotus et omnia excedens; et propter hoc etiam cognoscitur Deus per cognitionem nostram, quia quidquid in nostra cognitione cadit, accipimus ut ab eo adductum; et iterum cognoscitur per ignorantiam nostram, inquantum scilicet hoc ipsum est Deum cognoscere, quod nos scimus nos ignorare de Deo quid sit. Et quod dixerat in generali cognitione, explicat per partes, subdens quod « ipsius » Dei « est intellectus et sermo, » vel melius « ratio, » ut alia translatio habet, « et scientia, » quæ est conjunctio intellectus et rationis; et quantum ad sensitivam cognitionem subjungit, « et tactus, » qui est sensus communis omnibus animalibus, et addit quod commune est, cum subdit « et sensus; » et subjungit de his quæ important deficientem cognitionem, cum dicit « et opinio, » quæ deficit a scientia, « et phantasia, » quæ deficit a certitudine sensus. Et subdit ea quæ pertinent ad manifestationem cognitionis, et dicit « et nomen, » quod est signum intellectus, et alia quæcumque pertinent ad cognitionem vel significationem. Et e contrario « neque intelligitur, » neque sentitur, « nec dicitur, » aut nominatur. » Et quomodo utrumque istorum omnium sit, manifestat subdens : Deus enim « non est aliquid existentium, » sed supra omnia existentia; et ideo cum per intellectum et alia prædicta cognoscantur existentia, nullo prædictorum per cognitionem alicujus existentium Deus cognoscitur. Rursus Deus « est omnia in omnibus » causaliter, cum tamen nihil sit eorum quæ sunt in rebus essentialiter; et ideo quidquid in rebus existens cognoscatur vel intellectu vel sensu, vel quocumque prædictorum modorum, in omnibus istis cognitis quodammodo cognoscitur Deus sicut causa, cum tamen ex nullo cognoscatur sicut est.

Deinde cum dicit : « Etenim et hoc recte

de Deo dicimus, et ex existentibus universis laudatur secundum proportionem omnium quorum est causa, » ostendit quomodo conclusio inducta sequitur ex præmissis, et dicit quod hoc recte de Deo dicimus secundum quod cognoscitur et non cognoscitur; ex omnibus enim entibus cognoscitur et laudatur secundum quod habent proportionem ad ipsum, ut quorum est causa. Rursus autem est alia perfectissima Dei cognitio, per remotionem scilicet, qua cognoscimus Deum per ignorantiam per quamdam unitionem ad divina supra naturam mentis, « quando » scilicet « mens » nostra « recedens ab omnibus » aliis, « et postea etiam dimittens seipsam unitur supersplendentibus radiis » deitatis, inquantum scilicet cognoscit Deum esse non solum super omnia quæ sunt infra ipsam, sed etiam supra ipsam, et supra omnia quæ ab ipsa comprehendi possunt. Et sic cognoscens Deum in tali statu cognitionis illuminatur ab ipsa profunditate divinæ sapientiæ, quam perscrutari non possumus. Quod etiam intelligamus Deum esse supra omnia, non solum quæ sunt, sed etiam quæ apprehendere possumus, ex incomprehensibili profunditate divinæ sapientiæ provenit nobis.

Deinde cum dicit : « Et quidem ex omnibus, quod dixi, ipsa est cognoscenda, » manifestat quoddam quod dixerat, scilicet quod Deus ex omnibus cognoscatur, et dicit quod ideo est, quia ipsa divina sapientia est omnium causa effectiva, inquantum res producit in esse, et non solum rebus dat esse, sed etiam esse cum ordine in rebus, inquantum res invicem se coadunant in ordinem ad ultimum finem; et ulterius est causa indissolubilitatis hujus concordiæ et hujus ordinis, quæ semper manent, qualitercumque rebus immutatis. Modum autem hujus ordinis subjungit, quia « semper fines primorum, » id est infima supremorum, conjungit « principiis secundorum, » id est supremis inferiorum, ad modum quo supremum corporalis creaturæ, scilicet corpus humanum, infimo intellectui vel naturæ, scilicet animæ rationali, unit, et simile est videre in aliis; et sic operatur pulchritudinem universi per « unam omnium conspirationem, » id est concordiam « et harmoniam[1], » id est debitum ordinem et proportionem.

LECTIO V.

Quæ sapientiæ adjunguntur.

Ratio autem Deus laudatur a sanctis eloquiis, non tantum quoniam et rationis, et mentis, et sapientiæ est largitor, sed quoniam omnium causas in seipso uniformiter præaccepit, et quoniam per omnia vadit, pertingens, ut eloquia dicunt, usque ad finem omnium; et ante hoc, quoniam super omnem simplicitatem divina significatur ratio, et ab omnibus et super omnia secundum supersubstantiale absoluta. Hæc ratio est simplex et existens existentis veritas, circa quam sicut mundam et non erroneam totorum cognitionem, divina fides est, quæ est manens credentium collocatio, quæ istos collocat in veritate, et in ipsis veritatem intransmutabili identitate simplicem veritatis cognitionem habentibus credentibus. Si enim cognitio est unitiva eorum qui noverunt, ignorantia autem est semper transmutationis causa, et divisionis ignoranti ex seipso; credentem in veritate, secundum sermonem sanctum, nihil movebit a causa quæ est secundum veram fidem, in qua permanentiam habebit immobilis et intransmutabilis identitatis. Bene enim novit qui veritati unitus est quam bene habet, quamvis multi corripiant ipsum sicut extasim passum. Latet quidem, sicut est conveniens, ipsos ex errore per veram fidem extasim passus veritati unitus[2]. Ipse enim novit seipsum, non secundum quod dicunt illi, furentem, sed ab instabili et variabili partitione, circa largissimam erroris varietatem per simplicem et semper secundum eadem et eodem modo habentem veritatem liberatum. Ita igitur nostræ sapientiæ principes et duces pro veritate moriuntur omni die testificantes, sicut est conveniens verbo omni et opere, et unitiva christianorum vera Dei cognitione, omnibus ipsam esse et diviniorem et simpliciorem; magis autem ipsam esse solam veram et simplicem[3] Dei cognitionem.

« Ratio autem laudatur Deus a sanctis eloquiis non tantum quoniam et rationis, et mentis, et sapientiæ est largitor, sed quoniam omnium causas in seipso uniformiter præaccepit. » Postquam Dionysius determinavit de sapientia, hic determinat de his quæ sapientiæ adjunguntur; et primo, de ratione; secundo, de veritate et fide, ibi : « Hæc ratio est simplex et existens veritatis veritas. »

[1] Al. : « et amicitiam. » — [2] Al. deest « unitus. » — [3] In cit. translatione : « et unam simplicem. »

Dicit ergo primo quod Deus in sacra Scriptura laudatur ut « ratio, » quod maxime ex Scripturis sacris accipi potest in eo quod Deus dicitur Verbum, secundum illud Joan., I : *Et Deus erat Verbum.* Logos enim in græco, ut Augustinus dicit, et rationem et verbum significat. Ex nomine autem rationis quatuor intelliguntur. Primo quidem, dicitur esse quædam cognoscitiva virtus, et sic Deus dicitur ratio causaliter, inquantum ipse est largitor omnis cognitionis, scilicet rationis et mentis et sapientiæ et omnium hujusmodi. Alio modo ponitur pro causa, ut cum dicitur : Qua ratione hoc fecisti? id est qua de causa, et sic Deus dicitur ratio, non solum quia ipse est omnium causa, sed quia etiam omnes causas secundas in seipso causaliter præaccepit non tamen per modum compositionis, sed per modum uniformitatis et simplicitatis. Tertio modo dicitur ratio etiam computatio, sicut habetur Matth., XVIII, quod *rationem cœpit ponere cum servis suis.* Et sic dicitur Deus ratio, quia ipse est summa rerum dispositio, quæ per omnia vadit, pertingens, ut dicitur Sap., VIII, 1, *a fine usque ad finem omnium fortiter, et disponens omnia suaviter.* Quarto modo dicitur ratio aliquid simplex abstractum a multis, sicut dicitur ratio hominis id quod per considerationem abstrahitur a singularibus, ad hominum naturam pertinens. Et quantum ad hoc dicit quod supra omnia hæc Deus est ratio magis proprie, quia divina ratio est magis simplex « super omnem simplicitatem, » et « absoluta » est, id est separata vel abstracta, « ab omnibus, » inquantum secundum suam supersubstantialem est super omnia.

Deinde cum dicit : « Hæc ratio est simplex et existens existentis veritas, » agit de veritate et fide ; et primo, proponit quod intendit; secundo, manifestat propositum, ibi : « Sicut enim cognitio est unitiva eorum qui noverunt, ignorantia autem est semper transmutationis causa et divisionis ignoranti ex seipso ; credentem in veritate, secundum sermonem sanctum, nihil movebit a causa quæ est secundum fidem. »

Dicit ergo primo quod, sicut ex ratione humana causatur aliqua fides, ita ista divina ratio est quædam simplex veritas totius entis, circa quam rationem vel veritatem, sicut puram et non erroneam cognitionem omnium, consistit fides ; quæ quidem divina fides est quædam permanens collocatio credentium, inquantum scilicet firmiter locat eos in veritate, et veritatem in ipsis, prout credentes habent simplicem cognitionem veritatis absque dubitatione et inquisitione, secundum quamdam intransmutabilem identitatem, quia scilicet eodem modo et intransmutabiliter in veritate permanent. Et propter hanc fidei firmitatem Apostolus fidem substantiam dixit, quasi quoddam fundamentum et collocationem.

Deinde cum dicit : « Sicut enim cognitio est unitiva eorum qui noverunt, ignorantia autem est semper transmutationis causa et divisionis ignoranti ex seipso ; credentem in veritatem, secundum sermonem sanctum, nihil movebit a causa quæ est secundum fidem, » probat prædictam fidei firmitatem tripliciter. Primo quidem, per rationem cognitionis, quia cognitio est unitiva mutuo eorum qui cognoscunt, non solum ex eo quod omnes cognoscentes veritatem in una veritatis cognitione uniuntur, sed etiam quia qui cognoscit[1] veritatem, semper eodem modo permanet in una, et eadem veritate; ignorantia vero e contrario est causa ut ignorans ex seipso transmutetur[2], hoc modo illud opinans ut dividatur ab aliis : quia ignorantium diversi diversa opinantur ; et ideo, secundum sermonem sacræ Scripturæ, eum qui credit in veritate divinæ fidei, nihil potest removere a vera fide, inquantum habet impermutabilem permanentiam; dicit enim Apostolus Roman., VIII : *Certus sum quia neque mors, neque vita, neque aliquid aliud potest me separare a caritate Dei.*

Secundo, ibi : « Bene autem novit qui veritati unitus est quam bene habet, » probat idem ex judicio credentium. Ille enim qui veritati per fidem unitus est, bene cognoscit quam bene sit ei, sic veritati fidei adhærendo, « quamvis multi reprehendant ipsum sicut extasim passum, » id est sicut fatuum, et a se alienatum ; etenim latet[3] ipsos reprehendentes ex eorum errore, quod ipse sine dubio per veram fidem est passus extasim veritatis, quasi extra omnem sensum positus, et veritati supernatu-

[1] Parm. : « quia cognoscens veritatem. » — [2] Al. : « nunc ignorans ex seipso, ut transmutetur. » —

[3] Al. : « et non latet. »

rali conjunctus, quia ipse credens novit de seipso quod non est furens, ut ipsi dicunt, sed est liberatus per veritatem simplicem, et semper eodem modo se habentem, ne circumferatur per instabiles et variabiles ventos diversorum errorum.

Tertio, ibi : « Ita igitur nostræ sapientiæ principes et duces pro veritate moriuntur omni die, » probat idem exemplo apostolorum, qui sunt principes et duces sapientiæ christianæ, et pro veritate mortificantur tota die, contestantes, ut est conveniens, non solum verbo, sed etiam opere, et per veram Dei cognitionem, quæ est unitiva christianorum, quod ipsa Dei cognitio in qua christiani uniuntur, est simplicior et divinior quacumque Dei cognitione quæ in hoc mundo ab hominibus habetur; imo, ut verius dicamus, ipsa sola est vera et una et simplex Dei cognitio. Quæcumque enim alia Dei cognitio discordat a communi christianorum cognitione, quæ catholica fides nominatur, magis dicenda est error quam Dei cognitio.

CAPUT OCTAVUM.

DE VIRTUTE, JUSTITIA, SALVATIONE, LIBERATIONE, IN QUO ET DE INÆQUALITATE.

LECTIO I.

Sed quoniam divinam veritatem et supersapientem sapientiam, et sicut virtutem laudant, et sicut justitiam theologi; et sicut salvationem, et sicut liberationem, age, et istas Dei nominationes, sicut est possibile nobis, reseremus. Et quod quidem thearchia ab omni quocumque modo, et existente, et cogitata virtute segregata est, et superat, non arbitror aliquem in divinis eloquiis conversatorum ignorare. Multoties enim theologia, et dominationem ipsi, et ipsarum cœlestium virtutum, determinans, tradita est. Quomodo igitur ipsam theologi et sicut virtutem laudant ab omni segregatam virtute : aut quomodo in ipsa, virtutis nominationem accipiamus ? Dicimus igitur quod virtus est Deus sicut omnem virtutem in seipso præhabens et superhabens, et sicut omnis virtutis causa, et omnia secundum virtutem indeclinabilem et incircumunitam producens, et sicut ipsius, quod est esse virtutem, aut totam, aut particularem causa existens, et sicut infinitæ virtutis, non tantum eo quod omnem virtutem producit, sed et eo quod est super omnem et ipsam per se virtutem, et eo quod superpotest et infinitæ infinitas alias ab existentibus virtutibus producere, et eo quod nunquam possunt infinitæ et in infinitum productæ virtutes, superinfinitam ipsius virtutem facientis virtutis hebetare actionem ; et eo quod ineffabilis, et ignota, et incogitabilis est, cuncta excedens[1] ipsius virtus, quæ propter abundantiam possibilis et infirmitatem firmat, et ultimas resonantiarum ipsius continet, et fortiter tenet ; quemadmodum et in possibilibus secundum sensum videmus quod super splendida lumina et usque ad hebetes visiones perveniunt et magnos sonos dicunt ad auditus non valde, facile recipientes sonos, introire. Quod enim est omnino non audiens, neque audit, et quod universaliter non videns est, neque videt. Ipsa igitur infinitæ virtutis Dei distributio ad omnia existentia vadit, et nihil est existentium cui perfecte ablatum sit habere quamdam virtutem ; sed aut intellectualem, aut rationalem, aut sensibilem, aut vivificam, aut substantialem habet virtutem, et ipsum etiam esse, si fas est dicere, virtutem ad hoc quod sit, habet a supersubstantiali virtute.

« Sed quoniam divinam veritatem et supersapientem sapientiam, et sicut virtutem laudant, et sicut justitiam theologi, et sicut salvationem, et sicut liberationem, age, et ista Dei nominationes, sicut est possibile nobis, reseremus. » Postquam determinavit Dionysius de Dei sapientia, hic determinat de veritate et justitia. Sicut enim processus sapientiæ minus se extendit quam processus vitæ, eo quod non omnes viventes cognitionem habent, ita processio veritatis et justitiæ deficit a sapientiæ processione. Circa hoc ergo duo facit. Primo, dicit de quo est intentio; secundo, exequitur propropositum, ibi : « Et quod quidem thearchia ab omni quocumque modo et existente et cogitata virtute segregata est, et superat, non arbitror aliquem in divinis eloquiis conversatorum ignorare. »

Dicit ergo primo quod, quia divina veritas et sapientia super omnem sapientium existens laudatur in sacra Scriptura et sicut virtus et sicut justitia, et sicut salvatio, et sicut liberatio, id est sicut salvationis et liberationis causa, istas etiam Dei nominationes exponemus, sicut est nobis possibile,

[1] Al. : « egrediens. »

Deinde cum dicit : « Et quod quidem thearchia ab omni quocumque modo et existente et cogitata virtute segregata est, et superat, non arbitror aliquem in divinis eloquiis conversatorum ignorare, » exequitur propositum ; et primo, determinat de virtute ; secundo, de justitia, quæ est virtutis species, ibi : « Justitia autem rursus laudatur Deus ; » tertio, de salvatione et liberatione, et in æqualitate, quæ sunt justitiæ effectus, ibi : « Igitur ipsa divina justitia et salvatio totorum laudatur. » Prima pars dividitur per partes duas. In prima determinat de Dei virtute ; in secunda solvit quamdam objectionem contra infinitatem divinæ virtutis, ibi : « et quod dicit Elymas magus. » Circa primum duo facit. Primo, movet quæstionem quomodo virtus dicatur de Deo ; secundo, solvit questionem, ibi : « Dicimus igitur quod virtus, » etc.[1].

Dicit ergo primo quod nullus qui habuit consuetudinem in sacris eloquiis, ignorat quod principalis deitas est separata ab omni virtute, quæ quocumque modo in rebus existit vel cogitari potest. Separatur autem ab omni virtute, non quasi ab ea deficiens, sed eam superans et excedens ; unde et sacra Scriptura tradita est, quæ attribuit Deo et dominationem cœlestium virtutum, secundum illud Psalm. XXIII, 10 : *Dominus virtutum ipse est rex gloriæ ;* et in multis locis dicitur *Dominus exercituum ;* ex quo datur intelligi quod si cœlestes virtutes excedit, multo magis alias ; cum ergo divinitas sit ab omni virtute segregata, potest quæri quomodo vel ipsi qui sacras Scripturas ediderunt, Deum sicut virtutem laudaverunt, juxta illud I Corinth., I, 24 : *Christum Dei virtutem et Dei sapientiam ;* et iterum quomodo nos, qui sacras Scripturas exponimus, accipimus in divinitate virtutis nominationem.

Deinde cum dicit : « Dicimus igitur quod virtus est Deus sicut omnem virtutem in seipso præhabens et superhabens, et sicut omnis virtutis causa, » solvit propositam quæstionem, et circa hoc duo facit. Primo, ostendit quomodo virtus accipiatur in Deo ; secundo, ostendit processum virtutis a Deo in singula, ibi : « Ex ipsa sunt deiformes angelicorum ornatuum virtutes. » Circa primum[2] duo facit. Primo, ostendit quomodo virtus attribuatur Deo ; secundo, qua ratione virtus Dei infinita dicatur, ibi : « et sicut infinitæ virtutis. »

Dicit ergo primo quod virtus attribuitur Deo propter tria. Primo quidem, secundum goc quod omnium rerum virtutes in ipso primordialiter et supereminenter existunt ; sicut et de vita et sapientia dictum est, secundo vero, secundum hoc quod est causa omnis virtutis ; tertio vero, secundum hoc quod ipse operatur producendo omnia « secundum virtutem indeclinabilem, » id est quæ non potest minorari aut fatigari, et « incircumfinitam, » sicut et sapientia Deo attribuitur, inquantum in ipso præexistit omnis sapientia, et inquantum ipse est sapientiæ causa, et inquantum habet sapientiæ actum cognoscendo, et non solum est virtutis causa sicut largiens virtutem, sed quia ipsam virtutem causat, sive accipiamus virtutem universalem, sive virtutem particularem.

Deinde cum dicit : « et sicut infinitæ virtutis, » quia dixerat quod Deus producit omnia secundum virtutem infinitam, secundo ostendit quomodo virtus Dei infinita picatur, et circa hoc duo facit. Primo, dicit secundum quam rationem virtus Dei infinita dicatur ; secundo, manifestat infinitatem divinæ virtutis per exempla, ibi : « Quæ propter abundantiam possibilis, et infirmitatem firmat, et ultimas resonantiarum ipsis continet et fortiter tenet. »

Est autem considerandum quod infinitum in Deo non dicitur per extensionem, sicut in quantitate continua, sed per negationem, quia scilicet non finitur aut determinatur aliquo. Sic ergo virtus Dei quintupliciter dicitur infinita. Primo quidem, quia non determinatur ad aliquem effectum, sed omnem virtutem producit. Secundo, non solum propter hoc, sed eo quod non terminatur per commensurationem alicujus virtutis, sed est super omnem virtutem particularem, et ulterius super omnem ipsam per se virtutem[3], quia hoc ipum quod nomine communi virtutis intelligitur, est minus divina virtute. Tertio, quia non terminatur per ea quæ sunt, sed potest infinitis modis et infinitas alias virtutes produ-

[1] Parm. omittit : « Circa primum duo facit. Primo, movet quæstionem quomodo virtus dicatur de Deo ; secundo, solvit quæstionem, ibi : « Dicimus igitur quod virtus, » etc. — [2] Al. : « circa quam positionem. » — [3] Parm. omittit : « particularem, et ulterius super omnem ipsam per se virtutem. »

cere præter eas quæ sunt. Quarto, quia si infinitis modis etiam infinitas virtutes produceret præter ea quæ sunt, non propter hoc hebetaretur aut debilitaretur ejus actio superinfinita, quæ est factiva omnis virtutis; et sic etiam patet quod nec sua actione finitur, secundum quod actio ad effectus terminatur. Quinto, dicitur infinita, eo quod non terminatur intellectu; est enim ineffabilis et ignota, et quæ cogitari non potest, divina virtus cuncta excedens.

Deinde cum dicit : « Quæ propter abundantiam possibilis et infirmitatem firmat, » manifestat infinitatem divinæ virtutis per signa et exempla, et dicit quod divina virtus per « abundantiam possibilis, » id est potestatis, etiam quæ sunt infirma, « firmat, » id est conservat continens, et « fortiter tenet » etiam illas res in quibus est ultima resonantia virtutis, id est quæ minimum participant de virtute; quod est signum infinitæ virtutis, sicut videmus in potentiis sensibilium, quod lumina quæ sunt valde splendida possunt videri etiam ab eis qui habent debiles visus, et magni soni perveniunt ad auditus debiles qui non de facili recipiunt sonos; et ultra hoc non potest se extendere virtus luminis et soni, quia quod omnino non habet auditum, non potest audire quantumcumque magnum sonum, et quod totaliter non videt, non potest videre splendidum lumen. Sic igitur concludit quod distributio divinæ virtutis propter sui infinitatem procedit ad omnia existentia, et nullum est existens quod non habeat aliquam virtutem, sed oportet habeat « aut virtutem intellectualem, » sicut angeli, « aut rationalem, » sicut homines, « aut sensibilem, » sicut animalia, « aut vivificam, » sicut plantæ, « aut substantialem, » sicut alia; et non solum existentia, sed « etiam ipsum esse habet virtutem ad hoc quod sit, a supersubstantiali Dei virtute. » Et dicit : « si fas et dicere, » quia non sic proprie dicitur quod esse sit, sed quod per esse aliquid sit.

LECTIO II.

Processus divinæ virtutis in speciali.

Ex ipsa sunt deiformes angelicorum ornatuum virtutes, ex ipsa et esse intransmutabiliter habent, et omnes ipsorum intellectuales et immortales sempiternos motus, et fortitudinem ipsam, et non minorabile desiderium boni ab infiniti boni virtute acceperunt, ipsa immittente ipsis posse, et esse ista et desiderare quod semper est, et ipsum posse desiderare quod semper possunt. Procedunt autem ea quæ sunt indeficientis virtutis et ad homines et animalia et plantas, et totam omnis rei naturam; et firmat unita ad sui invicem amicitiam et communionem, et discreta ad hoc quod sint singula secundum propriam rationem et definitionem inconfusa et incommixta, et omnis rei ordines et directiones ad bonum proprium salvat; et immortales angelicarum unitatum vitas immaculatas custodit; et cœlestes et illuminativas et stellares substantias, et ordines invariabiles, et ævum posse esse facit, et temporis circumvolutiones discernit quidem processibus, congregat autem restitutionibus; et ignis virtutes inextinguibiles facit, et aquæ influxiones indeficientes, et aeream effusionem[1] terminat, et terram in nihilo collocat; et vitæ generativos ipsius partus indifferentes custodit, et elementorum in se invicem harmoniam et concretionem inconfusam et indivisibilem salvat, et animæ et corporis conjunctionem continet, et plantarum nutritivas et augmentativas virtutes sursum movet, et fortiter tenet substantiales totorum virtutes, et omnis rei indissolubilem mansionem firmat, et deificationem ipsam donat, virtutem ad hoc his quæ deificantur præbens; et totaliter nihil est universaliter existentium ab omnipotentis firmitate et ambitu divinæ virtutis segregatum; quod enim universaliter habet nullam virtutem, neque est, neque erit aliqua ipsius omnino positio.

« Ex ipsa sunt deiformes angelicorum ornatuum virtutes. » Postquam Dionysius ostendit in communi processum divinæ virtutis ad entia, hic ostendit in speciali; et primo, distinguendo res in quas effectus divinæ virtutis proveniunt; secundo, distinguendo ea quæ a divina virtute inveniuntur in rebus, ibi : « Et firmat unita ad sui invicem amicitiam. » Circa primum duo facit. Primo, ostendit processum divinæ virtutis ad superiores creaturas, scilicet angelos; secundo, ad inferiores, ibi : « Procedunt ea quæ sunt indeficientis virtutis, et ad homines, et animalia, et plantas, et totam omnis rei naturam. »

Dicit ergo primo quod ex divina virtute procedunt omnes virtutes angelicorum ornatuum, quæ sunt Deo conformes. Apparet

[1] Al. : « infusionem. »

autem[1] in angelis virtus quantum ad ipsum esse, et secundum hoc dicit quod ex divina bonitate « habent esse intransmutabile. » Secundo, quantum ad intelligere, et secundum hoc dicit quod ex divina virtute habent « sempiternos motus intellectuales et immortales, » quia scilicet semper actu intelligunt. Tertio, quantum ad appetere, et quantum ad hoc dicit quod « acceperunt a virtute infinita boni ipsam fortitudinem, » per quam bonum desiderant absque diminutione talis desiderii. Hæc quidem omnia habent a divina virtute, inquantum divina virtus immittit eis et « esse et posse » respectu ipsorum, et quod desiderant absque fastidio, habentes ea quæ semper eis adsunt, et hoc ipsum quod est posse « desiderare quod semper possunt, » est eis a Deo.

Deinde cum dicit : « Procedunt autem ea quæ sunt indeficientis virtutis, et ad homines et animalia et plantas, et totam omnis rei naturam, » ostendit processum divinæ virtutis ad inferiores creaturas, et dicit quod effectus indeficientis Dei virtutis procedunt et ad homines, et ad animalia, et ad plantas, et ad omnes res naturales.

Deinde cum dicit : « Et firmat unita ad sui invicem amicitiam et communionem, » ostendit quæ inveniantur in rebus divina virtute ; et primo, quantum ad ea quæ sunt communia omnibus, quorum primum est unitio, et quantum ad hoc dicit quod divina virtus omnia quæ sunt unita confirmat ad quamdam amicitiam sui et communionem. Secundum est discretio, et quantum ad hoc dicit quod divina virtus firmat ea quæ sunt discreta ad invicem « ad hoc quod singula secundum propriam rationem » et definitionem conservet « inconfusa et incommixta » ad invicem. Tertium est ordo, et quantum ad hoc dicit quod divina virtus conservat cujuslibet rei ordines secundum quos res ad invicem ordinantur, et iterum dirigit unumquodque in ordine ad finem, quod est proprium bonum rei. Deinde ponit ea quæ pertinent ad singula ; et primo, quantum ad angelos dicit quod divina virtus « custodit » immaculate a quacumque corruptione « immortales vitas angelicarum unitatum, » id est substantiarum simplicium ipsorum. Secundo, quantum ad corpora cœlestia dicit quod custodit invariabiliter substantias, et ordines cœlestium corporum et luminarium, scilicet solis et lunæ et stellorum. Tertio, quantum ad ævum, quod mensurat substantiam cœli, et dicit quod divina virtus facit quod possit esse ævum, quod est simplex mensura essendi ; et quantum ad tempus, quod est mensura motus cœli[2], subjungit quod divina virtus omnes circumvolutiones temporis « discernit processibus et congregat restitutionibus. » Attribuit autem tempori circumvolutionem, eo quod sequitur circularem revolutionem cœli. Est autem in motu cœli duo considerare. Primo quidem, quod in motu cœli semper fit renovatio situs, secundum transitum de loco ad locum ; secundo vero, quod cœlum redit ad eumdem situm secundum circularem motum. Ita etiam est et in tempore, quia secundum processum motus, succedit tempus tempori ut hora horæ, et dies diei, et quantum ad hoc dicit quod tempus discernitur processibus. Secundum autem reditum alicujus cœlestis corporis ad eumdem locum, etiam tempus restituitur in id quod præterierat, et sic quod erat futurum quodammodo ad præteritum congregatur : puta, cum dies et mane incipiens terminatur, iterum reditur ad mane, et idem apparet in mense et in anno. Quarto, ostendit effectum divinæ virtutis ex elementis, et dicit quod divina virtus « facit virtutes ignis inextinguibiles ; » licet enim ignis in hac materia extingui possit, tamen ignis universaliter inextinguibilis est. Facit etiam « indeficientes fluxiones aquæ, » quod dicit propter perpetuum[3] fluxum fluviorum, et commotiones maris, quæ apparent in fluctibus, et fluxu et refluxu maris. Qui etiam « terminat effusionem aeream. » Hoc autem dicit, qui aeri maxime competit proprietas humidi, ut non bene terminetur termino proprio ; et ideo quantum est de se, aer habet omnimodam effusionem, sed divina virtute terminatur intra limites sui naturalis loci. Divina etiam virtus « collocat terram in nihilo, » quia semper divina virtute in medio mundi collocatur, et nihil est quod ipsam sustentet. Divina etiam virtus conservat « generativos partus ipsius » terræ, scilicet plantarum et aliorum quæ ex terra nascuntur, « indifferentes, » id est uniformiter in sua natura manentes, dum scilicet

[1] Al. : « etiam. » — [2] Parm. omittit : « cœli. »

[3] Parm. : « quia det perpetuum. »

ex seminibus terræ mandatis similes plantæ nascuntur, et non solum ea quæ ad singula elementa pertinent, divina virtus facit, sed etiam quæ pertinent ad commixtionem elementorum ad invicem. In qua quidem commixtione tria inveniuntur. Necesse est enim esse primo quamdam proportionem elementorum ad invicem, quam Dionysius hic nominat harmoniam. Secundo, requiritur quod cujuslinet elementi remaneat virtus propria incorrupta, alioquin non esset mixtio, sed corruptio, et quantum ad hoc dicit : « et concretionem inconfusam. » Tertio, requiritur quod elementa sint concreta, et simul commaneant, et non statim ab invicem separentur, et quantum ad hoc dicit : « et indivisibilem salvat. » Quinto etiam, ponit effectum divinæ virtutis in rebus animatis, et universaliter quidem dicit quod divina virtus in unum tenet « conjunctionem animæ et corporis ; » et specialiter de plantis adjungit quod movet sursum virtutes plantarum nutritivas et augmentativas : nutritivas quidem, inquantum alimentum per radices attractum usque ad cacumen plantæ sublevatur ; augmentativas vero, inquantum ipsum corpus plantæ ex terra procedens paulatim in altum producitur. Deinde quantum ad omnia universaliter subdit quod divina virtus « fortiter tenet substantiales » et naturales « virtutes » omnium, « et cujuslibet rei firmat indissolubilem mansionem, » inquantum scilicet omnia gradum sibi præfixum a Deo conservant. Ulterius autem effectum divinæ virtutis ostendit in his quæ pertinent ad gratiam, et dicit quod divina virtus dat « ipsam deificationem, » id est participationem deitatis, quæ est per gratiam. Et ne aliquis credat quod hanc participationem aliquis sua virtute possit acquirere, subdit quod Deus præbet virtutem ad hoc ut aliqua prædicto modo deificentur. Ultimo autem universaliter concludit quod universaliter nihil est in entibus quod sit segregatum et non contentum a continentia divinæ virtutis, quæ rebus per suam omnipotentiam dat firmitatem. Sicut enim a divina vita non potest esse segregatum quidquam nisi quod caret vita, ita a divina virtute non potest esse segregatum nisi quod caret virtute. Quod autem universaliter nullam habet virtutem, omnino non est, neque habet aliquam positionem, id est ordinem in universo, seu firmitatem.

LECTIO III.

Objectiones contra virtutem divinam.

Et quidem dicit Elymas Magus : Si omnipotens est Deus, quomodo dicitur aliquid non posse a nostro theologo ? Improperat autem divino Paulo, qui dixit Deum non posse negare seipsum. Apponens autem hoc, nimium timeo ne stultitiæ debeam risum, puerorum effrenorum et super arenam et infirmas ædificationes dissolvere moliens et sicut contra quamdam impossibilem intentionem jaculari studens contra theologicam de isto deliberationem. Etenim suiipsus negatio causa est a veritate ; veritas autem existens est ; et a veritate casus, ab existente est casus. Si igitur veritas existens est, negatio autem veritatis est ab existente casus, ab existente cadere Deus non potest. Et hoc non esse non est. Sicut si aliquis dicat non posse, potest non et non scire secundum privationem non novit. Quod sapiens non intelligens imitatur pugilum inexpertos, qui multoties infirmos esse adversarios supponentes, secundum quod videtur sibiipsis et contra absentes illos viriliter umbram pugnæ facientes et aerem vanis plagis confidenter percutientes, opinantur adversarios ipsos obtinuisse, et prædicant seipsos, neque scientes illorum virtutem. Nos autem dicta theologi, secundum quod est possibile, conjectantes, Deum superpotentem laudamus, sicut omnipotentem, sicut beatum et solum potentem, sicut dominantem in potestate sua ævo, sicut secundum nihil ab existentibus excidentem ; magis autem et superhabentem et præhabentem omnia existentia secundum virtutem supersubstantialem, et omnibus existentibus posse esse, et hoc esse secundum abundantiam excedentis virtutis copiosa effusione largientem.

« Et quidem dicit Elymas Magus : Si omnipotens est Deus, quomodo dicitur aliquid non posse a nostro theologo ? » Postquam determinavit Dionysius de divina virtute, hic excludit quamdam objectionem, et circa hoc tria facit. Primo, ponit objectionem ; secundo, solvit, ibi : « Apponens autem hoc, nimium timeo ne stultitiæ debeam risum ; » tertio, exclusa dubitatione, asserit veritatem, ibi : « Nos autem dicta theologi, secundum quod est possibile, conjectantes, Deum superpotentem laudamus. »

Primo ergo ponit dubitationem quam

Elymas Magus, de quo in Actibus legitur, objecit contra Paulum dicentem II Timoth., II, quod *Deus negare seipsum non potest,* quod ejus omnipotentiæ videtur contrarium.

Deinde cum dicit : « Apponens autem hoc, nimium timeo ne stultitiæ debeam risum, » solvit propositam dubitationem, et circa hoc tria facit. Primo, præmittit suam excusationem de hoc quod intendit ad tam debilis objectionis solutionem; secundo, solutionem ponit, ibi : « Etenim suiipsius negatio casus est a veritate; » tertio, redarguit objectionis præsumptionem, ibi : « Quod sapiens non intelligens, imitatur pugilum inexpertos. »

Dicit ergo primo quod super præmissam dubitationem addit quod multum timet ne ipse debeat derideri de stultitia, sicut aliquis qui conaretur destruere domunculas a pueris dissolutis factas, quæ nec fundamentum[1] firmum habent, eo quod super arenam ædificatæ sunt, et in seipsis infirmæ sunt, eo quod absque cæmento conglutinatæ sunt; et ita posset videri quod cum ipse intendit loqui contra deliberationem de rebus divinis, quam de proposito verbo habuit prædictus Elymas, quasi quædam jacula immittat contra aliquam positionem impossibilem. Positio enim ejus est manifeste impossibilis, in seipsa infirmata, quia veritate non confirmatur, et innititur frivolæ rationis, sicut debili fundamento.

Deinde cum dicit : « Etenim suiipsius negatio casus est a veritate, » solvit propositam quæstionem, et dicit quod cum Deus sit ipsa veritas, Deum negare seipsum nihil aliud est quam Deum decidere a veritate. Cum autem verum idem sit quod ens, sequitur quod excidere a veritate idem sit quod excidere ab esse. Quod ergo dicit Deum non posse negare seipsum, idem est ac si diceretur Deum non posse deficere ab essendo. Hoc autem quod est non deficere ab essendo, idem est ac si diceretur quod Deus non est non ens; quo quidem magis significatur ipsum esse; sicut et si dicitur quod Deus non potest non posse, non ostendit quod sit impotens, sed quod sit maxime potens; et similiter si dicatur quod non cognoscit se nescire, ita quod habet scientiæ privationem, hoc est ipsum habere perfectam scientiam. Per hoc ergo quod Deus non potest negare seipsum, nihil detrahitur ejus potentiæ ab impossibili[2]; sed idem est ac si diceretur quod Deus non potest non esse verus et ens et potens.

Deinde cum dicit « quod sapiens non intelligens, imitatur pugilum inexpertos, » reprehendit objicientis præsumptionem, et dicit quod Elymas, qui se sapientem reputabat, non intelligens prædictæ solutionis rationem, similis erat pugilibus inexpertis, qui frequenter adversarios contra quos pugnare debent, supponunt esse infirmos, secundum quod eis videtur, et dum sunt absentes, contra eos audacter ictus projiciunt, quamdam similitudinem pugnæ facientes, et absque timore percutiunt earem inutilibus plagis, et sic opinantur se vicisse adversarios, et de hoc laudant seipsos, quamvis nondum sciant adversariorum virtutem. Ita etiam est et de illis qui debiles objectiones facientes, cum non est qui eis resistat, se obtinuisse arbitrantur.

Deinde cum dicit : « Nos autem dicta theologi, secundum quod est possibile, conjectantes, Deum superpotentem laudamus, » excludit primo objectionem contra omnipotentiam divinam; secundo, Apostoli scientiam commendat, dicens quod nos considerantes dicta Apostoli, secundum nostram possibilitatem, « laudamus Deum, » qui excedit omnem potentiam, « sicut omnipotentem, » inquantum ejus potentia ad omnia se extendit, « sicut beatum, » inquantum habet plenitudinem omnis boni, nullo indigens, « et sicut solum potentem » ex seipso (omnes enim alii potentes, non sunt ex se potentes, sed ex Deo), « et sicut » per suam potestatem « dominantem ævo; » alii enim dominantes dominantur his quæ sunt in ævo aut in tempore, sed ipse toti ævo dominatur. Et iterum laudamus eum « sicut secundum nihil excidentem ab existentibus, » et quod nihil quod est in eo, potest ab eo recedere. Creaturæ vero, etsi aliquæ inveniantur quæ non excidant ab esse simpliciter, possunt tamen excidere ab aliquo, inquantum sunt mutabiles, sed Deus, qui est omnino immutabilis, secundum nihil potest excidere ab esse. Vel sumuntur hæc verba ex his quæ Apostolus I Timoth., ult., 15, dicit : *Quam suis temporibus ostendet beatus et solus potens Rex*

[1] Al. : « firmamentum firmum. » — [2] Parm. : « nihil detrahitur ex omnipotentia. »

regum et Dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem, quam designat per hoc quod dicit : « Secundum nihil ab existentibus excidentem, » Et non solum ista Deo conveniunt, sed excellenter ea habet; unde subdit quod adhuc amplius possumus laudare Deum sicut supereminenter habentem virtutem, et sicut « præhabentem omnia existentia, » id est quidquid est in rebus non quidem eodem modo quo in rebus est, sed « secundum substantialem virtutem, » id est sicut effectus sunt per virtutem in causa secundum modum causæ excedentis omnem substantiam. Et non solum supereminenter hæc ei conveniunt, sed etiam causaliter; unde subdit quod omnibus existentibus dat posse et esse determinatum. Et hoc convenit ei ex abundantia suæ excedentis virtutis, quæ dat omnibus bonitates copiose effundendo. *Dat enim omnibus abundanter,* ut dicitur Jacob., I.

LECTIO IV.

De justitia Dei.

Justitia autem rursus laudatur Deus, sicut omnibus secundum dignitatem distribuens et commensurationem, et pulchritudinem, et bonam ordinationem, et ornatum, et omnes distributiones, et ordines segregans, unicuique secundum vere existentem justissimam definitionem et omnibus propriæ operationis ipsorum causa existens. Omnia enim divina justitia ordinat et terminat, et omnia ab omnibus immixta et non convenientia unicuique donat secundum dignitatem unicuique existentium supervenientem. Et si ista recte dicimus, quicumque improperant divinæ justitiæ, latet se, suiipsorum injustitiam manifeste condemnantes. Dicunt enim debere inesse mortalibus immortalitatem et imperfectis perfectum, et per se mobilibus per aliud mobilem necessitatem, et variabilibus identitatem, et infirmis esse perfecte potentia et temporalibus esse æterna et natura motis esse immutabilia et temporales delectationes esse æternas; et totaliter ea quæ sunt aliorum, aliis attribuunt. Oportet autem videre divinam justitiam in hoc vere existentem veram justitiam[1] quod omnibus attribuit propria secundum uniuscujusque existentium dignitatem et uniuscujusque naturam in proprio salvat ordine et virtute. Si dicat aliquis : Non est justitiæ, homines sanctos dimittere non adjutos a pravis cruciatos. Ad quod dicendum quod si illi quos dicis sanctos, diligunt quidem ea quæ sunt super terram, ab inhærentibus materiæ zelata a divino omnino ceciderunt amore, et non movi quomodo sancti vocentur injuriam facientes vere amabilibus et divinis propter inzelabilia et inamabilia ab eisdem non religiose reprobatis. Si autem vere existentia amant, lætari convenit quædam desideranter, quando desiderabilia consequuntur. Aut numquid tunc magis appropinquant angelicis virtutibus, quando, sicut est possibile desiderio divinorum recedunt a materialium passibili affectione, luctantes ad hoc valde viriliter in adversitatibus pro bono? Quare verum est dicere quod hoc divinæ justitiæ magis est proprium, non mollire et destruere optimorum animositatem materialium donationibus; neque si aliquis conetur hoc facere, dimittere non adjutos, sed collocare ipsas in pulchra et inflexibili statione, et attribuere ipsis talibus existentibus secundum dignitatem.

« Justitia autem rursus laudatur Deus. » Postquam Dionysius determinavit de virtute Dei, hic determinat de justitia; est enim justitia virtutis species. Considerandum est autem quod inter virtutes morales sola justitia potest Deo magis proprie attribui. Alia enim morales virtutes sunt circa[2] passiones, quæ in Deo locum non habent, sicut temperantia circa concupiscentias, fortitudo circa timores et audacias; sed justitia est circa actiones, puta circa distributiones vel retributiones, quæ Deo competere possunt. Dividitur autem præsens pars in duas. In prima determinat de justitia Dei; in secunda, de effectibus divinæ justitiæ, ibi : « Ipsa igitur divina justitia, et salvatio totorum laudatur. » Circa primum duo facit. Primo, ostendit quid pertineat ad rationem divinæ justitiæ; secundo, solvit quorumdam objectiones contra divinam justitiam, ibi : « Et si ista recte dicimus, quicumque improperant divinæ justitiæ, latet se, suiipsorum injustitiam manifeste condemnantes. » Circa primum duo facit. Primo, ostendit secundum quos actus justitia Deo conveniat; secundo, manifestat quod dixerat, ibi : « Omnia enim divina justitia ordinat et terminat. »

Convenit autem justitia[3] Deo secundum tres actus. Primo quidem, secundum hoc quod est distribuere. Commutativa autem justitia in Deo locum non habet sicut est in venditoribus et emptoribus, quia, ut dicitur Roman., XI, 35 : *Quis prior dedit ei*

[1] In cit. translatione : « in hoc veram justitiam. » — [2] Parm. : « sunt passiones. » — [3] Parm. omittit : « justitia. »

et retribuetur ei? Sed attribuitur ei distributiva justitia, quæ non observat æqualitatem quantitatis, ut æqualia omnibus det, sed æqualitatem proportionis, ut det unicuique secundum quod dignus est. Et ideo dicit quod justitia laudatur in Deo inquantum ipse distribuit omnibus secundum eorum dignitatem. Est autem distributor bonorum. Bonum autem, ut Augustinus dicit, consistit in modo et specie et ordine. Modus autem unicuique propriam mensuram præfigit, ut ipse dicit. Ut ergo significaret Deum esse totius boni distributorem, dicit quidem qnantum ad modum, « commensurationem ; » quantum ad speciem, « pulchritudinem, » vel « formam, » secundum aliam translationem ; quantum autem ad ordinem, dicit « et bonam ordinationem et ornatum, » seu « dispositionem, » secundum aliam translationem. Et accipit hic ornatum pro decentia ordinis. Non solum autem pertinet ad justitiam quod distribuat diversa diversis secundum eorum dignitatem, sed etiam quod hujusmodi diversitatem inconfusam servet, ne scilicet unus id quod est alterius sibi usurpare præsumat. Et quantum ad hunc secundum actum justitiæ, dicit quod divina justitia distribuit unicuique « omnes distributiones, » et ordines secundam quamdam determinationem, quæ vere est justitia, ut scilicet unum in id quod est alterius non irrumpat. Tertius vero actus justitiæ est ut unusquisque id quod est sibi conveniens, operetur; propter quod et quodam modo justitia dicitur omnis virtus, et quantum ad hunc tertium actum subdit quod divina justitia est causa omnibus propriæ operationis eorum. »

Deinde cum dicit : « Omnia enim divina justitia ordinat et terminat, » manifestat quod dixerat, rationem assignans prædictorum. Ideo enim præmissa ad divinam justitiam pertinent, quia justitiæ proprium est quod ordinem in rebus statuat, et quod unicuique rei terminum præfigat, ultra quem non progrediatur, et quod hujusmodi ordinationem et terminationem absque confusione conservet, et quod ulterius rebus sic ordinatis et terminatis unicuique donet de supervenientibus donis secundum propriam dignitatem sibi præstitam a Deo.

Deinde cum dicit : « Et si ista recte dicimus, quicumque improperant divinæ justitiæ ; latet se, suiipsorum injustitiam manifeste condemnantes, » solvit duas dubitationes circa divinam justitiam, circa quarum primam tria facit. Primo, ex præmissis ostendit quod illi qui divinam justitiam reprehendere nituntur, se ignorare præmissa ostendunt, et hoc est quod dicit quod si præmissa ratione sunt dicta, scilicet quod justitiæ est dare unicuique secundum suam dignitatem, quicumque arguere volunt divinam justitiam, quæ hoc facit, ipsi ignorant quod dum volunt divinam justitiam reprehendere, suam injustitiam manifestant.

Secundo, ibi : « Dicunt enim debere inesse mortalibus immortalitatem, » ponit eorum objectionem. Dicunt enim quod, cum Deus sit optimus, et per hoc ei competat optime facere unumquodque, deberet etiam his quæ sunt mortalia, dare immortalitatem, utpote quod homines et animalia nunquam morerentur, et imperfectis dare perfectionem, utpote quod homines statim nascerentur perfecti, et per se mobilibus dare necessitatem per aliud mobile, utpote quæ hominibus per se competunt, quia per se moveri possunt et ad bonum et ad malum. Vellent autem quod Deus daret hominibus vel aliis rationalibus creaturis, quod non possent peccare, quod esset habere necessitatem quod semper ex alio moverentur. Non enim aliter competeret ut ad malum deficere non possent, nisi quadam coactione ab aliis moverentur, non ex libero arbitrio. Sanctis enim ex ipsa perfectione competit ut deficere non possint, ut patet in beatis qui sunt confirmati in bono. Dicunt etiam quod deberet variabilibus inesse identitas, ut scilicet semper eodem modo se haberent omnia, et quod infirmis esset perfecta potentia, et quod temporalia essent æterna, et quod ea quæ secundum suam naturam moventur, essent immutabilia, et quod delectationes quæ sunt temporales, essent æternæ. Et secundum suum judicium universaliter « attribuunt aliis quæ sunt aliorum, » id est, inferioribus ea quæ sunt superiorum entium.

Tertio, ibi : « Oportet autem videre divinam justitiam in hoc vere existentem veram justitiam, » excludit eorum judicium perversum, et dicit quod oportet considerare de divina justitia, quod in hoc vere justitia est quod omnibus dat secundum propriam dignitatem, et quod uniuscujus-

que naturam conservat in proprio ordine et virtute, ita scilicet quod in his quæ sunt secundum suam naturam immortalia, conservat immortalitatem, et in mortalibus mortalitatem, et sic de aliis quæ supra tacta sunt.

Secundam objectionem ponit, ibi : « Sed dicat aliquis. Non est justitiæ homines sanctos dimittere non adjutos a pravis cruciatos, » et circa hoc duo facit. Primo, ponit objectionem. Posset enim aliquis objicere non esse justum quod Deus permittit homines sanctos cruciari a pravis hominibus, et non dat eis auxilium ut non crucientur. Secundo, ibi : « Ad quod dicendum est, » solvit prædictam objectionem, et dicit quod si isti qui dicuntur sancti, « amant ea quas sunt super terram, » pro quibus zelant homines, rebus materialibus inhærentes, « omnino ceciderunt a divino amore. » Quod intelligendum est, si ita ea amant quod in eis finem constituant et quod propterea spiritualia bona contemnant. Et hoc est quod subdit quod ipse nescit quomodo dici debeant sancti illi qui faciunt injuriam rebus divinis, quæ sunt vere amabilia, ut reprobent ea contra religionis debitum propter bona temporalia, quæ non sunt amanda principaliter, nec pro eis est zelandum. Sed si ipsi amant bona spiritualia, quæ vere sunt existentia, quia sunt sempiterna, debent lætari, si ea desiderant, quando ea desiderata consequi possunt. Consequuntur autem ea cum afflictione in rebus temporalibus patientes, quodam fervore amoris spiritualibus magis inhærent. Tunc enim magis per similitudinem appropinquant angelicis virtutibus, in quibus nulla est materialium rerum affectio, quando homines secundum suam possibilitatem ex desiderio rerum divinarum recedunt ab affectione materialium rerum. Et hoc quidem faciunt quando « pro bono, » id est amore Dei, et pro justitia et virtute luctantur viriliter in adversitatibus existentes. Et sic si vere sancti sæculi istius in adversitatibus consequuntur quod desiderant, scilicet contemnendo temporalia bona, adhærere spiritualibus, non male cum eis agitur, sed bene. Unde vere dici potest quod proprium est divinæ justitiæ quod animosam virtutem non destruat aut emolliat per collationem prosperitatis, sed si aliquis conatur hoc facere, ut scilicet pugnet pro veritate, quod ipse non dimittat tales sine adjutorio, sed firmet eos in pulchra et firma statione spiritualium bonorum, per quæ in adversis consolantur, et ulterius quod talibus retribuat in futuro secundum proprii meriti dignitatem.

LECTIO V.

De effectibus divinæ justitiæ.

Ipsa igitur divina justitia et salvatio totorum laudatur, propriam uniuscujusque et mundam ab aliis substantiam et ordinem salvans et custodiens, et causa mundæ existens in totis propriæ operationis. Si autem aliquis salvationem laudet et sicut ex pejoribus[1] tota salvatorie abripientem omnino alicubi, et hunc nos laudatorem largissime recipiemus salvationis. Et hanc primam salvationem totorum rogabimus ipsum definire qui omnia in seipsis intransmutabilia, et non pugnantia, et fortia contra pejora salvat, et omnia custodit non pugnantia ei non bellantia, singula suiipsorum rationibus ordinata[2], et omnem inæqualitatem et alienam operationem ex totis exterminat, et proportiones uniuscujusque constituit, non valentes cadere ad contraria, nec transire. Quoniam et ita salvationem aliquis laudabit, non longe ab intentione sanctæ theologiæ, sicut omnia existentia salvatoria omnium bonitate, a casu propriorum bonorum liberantem, secundum quod uniuscujusque eorum quæ salvantur, suscipit natura. Propter quod et liberationem ipsam nominant theologi, inquantum non sinit vere existentia ad nihil esse cadere, et inquantum, etsi aliquid ad peccatum et inordinatum fallatur, et minorationem quamdam patiatur perfectionis propriorum bonorum, et hæc a passione et infirmitate, et privatione liberat, implens minus habens et paterne infirmitatem[3], supportans, et suscitans a malo ; magis autem statuens in bono, et percussum bonum adimplens, et ordinans, et statuens, et ornans inordinationem ipsius, et mornatum et integrum perficiens, et ab omnibus maculatis solvens. Sed de istis quidem, et de justitia dictum est, secundum quam omnium æqualitas mensuratur et definitur, et omnis inæqualitas quæ est secundum privationem æqualitatis, quæ est in ipsis singulis, exterminatur. Etenim inæqualitatem si quis accipiat differentias in toto totorum ad tota, et hujus justitia est salvativa non concedens commixta tota in totis facta turbari, custodiens autem existentia omnia, secundum speciem unumquodque in qua unumquodque esse secundum[4] naturam habet.

[1] In cit. translatione : « ex prioribus. » — [2] Ibid. : « ornata. » — [3] Al. : « et pœnæ infirmitatem. »

« Ipsa igitur divina justitia et salvatio totorum laudatur. » Postquam Dionysius determinavit de justitia divina, hic determinat de effectibus divinæ justitiæ; et primo, de salvatione; secundo, de liberatione, ibi : « Propter quod et liberationem ipsam nominant theologi; » tertio, de inæqualitate, quam quodam modo justitia facit, quodam vero modo removet, ibi : « Sed de istis quidem et de justitia dictum est. » Circa primum tria facit. Primo, ponit salvationis propriam rationem; secundo, ponit quamdam aliam rationem salvationis ab aliis assignatam, ibi : « Si autem aliquis salvationem laudat et sicut ex pejoribus tota salvatorie abripientem omnino alicubi, et hunc nos laudatorem largissime recipiemus salvationis; » tertio, ostendit quomodo hæ duæ rationes se habent ad invicem, ibi : « Et hanc primam salvationem totorum rogabimus ipsum definire. »

Dicit ergo primo quod divina justitia laudatur sicut salvatio omnium, quia scilicet omnia salvat, inquantum scilicet custodit et conservat in unoquoque tria. Primo quidem, « substantiam uniuscujusque » conservans, « et propriam, » id est in proprietate suæ naturæ, « et mundam, » id est absque permixtione extranei. Secundo, similiter conservat « ordinem » uniuscujusque proprium et mundum. Tertio vero, est causa in omnibus rebus « propriæ et mundæ operationis. » Et sic omnis ratio salvationis consistit, secundum quod res conservantur in his quæ eis conveniunt secundum suam proprietatem.

Deinde cum dicit : « Si autem aliquis salvationem laudat et sicut ex pejoribus tota salvatorie abripientem omnino alicubi, et hunc nos laudatorem largissime recipiemus salvationis, » ponit secundam rationem salvationis, et dicit quod si aliquis velit dicere quod ratio salvationis consistit in hoc quod Deus omnino eripit a malis, non est ei in hoc repugnandum; sed debemus recipere eum, qui sic laudat largiter divinam salvationem, non solum quantum ad conservationem in Deo, sed etiam quantum ad separationem a malo.

Deinde cum dicit : « Et hanc primam salvationem totorum rogabimus ipsum definire, » comparat has duas rationes ad invicem, et dicit quod ipse rogat humiliter persuadendo eum qui secundam rationem salvationis assignat, quod ipse hanc definiat, quod prima ratio salvationis consistat in conservatione in bono. Quæ quidem conservatio in bono multipliciter fit. Quædam enim conservantur in bono a Deo, qui constituit ea intransmutabilia in seipsis, sicut sunt corpora cœlestia, quæ sunt longe a corruptione, et beati, qui peccare non possunt. Secundo, prout aliqua quæ intransmutabilia sunt conservantur ut non habeant aliquam contra pugnantiam, sicut aliquando videns Deus aliquos esse infirmos, non permittit eos tentari, et sic salvat eos, conservando eos in bono. Tertio, ex eo quod permittit quod aliqui impugnentur, sed dat fortitudinem ut resistere possint contra impugnantia, sicut « fortia contra pejora, » id est contra infirmiora; et ita « omnia custodit » et salvat, neque facit ea « pugnantia, » neque « bellantia, » ut pugna referatur ad actualem impugnantiam, bellum vero ad habitualem. Et hoc convenit quod impugnationem non habeant prout « singula » sunt « ordinata, » id est firmiter disposita, in his quæ pertinent ad proprias rationes. Et non solum facit aliqua non pugnantia, sed etiam « exterminat, » id est destruit ab omnibus rebus, « omnem inæqualitatem et alienam operationem, » ut inæqualitas referatur ad id quod est extraneum in essentia aut virtute; aliena operatio autem ad id quod est extraneum in operatione. Constituit etiam divina justitia salvans proportiones cujuslibet rei non valentes decidere ad inconvenientiam, neque qualitercumque transire. Transitus enim superiorum ad inferiora casus dici potest; inferiorum vero ad superiora transitus omnino dicitur, non casus, sed secundum se transitus. Non est autem mirandum quod dicit transmutabilia non pugnantia, nec transire ad contraria, quamvis in multis inveniatur pugna et permixtio extranei, et transitus ad contraria, quia in omnibus transmutabilibus semper permanet aliquid non transitum et non permixtum et non impugnatum, sicut subjectum non transit, quando fit transitus secundum formam. Et hæc tria quæ secundo ponit respondent tribus primo positis, non tamen eodem ordine. Nam id quod inter secundam et ultimam ponit, cum dicit : « et proportiones uniuscujusque constituit, » respondet ei quod inter prima primo posuit, cum dixit : « in seipsis intransmutabilia. » Quod autem secundum est inter ultima, scilicet « et om-

nem inæqualitatem et alienam operationem ex totis exterminat, » respondet ei quod supra ultimo dixerat, « et fortia contra priora salvat. » Quod vero dicit primo inter ultima : « et omnia custodit non pugnantia et non bellantia, » respondet ei quod primo in medio posuerat ; « et non pugnantia. » Sic igitur, quia ratio salvationis in hoc consistit primo et principaliter ut aliquid in bono conservetur, non erit longe ab intentione sacræ Scripturæ, si quis salvationem Dei velit laudare, inquantum ipse Deus salvat omnia per propriam bonitatem, liberando a malo, quod est casus a propriis bonis. Et hoc dico secundum quod patitur natura eorum quæ salvi dicuntur. Aliter enim restituuntur ea quæ cadunt secundum liberum arbitrium, atque aliter ea quæ cadunt secundum naturalem corruptionem.

Deinde cum dicit : « Propter quod et liberationem ipsam nominant theologi, » determinat effectum liberationis, et dicit quod sacri doctores nominant divinam justitiam liberationem et liberationis causam, inquantum salvat a malo, et hoc multipliciter. Primo, inquantum non permittit ea quæ sunt vere entia a substantiis cadere ad hoc quod nihil sint, sed semper eis substantiarum aliquid remanet. Secundo, quantum ad hoc quod si aliquid vere existens decidat ad aliquod peccatum in actione, in aliquam inordinationem inclinatione appetitus, et ad aliquem defectum propriæ operationis, Deus liberat id quod sic cadit a passione, quæ ad peccatum inducit, et infirmitate, ex qua aliquid ordinem debitum non tenet, et privatione, quæ pertinet ad minorationem perfectionis. Et sic hæc tria respondent primis tribus. Et ut ostendat quomodo ab his liberat, subdit alia tria primis tribus præmissis respondentia. « A privatione » enim « liberat, » inquantum adimplet quod minus habebatur ; ab « infirmitate » autem liberat, inquantum paterno et misericordi affectu supportat infirmitatem nostram ; « a passione » autem liberat, « suscitans, » id est revocans, « a malo ; » et quod plus est, firmiter « statuens in bono, » et id bonum quod erat « percussum, » id est minoratum et debilitatum, adimplet restaurando ; et quod ad peccatum defluxerat, « statuit, » id est firmat, « et ornat, » id est cum decentia quadam disponit, et sic omnem inordinationem et indispositionem ad integritatem perducit, et ab omnibus maculis peccatorum solvit.

Deinde cum dicit : « Sed de istis quidem et de justitia dictum est, » determinat de inæqualitate, et primo, ostendit quam inæqualitatem justitia excludat ; secundo, quam inæqualitatem constituat, ibi : « Etenim inæqualitatem si quis accipiat differentias in toto totorum ad tota, et hujus justitia est salvativa. » Inæqualitatem enim proportionis justitia distributiva excludit ; inæqualitatem autem quantitatis causat secundum quod dat majora vel minora secundum proportionem dignitatis cujuslibet naturæ.

Dicit ergo primo quod, « de istis, » id est salvatione et liberatione, « et de justitia dictum est, » secundum quam « mensuratur et definitur [1], æqualitas » proportionis, quæ est in omnibus ; « exterminatur, » id est excluditur, « omnis inæqualitas, » quæ dicitur « secundum privationem æqualitatis » proportionis, quæ est in singulis rebus. Ad justitiam enim pertinet quod det unicuique secundum propriam proportionem ; et sic æqualitas proportionis secundum justitiam determinatur, secundum quod non est eadem capacitas omnium, et necesse est ut diversis diversa distribuat ; et sic causando æqualitatem proportionis, causat inæqualitatem quantitatis. Et ideo subdit : Si quis vellet accipere inæqualitatem secundum differentiam quæ est in universo omnium ad omnia, per quam differunt, et aliquid est melius alio secundum quamcumque perfectionem, hujusmodi inæqualitatis justitia et conservativa, dum non permittit fieri turbationem seu confusionem in rebus per hoc quod omnia omnibus commisceantur ; et sic conservat justitia omnia existentia secundum species suas, prout uniuscujusque natura recipit et requirit.

[1] Al. : « et dividitur. »

CAPUT NONUM.

DE PARVO, MAGNO, EODEM, ALTERO, SIMILI, DISSIMILI, STATIONE, SESSIONE, MOTU, ÆQUALITATE.

LECTIO I.

De parvo.

Quoniam autem et magnum et parvum attributum est omnium causæ, et idem, et alterum, et simile, et dissimile, et status et motus, age, et horum insignium, in quibus Deus nominatur, quæcumque sunt nobis manifesta, contemplemur. Igitur magnus quidem in eloquiis Deus laudatus est et in magnitudine, et in aura subtili, divinam manifestante parvitatem. Et idem, quando dicunt eloquia : tu autem idem ipse es; et alter, quando sicut multæ figuræ et multæ formæ ab eisdem eloquiis componitur; et similis, sicut similium et similitudinis substantificator, et dissimilis omnibus, sicut quod non sit ipsi simile, et stans, et immobilis, et sedens in sæcula, et motus, sicut ad omnia ambulans; et quæcumque aliæ istis æquipollentes Dei nominationes ab eloquiis laudantur. Igitur magnus quidem Deus nominatur secundum magnitudinem ipsius, quæ seipsam tradit omnibus æternaliter magnis et extra omnem magnitudinem superfusa et superextenta, omnem locum continens, omnem numerum supergrediens, omnem infinitatem transiens, et secundum superplenum ipsius et magnificum, et fontana ipsius dona, inquantum ipsa ab omnibus participata, secundum infiniti doni effusionem non minorata omnino sunt, et eamdem habent superplenitudinem, et non minorantur participationibus, sed et magis supermanant. Magnitudo hæc et infinita est, et sine quantitate, et sine numero; et hic est excessus secundum absolutam et superextentam infinite acceptæ magnitudinis effusionem.

Parvum autem, id est subtile, in ipso dicitur quod omne pondus, et distantiam excedit, et per omnia sine prohibitione vadit. Et quidem et omnium causa est parvum : nunquam enim invenies parvi formam non participatam. Ita igitur in Deo parvum est accipiendum, sicut ad omnia et per omnia sine impedimento vadens, et operans, et pertingens usque ad divisionem animæ et corporis, et compagum, et medullarum, et intentionum cordis, magis autem existentium universorum. Non enim est creatura occulta in conspectu ejus. Hoc parvum sine quantitate est et sine numero; et incomprehensibile, non valens teneri, sine termino, sine definitione et comprehensivum omnium, ipsum autem incomprehensibile.

« Quoniam autem et magnum et parvum attributum est omnium causæ, et idem et alterum, et simile et dissimile, et status et motus, age, et horum insignium, in quibus Deus nominatur, quæcumque sunt nobis manifesta, contemplemur. » Postquam Dionysius determinavit de nominibus divinis quæ accipiuntur secundum processiones perfectionum absolute rebus convenientium, sicut est bonum, esse, pulchrum, vita, sapientia et virtus ; hic determinat de nominibus Dei quæ sumuntur secundum processiones in quibus importatur habitudo unius ad alterum ; sicut de magno et parvo, quæ important excessum et defectum secundum quantitatem ; de eodem et altero, quæ important convenientiam et differentiam secundum substantiam ; et de simili et dissimili, quæ important convenientiam et differentiam secundum qualitatem ; et de statione et motu, quoniam ratio stationis quidem consistit in hoc quod aliquid similiter se habet nunc et prius ; et ulterius de æqualitate, quæ importat convenientiam secundum quantitatem, et est medium inter magnum et parvum. Dividitur ergo in tres partes. In prima, ostendit de quo est intentio ; in secunda, ostendit quod singula prædictorum de Deo dicuntur, ibi : « Igitur magnus quidem in eloquiis Deus laudatus est ; » in tertia, ostendit secundum quam rationem de Deo dicantur, ibi : « Igitur magnus quidem Deus nominatur secundum magnitudinem ipsius. »

Dicit ergo primo quod, quia Deo, qui est omnium causa, attribuitur et magnum et parvum et alia prædicta, oportet considerare circa hæc insignia quibus Deus nominatur, quæcumque nobis possunt esse manifesta.

Deinde cum dicit : « Igitur magnus quidem in eloquiis Deus laudatus est, » ostendit quod præmissa de Deo dicantur. Laudatur enim in sacra Scriptura Deus sicut magnus, et in magnitudine existens, secundum illud Psal. CXLIV, 3 : *Magnus Dominus et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est finis.* Et quia subtilitas quædam parvitas est, parvum etiam attribuitur Deo in Scriptura, ut dicitur III Reg., XIX, quod apparuit in sibilo auræ tenuis, quæ quidem

tenuitas seu subtilitas manifestat divinam parvitatem. Quandoque etiam in Scriptura Deus dicitur idem, secundum illud Ps. CI, 28: *Tu autem idem ipse es.* Attribuitur etiam ei alteritas, inquantum diversæ figuræ et diversæ species rerum ei comparantur in sacris Scripturis, sicut quod aliquando designatur in figura vel specie hominis vel agni vel leonis vel lapidis. Dicitur autem similis in Scripturis, inquantum ipse facit aliqua similia et est causa ipsius similis, secundum illud Gen., I, 26 : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Dicitur etiam Deus dissimilis omnibus, ubi Scriptura dicit quod nihil est ei simile, secundum illud Psal. LXXXV, 8 : *Quis similis tibi in diis, Domine?* Describitur etiam Deus in Scripturis ut stans, secundum illud Amos, VII, 7 : *Ecce Deus stans super murum laterum.* Describitur et immobilis, secundum illud Malach., III, 6 : *Ego Dominus, et non mutor.* Et sedens in sæcula, secundum illud Isa., IX, 7 : *Super solium David sedebit amodo, et usque in sempiternum.* Describitur autem et motus, sicut ad omnia ambulans seu procedens, secundum illud Gen., III, 9 : *Cum audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso;* et Sapient., VII, 24, dicitur quod *omnibus mobilibus mobilior est sapientia. Attingit autem ubique propter suam mobilitatem.* Et multa alia istis æquipollentia in Scripturis de Deo dicuntur.

Deinde cum dicit : « Igitur magnus quidem Deus nominatur secundum magnitudinem ipsius, » ostendit secundum quam rationem prædicta de Deo dicantur ; et primo, de magno et parvo ; secundo, de eodem et altero, ibi : « Idem autem est, supersubstantialiter æternum; » tertio, de simili et dissimili, ibi : « Similem autem Deum si dicat aliquis quidem ut eumdem, sicut totum per totum sibiipsi singulariter et indivisibiliter existentem similem ; non est improbanda nobis similis Dei nominatio ; » quarto, de statione et sessione et motu, ibi : « Quid autem et de divina statione aut sessione dicimus? » quinto, de æqualitate, ibi : « Si autem aliquis in eloquiis Dei nominationem, ejusdem autem justitiæ in æquali sumat ; dicendum est, æqualem esse Deum. » Circa primum primo determinat de magno ; secundo, de parvo, ibi : « Parvum autem, id est subtile, in ipso dicitur quod omne pondus et distantiam excedit. » Circa primum tria facit. Primo, attribuit magnum Deo secundum rationem causalitatis ; secundo, per rationem cujusdam similitudinis, ibi : « Et extra omnem magnitudinem est superfusa et superextenta ; » tertio, secundum dissimilitudinem, ibi : « Magnitudo hæc et infinita est, et sine quantitate et sine numero. »

Dicit ergo primo quod Deus dicitur magnus, secundum quod magnitudinem suam, quæ essentialiter ei convenit, « æternaliter tradit omnibus magnis ; » sicut et dicitur sapiens, inquantum sapientiam tradit omnibus sapientibus. Vel potest aliter legi, quod Deus magnitudinem suam tradit omnibus quæ sunt essentialiter magna, id est a principio creaturæ usque in sempiternum.

Deinde cum dicit : « Et extra omnem magnitudinem est superfusa et superextenta, » attribuit ei magnum secundum quamdam rationem similitudinis; et primo, quantum ad ejus substantiam ; secundo, quantum ad ejus effectus, ibi : « Et secundum superplenum ipsius. » Manifestum est autem quod magnum creaturis attribuitur secundum rationem excessus; illa enim magna dicuntur quæ inveniuntur alia excedere. Excessus autem in rebus creatis multipliciter attenditur. Uno modo secundum dimensionem longitudinis, latitudinis et profunditatis, et secundum hoc dicitur aliquid magnum respectu alterius, inquantum superexcedit quantitatem ejus, et sic Deus dicitur magnus simpliciter, inquantum magnitudo ejus « extra omnem magnitudinem est superfusa et superextenta. » Et dicitur « superfusa » ad similitudinem rerum humidarum, ut aeris et aquæ ; « superextenta » vero ad similitudinem corporum siccorum et solidorum. Alio modo attenditur excessus in rebus creatis secundum locum, et sic locus dicitur esse major qui est magis continens. Unde et Deus dicitur simpliciter magnus, inquantum continet omnem locum. Tertio, excessus invenitur in rebus secundum numerum, et sic etiam dicitur Deus magnus simpliciter, inquantum supergreditur numerum omnem, quia omnis numerus a divina sapientia procedit, res distinguente, in cujus potentia est plures rerum differentias producere. Videtur autem in rebus maximum infinitum esse quod omnia excedit. Sed ut in rebus creatis invenitur, nihil dicitur infinitum

quin sit secundum aliquid finitum, scilicet secundum speciem. Unde Deùs, qui est omnibus infinitus, excedit omnem invinitatem.

Deinde cum dicit : « Et secundum superplenum ipsius et magnificum, » attribuit Deo magnum secundum rationem excessus, qui consideratur ex parte effectuum. Sunt autem tria consideranda in effectibus ejus. Primo quidem, quod effusio effectus procedit ex plenitudine causæ, sicut quod non est plenum calore, non potest calorem effundere. Secundum similitudinem vasi loquimur, quod nisi sit plenum aqua, non potest aquam effundere. Secundo, quia si sit magis plenitudo, fit magna effusio. Tertio, quod quanto prior est effusio, tanto id quod effunditur, prius recipitur in eo in quod effunditur humor, nisi infusio terræ prius ab ea recipiatur. Et hæc tria in effectibus Dei sunt consideranda. Primo enim, ex parte Dei invenitur superabundans plenitudo bonitatis ; secundo, ex hac abundanti plenitudine sequitur quod magis faciat ; tertio, ex hoc quod ipse est primordialis causa, sequitur quod dona ipsius sunt fontana, id est primordialia. Quidquid enim a quacumque causa recipitur, præsupponit id quod a Deo recipitur. Ita dicit ergo « secundum superplenum ipsius » quantum ad primum, « et magnificum » quantum ad secundum, « et fontana ipsius dona » quantum ad tertium, inquantum ipsa dona participantur ab omnibus secundum effusionem doni, quod est infinitum ex parte donantis ; dona hujusmodi omnino non minorantur, sed semper habent eamdem superabundantem plenitudinem, et nunquam minorantur quantumcumque participentur ; imo quanto magis participantur, intantum magis desuper manant, quia quanto aliquid plus recipit de divinis donis, tanto plus redditur aptum ad recipiendum ; et ex parte influentis, quod ex infinitæ virtutis influentia minorari non potest.

Deinde cum dicit : « Magnitudo hæc et infinita est, et sine quantitate, et sine numero, « exponit magnitudinem divinam per distantiam ad alias magnitudines, et dicit quod magnitudo divina est « infinita, » quia nulli magnitudini creatæ convenit ; et est etiam « sine quantitate, » quia non est in genere quantitatis, sed Dei magnitudo est esse ejus ; et est « sine numero, » id est sine mensura. Numerus enim habet primam rationem mensuræ, cum per eum quantitates continuæ mensurentur. Vel quod dicit « sine quantitate, » refertur ad quantitatem continuam ; quod autem dicit « sine numero refertur ad quantitatem discretam ; » et sic per magnitudinem divinam attenditur excessus causalitatis divinæ, quod effundit univerealiter et superabundanter suam infinitam magnitudinem, quæ non accipitur a creaturis in ejus infinitate, sed secundum suam capacitatem finito modo eam accipiunt.

Deinde cum dicit : « Parvum autem, id est subtile, in ipso dicitur quod omne pondus et distantiam excedit, » ostendit quomodo parvum dicatur in Deo, et circa hoc tria facit. Primo, ponit rationes parvi ; secundo, attribuit eas Deo, ibi : « Ita igitur in Deo parvum est accipiendum ; tertio, ostendit differentiam hujus parvi ad alia parva, ibi : « Hoc parvum sine quantitate est et sine numero. »

Circa primum considerandum est quod subtilitas quædam parvitas est : sive accipiatur subtilitas prout est qualitas quædam, secundum quod corpora subtilia rara dicuntur, prout habent parum de quantitate sub eisdem dimensionibus ; sive accipiatur subtilitas, prout est differentia quædam circa quantitatem ; sicut enim longum et breve se habent ad lineam, latum vero et strictum ad superficiem, ita subtile et grossum ad corporis profunditatem. Unde subtilitas parvitatem quamdam signat. Ponit ergo tres proprietates parvi sive subtilis, quarum prima est quod « excedit omne pondus » et omnem « distantiam. » Et dicit « pondus » secundum quod subtile dicitur quod est rarum, tale enim maxime leve invenitur ; dicit vero « distantiam, » secundum quod subtile opponitur grosso, in quo tanta distantia est, magna scilicet profunditas, in subtili vero parva. Excessus autem iste, quo parvum et subtile excedit omne pondus et omnem distantiam, non attenditur secundum majoritatem quantitatis, quæ opponitur parvitati, sed sicut unitas excedit numerum, quia mensurat ipsum, et non mensuratur ab eo. Secundam proprietatem parvi ponit quod « vadit per omnia sine prohibitione ; » est enim de ratione subtilis quod sit penetrativum. Tertiam proprietatem parvi ponit quod « parvum est omnium causa, » et hujus

probationem inducit quod nihil invenitur quod non participet formam parvi. Parvum enim invenitur in magnis, sed magnum non invenitur in parvis. Participatum autem videtur esse causa participantis; unde et principia in omnibus generibus sunt parva quantitate, sed magna virtute.

Deinde cum dicit : « Ita igitur in Deo parvum est accipiendum sicut ad omnia et per omnia, et sine impedimento vadens et operans, assignat prædictas rationes parvi Deo, præcipue secundam, et dicit quod in Deo accipitur parvum, inquantum sine impedimento vadit ad omnia, implendo ea et suis effectibus et sua præsentia, quia ipse in omnibus est, et iterum per omnia operatur, sicut per propria instrumenta. Et ad hoc probandum inducit auctoritatem Apostoli ad Hebr., IV; et primo specialiter ostendit quod Deus penetrat omnia quæ pertinent ad humanam naturam, in qua primo invenitur compositio animæ et corporis, quorum distinctionem et unitionis modum divina sapientia cognoscit et operatur. Et ideo dicit quod pertingit « usque ad divisionem animæ et corporis. » Secundo, in homine est compositio partium corporis, quæ etiam est Deo nota; et ideo subdit « et medullarum, » quantum ad ea quæ intra membra continentur. Tertio, subdit de his quæ pertinent ad animam, inter quæ intentiones cordis sunt maxime occultæ, et tamen sunt Deo notæ; et ideo subdit « et intentionum cordis. » Et quia ista sunt occultissima, multo magis pertingit per suam scientiam ad entia universalia; nulla enim creatura est *occulta* vel indivisibilis, *in conspectu ejus,* ut dicitur ad Hebr., IV.

Deinde cum dicit : « Hoc parvum sine quantitate est et sine numero, » manifestat divinam parvitatem per differentiam ad alia parva. Et primo quidem considerandum quod parvum est in genere quantitatis, sed parvum quod de Deo dicitur, « est sine quantitate; » sicut enim est sine quantitate magnus, ita est sine quantitate parvus. Secundo, considerandum est quod omne parvum de facili mensurari potest, sed parvum quod de Deo dicitur, est « sine numero; » non enim aliqua mensura comprehendi potest. Tertio, considerandum est quod aliqua res parva de facili detinetur, sive per hoc quod a cursu suo impeditur, sive per hoc quod de facili capitur, sed divinum neutro modo potest teneri, quia ejus virtus non potest impediri, nec Deum aliquis perfecte capere potest. Quarto, considerandum est quod ex hoc sunt aliqua parva quod cito terminantur in termino quantitatis, vel definiuntur definitione substantiæ comprehendente substantiam, sed divinum est « sine termino et sine definitione. Quinto, considerandum est quod ea quæ sunt parva, parum comprehendere possunt, sed ipsa de facili ab aliis comprehenduntur; divinum autem parvum est « comprehensivum omnium, » sed est « incomprehensibile » ab omnibus.

LECTIO II.

De eodem et altero. — Alterum attribuitur Deo.

Idem autem est supersubstantialiter æternum et inconversibile, in seipso manens, semper secundum eadem, et eodem modo habens, omnibus eodem modo præsens, et ipsum secundum seipsum in seipso firme et incontaminate in optimis finibus abundantis identitatis collocatum, intransmutabile, in oppositum non volens cadere, forte, invariabile, mundum, immateriale, simplicissimum, non indigens, non augmentabile, non minorabile, ingenitum non sicut nondum genitum aut imperfectum, aut sicut ad hoc, aut istud non factum, aut nusquam nullo modo existens, sed sicut omne ingenitum, et absolute ingenitum, et semper existens, et per se perfectum[1] existens, et idem existens secundum seipsum, et a seipso uniformiter, et identitatis forma determinatum, et idem ex eodem omnibus ad participandum convenientibus supersplendens, et alia aliis coordinans, abundantia et causa identitatis in seipso, et contraria eodem modo præhabens, secundum unam et singularem totius identitatis excedentem causam.

Alterum autem, quoniam provisive Deus omnibus adest, et omnia in omnibus propter omnium fit salvationem, manens in seipso, et propria identitate, et inegressibiliter secundum operationem unam et impausabilem stans, et seipsum donans indeclinabili virtute ad deificationem conversorum, et alteritatem variarum figurarum Dei secundum multiformes visiones; altera quædam præter hoc quod apparent apparentibus significare putandum est. Sicut enim si animam ipsam sermo formaret corporaliter, et partes corporales simplici circumponeret, aliter intelligeremus in ipsa partes circumpositas simplicitati secundum proprietatem animæ; et caput quidem mentem, collum autem opinionem, sicut in medio rationis et irrationabilitatis; pectus autem furorem, ventrem autem concupiscentiam, crura autem et pedes naturam dice-

[1] Al. : « et semper per se perfectum. »

remus, partium nominibus signis potentiarum utentes : multo magis alteritatem formarum et figurarum in eo qui est super omnia, sanctis et Deo convenientibus, et mysticis reserationibus purgari convenit. Et si vis triplices corporum figuras impalpabili et infigurabili Deo circumponere, latitudo quidem divina est dicenda superlatus Dei ad omnia processus ; longitudo autem virtus super tota extenta, profunditas autem omnibus existentibus incomprehensibile occultum et ignorantia. Sed ne lateamus nosmetipsos ex reseratione figurarum alteritatis et formarum, incorporales Dei nominationes his quæ sunt per signa sensibilia, commiscentes, propter quod de istis quidem in symbolica theologia; nunc autem ipsam divinam alteritatem non variationem quamdam superinconversibilis identitatis suspicemur, sed unitivam ipsius multiplicem formationem, et uniformes multæ fecunditatis ad omnia processiones.

« Idem autem est supersubstantialiter æternum et inconversibile, in seipso manens, semper secundum eadem, et eodem modo habens. » Postquam determinavit Dionysius de magno et parvo, hic determinat de eodem et altero; et primo, ostendit quomodo idem attribuatur Deo ; secundo, quomodo attribuatur ei alterum, ibi : « Alterum autem, quoniam provisive Deus omnibus adest. » Circa primum duo facit. Primo, proponit modos in quadam forma quibus idem attribuitur Deo ; secundo, manifestat eos, ibi : « Et ipsum secundum seipsum in seipso firme et incontaminate in optimis finibus abundantis identitatis collocatum. »

Attribuitur autem idem Deo secundum ejus immutabilitatem, prout in Psalm. CI, 28, legitur : *Tu autem idem ipse es.* Immutabilitas autem Dei primo quidem attenditur quantum ad hoc quod non transmutatur secundum esse et non esse, sicut generabilia et corruptibilia ; et ideo dicit quod Deus est idem æternum, inquantum est supersubstantialiter æternus. Sed quia quædam habent quamdam æternitatem inquantum non deficiunt penitus in non esse, in aliqua alia convertibilia, ad hoc excludendum consequenter dicit « inconversibile. » Secundo, excludit motum localem per hoc quod dicit « in seipso manens. » Deus enim seipso continetur ut loco sine loco. Tertio, excludit motum alterationis et augmenti et diminutionis, cum dicit quod semper habet secundum eamdem formam stare, quia scilicet non mutatur de forma in formam, ut de albo in nigrum, vel de quantitate in quantitatem, ut de parvo in magnum, quia nihil in eo intenditur aut remittitur; quod enim est alibi, habet se quidem secundum idem, sed non eodem modo. Quarto, excludit motum qui est secundum habitudinem ad res, et dicit quod ipse, inquantum est ex parte sui, semper est eodem modo omnibus præsens, sed quod omnia non semper eodem modo se habeant ad ipsum, provenit ex variatione quæ contingit circa res.

Deinde cum dicit : « Et ipsum secundum seipsum in seipso firme et incontaminate in optimis finibus abundantis identitatis collocatum, » exponit ea quæ summarie tetigerat; et primo, hoc quod dixerat « in seipso manens; » et excludit ea per quæ posset impediri mansio alicujus in aliquo, quæ quidem sunt quinque. Primo, enim unumquodque manet in loco qui convenit ei per se et secundum suam naturam, facile autem removetur a loco qui convenit ei per accidens, et quantum ad hoc dicit quod Deus collocatur « in seipso secundum seipsum, » id est per se, et non per accidens. Secundo, aliquid manet ubi firmatur ; unde aliqua affiguntur clavis ut permaneant, et hoc est quod subdit « firme ; » firmatus est enim in seipso secundum infinitatem suæ virtutis. Tertio, contingit quod aliquid firmatum in aliquo non potest manere in ipso, quia accidit corruptio aut putrefactio ejus quod firmabat, sicut lapides non manent in pariete, corrupto cemento; et ad hoc excludendum a Deo, subdit « et incontaminate. » Quarto, prohibetur aliquid manere, quia non est optime collocatum, sed potest ad melius perduci, et ad hoc excludendum dicit « in optimis finibus, » id est summitatibus. Quinto, prohibetur aliquid permanere propter diversitatem eorum quæ ad institutionem rei concurrunt, quorum unum trahit huc, et aliud illuc; et quantum ad hoc dicit « abundantis identitatis, » quia in Deo est perfectissima identitas, omnem diversitatem excludens.

Deinde cum dicit « intransmutabile, in oppositum non valens cadere, » etc., exponit quod dixerat : « semper secundum eadem et eodem modo habens ; » et primo, quantum ad alterationem, et dicit quod est « intransmutabile, » inquantum non potest variari secundum magis et minus, « et in oppositum cadere non valens, « inquantum non mutatur de forma in formam opposi-

tam. Deinde exponit dictorum causam. Quod enim aliquid non transmutetur vel non cadat in contrarium, una causa potest esse, quia habet fortem virtutem activam ad resistendum, ut patet in igne, et quantum ad hoc dicit « forte. » Alia causa potest esse, quia non habet in seipso mutabilitatis principium, et quantum ad hoc dicit « invariabile. » Hoc autem principium variabilitatis est quandoque quidem ex permixtione extranei, et ad hoc excludendum dicit « mundum, » vel « purum, » secundum aliam translationem. Purum enim vel mundum dicitur, quod est extraneo nævo impermixtum. Quandoque vero principium variabilitatis est potentia[1] materiæ in eo quod variatur propter quam[2] ab agente reducitur in aliam dispositionem, et ad hoc excludendum dicit « immateriale. » Quandoque vero variabilitatis principium est compositio alicujus rei ex diversis, sicut corpora mixta[3] variabilia sunt, non solum quia sunt materialia, sed etiam quia sunt ex contrariis composita, et ad hoc excludendum dicit « simplicissimum. » Quandoque vero variationis ratio est indigentia ejus quod variatur; quod enim est imperfectum, naturaliter tendit in perfectionem suam et ad hoc excludendum dicit « non indigens. » Deinde ad excludendum motum augmenti subdit « non augmentabile ; » ad excludendum vero motum decrementi subdit « non minorabile ; » ad excludendum vero transmutationem generationis subjungit « ingenitum, » id est non generatum. Sed hoc multipliciter dicitur[4]. Quandoque autem dicitur aliquid non generatum, quia nondum accepit esse per generationem, sicut ea quæ in futuro generabuntur. Ad illum modum excludendum subdit « non sicut nondum genitum. » Quandoque autem dicitur aliquid non generatum, quia ejus generatio est incepta, sed non consummata, et ad hoc excludendum dicit « aut imperfectum. » Quandoque autem dicitur aliquid non generatum non simpliciter, sed secundum quid, sicut si dicamus istum hominem non esse generatum ab isto, vel si dicamus hoc non esse generatum hominem, sed esse generatum animal, et ad hoc excludendum dicit : « aut non sicut factum ad hoc, id est ab aliquo determinato generante, aut istud, » quantum ad certum generationis terminum. Quandoque autem dicitur non generatum aut non factum, quod impossibile est esse, ut hominem esse asinum, et ad hoc excludendum subdit « neque sicut nusquam, » id est nullo loco, vel « nunquam, » id est in nullo tempore et nullo modo existens. Deinde qualiter de Deo dicatur ingenitum per oppositum ad præmissa, subdit dicens quod Deus dicitur « ingenitum, sicut omne, » id est quia ipse quodammodo est omnia, inquantum omnia in ipso præexistunt. Et ideo hoc opponitur ei quod dixerat : « neque sicut nusquam nullo modo existens. » Dicitur etiam ingenitum non secundum quid, sed absolute, contra hoc quod dixerat : « aut sicut ab hoc[5], » etc. Dicitur etiam ingenitum, non sicut nondum genitum, sed sicut « semper existens. » Dicitur etiam ingenitum, non sicut imperfectum, sed sicut « per se perfectum existens. » Sic ergo ostendit differentiam Dei ad ea quæ non dicuntur generata. Unde consequenter ostendit differentiam Dei ad ea quæ dicuntur generata. Omnis enim generatio est transmutatio ex hoc toto in hoc totum ; ex quo sequitur quod non sit semper idem, et ad hoc excludendum dicit « et idem existens. » Quod autem res generata non sit semper idem, ex duobus contingit. Primo quidem, quia determinatur ad esse specificum non per seipsum totum, sed per aliquam sui partem, scilicet per formam, et propter hoc corrumpitur et generatur, secundum quod una forma separatur a materia, et advenit altera. Quod autem est forma tantum[6], determinatur secundum seipsum totum ad suum esse specificum. Secundo, quia res generata determinatur ad suum esse non a seipso, sed ab actione generantis ; et ideo ad hoc excludendum a Deo, dicit quod Deus existit « idem » sicut « determinatum » ad hoc quod « uniformiter » se habeant, et secundum « formam » identitatis, non secundum aliud aut ab alio, sed « secundum seipsum et a seipso. »

Deinde cum dicit : « Et idem ex eodem omnibus ad participandum convenientibus supersplendens, » ostendit quomodo per Deum alia identitatem habent, et hoc du-

[1] Parm. : « principium. » — [2] Parm. : « propter quam. » — [3] Al. : « corporum ista. » — [4] Parm. omittit : « sed hoc multipliciter dicitur. » — [5] Parm. omittit : « Dicitur etiam ingenitum non secundum quid, sed absolute, contra hoc quod dixerat : « aut sicut ab hoc, » etc. — [6] Parm. omittit : « tantum. »

pliciter. Uno modo secundum quod tribuit identitatem rebus in propria natura existentibus, et dicit quod hoc idem quod est Deus, supersplendet omnibus ad hoc quod participant suam identitatem secundum uniuscujusque convenientiam. Alicui enim dat quod sit idem simpliciter. Et his quæ sunt secundum se diversa, dat identitatem ordinis, secundum quod alia aliis coordinat. Alio modo secundum quod res quæ in propriis naturis sunt diversæ, sunt idem prout sunt in Deo, et quantum ad hoc dicit quod hoc est propter abundantiam suæ « identitatis, » et propter hoc quod ipse est omnis « identitatis causa. » Et contraria præhabet in seipso, non diversimode, sed eodem modo, sicut diversi effectus sunt uniformiter in eo quod est una et singularis per excessum causa « totius identitatis. »

Deinde cum dicit : « Alterum autem, quoniam provisive Deus omnibus adest, » ostendit quomodo alterum attribuatur Deo. Et ponit duos modos, quorum primus est quod alterum attribuitur Deo, inquantum adest omnibus sicut participantibus ipsum per quamdam similitudinem secundum perfectiones quas ejus providentiam recipiunt, quia propter salutem [1] et bonum omnium, fit omnia in omnibus, inquantum scilicet nulla perfectio est in rebus quæ non sit aliqua Dei similitudo, ita ut dici possit semper per suæ similitudinis [2] participationem in sapientibus sapientia, in justis justitia, in viventibus vita et in potentibus virtus, et sic de aliis. Et ne aliquis male intelligeret quod Deus sit omnia in omnibus, excludit a Deo modos quibus una creatura fit in alia. Quod quidem contingit dupliciter. Uno modo per transmutationem ejus quod in alio fieri dicitur, sicut ignis fit in corpore mixto per hoc quod in corpus convertitur. Unde ad hoc excludendum dicit « manens in seipso. » Alio modo aliquid fit in altero per hoc quod sua actione transmutat illud in sui similitudinem, sicut ignis generans sibi formam secundum sui similitudinem fit quodammodo in igne generato; et hoc aliquo modo accedit ad modum quo dixerat Deum in rebus fieri, sed multipliciter deficit. Primo quidem, quia ea quæ in rebus naturalibus generant sibi similia, non semper eadem manent; et ideo ut conservent se secundum similitudinem speciei similia sibi generant. Et ad hoc excludendum dicit « et propria identitate. » Secundo, quia actio agentis, qua facit sibi simile, est aliquid egrediens ab agente in patiens, quod in Deo locum non habet, quia ejus actio est ejus substantia. Unde ad hoc excludendum dicit « et inegressibiliter. » Tertio, quia agens creatum facit se in diversis secundum diversas operationes, quod Deo non convenit. Et ideo subdit « secundum operationem unam. » Quarto, quia actio agentis facientis sibi simile non est continua et sempiterna, sicut actio Dei; et ideo dicit « et impausabilem. » Quinto, quia agens naturale simul et patitur et movetur, et ad hoc excludendum a Deo, subdit « stans. » Sexto, quia virtus agentis naturaliter in sua actione debilitatur, propter hoc quod simul patitur, et ad hoc excludendum dicit quod Deus « indeclinabili virtute » donat « seipsum » per quamdam sui participationem « ad deificationem conversorum, » id est, ut assimilet sibi ea quæ ad se convertit.

Deinde cum dicit : « Et alteritatem variarum figurarum Dei secundum multiformes visiones, » ponit secundum modum quo alterum attribuitur Deo; et primo, ponit istum modum; secundo, ostendit eum ad propositam intentionem non pertinere, ibi : « Sed ne lateamus nos ex reseratione figurarum alteritatis et formarum. »

Dicit ergo primo quod Deo etiam attribuitur alteritas diversarum figurarum secundum multiplices visiones prophetarum, in quibus aliquando visus est ut leo, aliquando ut agnus, aliquando ut homo, quæ quidem diversimode signant. Alia quidem signant præter ea quæ in superficie apparent, et hoc manifestat per exemplum in anima. Si enim aliquis vellet describere animam ad modum corporis, quamvis ipsa sit simplex, aliter quam in corpore intelligeremus in ipsa partes corporeas attributas simplicitati. Nam per caput intelligeremus mentem, quæ præsidet omnibus partibus animæ, sicut caput omnibus partibus corporis. Per collum autem opinionem, quæ medio modo se habet inter rationem scientem veritatem et inter irrationabiles partes

[1] Al. : « et hic propter salutem. » — [2] Al. : « semper suæ similitudinis; » Parm. : « secundum suæ similitudinis. »

animæ scientia veritatis carentes. Per pectus autem intelligeremus furorem, id est irascibilem, propter pectoris fortitudinem. Per ventrem autem concupiscibilem, propter ventris mollitiem; vel quia concupiscentia deservit ventri, sicut et irascibilis habet sedem in corde, quod est in pectore. Sed per crura et pedes diceremus significari naturales vires animæ nutritivæ, per quas sustentatur vita. Et ita uteremur nominibus partium corporalium quasi quibusdam signis potentiarum animæ secundum similitudinem quamdam. Unde multo magis diversitatem formarum et figurarum in Deo, qui est super omnia, oportet purgari a corporalibus phantasiis per sanctas expositiones Deo convenientes et mysticas, quia scilicet accipiunt occultum ex manifesto. Unde est quod si aliquis Deo, qui est impalpabilis et infigurabilis, velit attribuere tres dimensiones corporum, sicut Apostolus facit ad Ephes., III, dicendum erit quod latitudo Dei nihil est aliud quam processus divinæ providentiæ, qui omnibus superfertur quasi continens omnia; longitudo autem Dei dicetur virtus, quæ super tota extenditur, penetrans omnia a summo usque ad imum; profunditas autem Dei dicetur occulta et ignorata Dei essentia, quæ est incomprehensibilis omnibus existentibus.

Deinde cum dicit : « Sed ne lateamus nos ex reseratione figurarum alteritatis et formarum, ostendit prædictam varietatem ad propositum non pertinere, et dicit quod non debemus nosipsos decipere, exponendo Dei nominationes, quæ sunt secundum formas et figuras, quia per hoc commisceremus istam doctrinam symbolicæ theologiæ[1], ad quam pertinet exponere corporales Dei nominationes, quæ accipiuntur per signa sensibilia. Sed ad præsens propositum pertinet ut alteritatem Deo attributam non suspicemur esse aliquam variationem Dei, qui habet superminentem et inconversibilem, id est intransmutabilem, identitatem, sed per hoc intelligamus formationem secundum quam multiplices formas attribuit, et tamen omnia in unum ordinem reducit, et e converso, uniformitatem multorum processuum divinæ fecunditatis ad omnia, quæ pertinent ad primum alteritatis modum supra assignatum.

LECTIO III.

De simili et dissimili.

Similem autem Deum si dicat aliquis quidem ut eumdem sicut totum per totum sibiipsi singulariter et indivisibiliter existentem similem; non est improbanda nobis similis Dei nominatio. Theologi autem existentem super omnia Deum, secundum quod ipse est, nulli dicunt esse similem. Ipsum autem similitudinem divinam dare his qui ad ipsum existentem super omnem definitionem et rationem convertuntur secundum virtutem imitatione : et est divinæ similitudinis virtus quæ advenientia omnia ad causam convertit. Ista igitur dicere convenit similia Deo, et ea secundum divinam imaginem et assimilationem; neque enim ipsis Deum esse similem, quoniam neque proprie homo imagini est similis. Etenim in coordinatis quidem possibile est et similia ipsa sibi invicem esse et convertere ad alterutra similitudine, et esse ambo sibi invicem similia secundum præcedentem simili speciem; in causa autem et causatis non recipiemus conversionem. Non enim solis istis vel istis simile esse donatum est. Omnibus autem similitudinem participantibus Deus fit causa quod sint similia, et erit et ipsius substantificator similitudinis; et quod est in omnibus simile, vestigio quodam divinæ similitudinis est simile, et unitionem ipsorum complet. Et quid oportet de isto dicere? Ipsa enim theologia dissimilem ipsum esse prædicat, et omnibus non coordinatum, sicut ab omnibus alterum. Et hoc quidem est inopinabilius, quod neque esse aliquid simile ipsi dicit. Et quidem non est contrarius sermo assimilationi ad ipsum. Etenim eadem similia sunt Deo et dissimilia. Hoc quidem secundum contingentem non imitabilis imitationem; hoc autem secundum quod causata minus habent causa et mensuris infinitis et incomparabilibus deficientia.

« Similem autem Deum si dicat aliquis quidem ut eumdem, sicut totum per totum sibiipsi singulariter et indivisibiliter existentem similem, non est improbanda nobis similis Dei nominatio. » Postquam Dionysius determinavit de eodem et diverso, hic determinat de simili et dissimili; et primo, de simili; secundo, de dissimili, ibi : « Et quid oportet de isto dicere? » Circa primum duo facit. Primo, ostendit quomodo similitudo attribuitur Deo; secundo, quod Deus est similitudinis causa, ibi : « Omnibus au-

[1] Parm. omittit : « theologiæ. »

tem similitudinem participantibus Deus fit causa quod sint similia. » Circa primum duo facit. Primo, attribuit Deo similitudinem, secundum quod ipse dicitur sibi similis; secundo, per comparationem ad alia, ibi : « Theologi autem existentem super omnia Deum, secundum quod ipse est, nulli dicunt esse similem. »

Dicit ergo primo quod si quis velit dicere quod Deus sit similis sibiipsi, talis expositio divinæ similitudinis non est improbanda. Excludit autem duo a Deo per quæ aliquid potest esse sibiipsi dissimile. Uno modo, quia non semper manet idem, sed mutatur de forma in formam, aut de dispositione in dispositionem. Secundo, potest dici aliquid sibi dissimile, quia est compositum ex contrariis vel ex dissimilibus partibus. Et ad hoc excludendum dicit « totum per totum » Deum « sibi similem. » Et quia totum consuevit dici quod in partes dividitur, vel subjectivas, sicut totum universale, vel integrales sicut totum integrale, ideo ad excludendum rationem totius universalis, dicit « singulariter; » ad excludendum vero rationem totius integralis, dicit « indivisibiliter. »

Deinde cum dicit : « Theologi autem existentem super omnia Deum, secundum quod ipse est, nulli dicunt esse similem, » agit de similitudine Dei per comparationem ad alia, et dicit quod divinorum tractatores, Deum, qui super omnia existit, secundum quod in suo esse consideratur, nulli rei dicunt esse similem; sed dicunt quod ipse dat similitudinem suam rebus, quæ « convertuntur, » id est accedunt ad ipsum secundum quamdam imitationem possibilem secundum eorum virtutem; non ita quod perfecte ipsum imitari possint, quia ipse est « supra omnem definitionem, » et distinctionem, id est supra terminos cujuscumque naturæ, « et supra omnem rationem, » id est supra omnem apprehensionem. Et virtus hujus similitudinis ad Deum, quæ a Deo rebus donatur, in hoc apparet; quod omnia quæ proveniunt a Deo sicut effectus a causa, convertuntur per desiderium ad ipsum, sicut ad propriam causam; quod non esset, nisi omnia haberent aliquam similitudinem ad Deum. Unumquodque enim amat et desiderat simile sibi. Quia ergo omnia convertuntur per desiderium in Deum, conveniens est dicere quod omnia sunt similia Deo, non secundum æqualitatem, sed per quamdam assimilationem et privationem ratio imaginis sumitur. Et quod talis sit similitudo rerum ad Deum, ex hoc apparet, quia non dicimus esse Deum similem aliis rebus, sicut neque homo dicitur esse similis suæ imagini. In his enim quæ sunt unius ordinis, potest dici quod aliqua mutuo sint sibi invicem similia; ita quod similitudo ad alterutrum convertatur, ita quod dicamus hoc esse simile illi, et illud isti; ambo enim possunt dici invicem similia, propter hoc quod similia dicuntur secundum quod participant unam formam, quæ præexistit in causa communi, ad quam utrumque coordinatorum habet similem habitudinem. Sed in causis et causatis non debet recipi conversio similitudinis. Causatum enim et quod deducitur ex alio non potest dici simile causæ a qua deducitur, sicut nec imago homini. Et hoc ideo quia causa non dependet ab effectu, ut solum isti vel illi suam similitudinem donet; sed effectus dependet a causa, a qua sola participat similitudinis rationem. Et hæc dependentia designatur, cum dicitur effectus esse in sua causa. Cum vero dicitur quod coordinata sunt sibi invicem similia, designatur dependentia utriusque ad unam causam. Sic igitur patet quod Deus, qui est omnium causa, non potest dici aliis similis, sed alia ei similia esse dicuntur.

Deinde cum dicit : « Omnibus autem similitudinem participantibus Deus fit causa quod sint similia, » ostendit quomodo Deus est causa similitudinis rebus, et dicit quod omnia quæcumque participant similitudinem, hoc habent a Deo, sicut a causa quod similia sint. Similia enim dicuntur aliqua, secundum quod conveniunt in aliqua forma; omnis autem forma est a Deo. Et non solum est causa similium, sed etiam est causa ipsius similitudinis, sicut et supra dictum est, quod non solum est causa viventium, sed etiam ipsius vitæ. Et quidquid dicitur simile in quibuscumque rebus creatis, dicitur simile « quodam vestigio, » id est quadam repræsentatione divinæ similitudinis, ex qua perficitur non solum similitudo, sed etiam omnis unitio quæ est in rebus.

Deinde cum dicit : « Et quid oportet de isto dicere? » determinat de dissimili, et dicit quod ideo oportet de hoc amplius dicere, quod Deus non est similis rebus,

sed magis similitudinis causa, quia sacra doctrina prædicat illum esse dissimilem, et non ejusdem ordinis cum aliis; quia ipse est ab omnibus diversus, ut patet Isa., XL, 18 : *Cui similem fecistis Deum?* Et, quod magis videtur inopinabile, nihil dicunt esse simile Deo, secundum Psalm. LXX, 19 : *Deus, quis similis tibi?* Et iterum Psalm. LXXXV, 8 : *Non est similis tui in diis, Domine.* Et tamen hoc non est contrarium ei quod supra dictum est de assimilatione totorum ad Deum; eadem enim possunt dici Deo et similia et dissimilia; similia quidem, secundum quod imitantur Deum, qui non est perfecte imitabilis a creatura, secundum quod convenit ei, id est inquantum possibile est creaturæ; dissimilia autem, secundum quod causata minus perfectionis habent quam causa. Ne tamen aliquis intelligeret per hoc quod dicit « minus, » aliquam proportionem, sicut contingit in rebus quæ sunt unius generis, quorum unum est altero perfectius, subjungit quod creaturæ deficiunt a Deo, non secundum aliquam determinatam mensuram, sed infinite et incomparabiliter, et pro tanto dicuntur ei dissimilia.

LECTIO IV.

De statione, sessione et motu.

Quid autem et de divina statione aut sessione dicimus? Quid autem aliud quidem præter hoc quod manet in seipso ipse Deus, et immobili identitate singulariter est fixus et supercollocatus; et quod secundum eadem, et circa idem, et eodem modo operatur; et secundum quod ipse intransmutabilis est ex seipso omnino; et quod non potest ipse in contrarium moveri, et totaliter est immobilis, et hoc supersubstantialiter? Ipse enim est omnium stationis et sedis causa, qui est super omnem sedem et stationem, et in ipso cuncta consistunt ex propriorum bonorum statione incommota custodita. Quid autem et quando rursus theologi et ad omnia procedentem et motum dicunt immobilem? Non ut decet[1] Deum et hoc est intelligendum? Moveri enim ipsum religiose æstimandum est, non secundum portationem aut alterationem, aut modalem aut localem motum, non directum, non circularem, non ex ambobus, non intelligibilem, non animalem, non naturalem, sed eo quod substantiam agat Deus, et contineat omnia, et totaliter omnia provideat, et eo quod adsit omnibus omnium circuitu immensurabili, et ad existentia omnia provisivis processibus et operationibus. Sed et motus Dei immobilis, ut decet Deum, laudari sermone permittitur. Et rectum quidem intelligere convenit indeclinabilem et inflexibilem processum operationum, et ex ipso totorum generationem; obliquum autem stabilem processum, generativum statum; secundum circulum autem identitatem et media, et extrema circumdantia, et circumdata continere, et conversionem ad ipsum eorum quæ ab eo processerunt. Si autem aliquis in eloquiis Dei nominationem, ejusdem autem justitiæ in æquali sumat, dicendum est æqualem esse Deum, non solum sicut simplicem et indeclinabilem, sed et sicut ad omnia et per omnia æqualiter procedentem, et sicut ipsius per se æqualitatis substantificatorem, secundum quam æqualiter operatur per omnia similem illorum invicem ambulationem, et suscipientium æqualem participationem secundum singulorum opportunitatem, et æqualem secundum dignitatem ad omnia distributam donationem, et secundum hoc quod omnem præaccepit æqualitatem intelligibilem, intellectualem, rationalem, sensibilem, substantialem, naturalem, voluntariam, segregate et unitive in seipso, secundum virtutem omnis æqualitatis effectivam, super omnia existentem.

« Quid autem et de divina statione aut sessione dicimus? » Postquam determinavit Dionysius de simili et dissimili, hic determinat de divina statione et sessione et motu; et primo, de statione et sessione; secundo, de motu, ibi : « Quid autem et quando rursus theologi et ad omnia procedentem et motum dicunt immobilem? » Circa primum duo facit. Primo, ostendit quomodo sessio aut statio attribuatur Deo; secundo, determinat causalitatem divinæ stationis aut sessionis, ibi : « Et hoc supersubstantialiter. »

Attribuit autem Deo stationem et sessionem tripliciter. Primo quidem, quantum ad hoc quod ipse in se existit, et hoc est quod dicit quod de divina statione et sessione, per quæ immobilitas quædam designatur, nihil aliud dicere possumus præter hoc quod ipse non stat aut sedet tanquam sustentatus in aliquo altero sicut nos, sed in seipso manet; non quidem mobiliter, sicut homo sedet in sede a qua potest removeri, neque secundum aliquam diversitatem sui a se, sicut differt homo a loco in quo sedet aut stat; sed secundum immobilem identitatem; neque iterum communi modo, sicut quælibet res quodammodo est in seipsa,

[1] Al. : « Non enim ut decet. »

inquantum continetur infra terminos suæ naturæ, sed singulariter est simplex in seipso. Sic enim sibiipsi innititur quod a nullo alio dependet, et est fixus, et omnibus supercollocatus. Secundo attribuit Deo stationem et sessionem quantum ad operationem, et hoc est quod dicit quod Deus operatur semper secundum eamdem sapientiam, virtutem et bonitatem et hujusmodi, et circa idem quantum ad objectum suæ operationis, quia semper ejus operatio est circa seipsum, inquantum intelligendo et amando se, omnia operatur, et eodem modo, secundum modum operationum, prout operatur ad operationem; non enim debilitatur aut fortificatur in agendo. Tertio, attribuit Deo stationem et sessionem per remotionem omnis passionis vel transmutationis ab ipso, et dicit quod statio aut sessio attribuitur Deo, et secundum quod non habet ex seipso aliquam causam suæ transmutationis, et secundum quod non potest ab aliquo exteriori moveri in contrarium, sed totaliter est immobilis.

Deinde cum dicit : « Et hoc supersubstantialiter, » agit de causalitate divinæ stationis et sessionis, et dicit quod ea quæ prædicta sunt, attribuuntur Deo supersubstantialiter, quia ipse est causa omnis stationis et sessionis quæ in rebus creatis invenitur, inquantum est super omnem sessionem et stationem, et omnia stabiliuntur in ipso Deo, qui custodit ea, ne commoveantur a statione vel permanentia in propriis bonis.

Deinde cum dicit : « Quid autem et quando rursus theologi et ad omnia procedentem et motum dicunt immobilem? » determinat de motu divino; et primo, ostendit quomodo motus attribuitur Deo; secundo, quomodo attribuantur Deo differentiæ motus, ibi : « Et rectum quidem intelligere convenit. » Dicit ergo primo quod quando sacræ Scripturæ doctores dicunt Deum, qui est immobilis, moveri, et ad[1] omnia procedere, intelligendum est sicut decet Deum moveri[2]. Religiose enim et secundum rectam fidem existimandum est quod Deus moveatur, non sicut ea quæ ab aliis portantur, aut quocumque modo per se mutantur, vel per alterationem, qua aliquid mutatur de qualitate in qualitatem, aut secundum motum modalem, quo aliquid movetur de uno modo[3] manendi in alterum, sicut de minus albo in magis album, vel de minori quantitate in majorem, aut secundum motum localem, ut rectum, vel circularem, vel obliquum ex duobus compositum; neque etiam secundum motum intelligibilem, secundum quod intellectus creatus mutatur de conceptione intelligibili in aliam; neque secundum motum animalem, secundum quod animal mutatur de una apprehensione in aliam, vel de una affectatione in aliam; neque etiam secundum motum naturalem, secundum quod aliquid transmutatur de una natura in aliam, sed dicitur Deus moveri, inquantum omnia ducit ad hoc quod sint, et inquantum continet omnia in suo esse; et non solum agit ad substantiam, et in ea continet res, sed inquantum universaliter omnia providet, dans rebus et vitam et sapientiam et virtutes et alia hujusmodi, et in eis conservat. Ex istis autem effectibus dicitur Deus moveri duplici ratione. Primo quidem, quia ipse providendo omnibus, adest omnibus quodam circuitu, qui mensurari non potest, omnia concludendo. Cum enim ipse sit mensura omnium, a nullo mensuratur. Sic dum circa diversa suam præsentiam exhibet, quædam similitudo motus in eo apparet. Nos enim diversis adesse non possumus, nisi moveamur. Alia ratione propter prædictos effectus dicitur moveri, inquantum operationes et processiones donorum, quæ ex sua providentia rebus confert, ad omnia existentia perveniunt. Et sic quadam similitudine motus in Deo apparet, dum primo consideratur essentia aut sapientia aut aliquid hujusmodi in Deo, sicut in summo rerum vertice, et deinde derivatur quasi per quemdam defluxum ad alias res. Et non solum theologi motum Deo attribuunt, sed et nobis permittitur ut decenter laudemus motum Dei immobilis.

Deinde cum dicit : « Et rectum quidem intelligere convenit indeclinabilem et inflexibilem processum operationum, et ex ipso totorum generationem, » ostendit quomodo Deo attribuuntur differentiæ motus. Et quia illud quod in recto movetur, movetur uniformiter a quodam principio usque ad finem, dicit quod rectum motum intelligere convenit in Deo, secundum quod

[1] Parm. omittit : « ad. » — [2] Parm. omittit : « moveri. » — [3] Al. : « movendi. »

operationes ipsius procedunt indeclinabiliter et inflexibiliter; ejus enim operatio non curvatur, sed semper in directum procedit, secundum Dei dispositionem. Possumus et per rectum motum intelligere productionem rerum omnium ab ipso; sic enim ejus causalis operatio procedit per omnia media in directum usque ad ultimum. Obliquus autem motus ex diversis componitur. Et sic motus obliquus Deo attribuitur, inquantum in ejus operatione simul intelligitur, et processio, et statio. Processus quidem quantum ad rerum productionem, statio autem quantum ad invariabilitatem divinæ operationis. Sic igitur quia processus Dei non est sine stabilitate, dicitur processus stabilis; quia vero statio Dei non est sine rerum productione, dicit statum generationem. In motu autem circulari tria est considerare. Primo quidem, quod quodlibet punctum signatum in circulo est idem et principium et finis. Secundo, quod in ipsa linea circulari est considerare concavum et convexum; et ex parte quidem concavitatis continet alia, ex parte vero convexi contineri ab aliis potest. Tertio, quod id quod circulariter movetur, redit suo circulari motu ad primum a quo incipit moveri. Sic ergo dicitur secundum circulum moveri, inquantum in se continet omnem identitatem, et omnia media, et omnia maxima, in quo tangit proprietatem primam; et inquantum continet circumdantia, quod pertinet ad rationem concavitatis, et circumdata, quod pertinet ad rationem convexitatis, in quo tangit secundam proprietatem; et inquantum continet conversionem ad ipsum, sicut ad finem eorum quæ processerunt ab ipso, sicut a principio, in quo tangit tertiam proprietatem.

Deinde cum dicit : « Si autem aliquis in eloquiis Dei nominationem, ejusdem autem justitiæ in æquali sumat, dicendum est æqualem esse Deum, non solum sicut simplicem et indeclinabilem, sed et sicut ad omnia et per omnia æqualiter procedentem, » determinat de æqualitate. Supra enim de inæqualitate determinaverat, prout est effectus justitiæ, quæ potest inæqualitatem vel excludere, vel causare; nunc vero determinat de æqualitate secundum se, et circa hoc tria facit. Primo, ostendit qualiter æqualitas Deo attribuitur, sicut cui convenit ipsa æqualitas; secundo, qualiter attribuitur ei ut causæ, ibi : « Et sicut ipsius per se æqualitatis substantificatorem; » tertio, qualiter attribuitur ei ut omnem æqualitatem præhabenti, ibi : « Et secundum hoc quod omnem præaccepit æqualitatem intelligibilem. »

Dicit ergo primo quod si quis in sacra Scriptura velit in nomine æqualitatis accipere nominationem divinæ identitatis, aut divinæ justitiæ, poterit hoc convenienter facere, æqualitas enim est unitas quantitatis. Si ergo ista unitas attribuatur Deo secundum seipsum, dicetur Deus esse æqualis ratione unitatis divinæ, quæ attenditur et secundum ejus simplicitatem, quia non est compositus ex multis, et secundum immobilitatem, quia semper uno modo se habet, et hoc est quod dicit : « Dicendum est Deum esse æqualem ..... sicut simplicem et indeclinabilem. » Si vero consideretur divina unitas per comparationem ad effectus, circa quos uniformiter operatur, quantum est ex parte sui, sic æqualitas ei ei attribuitur inquantum procedit, diffundendo effectus « ad omnia » æqualiter, et « per omnia. » « Ad omnia » dicit quantum ad hoc quod omnia recipiunt influentiam divinæ operationis; « per omnia » vero dicit inquantum divina operatio transit per totam rem a principio usque ad finem, et iterum inquantum per unam rem transit ad aliam, dum utitur una re tanquam in alia agente. Sic igitur unitas simplicitatis et immobilitatis pertinet ad rationem identitatis divinæ, unitas autem operationis in effectus, pertinet ad rationem justitiæ; et ideo dixerat quod in æqualitate intelligitur Dei nominatio et ejusdem et justitiæ.

Deinde cum dicit : « Et sicut ipsius per se æqualitatis substantificatorem, » ostendit quomodo attribuitur æqualitas Deo sicut causæ, et dicit quod dicimus Deum esse æqualem, « sicut substantificatorem, » id est causam, « ipsius per se æqualitatis, » id est ipsius æqualitatis in abstracto consideratæ, secundum quam quidem æqualitatem in rebus causatis Deus res facit æquales dupliciter. Primo, quidem quantum ad actiones et passiones, sive communicationes et receptiones, et hoc est quod dicit quod Deus secundum æqualitatem causatam, æqualiter operatur in omnibus, et similiter omnia se invicem perambulant, dum scilicet actio divina pertransit in omnia, et operatur æqualem participationem

suscipientium, inquantum scilicet unumquodque passivum suscipit effectum agentis. Sed non intelligenda est similitudo et æqualitas ambulationis et susceptionis prædictæ, secundum æqualitatem quantitatis, quia una res est magis receptiva quam alia, sed secundum æqualitatem proportionis, quia unumquodque proportionaliter agit aut patitur secundum modum suum, et hoc est quod dicit : « Secundum singulorum opportunitatem. » Alio modo æqualitas potest considerari in rebus secundum ea quæ rebus insunt, sicut formæ, quantitates, qualitates, et alia hujusmodi; et quantum ad hoc dicit quod Deus operatur æqualem donationem distributam ad omnia. Quod iterum non est intelligendum de æqualitate quantitatis, quia non omnia alba habent æqualem albedinem, neque omnia magna æqualem magnitudinem, sed est intelligendum de æqualitate proportionis, quia unumquodque habet de donis divinis secundum æqualem proportionem, et hoc est quod dicit « secundum dignitatem. »

Deinde cum dicit : « Et secundum hoc quod omnem præaccepit æqualitatem intelligibilem, » ostendit quomodo æqualitas attribuitur Deo, secundum quod præhabet omnem æqualitatem, et dicit quod dicimus Deum esse æqualem, « secundum quod præaccepit in se omnem æqualitatem, » scilicet « intelligibilem et intellectualem, » quantum ad angelos, qui dicuntur intelligibiles secundum quod intelliguntur, et intellectuales, secundum quod intelligunt; « rationalem, » quantum ad homines; « sensibilem, » quantum ad animalia; « substantialem, » quantum ad omnia quæ quocumque modo sunt; « naturalem, » quantum ad ea quæ naturaliter fiunt; « voluntariam[1], » quantum ad ea quæ fiunt a proposito. Hanc, inquit, omnem æqualitatem « præaccepit » Deus, et « in seipso, » non ut haberet eo modo quo est in singulis, sed « segregate, » id est singulari modo præ aliis, neque secundum aliquam diversitatem, sicut in creaturis differt æqualitas intelligibilis a rationali, sed « unitive, » id est secundum aliquod unum, scilicet secundum virtutem, » quæ est effectiva omnis æqualitatis, quæ etiam est existens super omnia; omnes enim effectus præexistunt virtualiter in sua causa secundum ejus virtutem.

CAPUT DECIMUM.

DE OMNIPOTENTE, VETERE DIERUM; IN QUO ET DE ÆVO, ET DE TEMPORE.

LECTIO I.

Vide autem verbo multorum nominum Deum, sicut omnipotentem, sicut veterem dierum laudare. Hoc enim dicitur quidem propter hoc quod omnium ipse est, omnipotens sessio, continens et circumveniens tota, et collocans et fundans, et circumstringens, et firmum in seipso omne perficiens, et ex seipso tota, quemadmodum ex radice omnitenente producens, et ad seipsum omnia, quemadmodum et plantationem omnitenentem convertens, et continens ipsa, sicut omnium sessio omnitenens, contenta omnia secundum unam excedentem omnia continentiam firmans, et non dimittens ipsa decidentia a seipsa, sicut ex essentia perfecta mota destrui. Dicitur autem omnitenens thearchia et sicut omnia tenens, et immixte gubernatis principans, et sicut omnibus desiderabilis, et interminabilis existens, et supermittens omnibus voluntarias leges, et dulces partus divini et omnipotentis, et indissolubilis amoris ipsius bonitatis.

« Vide autem verbo multorum nominum Deum, sicut omnipotentem, sicut veterem dierum laudare. » Postquam Dionysius exposuit divina nomina quæ signant perfectiones rebus inhærentes, vel absolute, vel secundum comparationes unius ad alterum; hic exponit quædam nomina quæ dicuntur de Deo secundum rationem universalis principii esse et durationis rerum. Dicitur enim Deus omnipotens, inquantum

[1] Parm. omittit : « quantum ad ea quæ naturaliter fiunt; « voluntariam. »

est universale principium omnis esse rerum; antiquus vero dierum dicitur, inquantum est principium omnis durationis. Et quia nomina durationis sunt ævum et tempus, ex consequenti determinatur de ævo et tempore. Et hæc tanguntur manifeste in titulo qui talis est : « De omnipotente, vetere dierum; in quo et de ævo, et de tempore. » Dividitur autem hoc capitulum in tres partes. In prima, determinat de omnipotente; in secunda, de antiquo dierum, ibi : « Dierum autem antiquus laudatur Deus propter hoc quod omnium ipse est et ævum et tempus; » in tertia, de ævo et de tempore, ibi : « Oportet autem, sicut arbitror, et temporis, et ævi naturam ex eloquiis videre. »

Circa primum duo facit. Primo, dicit de quo est intentio, et dicit quod Deus qui est « multorum nominum, verbo » sacræ Scripturæ laudatur, et sicut omnipotens, secundum illud Genes., XVII, 1 : *Ego Deus omnipotens. Ambula coram me, et esto perfectus;* et sicut vetus dierum, secundum illud Daniel., VII, 9 : *Antiquus dierum sedit.*

Secundo, ibi : « Hoc enim dicitur quidem propter hoc quod omnium ipse est omnipotens sessio, » ponit quomodo Deus dicatur omnipotens, et circa hoc duo facit. Primo, assignat rationem omnipotentiæ; secundo, exponit quædam quæ dixerat, ibi : « Et continens ipsa, sicut omnium sessio omnitenens contenta omnia. » Rationem autem omnipotentiæ ostendit secundum quatuor in quibus ratio potentiæ consideratur. Primo quidem, secundum ambitum ; dicitur enim esse magna potentia, sive in naturalibus, sive in rebus humanis, quæ multa sub se continet, et hoc est quod dicit quod dicitur Deus omnipotens propter hoc quod ipse est « quædam omnipotens sessio, » quadam stabilitate « continens tota, » id est omnia, inquantum omnia ejus potestati subduntur, « et circumveniens, » inquantum omnia ejus providentiæ subsunt. Secundo vero, quantum ad firmitatem; dicitur enim magna potentia, quæ et in se est immobilis, et alia immobiliter tenere potest; et quantum ad hoc dicit : « et collocans, et fundans, et circumstringens, et firmum in seipso omne perficiens; » et tangit quatuor modos quibus aliquid firmatur. Firmatur enim aliquid, inquantum est in suo loco naturali; unde omnia corpora naturalia in suis locis quiescunt, et quantum ad hoc dicit : « et collocans. » Aliqua vero firmantur super aliquod quod eis substat, sicut parieti substat fundamentum, et columnæ basis, et quantum ad hoc dicit « et fundans. » Quædam vero firmantur per aliquod ligamentum, sicut patet in doliis, quæ circulis firmantur, et quantum ad hoc dicit « et circumstringens. » Et hi tres modi firmitatis pertinent ad hoc quod una res firmatur per aliam. Potest enim locatio ad hoc pertinere in universo quod creaturæ inferiores firmantur quodammodo per superiores, quæ sunt loca inferiorum, sicut corpora cœlestia inferiorum corporum; fundatio vero ad hoc quod formæ fundantur in materiis, et accidentia in subjectis; circumstrictio vero ad hoc quod elementa firmantur in mixto, et universaliter omnes partes in toto. Quartus autem modus firmitatis est, secundum quod unaquæque res habet firmitatem in sua natura; et hoc est quod dicit : « et firmum in se omne perficiens. » Vel potest aliter dici quod collocat et fundat et constringit firmans omnia divina sessio in seipsa, quasi diceret : Ipse Deus est et locus, et fundamentum, et vinculum connectens omnia. Tertio vero, ostendit rationem omnipotentiæ secundum productionem; dicitur enim magna potentia quæ multa producere potest, sicut virtuosa radix dicitur quæ multa producit germina, et quantum ad hoc dicit quod divina sessio producit ex sui virtute omnia, sicut ex quadam radice omnipotente. Quarto, manifestat rationem omnipotentiæ secundum rationem attractionis; dicitur enim magna potentia, quæ ad se aliqua attrahere vel convertere potest, et quantum ad hoc dicit quod convertit ad se omnia, sicut ad quamdam plantationem omnitenentem. In ipso enim omnia plantantur sicut in primo principio.

Deinde cum dicit : « Et continens ipsa, sicut omnium sessio omnitenens, contenta omnia, » ostendit quædam quæ dixerat; et primo, quomodo deitas dicatur continens; secundo, quomodo dicatur omnitenens, ibi : « Dicitur autem omnitenens thearchia. » Dicit ergo primo quod divinitas dicitur continens, » inquantum ipsa est « sessio, » id est firmitas vel immobilitas, omnium, quæ omnia sub se existentia firmat, non sicut aliquod principium quod sit de essentia rerum, quod diversificatur in

diversis, sed secundum unam communem continentiam, quæ excedit omnia; et intantum est fortis ista continentia quod non solum dat firmitatem rebus sub se contentis, sed etiam non permittit eas omnino destrui, et in nihilum redigi ea quæ decidunt ab ipso Deo. Et dicuntur a Deo decidere, qui est perfecta essentia, quæcumque removentur a sua perfectione; nec ipsa enim in nihilum rediguntur.

Deinde cum dicit : « Dicitur autem omnitenens thearchia, et sicut omnia tenens et immixte gubernatis principans, et sicut omnibus desiderabilis et interminabilis existens, » ostendit quomodo deitas dicitur omnitenens, et dicit quod divinitas dicitur omnitenens, inquantum omnia tenet, eo modo quo ille qui principatur aliquibus, dicitur eos tenere. Nam et possessionem dicitur aliquis tenere, quæ ejus curæ subest. Si autem aliquis aliquibus principetur tanquam unus de numero eorum existens, tenet quidem eos inquantum est principans, sed et tenetur ab eis, inquantum eis permiscetur, et sub eorum ordine includitur. Deus autem sic omnia tenet quod a nullo tenetur, et hoc est quod dicit : « Immixte gubernatis principans. » Contingit autem aliquem aliquibus principari dupliciter. Uno modo per modum timoris, et iste modus principandi non est efficax ad subditos tenendum. Qui enim contra propriam voluntatem subduntur, qui timore serviunt, data opportunitate, servitutis jugum excutiunt. Alio modo per modum amoris, et hic modus principandi est efficax ad tenendum subjectos qui voluntarie subduntur, et hunc modum principandi Deo attribuit, cum dicit « et sicut omnibus desiderabilis; » omnia enim ipsum desiderant, ut pluries dictum est. Contingit autem aliquod particulare bonum, licet desideretur, non efficaciter tenere desiderantem, quia cum sit terminatum et finitum, non habet in se omnia quæ desiderari possunt; et ideo qui ipsum desiderat propter aliquam bonitatem in eo inventam, non totaliter in eo quiescit, sed ad aliud transit, in quo bonitatem inveniat quæ ei deest. Sed Deus est sic desiderabilis quod est omnino « interminabilis; » unde ex necessitate tenet omnem desiderantem, dum in quolibet desiderato objecto ipse desideratur. Nihil enim est desiderabile nisi inquantum habet aliquam participationem summi boni. Posset autem iterum contingere quod aliquis principans, in persona sua desiderabilis esset, sed leges graves subditis daret, quas ipse non teneret; et ideo subjecti non efficaciter sub ipso tenerentur. Sed hoc a Deo excludens subdit quod « omnibus supermittit voluntarias leges. » Lex enim Dei est cuilibet creaturæ infixa naturalis inclinatio ipsius ad agendum id quod convenit ei secundum naturam. Et ideo sicut omnia tenentur a desiderio divino, ita tenentur a legibus ejus, secundum illud Psalmi CXLV, 6: *Præceptum posuit, et non præteribit,* super aliqua creatura. Et propter hoc etiam dicitur Sap., VIII, de divina Sapientia, quod suaviter omnia disponit. Unde quod omnibus leges divinitus infixæ sunt voluntarie, ostenditur per id quod subditur : « Et dulces partus divini et omnipotentis et indissolubilis amoris ipsius bonitatis. »

Ubi considerandum est quod ex amore et desiderio finis exoritur desiderium ejus quod est ad finem adoptatum. Ultimus autem omnium finis est bonitas divina, ad quam sicut ad finem ordinantur omnes prævii et particulares fines, in quos res naturaliter inclinantur. Sic igitur ipsæ naturales inclinationes rerum in proprios fines, quas dicimus esse naturales leges, sunt quidam partus, id est effectus « dulces » id est consoni naturali appetitui effectus[1]; effectus, dico, vel partus amoris, quo divina bonitas amatur; qui quidem amor est divinus, et omnia tenens et insolubilis, sive hoc intelligatur de amore quo ipse Deus amat suam bonitatem, per quam omnia tenet et insolubilis est, quia ex necessitate se amat; sive dicatur divinus amor qui est divinitus omnibus rebus inditus, per quem omnia tenentur a Deo, et qui solvi non potest, quia omnia ex necessitate Deum amant saltem in ejus effectibus.

[1] Parm. omittit : « dulces, » id est consoni naturali appetitui effectus. »

LECTIO II.

De Deo antiquo dierum.

Dierum autem antiquus laudatur Deus propter hoc quod omnium ipse est et ævum, et tempus, et ante dies, et ante ævum et tempora. Et quidem et tempus, et diem, et quartam partem anni, et ævum, ut decet Deum, ipsum dicere convenit, sicut existentem secundum omnem motum intransmutabilem et immobilem, et in hoc quod semper movetur manentem in seipso, et sicut ævi et temporis et dierum causam. Propter quod in sanctis mysticarum Dei visionum apparitionibus et canus et novus componitur; seniore quidem signante antiquum et a principio existentem, juniore autem sine senectute; aut ambobus docentibus ipsum a principio usque ad finem per omnia procedere; aut sicut divinus noster sanctitatis perfector dicit, divinam principalitatem utroque monstrante, seniore quidem primum in tempore, juniore autem secundum numerum principalius habente; quoniam unitas, et ea quæ sunt circa unitatem, sunt principaliora numeris qui multum processerunt.

« Dierum autem antiquus laudatur Deus propter hoc quod omnium ipse est ævum et tempus. » Postquam Dionysius determinavit de omnipotente, hic determinat de antiquo dierum, et circa hoc tria facit. Primo, ostendit quare Deus dicatur antiquus dierum; secundo, exponit assignatam rationem, ibi : « Et quidem et tempus, et diem, et quartam partem anni, et ævum, ut decet Deum, ipsum dicere convenit; » tertio, manifestat quod dixerat per auctoritatem Scripturæ, ibi : « Propter quod et in sanctis mysticarum Dei visionum apparitionibus et canus et novus componitur. »

Est autem considerandum quod apud nos dicitur aliquid antiquum duplici ratione. Primo quidem, quia habet multum temporis; secundo autem, quia præcedit in tempore ea quæ sunt juniora. Antiquum dicitur quod est in præterito, remotum a præsenti, et hoc est tempore prius. Sic ergo duplici ratione dicitur Deus antiquus dierum. Primo, quia ipse præhabet omnium durationem et ævi et temporis, ut per ævum intelligatur duratio quæ mensurat ipsum esse, per tempus autem duratio quæ mensurat ipsum fieri vel moveri. Secundo, quia ipse est ante omnes dies et ante ævum et ante tempora.

Deinde cum dicit : « Et quidem et tempus, et diem, et quartam partem anni, et ævum, ut decet Deum, ipsum dicere convenit, » exponit assignatas rationes; et primo, primam; secundo, secundam, ibi : « Et sicut ævi et temporis et dierum causam. »

Dicit ergo primo quod, cum dicimus Deum esse tempus vel aliquam partem temporis, ut puta diem, et quartam partem anni, et cum dicimus ipsum esse ævum, oportet hoc intelligere eo modo quo Deo convenit; non quidem ita quod Deus sit aliquid cujus esse sit aliquid successivum et divisibile, aut alteri adjacens, sed dicitur ævum, quod est mensura permanentis, inquantum ipse est intransmutabilis et omnino immobilis[1] secundum omnem motum, quia scilicet nullo alio motu movetur. Dicitur autem tempus quod est numerus motus, ex hoc quod ipse Deus semper movetur eo modo quo supra, in cap. IX, « De motu, » dictum est. Non tamen sic movetur quod in motu ejus sit aliqua successio, qualis est in motu qui numeratur per tempus, sed ipse Deus semper est permanens in seipso.

Deinde cum dicit : « Et sicut ævi et temporis et dierum causam, » exponit secundam rationem. Dicitur enim esse ante dies et ævum et tempora, non per modum præteritionis, sicut ea quæ dicuntur antiqua apud nos, sed per modum quo causa prior est effectu; ipse enim est causa et ævi et temporis et dierum.

Deinde cum dicit : « Propter quod et in sanctis mysticarum Dei visionum apparitionibus et canus et novus componitur, » adducit ad præmissorum manifestationem auctoritates Scripturæ, et dicit quod propter præmissa, in « apparitionibus occultarum Dei visionum » Deus describitur tanquam « novus, » et tanquam « canus. » Novus quidem, secundum illud Isa., LXII, 2 : *Vocabitur tibi nomen novum;* canus autem, secundum illud Psalm. LXX, 18 : *Et usque*

[1] Parm. omittit : « et omnino immobilis. »

in senectam et senium, Deus, ne derelinquas me; et illud Isa., xlvi, 4 : *Usque ad senectam ego ipse, et usque ad canos ego portabo.* Per hoc autem quod dicitur canus vel senior, significatur antiquitas ejus, quod scilicet a principio æternitatis ipse semper existit; per hoc autem quod dicitur novus vel junior, significatur quod ipse est antiquus sine senectute, id est sine aliqua deficientia vel etiam præteritione, quia, sicut supra dictum est, movetur, immobilis manens in seipso. Vel quia senectus et antiquitas ad principium pertinere videtur propter sui prioritatem; juventus autem ad finem propter sui[1] posteritatem, per hoc quod ambo Deo attribuuntur, docemur quod ipse præcedit omnia a principio usque ad finem. Tertiam expositionem ponit secundum Hierothei sententiam, quem nominat suum perfectorem, id est magistrum in rebus divinis, qui dixit quod per utrumque istorum præmissorum demonstratur prioritas ipsius Dei, et quod ipse est principium. Per hoc enim quod dicitur senior, demonstratur prioritas ejus in tempore; ea enim dicimus seniora quæ sunt tempore priora. Sed per hoc quod dicitur junior, designatur prioritas vel principalitas, quæ est secundum rationem numeri; junior enim dicitur qui minus processit in tempore. Quanto autem in numeris aliquid minus procedit, tanto prius est; unitas enim, et numeri propinqui unitati, sunt priores his qui multum processerunt.

LECTIO III.

De ævo et de tempore.

Oportet autem, sicut arbitror, et temporis et ævi naturam ex eloquiis videre. Etenim non omnino et absolute ingenita, et vere æterna, ubique dici æterna; sed et incorruptibilia, et immortalia, et invariabilia, et existentia eodem modo, sicut quando dicit : *Elevamini portæ æternales,* et similia. Multoties autem et antiquissima, ævi nominatione figurat, et totam rursus temporis appositionem secundum nos, quando ævum appellat, secundum quod et proprietas ævi est antiquum et invariabile, et totum secundum totum metiri. Tempus autem vocant quod in generatione, et corruptione et variatione, et aliquando aliter se habet. Propter quod et nos hic secundum tempus terminatos, ævo participaturos theologia dicit, quando incorruptibile et semper eodem modo habens ævum consequemur. Est autem quando in eloquiis et temporale ævum glorificatur, et æternum tempus, quamvis scimus ipsis magis et magis proprie existentia ævo, et ea quæ sunt in generatione, tempore et dicta et monstrata. Oportet autem non simpliciter coæterna Deo, qui est ante ante ævum, arbitrari æterna dicta. Sequentes autem venerandissima eloquia inconversibiliter, æterna quidem et sine tempore secundum cognitos sibi subaudire modos; media autem existentium et factorum, quæcumque secundum aliquid quidem ævo, secundum aliquid vero tempore participant. Deum autem et sicut ævum et sicut tempus laudare convenit, sicut temporis omnis et ævi causam, et antiquum dierum, sicut ante tempus, et super tempus, et variantem quatuor partes anni et tempora, et rursus ante sæcula existentem, inquantum ante ævum est[2] et regnum ipsius regnum omnium sæculorum. Amen.

« Oportet autem, sicut arbitror, et temporis et ævi naturam ex eloquiis videre. » Postquam Dionysius determinavit de antiquo dierum, hic determinat de ævo et de tempore; et primo, dicit de quo est intentio; secundo, exequitur propositum, ibi : « Etenim non omnino et absolute ingenita, et vere æterna, ubique dicit æterna. »

Dicit ergo primo quod necessarium est considerare ex sacris Scripturis naturam temporis et ævi. Ubi considerandum est quod ævum hic pro æterno accipit.

Deinde cum dicit : « Etenim non omnino et absolute ingenita et vere æterna, ubique dicit æterna, » determinat naturam ævi et temporis, et circa hoc duo facit. Primo, exponit significationem ævi et temporis; secundo, quomodo ævum et tempus rebus conveniant, ibi : « Oportet igitur non simpliciter coæterna Deo, qui est ante ævum, arbitrari æterna dicta. » Circa primum tria facit. Primo, ostendit quot modis dicitur ævum; secundo, quid proprie sit ævum et tempus, ibi : « Secundum quod et proprietas ævi est antiquum et invariabilem; » tertio, ostendit quomodo unumquodque ponatur pro alio, ibi : « Est autem quando in eloquiis et temporale ævum glorificatur. »

[1] Parm. omittit : « prioritatem; juventus autem ad finem propter sui. » — [2] In cit. translatione additur : « et super ævum »

Ponit ergo primo quatuor acceptiones ævi, sive æterni. Primo enim vere et proprie dicuntur æterna ea quæ sunt ingenita, id est quæ non habent causam, ut ea quæ de Deo dicuntur. Non tamen Scriptura ubique accipit sic æternum, sed aliquando ea quæ sunt incorruptibilia, quia nunquam esse desinunt, et immortalia, quia nunquam desinunt vivere, et invariabilia, quia non variantur de forma in formam, vel de quantitate in quantitatem, et semper existentia eodem modo, quæ semper in eadem habitudine se habent, sicut sunt angeli, de quibus in Psal. XXIII, 7, dicitur : *Elevamini portæ æternales;* et illud Psal. LXXV, 5 : *Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis,* et alia hujusmodi. Hic est secundus modus. Tertio modo signantur nomine ævi vel æterni, omnia quæ sunt antiquissima, licet sint corruptibilia, sicut est illud Deuteron., XXXIII, 15 : *De pomis collium æternorum.* Quarto modo tota congeries nostri temporis appellatur ævum vel æternum, ut est illud Roman., ult., 25 : *Secundum revelationem mysterii temporibus æternis taciti.*

Deinde cum dicit : « Secundum quod et proprietas ævi est antiquum et invariabile, » ostendit quid proprie dicitur ævum et tempus, et circa hoc tria facit. Primo, ostendit quid proprie sit ævum; secundo, quid proprie sit tempus, ibi : « Tempus autem vocant quod in generatione, et corruptione, et variatione, et aliquando aliter habet ; » tertio, probat per auctoritates Scripturæ, ibi : « Propter quod et nos hic secundum tempus terminatos, ævo participaturos theologia dicit. »

Dicit ergo primo quod omnia præmissa signantur nomine ævi, secundum quod aliquid participant de proprietate ævi. Nam proprie ævum est quod est « antiquum, » id est non de novo incepit esse, et quod est « invariabile, » quia non est mensura motus, sed ipsius esse intransmutabilis, et quod « totum secundum totum » metitur, per quod differt a tempore ; totum enim tempus non mensurat totum secundum se totum, sed secundum diversas sui partes mensurat diversas partes motus ; est enim tempus numerus motus secundum prius et posterius. Sed quia esse quod mensurat æternitas, non habet prius et posterius, cum sit manens et invariabile ; et ipsa æternitas est simplex non habens prius et posterius, et sic quidquid mensurat, secundum se totam mensurat.

Deinde cum dicit : « Tempus autem vocant quod in generatione et corruptione et variatione aliquando aliter se habet, » ostendit quid proprie sit tempus, et dicit quod proprie tempus dicitur quod secundum se est mensura generationis et corruptionis, et cujuslibet variationis et omnis diversæ habitudinis.

Deinde cum dicit : « Propter quod et nos hic secundum tempus terminatos, ævo participaturos theologia dicit, » confirmat dictam differentiam temporis et æternitatis per auctoritatem Scripturæ, quæ dicit nos in hac vita transmutabili esse contentos sub tempore ; et quod tunc participabimus æternitate quando consequemur vitam incorruptibilem et semper eodem modo se habentem, prout dicitur Matth., XXV, quod ibunt justi in vitam æternam ; et Apostolus dicit, II ad Corinth., IV, 18 : *Quæ videntur, temporalia sunt ; quæ autem non videntur, æterna.*

Deinde cum dicit : « Est autem quando in eloquiis et temporale ævum glorificatur, » ostendit quomodo in sacra Scriptura unum ponitur pro altero, et dicit quod in sacris eloquiis quandoque id quod est temporale, nomine ævi, sive æterni, laudatur, ut supra dictum est, sicut dicuntur montes vel colles æterni propter antiquitatem. Quandoque autem æternitas temporali nomine designatur, secundum illud Psal. CI, 28 : *Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient,* quamvis sciamus quod ea quæ magis proprie immobiliter existunt, describuntur per æternitatem ; quæ autem existunt in generatione et corruptione, describuntur per tempus.

Deinde cum dicit : « Oportet autem non simpliciter coæterna Deo, qui est ante ævum, arbitrari æterna dicta, » ostendit quomodo res se habeant ad æternitatem et tempus, et dicit quod ea quæ dicuntur in Scripturis æterna, non oportet arbitrari esse simpliciter et æqualiter simul æterna Deo, qui est ante æternitatem participatam; sed sequendo intellectum Scripturarum, oportet aliqua intelligere esse æterna secundum certos modos, scilicet inquantum existunt immutabiliter et sine tempore, sicut sunt hujusmodi angelici spiritus. Sed illa quæ sunt media inter existentia immobiliter et ea quæ generantur et corrumpun-

tur, secundum aliquid participant tempore, et secundum aliquid æternitate; sicut corpora cœlestia conveniunt quidem cum superioribus spiritibus inquantum sunt incorruptibilia secundum substantiam, et secundum hoc participant æternitatem; inquantum autem transmutantur secundum locum, conveniunt cum generabilibus et corruptibilibus, et sic participant tempore. Sed Deum convenit laudare communiter et per ævum et per tempus, quia ipse est causa et temporalium et æternorum, et est supra æternitatem et tempus, prout æternitas et tempus intelliguntur participata a creatura; et convenit etiam eum laudare sicut antiquum dierum, prout est prior et superior omni tempore; et quod ipse variat quatuor partes anni et omnia tempora, et tamen ipse existit immobiliter ante omnia sæcula, inquantum ipse est non solum prior et superior tempore, sed etiam ævo, id est æternitate, prout participatur a creaturis; et sic « regnum ejus » est regnum omnium sæculorum, » tam temporalium quam æternorum.

CAPUT UNDECIMUM.

DE PACE,

ET QUID VULT PER SE ESSE, QUÆ PER SE VITA, ET QUÆ PER SE VIRTUS, ET QUÆ ITA DICUNTUR.

LECTIO I.

Age igitur, divinam et principem congregationis pacem hymnis pacificis laudemus. Ipsa enim est omnium unitiva, et universorum consensus et connaturalitatis generativa et operativa; propter quod et omnia ipsam desiderant, divisibilem ipsorum multitudinem convertentem ad totam unitatem, et naturale omnis rei bellum unientem ad conformem cohabitationem. Participatione divinæ pacis, digniores congregativarum virtutum et ipsæ ad seipsas, et ad alias invicem uniuntur, et ad unam totorum pacis principatum et subjecta uniunt, et ipse ad seipsa, et ad unum et perfectum omnium principium pacis et causam. Quæ simpliciter superveniens totis, sicut quibusdam vectibus diversorum conclusivis, omnia definit, terminat et firmat, et non sinit divisa effundi ad interminatum et infinitum, inordinata et non collocata, et deserta a Deo facta, et ab unitione suiipsorum exeuntia, et in se invicem omni mixtione conspersa.

« Age igitur, divinam et principem congregationis pacem hymnis pacificis laudemus. » Superius Dionysius exposuit divina nomina quibus signantur perfectiones procedentes a Deo in creaturas. Unaquæque enim res appetit suam perfectionem, quam a Deo participat, et amat eam, et[1] cum adepta eam fuerit, quiescit appetitus ejus, in qua quiete consistit quies et ratio pacis. Et ideo in hoc capitulo Dionysius de pace divina determinat, et etiam de ipsis perfectionibus procedentibus a Deo in creaturas, secundum quod in abstracto considerantur. Esse enim in abstracto consideratum dicitur per se esse, et similiter de aliis. Et hæc duo apparent in titulo. Dividitur ergo capitulum istud in duas partes. Prima determinat de divina pace; in secunda de perfectionibus a Deo procedentibus, secundum quod per se in abstracto considerantur, ibi: « Sed quoniam et alibi per epistolam me interrogasti quid forte dicam per se esse, per se vitam et per se sapientiam ..., necessarium arbitratus sum, sancte Dei vir, et ab hac dubitatione in nobis te absolvere. » Prima autem pars dividitur in duas. In prima determinat de pace, secundum quod pertinet ad divinam naturam; in secunda, secundum quod pertinet ad Christi incarnationem, ibi: « Quid dicat quidem aliquis de benignitate pacem effundente secundum Christum? » Circa primum duo facit. Primo, dicit de quo est intentio; secundo, exequitur, ibi: « Ipsa est enim omnium unitiva. »

Est autem considerandum quod proprie aliquid habere pacem dicitur in seipso ex eo quod quiescit appetitus ejus in proprio

[1] Parm.: « ut. »

bono adepto; quod quidem contingit, cum non est aliquid repugnans quod talem quietem impediat, neque interius neque exterius. Sic ergo pacem aliquid habere dicitur ad seipsum et ad alia ex quadam unione, qua omnis repugnantia excluditur; quæ quidem unio in nomine congregationis hic intelligitur, cum dicit quod debemus laudare pacem divinam, quæ est principalis congregationis causa. Hanc, inquam, divinam pacem, secundum quod in se est, quia laudare non sufficimus, oportet quod « laudemus » eam « hymnis pacificis, » id est laudibus sumptis ex hoc quod pacem in rebus facit.

Deinde cum dicit : « Ipsa est enim omnium unitiva, » exequitur propositum; et primo, determinat veritatem; secundo, excludit objectiones, ibi : « Quomodo autem, dicat aliquis, desiderant omnia pacem? » Circa primum duo facit. Primo, ostendit causalitatem divinæ pacis in communi; secundo, exponit eam in speciali, ibi : « Igitur de ipsa quidem divina pace ....., neque dicere, neque cogitare alicui existentium, neque est fas, neque possibile. » Circa primum duo facit. Primo, ostendit quid divina pax faciat in rebus; secundo, qualiter hoc diversimode faciat in diversis, ibi : « Participatione divinæ pacis digniores congregativarum virtutum et ipsæ ad seipsas et ad alias invicem uniuntur. » Circa primum duo facit. Primo, ostendit causalitatem effectivam divinæ pacis; secundo, quomodo est causa finalis, ibi : « Propter quod omnia ipsam desiderant. »

Quia vero recte nomen pacis magis frequentatur in rationalibus creaturis, in quibus manifestius ratio pacis invenitur, ex eis considerandum est quid proprie sit pax et in quo ratio pacis consistat; hoc est quod divina pax effective in rebus producit. Dicuntur autem aliqui homines habere pacem quando voluntates eorum concordant in uno; sic enim unus alteri non adversatur. Quod autem multi concordant in unum, contingit ex hoc quod in aliquo uno communicant : puta, qui communicant in una civitate, concordant ad bonum commune civitatis, et simile patet in aliis. Sic igitur ad rationem pacis duo concurrunt. Primo quidem, quod aliqua sint unita; secundo, quod concordent ad unum, et secundum hoc etiam pax in rebus naturalibus dicitur. Et ideo Dionysius dicit quod divina pax est « unitiva omnium, » quantum ad primum, inquantum scilicet facit omnia communicare in uno; et iterum « generativa » quantum ad primam institutionem, « et operativa » quantum ad gubernationem, « consensus et connaturalitatis universorum, » ut consensus referatur ad concordiam voluntatum, connaturalitas ad concordiam naturalium appetituum. Ubi considerandum est quod etsi aliqua discordent quantum ad fines proprios, omnia tamen concordant in appetitu finis ultimi.

Deinde cum dicit : « Propter quod et omnia ipsam desiderant, » ostendit quomodo divina pax est causa finalis omnium rerum. Est autem naturale cuilibet rei ut unitatem desideret, sicut et esse et bonum, quia per divisionem res deficit et corrumpitur, et bonitas rei minoratur. Et quia divina pax causat unitatem in rebus, ideo concludit quod omnia suo modo desiderant divinam pacem, inquantum etiam est omnium unitiva; et hoc est quod dicit : « Divisibilem ipsorum multitudinem convertentem ad totam unitatem, » quia scilicet ea quæ sunt in seipsis divisa, in toto adunantur, ad minus[1] inquantum sunt partes universi; et similiter inquantum, sicut supra dixit, est generativa et operativa consensus et connaturalitatis, cui respondet quod hic subditur : « Et naturale rei bellum unientem ad conformem cohabitationem. » Ea enim quæ naturaliter se invicem impugnant propter contrarietatem quam habet in propriis naturis, concordant in ordine universi, secundum quem quodammodo uniuntur, atque cohabitant in mundo; et hoc est ex participatione divinæ pacis, quæ inquantum ab omnibus desideratur, habet rationem finis.

Deinde cum dicit : « Participatione divinæ pacis digniores congregativarum virtutum et ipsæ ad seipsas, et ad alias invicem uniuntur, » ostendit quomodo prædicta divina pax efficiat in diversis; et primo, quomodo in supremis creaturis; secundo, quomodo in inferioribus, ibi : « Et subjecta uniunt et ipsa ad seipsa, et ad alia invicem; tertio, quomodo cummuniter in omnibus, ostendens modum prædictorum,

[1] Parm. omittit : « ad minus. »

ibi : « Quæ simpliciter superveniens totis..., omnia definit, determinat et firmat. »

Est autem considerandum quod sicut alias perfectiones a Deo procedentes, ita istas abundantius aliis [1] supremæ creaturæ participant, ut per eas possint quodammodo ad infimas derivari. Supremas ergo creaturas dicit esse digniores de numero congregativarum virtutum, quia scilicet in tanta abundantia congregationi divinæ pacis participant, ut etiam aliarum congregativæ sint. Harum enim virtutum unaquæque per participationem divinæ pacis triplicem unionem habet. Una quidem est ad seipsas, secundum quod unaquæque earum secundum se est aliquod unum. Alia vero unio est secundum quod una unitur ad aliam in ordine vere unius. Tertia vero unio est secundum quam uniuntur ad unum principium pacis omnium rerum, id est ad Deum. Et sicut ipsæ tripliciter uniuntur, ita tripliciter uniunt ea quæ eis subduntur, et hoc est quod dicit : « Et subjecta uniunt, » unumquodque scilicet eorum ad seipsum, et ea ad invicem, et omnia ad unam causam, et ad perfectum principium pacis omnium, scilicet Deum, in quem, sicut in ultimum finem et primam causam, omnia reducuntur.

Deinde cum dicit : « Quæ simpliciter superveniens totis, sicut quibusdam vectibus diversorum conclusivis omnia definit, terminat et firmat, » ostendit quid divina pax faciat communiter in omnibus, et dicit quod prima causa pacis omnibus supervenit simpliciter, quia licet diversa sint in quibus operatur ; tamen ex parte operantis non est aliqua diversitas nec in operatione nec in modo operandi. Ostendit autem quod supervenit rebus et ad conservandam unitatem pacis et ad instituendam. Unitas autem pacis in tranquillitate ordinis consistit, ut Augustinus dicit XIX *De civitate Dei,* ad quam quidem tranquillitatem ordinis tria requiruntur. Primo quidem, ut ab invicem distinguantur ; non enim potest esse ordo nisi distinctorum, et ideo dicit quod « omnia definit. » Secundo, necesse est ad tranquillitatem ordinis ut rerum distinctarum nulla exeat limitem suæ naturæ, et ad hoc pertinet quod dicit : « terminat. » Tertio, requiritur quod hæc definitio et terminatio stabiliatur, et ad hoc pertinet quod dicit : « et firmat. » Alioquin si rerum definitio et terminatio non esset firma, sed una res a termino suo egrediens, alterius fines invaderet, confunderetur ordo rerum, et sic non esset tranquillitas ordinis. Dicit autem quod « omnia definit, et terminat, et firmat, sicut quibusdam vectibus conclusivis diversorum, » utens similitudine sensibilium rerum. Consuetum est enim, si multæ tabulæ exiguntur secundum aliquem ordinem, ut quidam vectes inserantur, quibus erectæ tabulæ firmentur. Ita rerum distinctio et terminatio perfectionibus et virtutibus rebus a Deo inditis, quasi quibusdam vectibus rerum distinctarum, firmatur. Modum autem firmationis, qui pertinet ad conservationem pacis, manifestat subdens : « Et non sinit divisa effundi ad interminatum et infinitum, inordinata et non collocata, et deserta a Deo facta, et ab unitione suiipsorum exeuntia, et in se invicem omni mixtione conspersa, » et dicit quod Deus non permittit res distinctas effundi « ad interminatum et infinitum, » ut scilicet operationes et transmutationes rerum non tendant in aliquem certum terminum et finem, quasi sint « inordinata » et « non collocata, » id est firmata, in aliquo principio conservante. Ista autem effusio in infinitum opponeretur unitioni rerum triplici, quam supra dixit fieri in rebus per participationem divinæ pacis. Tolleretur enim unio ad primum principium non perveniendum, et quantum ad hoc dicit : « et deserta a Deo facta. » Tolleretur et unio rei ad seipsam, et quantum ad hoc dicit : « et exeuntia ab unitione suiipsorum. » Tolleretur et ordinata unitio unius ad alterum, et quantum ad hoc dicit : « et in se invicem omni mixtione conspersa, » per quamdam confusionem rerum ab invicem ; supple, essent omnia, si ad infinitum effundi sinerentur.

[1] Al. : « sicut alias perfectiones a Deo procedentes abundantius aliæ supremæ, » etc.

LECTIO II.

De pace in speciali.

Igitur de ipsa quidem divina pace, quodcumque est, et silentio, et quod sanctus Justus ineffabilitatem vocat, et ad omnem cognitum processum immobilitatem, et quomodo quiescit et silentium agit, et quomodo in seipsa et intra seipsam est, et ad seipsam totam tota superunita est, et neque ad seipsam ingrediens, et multiplicans seipsam, derelinquit suiipsius unitionem, sed et procedit ad omnia, intus tota manens, per excessum omnia superantis unitionis; neque dicere neque cogitare alicui existentium, neque est fas neque possibile; sed sicut ineffabile, et hoc ignotum ipsi attribuentes, sicut existenti super omnia, intelligibiles ipsius et dictas participationes; et hoc ut est possibile viris, et nobis, a multis bonis viris deficientibus, inspiciemus. Et primum quidem hoc est dicendum quod ipsam per se pacem, et totam particularem subsistere facit, et quod omnia ad se invicem concreta facit secundum inconfusam ipsorum unitionem, secundum quam indivisibiliter unita et indistanter, tamen pura singula secundum propriam speciem subsistunt, non velata per concretionem ad opposita, neque hebetantia aliquid unitivæ diligentiæ et puritatis. Unam igitur quamdam et simplicem pacificæ unitionis contemplemur naturam unientem universa sibiipsi, et illis ipsis, et sibi invicem, et salvantem omnia in non confusa omnium continentia, et immixta et concreta. Propter quam divinæ mentes unitæ intellectibus suis uniuntur et unitis, et rursum ad ignotam ascendunt super mentem collocatorum conjunctionem. Propter quam animæ largissimas ipsarum rationes unientes, et ad unam intellectualem congregantes puritatem, perveniunt juxta proprietatem suam via et ordine, per immaterialem et simplicem intellectum unitionem. Propter quam una et indissolubilis omnium complexio secundum divinam ipsius harmoniam consistit, et concordatur consonantia perfecta, et consensu et connaturalitate, et congregata inconfuse, et indissolubiliter contenta. Transit enim perfectæ totalitatis pax ad omnia existentia, secundum simplicissimam illius et immixtam unificæ virtutis præsentiam, uniens omnia, et conjungens extrema per media extremis, secundum unam connaturalem conjuncta amicitiam, et frui ipsa donans, et extremis omnis rei terminationibus et omnia consentientia faciens unitatibus, identitatibus, unitionibus, congregationibus, indivisibiliter, videlicet divina pace stante, et in uno omnia monstrante, et per omnia proficiscente, et a propria identitate non recedente. Procedit enim ad omnia, et tradit omnibus seipsam, juxta ipsorum proprietatem, et supermanat abundantia pacificæ secunditatis, et manet propter excessum unitionis, tota ad totam, et secundum totam seipsam superunita.

« Igitur de ipsa quidem divina pace, quodcumque est, et silentio, et quod sanctus Justus ineffabilitatem vocat, et ad omnem cognitum processum immobilitatem ....., neque dicere neque cogitare alicui existentium, neque est fas neque possibile. » Postquam Dionysius ostendit causalitatem divinæ pacis in communi, hic prosequitur de ea in speciali, et circa hoc duo facit. Primo, ostendit quod de divina pace dici possit in speciali; secundo, manifestat propositum, ibi : « Et primo quidem hoc est dicendum quod ipsam per se pacem, et totam particularem subsistere facit. »

Dicit ergo primo quod neque licitum est neque possibile non solum alicui hominum, sed neque alicui existentium creaturarum dicere ore aut cogitare corde ipsam divinam pacem, secundum quod in se est, et ipsum divinum silentium, quod quidam sanctus nomine Justus vocabat ineffabilitatem Dei, quia scilicet neque nos Deum effari possumus, neque ipse sic effatur nobis quod nos ipsum secundum quod est, perfecte cognoscere possimus. Adjungit autem silentium paci, quia signum perturbatæ pacis solet esse strepitus et clamor. Adjungit etiam paci immobilitatem Dei ad omnem processum, qui a nobis cognoscitur; quamvis enim procedere dicatur, secundum quod suam similitudinem in res diffundi, tamen ipse secundum omnem hujusmodi processum in seipso immobilis manet. Conjungitur autem quies et immobilitas paci, sicut et silentium, quia ea quæ pacem habent, et hoc ipso quietem quamdam habere videntur. Hæc ergo nos de divina pace, et silentio, et quiete dicere aut cogitare non possumus, quomodo scilicet quiescit et silentium agit, sicut dictum est, et quomodo tota supereminenter unita in seipsa et intra seipsam et ad seipsam totam sit divina pax. Unitio autem, ut supra dictum est, ad rationem pacis pertinet. Inveniuntur autem aliqua quæ in seipsis diversa sunt sed uniuntur in aliquo uno, sicut multi homines uniuntur in una domo; sed Deus in seipso unitus est. Est autem aliquid quod in seipso quidem unum est, sed tamen intra seipsum non est unum, sicut unus homo intra seipsum non est unus, quia multa et diversa intra seipsum continentur. Sed Deus intra seipsum est unus, quia nulla diversitas invenitur in

ipso. Invenitur etiam aliquid quod intra seipsum est unum, quia non componitur ex divisibilibus partibus, sed tamen non totum sibi toti unitur, quia una pars ejus non est unum cum altera. Sed Deus totus ad se totum unitur, quia in eo nullus est numerus partium, sed est omnino simplex; et tanta est ejus unitio quod neque cum ingreditur ad seipsum, intelligendo scilicet et amando, neque cum multiplicat seipsum, per hoc quod multiplices sui similitudines imprimit rebus, derelinquit propriam unionem; sed propter excessum unitatis ejus, quæ superat omnem unitatem, sic deitas procedit ad omnia per sui similitudines rebus communicatas quod tamen tota manet intra seipsam, sicut sigillum quod imprimit suam imaginem et similitudinem diversis ceris, et tamen idem manet identitate quod est. Hujusmodi ergo, cum sint ineffabilia et ignota nobis, oportet attribuere soli Deo, qui se[1] perfecte cognoscit, eo quod ipse existit super omnes participationes ejus, quæ intelligi et quæ dici possunt ab intellectu creato. Deus enim est supra omne esse et supra omnem vitam, et supra omnia hujusmodi quæ a creaturis participantur; et ita, cum connaturale sit intellectui creato quod intelligat et dicat Dei participationes, ipsum Deum, qui super omnia hujusmodi est, neque perfecte intelligere, neque perfecte dicere potest. Hoc est ergo quod de divina pace dicere intendimus, ipsius scilicet divinæ pacis participationes, sicut est possibile nobis, qui deficimus ad intelligendo divina, non solum ab angelis, sed et a viris bonis et perfectis.

Deinde cum dicit : « Et primum quidem hoc est dicendum quod ipsam per se pacem et totam particularem subsistere facit, » ostendit in speciali causalitatem divinæ pacis; et primo, quantum ad ipsam pacem creatam secundum se consideratam; secundo, quantum ad ea in quibus invenitur pax, ibi : « Et omnia ad se invicem concreta facit. » Dicit ergo primo quod hoc primo dicendum est quod ipsam pacem per se consideratam in abstracto facit esse, et in universali et in particulari consideratam. Accipitur enim hic subsistere communiter pro esse. Non est enim aliqua pax[2] creata per se subsistens.

Deinde cum dicit : « Et quod omnia ad se invicem concreta facit, » ostendit causalitatem divinæ pacis quantum ad ea quæ participant pacem; et primo, in communi; secundo, in speciali, ibi : « Propter quam divinæ mentes unitæ intellectibus suis uniuntur. » Dicit ergo primo quod dicendum est quod divina pax facit omnia ad se invicem concreta. Nihil enim est in rebus quod non habeat cum aliquo alio unionem, vel per convenientiam in specie vel in genere, vel in aliquo quocumque ordine. Sed quia hæc unitio distinctiones rerum non tollit, ideo dicit quod est « inconfusa, » et ad hoc exponendum subdit quod secundum prædictam inconfusam unionem sunt omnia « unita indivisibiliter, et indistanter, » quia scilicet unionem quam Deus rebus indidit, nihil est quod auferre possit, vel dividendo, vel faciendo magis distare. Non enim est possibile quod album et pallidum vel dividantur secundum genus, vel tantum distent quantum album et nigrum. Et quamvis omnia sint unita, tamen singula conservantur in puritate propriæ speciei; et homo, licet uniatur aliis prædictis modis, tamen non est in alia specie quam humana. Ad hanc autem speciei puritatem consequitur puritas et cognoscibilitatis et virtutis. Unumquodque enim cognoscitur per speciem suam. Quia ergo unumquodque remanet in puritate propriæ speciei, consequens est ut unitio unius rei ad aliam per quamdam convenientiam, non sit ei in velamentum, quin ab aliis possit dicerni, et hoc est quod dicit : « Non velata per concretionem ad opposita, » ut puta album habet concretionem cum nigro, inquantum convenit cum eo in genere; tamen hæc convenientia non impedit quin album in propria natura cognoscatur, secundum quod distat a nigro. Similiter etiam propria virtus uniuscujusque sequitur speciem ejus; et ideo, conservata puritate speciei, non hebetatur virtus propria consequens speciem, et hoc est quod dicit : « Neque hebetantia aliquid unitivæ diligentiæ et puritatis, » quia scilicet neque puritas rei hebetatur per diligentem, id est perfectam, unionem, neque e converso; sicut album per hoc quod differt specie a nigro secundum puritatem suæ speciei, non impeditur quin uniatur ei secundum genus, neque e

[1] Al. : « se per se. » — [2] Al. : « pars. »

converso. Ex his igitur concludit quod debemus considerare unam quamdam simplicem naturam, quæ per modum unionis facit pacem in rebus, scilicet naturam divinam, quæ unit omnia sibi ipsi, dum omnia sibi assimilat per influentiam suorum donorum, et ad se ordinat sicut ad ultimum finem, et iterum unit universa illis ipsis, id est quamlibet rem ad seipsam. Intantum enim unumquodque est sibi unitum, et invicem sibi, id est unit unam rem alteri, prout una res convenit cum altera quocumque modo. Hæc enim divina natura sic conservat omnia secundum quamdam convenientiam non confusam, id est[1] ordinatam ad invicem, ut simul sint incommixta, id est non mixta, et tamen concreta. Non mixta quidem, dum unumquodque remanet in puritate suæ speciei, et concreta, secundum quod coordinantur ad invicem.

Deinde cum dicit : « Propter quam divinæ mentes unitæ intellectibus suis uniuntur, » ostendit causalitatem divinæ pacis quantum ad ea quæ participant pacem in speciali; et primo, quantum ad angelos; secundo, quantum ad animas rationales, ibi : « Propter quam animæ largissimas ipsorum rationes unientes ..., perveniunt ..., ad eam quæ est super intellectum unitionem ; tertio, quantum ad totum universam, ibi : « Propter quam una et indissolubilis omnium complexio secundum divinam harmoniam consistit. »

Dicit ergo primo quod propter primam et simplicem causam pacifice unientem, « divinæ mentes, » id est angeli, tripliciter uniuntur. Primo quidem, unusquisque secundum proprium intellectum; secundo, prout quidam uniuntur ordine quodam aliis angelis unitis; tertio, secundum quod ulterius ascendunt ad hoc quod conjungantur rebus divinis, quæ sunt collocatæ super omnem mentem, et hæc conjunctio est nobis ignota.

Deinde cum dicit : « Propter quam animæ largissimas ipsorum rationes unientes ..., perveniunt juxta proprietatem suam, via et ordine per immaterialem et simplicem intellectum ad eam quæ est super intellectum unitionem, » ostendit effectum divinæ pacis in anima rationali, prout scilicet ad unitatem reducitur. In qua quidem reductione triplex gradus consideratur. Primo enim, anima dicitur habere largissimam rationem, inquantum ratio se ad diversa diffundit, ex multis actibus vel effectibus naturam rei investigando. Secundo, largitas rationis reducitur ad unitatem intellectualis puritatis seu simplicitatis; nullum enim effectum haberet investigatio rationis, nisi ad intelligibilem veritatem perduceret. Tertio, quodam ordine per hujusmodi immaterialem et intellectualem veritatem pervenit anima secundum proprietatem suæ virtutis, ut uniatur Deo, qui est supra intellectum ; cui non ita perfecte anima in hac vita uniri potest sicut angeli boni.

Deinde cum dicit : « Propter quam una et indissolubilis omnium complexio secundum divinam ipsius harmoniam consistit, » ostendit effectum divinæ pacis quantum ad totum universum, et circa hoc duo facit. Primo, ostendit quid divina pax perficiat in universo; secundo, ostendit per quem modum, ibi : « Transit enim perfectæ totalitatis pax ad omnia existentia. » Dicit ergo primo quod propter prædictam simplicem naturam est quædam una et indissolubilis complexio omnium, secundum scilicet quod omnia conveniunt in uno ordine universi, qui indissolubilis manet, secundum quod ex Deo in ipso universo quædam harmonia, d est proportionata concordia, causatur, et hoc est quod exponit subdens : « Et concordatur consonantia perfecta. » Nihil enim est aliud harmonia quam concors consonantia. Hæc autem concors consonantia in rebus causatur secundum consensum et connaturalitatem, ut scilicet consensus referatur ad concordiam voluntatis in his quæ voluntatem habent; connaturalitas autem ad concordiam naturalis appetitus, Hæc autem harmonica complexio, sive concors consonantia, et ordinem habet et firmitatem. Unde quantum ad ordinem dicit : « et congregata inconfuse. » Confusio enim ordinem tollit; unde illa inconfusæ congregantur quæ secundum ordinem quemdam complexionem habent ad invicem. Quantum autem ad firmitatem subdit : « et indissolubiliter contenta. « Est enim indissolubilis firmitas in rerum complexione, non ex congregatorum multitudine, sed ex virtute unius causæ continentis, et in unum congregantis.

[1] Al. : « non ordinatam. »

Deinde cum dicit : « Transit enim perfectæ totalitatis pax ad omnia existentia, » ostendit quomodo prædicta harmonia concors statuatur in rebus ex divina pace. Hunc autem modum connexionis exponit tripliciter. Primo quidem, quantum ad ea quæ connectuntur; secundo, quantum ad ipsam connexionem, ibi : « Et omnia consonantia faciens unitatibus ; » tertio, quantum ad causam connectentem, ibi : « Videlicet divina pace stante. »

Dicit ergo primo quod ideo dictum est quod propter divinam naturam una et indissolubilis connexio in omnibus consistit, « quia pax perfecte totalitatis, » id est pax quæ est a causa universali perfecta, secundum quod causæ totales dicuntur universales causæ; hæc, inquam, pax pertransit a prima causa « ad omnia existentia, » secundum quod virtus unifica primæ causæ « uniens, » id est faciens unitatem in rebus, est præsens omnibus « simpliciter, id est absque aliqua sui multiplicatione, et immixte, » quia rebus non permiscetur, sed secundam suam essentiam est rebus absoluta. Hæc quidem pax divina ad omnia transit, omnia uniendo, per hoc quod reducit omnia in quemdam ordinem. Qui quidem ordo consistit in hoc quod quædam extrema conjunguntur aliis extremis per media. Nam suprema influunt infimis per media, et infima convertuntur ad recipiendum a supremis per media; et sic omnia conjunguntur secundum unam connaturalem amicitiam. Et non solum divina pax conjungit extrema extremis per media, sed etiam ulterius omnia conjungit sibiipsi, inquantum dat omnibus suo modo ut ipsa divina pace fruantur, et infimæ creaturæ, et quidquid est infimum in quacumque creatura, et hoc est quod dicit : « et extremis omnis rei terminationibus. » Nihil enim est ita infimum in rebus quod non aliquo divino dono participet; ex qua participatione sortitur ut habeat connaturalem amicitiam ad alias creaturas, et ut ordinetur ad Deum sicut ad ultimum finem, qui est frui Deo.

Deinde cum dicit : « Et omnia consententia[1] faciens unitatibus, » ostendit modum prædictæ connectionis quantum ad ipsam connexionem. Ratio autem connexionis in quadam unitate perficitur; et ideo secundum modum unitatis attenditur modus connexionis. Est autem considerandum, qnod unitas attribuitur rebus multipliciter. Aliquid enim est quod est simpliciter et secundum se unum, sicut aliquid simpliciter dicitur unum in seipso; et quautum ad hoc dicit quod facit omnia consentientia unitatibus. Dicitur autem aliquid simpliciter unum[2] non secundum seipsum, sed per relationem ad aliquid quod est alterum; vel ratione, aut nomine tantum, sicut si Marcum dicamus idem Tullio[3] vel vestem indumento; aut est alterum secundum rem, sicut si dicamus : Socrates Platoni est idem specie, et equus bovi est id est genere; et quantum ad hoc dicit « identitatem. » Unum enim dicitur absolute, sed idem relative. Aliquid vero est quod non est unum simpliciter, sed quasi ex multis adunatum, sicut omne compositum, et quantum ad hoc dicit « unitionibus. » Aliquid vero est quod neque simpliciter, neque secundum se unum dicitur, sed per relationem ad alterum, sicut unitas congregatorum; et ideo subdit « congregationibus. » Congregata enim minus habent de ratione unitatis quam unita. Nam unitum absolute potest dici unum, licet non simpliciter, sed congregata absolute quidem sunt multa, sed secundum quid unum. Indivisibilis ergo consensus constituitur ex divina pace in rebus, secundum quod unitatem consequuntur, sive per modum simplicis unitatis, sive per modum identitatis, sive per msdum unitionis, sive per modum congregationis.

Deinde cum dicit : « Videlicet divina pace stante, et in uno omnia monstrante, » ostendit modum prædictæ connexionis ex parte causæ connectentis, et dicit quod prædicta connexio in rebus statuitur secundum quod divina pax primo quidem consideratur ut stans immobiliter in seipsa; secundo autem consideratur ut unum exemplar, in quo exemplariter omnia quæ ad pacem pertinent, demonstrantur; tertio, consideratur secundum quod suam similitudinem omnibus tradit. Secundum hoc enim dicitur per omnia proficisci et tamen a propria identitate non recedere. Ipsa enim

[1] Parm. hic et infra : « consonantias. » — [2] Parm. : « idem. » — [3] Parm. : « si arcum dicamus idem circulo. »

divina pax procedit ad omnia, secundum quod per suam similitudinem omnibus se tradit, juxta proprietatem uniuscujusque rei; et tamen supermanet secundum abundantiam pacificæ fecunditatis, quia scilicet plus est in Deo de virtute ad faciendum pacem, quam sit in rebus ad suscipiendum. Et ideo emanatio pacis a Deo est supra omnem susceptibilitatem rerum; et licet susceptio pacis sit secundum rerum proprietatem, cum divina pax sic procedat ad omnia secundum emanationem effectuum, tamen ipsa manet immobilis in seipsa supereminenter unita tota ad totam, quia non est ibi diversitas partium, quæ impediat totum uniri toti. Non enim tota linea est unum cum tota, quia sic oporteret quod quælibet pars lineæ esset unum cum qualibet parte, sed in simplicibus totum est unum toti. Addit autem : « et secundum se totam, » quia non est una participatione, sed essentialiter. Punctum enim, etsi totum sit unum toti, non tamen secundum se totum, sed secundum unitatem quam participat. Si autem ipsa unitas separata subsisteret, esset tota una toti, et secundum se totam. Et sic intelligendum est de Deo, qui est unitus totus ad totum secundum se totum, per hoc quod est simpliciter et essentialiter unus.

LECTIO III.

Quomodo omnia pacem desiderant, cum sint diversa.

Quomodo autem, dicat aliquis, desiderant omnia pacem? Multa enim alteritate et discretione gaudent, et non aliquando velint sponte quiescere. Et si quidem dicens hoc, dicit alteritatem et discretionem uniuscujusque existentium proprietatem, et quod hanc neque unum existentium existens quod est, velit aliquando perdere; non quidem neque nos ad hoc contradicemus, sed et hoc pacis desiderium esse nuntiamus. Omnia enim diligunt ad seipsa et pacem habere, et uniri, et sua et quæ sunt suorum, esse immobilia, et cadere non valentia; et est et mundæ singulorum proprietatis perfecta pax servativa, providentiis ipsius pacem donantibus, omnia non bellantia, et inconfusa, et ad seipsa et ad se invicem salvans, et omnia stabili et indeclinabili virtute ad suiipsorum pacem et immobilitatem statuens. Et si mota omnia non quiescere, sed moveri semper ipsorum motu velint; et hoc desiderium est totorum divinæ pacis, omnia in seipsis cadere non valentia salvantis, et omnium motorum proprietatem et motivam vitam immobilem et cadere non valentem custodientis in eo quod mota ad seipsam pacem habentia, et eodem modo habentia, operantur ea quæ sunt suiipsorum. Si autem secundum causam a pace alteritatem dicens, conatur probare non esse omnibus amabilem pacem, maxime quidem nihil est existentium quod ab omni perfecte unitione ceciderit. Quod enim est omnino instabile et interminatum, et incollocabile, et indefinitum, neque existens est, neque in existentibus. Si autem istos dicit paci et pacis bonis inimicari, qui litibus et furoribus, et variationibus, et instabilitatibus gaudent, et isti obscuris imaginibus pacifici desiderii tenentur, a passionibus multum moventibus impugnati, et istas sedare stulte desiderantes, et arbitrantes adimpletione semper fluentium pacem habere seipsos, non consecutione delectationum se detinentium perturbatos. Quid dicat quidem aliquis de benignitate pacem effundente secundum Christum? secundum quam non jam dicimus bellum facere, neque nobis ipsis, neque aliis, neque angelis, sed et cum ipsis divina secundum virtutem operabimur secundum providentiam Jesu, omnia in omnibus cooperantis, sed et facientis pacem ineffabilem, et ex sæculo prædefinitam, et reconciliantis nos sibiipsi in spiritu, et per ipsum, et in ipso Patri. De quibus supernaturalibus donis in *Theologicis hypotyposibus* sufficienter dictum est, testimonium perhibente nobis sancta eloquiorum inspiratione.

« Quomodo autem, dicat aliquis, desiderant omnia pacem? » Postquam Dionysius determinavit de pace, hic movet dubitationem circa prædeterminata. Dixerat enim supra quod omnia desiderant pacem, hic circa hoc quæstionem movet. Primo ergo movet dubitationem; secundo, solvit, ibi : « Et si quidem dicens hoc, dicit alteritatem et discretionem uniuscujusque existentium proprietatem ... non contradicemus. »

Quærit ergo primo quomodo possit dici quod omnia desiderent pacem, cum multa sint quæ in hoc gaudeant quod sunt alia ab aliis discreta, et propria sponte quiescere non volunt, sed semper moveri desiderant. Cum autem ratio pacis in unitate et quiete consistat, hæc omnia rationi pacis adversari videntur.

Deinde cum dicit : « Et si quidem dicens hoc, dicit alteritatem et discretionem uniuscujusque existentium proprietatem, » etc., solvit propositam dubitationem secundum tres intellectus dubitationis propositæ, quorum primum primo prosequitur; secundo, secundum, ibi : « Si autem secundum casum a pace alteritatem dicens conatur probare non esse omnibus amabilem pacem, maxime quidem nihil est existentium quod

ab omni perfecte unitione ceciderit; » tertio, tertium, ibi : « Si autem istos dicit paci et pacis bonis inimicari qui litibus, et furoribus, et variationibus, et instabilitatibus gaudent, et isti obscuris imaginibus pacifici desiderii tenentur. » Circa primum duo facit. Primo, ponit solutionem; secundo, manifestat eam, ibi : « Et est et mundæ singulorum proprietatis perfecta pax servativa. »

Dicit ergo primo quod si ille qui præmissam dubitationem movet, cum dicit quod multa gaudent alteritate et discretione, intelligat de alteritate et discretione quæ competit unicuique secundum suam propriam naturam, per quam alia ab aliis distinguuntur, quam quidem propriam naturam et distinctionem consequentem nulla res perdere vult; contra hunc intellectum non oportet nos contradicere, sed dicemus quod desiderare talem discretionem est desiderare pacem. Per hoc enim omnia diligunt ad semetipsa pacem habere, et sibimetipsis uniri, quod volunt « sua et quæ sunt suorum, » id est suas proprias naturas et quæcumque ad eadem pertinent, immobiliter et absque casu permanere. Per hoc autem quod id quod est proprium uniuscujusque rei conservatur, et servatur pax[1] et unitas rei ad seipsam. Unde sequitur quod desiderare discretionem quæ consequitur propriam naturam, est desiderare pacem.

Deinde cum dicit : « Et est et mundæ singulorum proprietatis perfecta pax servativa, » manifestat prædictam solutionem per efficientiam divinæ pacis. Prædictam enim discretionem in rebus statuere, ad divinam pacem pertinet; unde non est contrarium desiderio pacis, si talis discretio desideretur. Hoc est ergo quod dicit quod « perfecta pax, » scilicet divina, conservat proprietatem, id est propriam naturam singulorum, in sua munditia et puritate, non permixtam extraneo, sed discretam ab eo. Et hoc quidem pertinet ad providentiam Dei, secundum quod pacem rebus donat; quam quidem providentiam pluraliter nominat propter diversas providentiæ participationes. Et hoc sic apparet. Pertinet enim ad providentiam Dei, secundum quod pacem facit in rebus, ut bellum a rebus excludat, quod adversatur paci. Bellum autem in rebus esset, nisi confusio tolleretur, quia una res non contineretur intra limites proprios, sed quodammodo invaderet alienos. Sic igitur per hoc quod divina providentia servat[2] omnia non bellantia et inconfusa, et unumquodque ad seipsum, et diversas res ad invicem, statuit pacem in rebus; et hoc est quod subdit quod omnia secundum stabilem et indeclinabilem virtutem statuit « ad sui pacem et immobilitatem, » id est, ut immobiliter in propria natura permaneant, et sic ad se pacem habeant. Et quia jam solvit dubitationem quantum ad hoc quod dictum erat, quod multa gaudent et alteratione et discretione; consequenter cum dicit : « Et si mota omnia non quiescere, sed moveri semper ipsorum motu velit, et hoc desiderium est totorum divinæ pacis, » solvit eodem modo dubitationem quantum ad hoc quod dictum est quod multi non volunt sponte quiescere, et dicit quod si illa in quorum natura est quod moveantur, non volunt quiescere, sed volunt semper moveri proprio motu; hoc etiam desiderium est pacis, quæ a Deo est in omnia derivata, per quam omnia conservantur in seipsis, absque hoc quod cadant ab eo quod competit eis secundum propriam naturam; et per consequens per divinam pacem conservatur proprietas omnium mobilium et motivorum. Prima autem motiva sunt immobilia, quia cum in mobilibus non sit procedere in infinitum, necesse est devenire ad aliquod primum moventium immobile, ut probatur VIII *Physicorum*. Primum vero movens immobile necesse est esse vivens, ut probatur in XI *Metaphysicorum*. Et ideo signanter dicit : « Et motivam vitam immobilem. » Sic autem custoditur per divinam pacem proprietas mobilium, et vita immobilis motivorum, ut non excidant a naturali statu. Intantum autem conservatio proprietatis mobilium et motivorum pertinet ad divinam pacem, inquantum ea quæ moventur, sic habent[3] ad seipsa pacem, et eodem modo se habent in sua mobilitate, secundum quod operantur ea quæ ad ipsa pertinent. Moveri enim est proprium opus mobilis, inquantum est mobile. Quod autem propriam operationem retinet, habet ad se pacem. Unde patet quod cum ea quæ naturaliter moventur, volunt moveri semper et non quiescere, pacem desiderant.

[1] Parm. : « per hoc autem quod est proprium uniuscujusque rei, conservatur pax. » — [2] Al. : « observat. » — [3] Al. : « se habent. »

Deinde cum dicit : « Si autem secundum casum a pace alteritatem dicens, conatur probare non esse omnibus amabilem pacem, maxime quidem nihil est existentiam quod ab omni perfecte unitione ceciderit, » solvit dubitationem motam quantum ad secundum intellectum dubitationis, et dicit quod si ille qui dubitationem movet, cum dicit quod multa gaudent alteratione et discretione, non intellexit de alteritate et discretione naturali, quæ pertinet ad rationem pacis ; sed intellexit de alteritate et discretione « secundum casum a pace, » id est secundum quod aliquid excedit ab unione in quo consistit ratio pacis, et sic velit probare quod pax non est omnibus amabilis ; contra hunc opponentem sic erit dicendum quod nihil est quod totaliter excidat ab omni unione, in qua consistit ratio pacis. Et hoc sic probat, quia nullo modo potest esse aliquid existens per se, vel aliquid in existentibus, ut accidens vel pars, quod omnino ceciderit ab unitione. Quem quidem casum quadruplicem per quatuor loquitur. Primo quidem, quantum ad ipsum casum, cui opponitur statio, secundum quod aliquid stat in naturali unitione, et quantum ad hoc dicit « instabile. » Deinde ea tangit ex quibus casus accidit. Cadit autem aliquid, dum tolluntur ea per quæ stabat. Stat autem aliquid in naturali unitione per tria. Primo quidem, per terminum quo continetur ne effluat ; nam et sicca continentur propriis terminis, et humida continentur terminis alienis, et forma, per quam unaquæque res continetur in suo esse, terminus dicitur, et quantum ad hoc dicit « interminatum. » Secundo aliquid habet stationem per aliquid extrinsecum continens, sicut corpora continentur loco ; et secundum hanc similitudinem omne exterius continens et non conservans, locus dici potest, et quantum ad hoc dicit « incollocabile. » Tertio, aliquid habet stationem in sua propria operatione ex fine, quia enim artifex habet finem determinatum suæ operationis, regulariter operatur secundum regulam finis, quod autem non habet finem determinatum, sed vagatur circa diversos fines, oportet quod sit fluctuans et instabile circa propriam operationem, et quantum ad hoc dicit « indefinitum. » Sic ergo nihil totaliter excidit ab unitione pacis, unumquodque autem appetit et amat id quod est sibi conforme, refugit autem contrarium. Impossibile enim est esse aliquod ens quod totaliter unitionem refugiat, et appetat alteritatem et discretionem quæ est secundum casum a naturali pace.

Deinde cum dicit : « Si autem istos dicit paci et pacis bonis inimicari qui litibus, et furoribus, et variationibus, et instabilitatibus gaudent, et isti obscuris imaginibus pacifici desiderii tenentur, » solvit dubitationem secundum tertium intellectum, prout id quod dictum est, quod « multa sunt quæ alteritate et discretione gaudent, » non referatur ad appetitum naturalem, ut in præmissis, sed ad appetitum voluntarium, et dicit quod, si ille qui movet dubitationem, dicat illos homines inimicari paci et bonis ejus, qui gaudent in exterioribus litibus et interioribus commotionibus animi quas vocat furores, quæ duo pertinent ad divisionem paci contrariam; et iterum gaudent variationibus[1] et instabilitatibus, quæ videntur paci contrariari, et hoc quantum ad secundum partem dubitationis motæ[2] : dicendum est quod tales etiam homines detinentur a desiderio pacis secundum quamdam obscuram similitudinem. Et hoc sic manifestat. Tales enim homines multum impugnantur a passionibus, quibus commoventur, et sic per hujusmodi passiones eorum pax interior perturbatur. Hujusmodi ergo impugnationem passionum ex desideriis pacis sedare volunt, non sapienter, sed stulte. Putant enim quod possunt habere interiorem pacem, implendo superflua et inordinata sua desideria, quæ incitantur secundum varias passiones ; sed per hoc magis perturbantur, dum non possunt consequi delectationes a quibus detinentur ; impossibile est enim quod homo superfluis et inordinatis desideriis subjacens, omnia desiderata consequi possit ; et ideo tales quærentes pacem, lites commovent ut sua desideria impleant. Et quia variis desideriis subjacent, variationibus gaudent. Sapienter autem hanc impugnationem passionum sedarent, si multa desideria reprimentes, ad unum desiderium veræ pacis converterentur.

Deinde cum dicit : « Quid dicat quidem aliquis de benignitate pacem effundente secundum Christum ? determinat de pace

[1] Parm. omittit : « animi quas vocat furores, quæ duo pertinent ad divisionem paci contrariam; et iterum gaudent variationibus. » — [2] Parm. omittit : « motæ. »

facta per Christi incarnationem, dicens quod sufficiens aliquid dici non potest de pietate Dei, quæ effundit pacem in mundum per Christum; « secundum quam » pacem jam liberari a peccato « didicimus » doctrina et exemplo Christi, et interiori Spiritus sancti inspiratione, « non facere bellum » peccando, neque contra nosmetipsos, neque discordando a sanctis angelis, sed per hanc pacem secundum nostram virtutem operamur ea quæ Dei sunt simul cum sanctis angelis, et hoc « secundum providentiam » et gratiam « Jesu, » qui operatur omnia in omnibus, et qui facit illam « ineffabilem pacem » quæ est ab æterno præordinata; per quam pacem reconciliamur ipsi Christo in Spiritu sancto, qui est Spiritus dilectionis et pacis, « per ipsum » Christum, et « in ipso » Christo simul reconciliamur Deo Patri. De his autem supernaturalibus donis pertinentibus ad pacem factam per Christum, dictum est sufficienter in libro *De theologicis hypotyposibus,* et hoc secundum testimonia Scripturarum a Deo inspiratarum; et ideo hic de his breviter pertransivimus.

LECTIO IV.

De divinis perfectionibus.

Sed quoniam et alibi per epistolam me interrogasti, quid forte dicam per se esse, per se vitam, et per se esse sapientiam; et ad teipsum dixisti dubitasse, quomodo Deum aliquando quidem per se vitam dico, aliquando autem per se vitæ substantificatorem : necessarium arbitratus sum, sancte Dei vir, et ab hac dubitatione in nobis te absolvere. Et primum quidem, ut multipliciter dicta et nunc assumam, non est contrarium per se virtutem aut per se vitam dicere Deum, et per se vitæ aut pacis aut virtutis substantificatorem. Hæc enim quidem ex existentibus, et maxime ex primo existentibus, sicut causa omnium existentium dicitur; illa autem sicut super omnia, et etiam quæ prius sunt, superexistens supersubstantialiter. Dicis autem : Quid totaliter dicimus per se esse, aut per se vitam, aut quæcumque absolute et principaliter esse, et ex Deo primo subsistere ponimus? Hoc autem quod dicimus, non est obliquum, sed rectum, et simplicem habens manifestationem. Non enim substantiam quamdam divinam aut angelicam [1] dicimus esse per se, quod est causa quod sunt omnia. Solum enim quod sunt existentia omnia, et ipsum esse supersubstantiale, est principium et substantia et causa. Neque vitæ generativam aliam deitatem dicimus, præter superdeam vitam omnium quæcumque vivunt, et ipsius vitæ per se causam; neque, ut colligendo dicamus, dicimus principales existentium et causativas substantias et personas, quas et deos existentium et causatores [2] per se facientes dixerunt; quos vere et proprie dicendum non existens, neque ipsi sciverunt, neque patres eorum. Sed per se esse et per vitam. Divinitatem [3] dicimus, et divinæ, et causaliter unum omnium superprincipale supersubstantiale principium et causam; participabiliter autem datas ex Deo imparticipabili provisivas virtutes, per se substantificationem, per se vivificationem, per se deificationem, quibus existentia, juxta proprietatem suam participantia, et existentia, et viventia [4], et divina, et sunt, et dicuntur, et alia similiter : propter quod et primo ipsorum bonus substantificator dicitur esse, postea totorum ipsorum, postea particularium ipsorum, deinde totaliter ipsis participantium. Et quid oportet de istis dicere? quando quidem divinorum quidam nostrorum sanctorum, et ipsius per se bonitatis aut deitatis substantificatricem dicunt superbonam et superdeam per se bonitatem et deitatem; dicentes esse et beneficum et deificum; ex Deo proveniens donum, et per se pulchritudinem, et per se pulchrificam effusionem, et totam pulchritudinem, et particularem pulchritudinem, et totaliter pulchra, et in parte pulchra, et quæcumque alia secundum eumdem dicta sunt et dicentur modum, monstrantia providentias et bonitates participatas ab existentibus ex Deo imparticipabili procedentes copiosa effusione, et supermanantes, ut diligenter omnium causa sit super omnia, et excedit omnino supersubstantiale et supernaturale existentia secundum quamcumque substantiam et naturam.

« Sed quoniam et alibi per epistolam me interrogasti, quid forte dicam per se esse, per se vitam, et per se esse sapientiam....., necessarium arbitratus sum, sancte Dei vir, et ab hac dubitatione in nobis te absolvere. » Postquam determinavit Dionysius de pace, quæ in rebus constituitur per dona divina, hic determinat de ipsis divinis perfectionibus, secundum quod per se in abstracto considerantur, et circa hoc tria facit. Primo, movet dubitationem; secundo, solvit eam, ibi : « Et primum quidem, ut multipliciter dicta et nunc assumam, non est contrarium per se virtutem aut per se vitam dicere Deum, et per se vitæ aut pacis aut virtutis substantificatorem; » tertio, solutionem per dicta illorum confirmat, ibi : « Et quid oportet de istis dicere? »

[1] In citat. translatione additur hic : « esse. » — [2] Ibid. : « et creatores. » — [3] Ibid. : « et per se deitatem. » — [4] Al. omittitur « et viventia. »

Est ergo circa primum sciendum quod Timotheus, in quadam epistola ad Dionysium scripta, de duobus in ea interrogaverat. Primo quidem, quid sit per se vita et per se sapientia. Talibus enim frequenter Dionysius utitur, ut in præcedentibus patet. Secundo, Timotheus in eadem epistola dixerat se dubitasse, quomodo Dionysius quandoque dicebat Deum esse per se vitam, quandoque autem Deum esse causam per se vitæ; et ideo dicit Dionysius, quod Timotheum ab hac dubitatione liberare voluit, quantum in ipso fuit.

Deinde cum dicit : « Et primum quidem, ut multipliciter dicta et nunc assumam, non est contrarium per se virtutem aut per se vitam dicere Deum, et per se vitæ aut pacis aut virtutis substantificatorem, » solvit motas dubitationes, et primo : secundam, ostendens quomodo Deus sit per se vita, et causa per se vitæ; secundo, solvit primam, ostendens quid sit per se esse et per se vita, ibi : « Dicis autem : Quid totaliter dicimus per se esse aut per se vitam, aut quæcumque absolute et principaliter esse, et ex Deo primo subsistere ponimus? » Dicit ergo primo quod non vult nunc assumere dicta quasi dicta simpliciter; et ideo, quia per se vita non dicitur simpliciter, sed multipliciter, non est contrarium quod dicamus Deum per se vitam aut per se virtutem; et iterum quod dicamus eum « substantificatorem, » id est creatorem, « per se vitæ, aut per se pacis, aut per se virtutis. » Esset autem contrarium, si ista non multipliciter dicerentur. Cum enim dicimus Deum esse substantificatorem per se vitæ et hujusmodi, laudamus eum sicut causam omnium existentium, ex illis existentibus quæ maxime et primo existunt. Manifestum est enim quod per se vita est prius quam vivens, et sic de aliis. Unde si Deus est causa horum primorum, est causa omnium. Cum vero dicimus Deum esse per se virtutem aut per se vitam, laudatur Deus sicut existens super omnia, et super ea quæ sunt prima inter omnia, dicitur per se vita per quemdam excessum.

Deinde cum dicit : « Dicis autem : Quid totaliter dicimus per se esse aut per se vitam, aut quæcumque absolute et principaliter esse, et ex Deo primo subsistere ponimus? » solvit primam dubitationem, scilicet quid sit per se vita; et primo, repetit quæstionem; secundo, excludit falsum intellectum, ibi : « Hoc autem quod dicimus, non est obliquum, sed rectum; tertio, determinat veritatem, ibi : « Sed per se esse et per se vitam divinitatem dicimus. »

Proponit ergo primo ex persona Timothei quid significetur, cum dicitur per se esse aut per se vita, et quæcumque alia hujusmodi; et dicit signanter « absolute, » id est abstracte, « et principaliter, » id est sicut principia aliorum, nam per se vita significat principia viventium.

Deinde cum dicit : « Hoc autem quod dicimus non est obliquum, sed rectum, » excludit erroneum intellectum. Ad cujus evidentiam sciendum est quod platonici ponentes ideas rerum separatas, omnia quæ sic in abstracto dicuntur, posuerunt in abstracto subsistere causas secundum ordinem quemdam, ita scilicet quod primum rerum principium dicebant esse per se bonitatem et per se unitatem; et hoc primum principium, quod est essentialiter bonum et unum, dicebant esse summum Deum. Sub bono autem ponebant esse, ut supra dictum est, et sub esse ponebant vitam, et sic de aliis. Et ideo dicebant sub summo Deo esse quamdam divinam substantiam quæ nominatur per se esse, et sub hac aliam quæ nominatur per se vita. Hoc ergo excludere intendens dicit quod id quod supra dixerat, quod per se esse et per se vita primo a Deo subsistunt, non est aliquid erroneum, sed est rectum et planas manifestationes habens. Non enim nominamus per se esse aliquam substantiam divinam aut angelicam, quæ sit causa essendi omnibus. Addit autem angelicam, quia quos platonici deos secundos dicebant, nos angelos nominamus. Solum enim ipsum esse supersubstantiale divinum est principium et substantia et causa quod omnia existentia sint; ut hoc quod dicit principium referatur ad ordinem naturæ, secundum quod esse divinum præcedit omnia entia; substantia vero importet rationem exemplaris; id enim cujus substantia est suum esse, est exemplar omnium existentium. Quod autem dicitur causa, pertinet ad hoc quod dat esse existentibus. Similiter autem cum dicimus per se vitam, non intelligimus quamdam deitatem causativam vitæ, quæ sit alia præter vitam summi Dei, qui est causa omnium quæ vivunt, et etiam ipsius per se vitæ. Et, ut in summa omnia colligamus, non dicimus esse aliquas essen-

tias et hypostases separatas, quæ sint principia rerum et creatrices earum, quas platonici dixerunt esse deos existentium et creatores, quasi per se operantes ad rerum productionem. Hujusmodi autem deos, si vere et proprie loqui volumus, dicamus non existere in rebus ; neque illi qui tales deos posuerunt, per aliquam certitudinem scientiæ hoc invenerunt, aut ipsi aut patres eorum, quia neque primi platonici neque posteriores hujus rei scientiam per certas et firmas scientias accipere potuerunt, sed per quasdam humanas rationes decepti sunt ad opinandum.

Deinde cum dicit : « Sed per se esse et per se vitam, divinitatem dicimus, » excluso errore, solvit secundum veritatem, et dicit quod per se esse et per se vita, et hujusmodi, dupliciter dicuntur. Uno modo dicuntur de Deo, qui est unum supersubstantiale principium omnium et causa. Et dicitur Deus per se vita vel per se ens, quia non vivit participatione alicujus vitæ, neque est per participationem alicujus esse, sed ipse est suum vivere et sua vita, et excedens omne esse et omnem vitam quæ participatur a creaturis, et existens principium vivendi et essendi omnibus. Alio autem modo per se esse et per se vita dicuntur virtutes vel perfectiones quædam secundum providentiam unius Dei imparticipabilis, datæ creaturis ad participandum. Licet enim Deus, qui est harum virtutum principium, in se imparticipabilis maneat, et per consequens non participetur, tamen dona ipsius dividuntur in creaturis, et partialiter recipiuntur : unde et participari dicuntur a creaturis; et secundum quod participantur secundum proprietatem uniuscujuque participantium, secundum hoc participantia et sunt et dicuntur ex natura existentia, inquantum participant esse; et viventia, inquantum participant vita; et divina, inquantum participant deitate, et simile est de aliis. Et quia principium imparticipatum causa est et participationum et participantium, ideo Deus et participationum et participantium substantificator est. Participationes autem ipsæ tripliciter considerari possunt. Uno modo secundum se, prout abstrahunt et ab universalitate et a particularitate, sicut signatur, cum dicitur per se vita. Alio modo considerantur in universali, sicut dicitur vita totalis vel universalis. Tertio modo in particulari, secundum quod vita dicitur hujus vel illius rei. Similiter et participantia dupliciter considerari possunt. Uno modo in universali, ut si dicatur vivens universale vel totale. Alio modo in particulari, ut si dicatur hoc vel illud vivens. Et horum omnium Deus causa est. Et hoc est quod dicit quod « bonus, » id est Deus, primo quidem « dicitur esse substantificator ipsorum, » scilicet per se vitæ et per se esse et hujusmodi, prout per se et absolute considerantur ; « postea totorum ipsorum, » idem universalis esse, et similium ; « postea particularium ipsorum, » ut particularis esse, vel particularis vitæ ; « postea totaliter participantium ipsis, » viventis universalis, et existentis universalis; postea particulariter ipsis participantium, ut hujus vel illius entis aut viventis,

Deinde cum dicit : « Et quid oportet de istis dicere? » confirmat solutionem propositam per dicta aliorum, et dicit quod non oportet de præmissis dubitare, cum aliqui ex doctoribus divinæ et christianæ religionis, sicut Hierotheus et alii apostolorum discipuli, hoc ipsum dicant, scilicet quod bonitas et deitas omnibus supereminens est causa ipsius per se deitatis et bonitatis, nominantes per se bonitatem quoddam donum ex Deo proveniens, per quod entia sunt bona, et per se deitatem quoddam Dei donum, per quod aliqui fiunt participative dii; et similiter nominant per se pulchritudinem ipsam effusionem pulchritudinis, per quam causatur et universalis et particularis pulchritudo in rebus, et per quam fiunt aliqua et universaliter et particulariter pulchra. Et similiter est dicendum de omnibus aliis quæcumque dicuntur secundum eumdem modum, quibus demonstrantur dona divinitus provisa, et bonitates participatæ ab entibus creatis, quæ procedunt copiosa effusione, et supermanant a Deo, qui est imparticipabilis, cum ipse non fiat pars alicujus; ita quod ipse Deus, qui est causa omnium, perfecte sit super omnia; et ipse Deus qui est supersubstantialis et supernaturalis, excedat omnem substantiam et naturam, inquantum neque participat neque participatur, sed remanet in sua puritate simplex et indivisus.

CAPUT DUODECIMUM.

DE SANCTO SANCTORUM, REGE REGUM, DOMINO DOMINORUM, DEO DEORUM.

LECTIO UNICA.

Sed quoniam et de istis quæcumque dicere oportet convenientem, ut arbitror, acceperunt finem; laudare nos convenit eum qui est infinitorum nominum, et sicut Sanctum sanctorum, et Regem regnantium, et Regnatorem sæculorum et in sæcula, et adhuc ut Dominum dominorum, et Deum deorum. Et primum quidem est dicendum quid quidem per se bonitatem esse arbitramur, quid autem regnum, quid autem dominationem, quid autem divinitatem, et quid volunt monstrare eloquia duplicatione nominum. Igitur sanctitas quidem est, ut secundum nos dicatur, ab omni immunditia libera et perfecta et omnino immaculata munditia; regnum autem, omnis finis, et ornatus, et legis, et ordinis distributio; dominatio autem, non pejorum excessus tantum, sed omnis et pulchrorum et bonorum perfecta, et omnimoda possessio, et vera et cadere non valens fortitudo (unde et ab eo quod est dominium facere, dicitur dominatio et dominus, et dominans); deitas autem, quæ omnia videt providentia et bonitate perfecta, omnia circumspiciens et continens et seipsa [1] implens, et excedens omnia providentia ipsa utentia. Igitur hæc quidem in causa excedente omnia absolute laudare convenit, et addendum est, ipsam esse excedentem sanctitatem et dominationem et regnum, superpositam et amplissimam deitatem. Etenim ex ipsa in uno collective subsistit et distributa est omnis munda diligentia omnis claræ munditiæ, omnis existentium et ordinatio et ornatus, inconvenientiam et inæqualitatem et incommensurationem exterminans, et ad bene ordinatam identitatem et directionem exultans, et circumagens participatione ipsius quæ sunt digna habita, omnis omnium [1] pulchrorum perfecta possessio; omnis providentia bona contemplativa et contentiva provisorum, seipsam benigne tribuens ad deificationem conversorum. Quoniam autem superplenus est omnibus, qui est omnium causa secundum unum omnia [2] excedentem excessum, Sanctus sanctorum laudatur, et reliqua secundum superemanantem causam et segregatum excessum. Sicut si aliquis dicat, inquantum excellunt non existentibus existentia sancta et divina, aut dominia, aut regalia, et rursus participantibus participationes, ita tantum collocatur super omnia existentia, et omnium participantium et participationum imparticipabilis causa. Sanctos autem, et reges, et dominos, et deos vocant eloquia in singulis principaliores ornatus, per quos secundi ex Dei donis accipientes illorum distributionis simplicitatem circa suiipsorum differentias multiplicant, quorum varietatem prime, provisive et deiformiter ad unitatem suiipsorum congregant.

« Sed quoniam et de istis quæcumque dicere oportebat, convenienter, ut arbitror, acceperunt finem; laudare convenit eum qui est infinitorum nominum. » Postquam Dionysius exposuit divina nomina per quæ significatur emanatio perfectionum a Deo in creaturas, hic exponit nomina Dei quæ designant rerum gubernationem. In qua quidem gubernatione sunt quatuor attendenda. Primo quidem, divinæ cognitionis providentia, ad quam pertinet nomen deitatis; secundo, potestas exequendi sapientiæ divinæ ordinationem, ad quam pertinet nomen dominationis; tertio, ipsa executio gubernationis, ad quam pertinet nomen regis; quarto, gubernationis effectus, qui est munditia ab omni inordinatione, et ad hoc pertinet nomen sanctitatis. Unde in hoc capitulo agit de Sancto sanctorum, Rege regum, Domino dominorum, Deo deorum, ut patet ex titulo. Similiter etiam ex ipso modo loquendi quo dicitur Sanctus sanctorum vel Rex regum, quædam gubernationis præsidentia designatur. Circa hoc ergo duo facit. Primo, dicit de quo est intentio; secundo, exequitur propositum, ibi : « Igitur sanctitas quidem est, ut secundum nos dicatur, ab omni immunditia libera et perfecta et omnino immaculata munditia. »

Dicit ergo primo quod, quia secundum suum arbitrium ad convenientem finem adducta sunt quæ de præmissis dicere oportebat, conveniens est ut Deum, qui infinitis modis nominari potest in suis effectibus, laudemus nunc, « sicut Sanctum sanctorum, » secundum illud Dan., IX, 24, secundum aliam litteram : *Cum venerit Sanctus sanctorum,* « et sicut Regem regum, » secundum illud Apocal., XIX, 16 : *Habet in vestimento et in femore suo scriptum : Rex regum et Dominus dominantium;* « et Regnatorem sæculorum, » secundum illud Psalm. CXLIV, 13 : *Regnum tuum, regnum omnium sæculorum;* « et in sæcula, et adhuc, » secundum illud Exod.,

[1] Al. : « et in seipsa. » — [2] Al. : « omnibus perfecta, et omnium. » — [3] Al. deest « omnia. »

xv cap., 18 : *Dominus regnabit in æternum et ultra;* et sicut « Dominum dominorum, » ut est ex Apocalypsi introductum ; « et Deum deorum, » secundum illud Psalmistæ, Psal. XLIX, 1 : *Deus deorum Dominus locutus est.* Has enim laudes divinas in Scripturis positas, in hoc capitulo exponere intendit. Circa horum autem expositionem sic procedere intendit, ut primo dicat quid sit per se sanctitas, et quid regnum, et quid dominatio, et quid deitas. Deinde quid intendunt Scripturæ demonstrare per hujusmodi nominum duplicitatem, cum dicitur Sanctus sanctorum vel Deus deorum.

Deinde cum dicit : « Igitur sanctitas quidem est, ut secundum nos dicatur, ab omni immunditia libera et perfecta et omnino immaculata munditia, » exequitur intentum de præmissis; et primo, manifestat primum, scilicet per unumquodque prædictorum quid sit intelligendum; secundo, manifestat secundum, scilicet causam prædictæ reduplicationis in Scripturis, ibi : « Quoniam autem superplenus est omnibus, qui est omnium causa, secundum unum omnia excedentem excessum Sanctus sanctorum laudatur. » Circa primum duo facit. Primo, ostendit quid sit unumquodque prædictorum secundum se consideratum; secundo, qualiter Deo attribuantur, ibi : « Igitur hæc quidem in causa excedente omnia absolute laudare convenit. »

Circa primum duo exponit. Primo, exponit quid sit sanctitas, et dicit quod secundum nostram acceptionem per sanctitatem intelligitur « munditia, » quæ est « libera ab omni immunditia, et perfecta, et omnino immaculata. » In quibus verbis tres gradus munditiæ designantur, qui ad sanctitatem requiruntur. Quorum primus est libertas ab omni immunditia. Libertas autem servituti opponitur. Servus autem immunditiæ existit qui totaliter ab immunditia vincitur, et ei subjicitur. Primus ergo gradus munditiæ est ut aliquis ab hujusmodi[1] servitute immunditiæ liberetur. Secundus autem[2] gradus est ut sit munditia perfecta. Perfectum enim est cui nihil deest. Contingit autem quandoque quod aliquis immunditiæ quidem non subjacet, deest tamen sibi aliquid ad munditiam, inquantum passionibus immunditiæ inquietatur, quæ cum tolluntur, fit perfecta munditia. Tertius gradus munditiæ est ut sit omnino immaculata. Maculari enim dicitur quod non ab intrinseco, sed ab extrinseco inquinatur. Erit ergo omnino immaculata munditia, cum non solum in seipso aliquis puritatem habet, sed etiam nihil est exterius quod eum ad immunditiam trahere possit. Et in his tribus munditiæ gradibus ratio sanctitatis perfecte consistit.

Deinde cum dicit : « Regnum autem, omnis finis, et ornatus, et legis, et ordinis distributio, » ostendit quid sit regnum. Nomen autem regni a regendo est assumptum. In omni autem directione primo considerandus est finis ad quem dirigens perducere intendit; secundo, consideranda est facultas perveniendi ad finem; tertio, consideranda est regula per quam aliquid directe ad finem perducitur (quæ quidem regula in humanis actibus lex vocatur); quarto vero, consideranda est proportio ejus quod ad finem perducitur, ad finem ipsum; non enim quodlibet natum est consequi quemlibet finem. Quia vero per nomen regni datur intelligi, non unius tantum directio, sed totius multitudinis humanæ, quæ quidem non est uniformis, sed habens multas varietates secundum diversas hominum conditiones et diversa officia, quæ ad bonum statum multitudinis pertinent; ideo quamvis sit unus communis totius multitudinis finis, tamen sunt multi et differentes diversorum fines particulares : puta, medici sanitas, militis victoria, œconomici divitiæ, et sic de aliis. Ad consequendum autem diversos fines, necesse est homines diversas facultates habere ex diversis bonis quibus oriuntur, et diversis legibus regulari. Aliæ enim leges imponendæ sunt militi, aliæ emptori, aliæ venditori, et sic de aliis. Similiter ad diversos fines diversi ordines hominum instituendi sunt. Non enim decet eosdem esse milites et negotiatores, ne per confusionem impediantur officia. Quia igitur Rex est qui regendæ multitudinis curam habet, ad eum pertinet primo quidem distribuere fines, ut nihil necessariorum multitudini desit, ad eum etiam pertinet distribuere bonorum ornatus, et distribuere leges, ut

[1] Parm. : « ab aliqua servitute. » — [2] Al. : « etiam. »

scilicet singuli propriis legibus regulentur; ad eum etiam pertinet distribuere ordines officiorum, et hoc est quod dicit quod « regnum » est distributio omnis finis, et ornatus, et legis, et ordinis. »

Deinde cum dicit : « Dominatio autem, non pejorum excessus tantum, sed omnis et pulchrorum et bonorum perfecta et omnimoda possessio, » ostendit quid sit dominatio, ad quam tria requiruntur. Primo quidem, superioritas gradus. Esset autem indecens aliquem esse in superiori gradu, nisi et bonis potioribus abundaret; et ideo secundo requiritur bonorum abundantia, quæ etiam non sufficeret, nisi tertio adesset potestas continendi et coercendi subditos; alioquin excessus secundum bonorum abundantiam faceret ditiorem vel meliorem, non autem dominum; et ideo tertio requiritur potestas regendi subditos. Hoc est ergo quod dicit quod « dominatio non tantum est excessus pejorum, » id est inferiorum, qui pertinet[1] ad sublimitatis gradum, « sed » etiam est « perfecta et omnimoda possessio et pulchrorum et bonorum. » Dicit autem « pulchrorum et bonorum; » non solum enim oportet eum qui dominatur abundare in bonis, sed etiam ad hoc quod in reverentia habeatur, oportet illa bona esse conspicua, quod ad rationem pulchritudinis pertinet. Dicit autem « omnis perfecta et omnimoda possessio, » ut omnia bona habeat, et unumquodque eorum quæ habet, sit perfectum, et ut plene habeat et non debiliter. Quantum autem ad tertium dicit : « et vera et cadere non valens fortitudo, » quod potest exponi vel de fortitudine virtutis interioris, quæ est vera fortitudo ab ea quæ sunt hominis, et non potest cadere nisi gratia divina sublata; vel potest referri ad exteriorem fortitudinem quod sit vera et non ficta, sicut contingit in aliquibus qui se ostentant esse potentiores quam sint, et cadere non valent, scilicet de facili, propter sufficientiam auxiliorum. Et quod hoc sit de ratione dominationis, probat per derivationem nominis, quia hoc quod signat « dominium facere, » in græco, a quo denominatur et « dominatio, et dominus, et dominans, signat prædicta.

Deinde cum dicit : « Deitas autem, quæ omnia videt providentia et bonitate perfecta, » ostendit quid sit deitas. Et quia, ut Damascenus dicit, hoc nomen Theos, quod in græco signat Deum, a theaste, id est considerando omnia, dicitur; ideo nomen deitatis hic Dionysius secundum rationem providentiæ exponit. In nomine autem providentiæ intelligitur cognitio, non per modum speculationis tantum, sed secundum quod est directiva et inclinativa ad rerum gubernationem. Sic igitur in nomine deitatis : primo quidem, intelligitur repectus divinus ad omnia; secundo, continentia qua omnia continentur sub Deo certis quibusdam regulis et mensuris; tertio, communicatio divinæ bonitatis in creaturis, quæ sub Deo continentur, et hoc est quod dicit quod deitas est quæ omnia videt. Dicitur autem a theaste, quod est videre, ut dictum est. Sed qualis sit ista visio omnium, quæ in nomine deitatis intelligitur, exponitur per id quod subditur, quod ipsa est etiam « omnia circumspiciens et continens, et in seipsa implens, » suam bonitatem communicando, et hoc secundum providentiam et bonitatem perfectam. Sed ne aliquis æstimaret divinam providentiam et bonitatem obligatam esse ad istum cursum et ordinem qui apparet in rebus ex gubernatione divina; ad hoc excludendum subdit quod deitas excedit omnia quæ ejus providentia utuntur, quia scilicet sapientia et virtus et bonitas ejus non limitatur ad istum cursum rerum, sed in infinitum superabundat.

Deinde cum dicit : « Igitur hæc quidem in causa excedente omnia absolute laudare convenit, » ostendit qualiter prædicta Deo attribuantur, et dicit quod in Deo, qui est causa excedens omnia prædicta, laudari possunt absolute, ut dicatur quod in Deo est sanctitas, regnum, dominatio et deitas. Sed adhuc addere nos possumus aliqua ad ipsius excessum pertinentia; sicut quod dicamus quod ipsa prima causa est sanctitas, et dominatio excedens, et etiam regnum supremum, et simplicissima deitas, quia primæ causæ non convenit deitas per participationem, sed per essentiam. Assignat autem consequenter rationem præmissorum; et primo quidem, quantum ad sanctitatem, quam dixit esse munditiam quamdam, et dicit quod omnis munditia quorumcumque existentium præexistit in

[1] Parm. : « quod pertinet; » al. : « quæ pertinent. »

uno, quod est prima causa non quidem divisim, sed collective, prout scilicet ea quæ sunt in effectibus multiplicata, in causa inveniuntur simplicia, et ex ipsa prima causa distribuitur munditia et puritas ad omnia existentia, secundum quod cuilibet competit. Sed notandum quod duo adjungit munditiæ, scilicet diligentiam et claritatem, quorum unum, scilicet diligentia, et munditiæ operativa; diligenti enim studio munditia conservari oportet; alterum vero, scilicet claritas, ex munditia consequitur. Ea enim quæ sunt depurata, sunt in seipsis magis evidentia, et perfectius aliunde splendorem recipere possunt. Deinde quantum ad rationem regni dicit, quod similiter in prima causa subsistit, et ab eo distribuitur ordinatio et ornatus, quæ in ratione regni includuntur, per quæ exterminatur, id est tollitur, inconvenientia, et inæqualitas, et incommensuratio, quæ opponuntur justitiæ quæ per regnum constitui debet, ut inconvenientia accipiatur per comparationem hominis ad suam actionem, dum facit quod non convenit; inæqualitas vero per comparationem unius hominis ad alium, dum non servatur justitiæ æqualitas inter homines; incommensuratio autem per comparationem hominis ad ea quæ habet, dum scilicet alicui plura dantur aliquando præter suam mensuram. Hæc enim omnia per ordinationem regni excludi debent. Nec sufficit excludere vitia nisi qui gubernantur per regnum, dirigantur ad debitum fidem; unde dicit quod ordinatio divini regni ea quæ habentur digna ejus participatione, exaltat, id est cum quadam lætitia elevat, et implendo circumstat ad quamdam « identitatem bene ordinatam, » id est ut conveniant in eodem optimo ordine, « et directione, » id est ut debitam rectitudinem sortiantur. Iste est enim finis regni, ut omnia sub uno, bono ordine contineantur et dirigantur. Deinde quantum ad dominationem dicit quod in uno, quod est omnium causa, collective subsistit et distribuitur omnis perfecta possessio omnium pulchrorum, quæ pertinent ad rationem dominationis, ut dictum est. Quantum vero ad deitatem subdit quod in eodem uno subsistit et in eodem distribuitur omnis bona providentia Dei quæ est considerativa et contentiva eorum quibus providet, quæ sub ejus ordine continentur, inquantum ex sua benignitate tribuit seipsam per quamdam participationem ad hoc quod deificet eos qui convertuntur ad ipsum. Deificet, dico, id est deos faciat per participationem similitudinis, non per proprietatem naturæ.

Deinde cum dicit : « Quoniam autem superplenus est omnibus, qui est omnium causa, secundum unum omnia excedentem excessum Sanctus sanctorum laudatur, » respondet secundæ quæstioni, scilicet quid volunt eloquia monstrare per nominum duplicationem; et primo, ostendit qualiter dicatur Deus Sanctus sanctorum, Rex regum, Dominus dominorum, Deus deorum; secundo, ostendit qui sint isti sancti et reges, quorum Deus dicitur esse Sanctus et Rex, etc., ibi : « Sanctos autem et reges, et dominos, et deos vocant eloquia in singulis principaliores ornatus.

Dicit ergo primo quod Deus, qui est omnium causa, supereminenter omnibus habet plenitudinem bonitatis super omnia alia. Ideo ad designandum hunc excessum quo excedit omnia, dicitur in Scripturis « Sanctus sanctorum, » et reliqua, id est Rex regum, Dominus dominantium et Deus deorum. Designatur enim in isto modo locutionis emanatio quædam a causa superiori, ut intelligatur, cum dicitur Sanctus sanctorum, quod ab ipso emanet sanctitas in omnes sanctos, et sic de aliis. Designatur etiam quidam excessus, secundum quem Deus ab omnibus segregatur, quasi superior omnibus existens, ut sit sensus : « Sanctus sanctorum, » id est Sanctus excedens omnes sanctos. Sic enim ea quæ sunt sancta et divina, et dominantia, et regalia, excedunt ea quæ non sunt talia; et rursus, sicut participationes excedunt participantia, ut sanctitas sanctum, ita collocatur super omnia existentia ille qui est superior omnibus existentibus, eo quod est causa quædam imparticipabilis omnium participantium et participationum; causa enim excedit causata.

Deinde cum dicit : « Sanctos autem, et reges, et dominos, et deos vocant eloquia in singulis principaliores ornatus, » ostendit qui dicantur sancti et reges, quibus Deus comparatur, et dicit quod sancta eloquia nominant « sanctos, et reges, et dominos, et deos, principaliores ornatus in singulis, » id est illos qui sortiuntur primos gradus in singulis ordinibus, sicut inter angelos supremi angeli, et inter homines

supremi homines; et hoc ideo, quia supremi in singulis ordinibus, accipiunt Dei dona in majori simplicitate, quia magis assimilantur Deo, in quo est simplex et uniformis deitas et bonitas. Et sic per principaliores ex sui simplicitate illis distribuit, et hujusmodi Dei dona multiplicantur in inferioribus secundum eorum differentias; et rursus secundum ordinationem finis, primi et superiores varietatem provenientem in inferioribus congregant per quamdam reductionem ad similitudinem suæ unitatis, per quamdam providentiam deiformem. Sic enim et Deus diffundendo sua dona, et multiplicat, et rursus per opus providentiæ multiplicia reducit in ordinem unius finis.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

DE PERFECTO ET UNO.

LECTIO I.

Tanta et de istis. Ad ipsum autem reliquum, si videtur, sermonem brevissimum eamus; etenim theologia de omnium causa, et omnia et simul omnia prædicat, et sicut perfectum ipsum, et sicut unum laudat. Igitur perfectum quidem est, non solum sicut per se perfectum, et secundum seipsum a seipso uniformiter segregatum, et totum per totum perfectissimum, sed et sicut superperfectum secundum omnium excessum, et omnem quidem infinitatem terminans, super omnem autem terminum extentum, et a nullo captum aut comprehensum, sed extendens se ad omnia simul, et super omnia indeficientibus immissionibus, et interminabilibus operationibus. Perfectum autem rursus dicitur, et sicut inaugmentabile et superperfectum[1], et sicut non minorabile, sicut omnia in seipso præhabens, et supermanans secundum unam impausabilem et eamdem et superplenam, et imminorabilem largitionem, secundum quam perfecta omnia perficit, et propria adimplet perfectione.

« Tanta et de istis. Ad ipsum autem reliquum, si videtur, sermonem brevissimum eamus. » Postquam Dionysius exposuit divina nomina quæ ad rationem providentiæ pertinent, hic exponit divina nomina quæ pertinent ad providentiæ finem. Est enim providentiæ finis ut singula perfectionem propriam consequantur, et ulterius omnia reducantur in unum finem; et ideo dicitur hic « de perfecto et uno, » ut ex titulo patet. Dividitur autem hoc capitulum in partes tres. In prima, dicit de quo est intentio; in secunda, exequitur, ibi : « Igitur perfectum quidem est, non solum sicut per se perfectum ....., sed et sicut superperfectum secundum omnium excessum; » in tertia, epilogat quæ in toto libro sunt dicta, ibi : « Has nos intelligibiles Dei significationes colligentes, sicut est possibile, reseravimus. » Dicit ergo primo quod sufficit tot de præmissis dixisse; videtur autem reliquum esse ut transeamus ad id quod est brevissimum in sermone, quia sacra Scriptura de Deo, qui est causa omnium, non solum prædicat omnia, sed etiam prædicat de eo simul omnia, inveniuntur autem multa in aliqua una creatura, sed non simul; vel quia conveniunt ei, non tamen eodem tempore, sicut corpus est album et nigrum, sed non simul; vel quia conveniunt ei non secundum eamdam partem, sicut si aliquod corpus sit secundum unam partem album, et secundum aliam partem nigrum, habet quidem multa, sed non simul. Sed Deus habet omnia in seipso, neque successive secundum tempus, neque divisim secundum partes, sed simul; et ideo, quia sic habet omnia simul, laudatur sicut perfectum et sicut unum. Quod enim habet multa non simul, sed successive, imperfectum est, quia est mutabile; motus autem est actus imperfecti; quod autem habet multa non simul, sed divisim secundum suas partes, est compositum, et non vere unum. Sic igitur brevissimo sermone om-

[1] Al. : « semper perfectum. »

nia quæ supra de Deo dicta sunt, in nomine perfecti et unius comprehenduntur.

Deinde cum dicit : « Igitur perfectum quidem est, non solum sunt per se perfectum ....., sed et sicut superperfectum secundum omnium excessum, » exequitur propositum; et primo, determinat de perfecto; secundo, de uno, ibi : « Unum autem, quoniam omnia unitive est secundum unius unitatis excessum. » Circa primum duo facit. Primum, ostendit quomodo Deo attribuatur perfectum; secundo, quid sit de ratione perfecti, secundum quod Deo attribuitur, ibi : « Et omnem quidem infinitatem terminans, super omnem autem terminum extentum. »

Circa primum ponit modos divinæ perfectionis per differentiam ad ea quæ dicuntur perfecta in creaturis. Dicuntur enim primo aliqua esse perfecta in creaturis non per se, sed per aliquid extrinsecus adveniens, sicut aer per lumen receptum a sole, et homo per gratiam quam habet a Deo, sed Deus dicitur perfectus sicut per se perfectus. Secundo, dicitur aliquid perfectum per se quidem, quia per propriam formam naturalem, sed non secundum seipsum, quia ipsum non est sua forma, sed est ex forma et materia compositum, sicut si dicamus lapidem perfectum, vel quamcumque rem materialem; nihil enim hujusmodi habet quod sit perfectum secundum se totum, sed secundum aliquid sui. Tertio, invenitur aliquid perfectum secundum se, quia ipsum est forma quædam subsistens, sicut quælibet substantia immaterialis, non tamen est perfectum a seipso, quia non habet esse a se, sed ab alio. Et ideo ad hoc excludendum attribuit Deo « per se perfectum, et secundum seipsum a seipso uniformiter segregatum, » scilicet ab omnibus aliis. Et ponit loco perfecti segregatum ab aliis, quia unumquodque secundum quod sanctum est et perfectionem habet, ab aliis segregatur. Quarto, considerandum est de perfectione cujuslibet creaturæ, quod cum quælibet creatura sit aliquo modo composita, et in quolibet composito sit aliquid alio perfectius; nulla creatura est tota perfectissima secundum se totam, sed secundum aliquid sui, sicut perfectissimum in homine est anima, et in animo intellectus. Et ad hoc removendum a Deo, dicit Deum esse totum perfectissimum. Et non solum secundum prædictos modos attribuitur Deo esse perfectum, sed etiam dicitur perfectus, sicut superperfectus, inquantum excedit perfectionem omnium rerum.

Deinde cum dicit : « Et omnem quidem infinitatem terminans, » ostendit quid sit de ratione perfecti, secundum quod Deus perfectus dicitur; et primo, excludit quædam a Deo quæ sunt de perfectione creaturæ; secundo, ostendit quæ sunt de ratione perfectionis divinæ, ibi : « Sed extendens se ad omnia simul, et super omnia indeficientibus immissionibus. »

Sunt autem tria consideranda in perfectione creaturæ, quæ excluduntur a Deo. Quorum primum est quod perfectum opponitur infinito, quia, ut dicitur in III *Physic.*, infinitum est cujus quantitatem accipientibus, semper est aliquid ultra accipere. Perfectum autem et totum est extra quod nihil est. Sic igitur creatura perfecta infinitati opponitur, sed Deus sua perfectione omnem infinitatem terminat, quia quodcumque infinitum divinæ perfectioni comparatum est finitum et terminatum; puta, si esset corpus infinitum secundum quantitatem, esset terminatum secundum genus et speciem, quam quidem terminationem ex participatione divinæ perfectionis sortiretur. Secundo, considerandum est quod quælibet creatura ex hoc perfecta dicitur quod ad terminum suæ naturæ pertingit, et ad debitum suæ quantitatis terminum. Deus autem perfectus dicitur, non quasi habens terminum, sed sicut extentus, ut ipse dicit super omnem terminum, quia omnis terminatio ab eo derivatur. Tertio, considerandum est quod quælibet creatura dicitur perfecta ex hoc quibusdam certis limitibus continetur. Deus autem sic dicitur perfectus quod tamen a nullo capitur aut comprehenditur.

Deinde cum dicit : « Sed extendens se ad omnia simul et super omnia indeficientibus immissionibus et interminabilibus operationibus, » ponit quatuor quæ sunt de ratione divinæ perfectionis. Primo enim, considerandum est quod aliquid dicitur imperfectum cujus virtus non se extendit ad implendum omnia opera propria, sicut imperfectio regis esset, si ejus virtus non se extenderet ad omnes suos subditos gubernandos; et ideo per oppositum de Deo dicit quod se extendit « ad omnia, » non quidem successive, ita quod attingendo

unum deserat aliud, sed « simul, » neque per quamdam adæquationem ad res, sicut potentia hominis, sed « super omnia » existens. Extendit autem se ad omnia « indeficientibus immissionibus, » inquantum indeficienter rebus communicat sua bona, « et interminabilibus operationibus, » inquantum in omnibus interminabiliter operatur. Secundo, dicitur aliquid imperfectum, quia tendit in perfectionem, sicut puer dum est in statu augmenti, vel quia recedit a perfectione, sicut senex dum est in statu decrementi; vel etiam quia non habet perfectionem semper immanentem, sicut omnia mutabilia dicuntur imperfecta; et ideo per oppositum de Deo dicit quod Deus dicitur perfectus sicut « inaugmentabilis, et semper perfectus, et sicut non minorabilis. » Tertio, dicitur imperfectum, quia deest ei aliquid eorum quæ debet habere; sicut homo diceretur imperfectus si non haberet manum aut pedem, aut scientiam aut virtutem; quod autem habet omnia quæ debet habere secundum suam naturam, dicitur perfectum, non simpliciter, sed secundum suam naturam. Deus autem dicitur simpliciter perfectus, quia simpliciter omnia in seipso præhabet, sicut effectus præexistunt in causa, ut supra multoties dictum est. Quarto, dicitur aliquid imperfectum quod non potest aliquid sibi simile facere. Perfectum autem est unumquodque cum potest facere sibi simile, ut dicitur in IV *Meteor.;* et ideo de Deo dicit quod Deus dicitur perfectus inquantum desuper manat suam perfectionem omnibus creaturis, et hoc non secundum diversas largitiones ex parte ipsius Dei largientis, sed « secundum unam; » quæ quidem largitio non deficit, sed est impausabilis, et eadem manens. Nec iterum est diminuta; sed cum det *omnibus affluenter,* ut dicitur Jacob., I, ejus largitio est superplena, ut quæ nunquam minorari potest per suæ copiam effusionis; secundum quam largitionem perficit omnia perfecta, inquantum adimplet ea similitudine propriæ perfectionis.

LECTIO II.

De uno.

Unum autem, quoniam omnia unitive est secundum unius unitatis excessum, et omnium est unum ingressibiliter causa; nihil enim existentium est non participans uno, sed sicut omnis numerus unitate participat, et unus binarius et denarius dicitur, et dimidium unum et tertium et decimum unum, ita omnia et omnium pars uno participant, et per id quod est unum, omnia sunt existentia. Et non est quod omnium est causa, unum multorum unum, sed ante omnia unum, et multitudinem determinans. Neque enim est multitudo non participans uno, sed ea quæ sunt multa partibus, sunt unum toto, et quæ sunt multa accidentibus, sunt unum subjecto, et quæ sunt multa numero aut virtutibus, sunt unum specie, et quæ sunt multa speciebus, sunt unum genere et quæ sunt multa processibus, sunt unum principio; et nihil est existentium quod non participet secundum aliquid uno, quod in eo quod est singulare secundum omnia, et tota omnia et opposita et singulariter coaccepit; et sine uno quidem non erit multitudo; sine multitudine vero erit unum, sicut et unitas ante omnem numerum et multiplicatum. Et si omnibus omnia unita aliquis supponat, omnia erunt in toto unum. Et aliter. Et hoc sciendum est, quoniam secundum uniuscujusque præexcogitatam speciem unita dicuntur esse ea quæ sunt unita, et omnium est unum elementatum. Et si auferas unum, neque totalitas neque pars neque aliud nihil existenti erit; omnia enim in seipso unum uniformiter præaccepit et circumaccepit.

« Unum autem, quoniam unitive est secundum unius unitatis excessum, et omnium est unum inegressibiliter causa. » Postquam Dionysius determinavit de perfecto, hic determinat de uno; et primo, ostendit causalitatem unius in communi; secundo, quomodo unum Deo attribuatur, ibi : « Ita igitur theologia totam thearchiam sicut omnium causam laudat unius nominatione. » Circa primum duo facit. Primo, proponit quod intendit; secundo, probat propositum, ibi : « Nihil enim existentium est non participans uno. »

Dicit ergo primo quod unum attribuitur Deo propter duas rationes. Primo quidem, quia ipse « est omnia unitive, secundum excessum » suæ singularis « unitatis, » sicut multoties supra dictum est, quod effectus sunt in causa, non ut multi, sed ut unum secundum unam causæ virtutem; ac si diceremus quod omnes lineæ progredientes a centro sunt unum in ipso. Se-

cundo, unum attribuitur Deo, quia unum secundum suam intentionem consideratum « est omnium causa inegressibiliter. » Sic enim ex uno diversa causantur, quod tamen unum non egreditur a sua unitate.

Deinde cum dicit : « Nihil enim existentium est non participans uno, » manifestat propositum quinque rationibus. Quarum prima talis est id quo aliqua participant est causa participantium, sicut albedo est causa alborum, sed nihil est existentium quod non participat uno : ergo unum est causa omnium existentium. Minorem autem probat, ibi : « Sed sicut omnis numerus unitate participat ....., ita omnia et omnium pars uno participant. » Et primo, probat propositum ; secundo, excludit objectionem, ibi : « Et non est quod omnium est causa unum multorum unum, sed omne unum. »

Quod autem omnia participent uno, probat per id de quo minus videtur, scilicet per numerum, qui quodammodo opponitur uni, sicut divisum indiviso. Omnis enim numerus participat uno, sive numerus accipiatur secundum se, ut significatur cum dicitur binarius vel ternarius ; sive accipiatur numerus secundum quod denominat aliquam partem, ut cum dicimus dimidium vel tertium vel decimum. Et hoc probat per hoc quod unum utroque modo de numero prædicatur. Dicimus enim binarium et ternarium vel denarium unum, et iterum dicimus dimidium vel tertium vel decimum. Sicut ergo numerus uno participat, ita omnia tota et omnium partes uno participant. Et sic sequitur quod per id quod est unum, omnia existentia esse habeant, sicut participantia per participatum.

Deinde cum dicit : « Et non est quod omnium est causa, unum multorum unum, sed omne unum, » excludit objectionem. Posset enim aliquis objicere quod unum non est causa omnium, neque multitudinis seu numeri, quia est pars quædam multitudinis. Sed ipse respondet quod unum quod est omnium causa, non est illud unum quod est pars multorum, quia illud unum est partiale et participatum ; sed est ante omnem multitudinem, non solum ordine temporis et naturæ, sed etiam ordine causæ, quia determinat omne unum participabile, et omnem multitudinem, per modum quo participans determinatur ad formam per id quod participat. Nulla enim multitudo est quæ non participet uno, quia omnia multa sunt unum secundum aliquid, sicut ea quæ sunt multa partibus, sunt unum toto ; « et » ea « quæ sunt multa accidentibus, » ut album et musicum, « sunt unum subjecto ; et » ea « quæ sunt multa numero, sunt unum specie, » sicut multa individua, ut Socrates et Plato, sunt unum in specie hominis. Addit autem « virtutibus, » quia et in uno individuo ejusdem speciei sunt multæ virtutes, unam et eamdem speciem consequentes, sive quia in diversis individuis sunt diversæ virtutes, secundum quod diversimode disponuntur ad actus speciei ; non enim est eadem potestas aut virtus omnium hominum ad intelligendum. « Et » illa « quæ sunt multa speciebus, sunt unum genere, » sicut homo et canis differunt quidem specie, conveniunt autem in uno genere animalis ; « et » ulterius ea « quæ sunt multa processibus, » conveniunt in uno principio, sicut esse, et vivere, et intelligere, et hujusmodi sunt diversæ processiones procedentes ab uno principio, quod est Deus, ut ex præmissis patet. Et sic manifestum fit quod, cum omnia quocumque modo sint multa, conveniunt tamen in aliquo uno ; « nihil » enim « est » in entibus « quod non participet secundum aliquid » ipso « uno ; quod » quidem secundum suam rationem « est secundum omnia singulare, » id est indivisum in se. Nam multa individua quæ sunt unum genere, multa sunt divisa secundum speciem ; et similiter omne quod est in aliquo, est in eo per modum ejus in quo est, ut omnes effectus sunt in principio. Omnia autem participata operantur ad id quod participant sicut ad principium. Unde relinquitur quod unum, inquantum est singulare in omnibus, participatur singulariter, id est indivisibiliter « coaccepit » in se, sicut in principio uno, « omnia » existentia, « et tota omnia, » sicut universa genera, « et opposita, » sicut sunt differentiæ, quibus dividitur totum genus.

Deinde cum dicit : « Et sine uno quidem non erit multitudo, sine multitudine vero erit unum, » ponit secundam rationem, quæ talis est : Illud a quo non convertitur consequentia essendi, est naturaliter prius, et quodammodo principium. Sed unum est hujusmodi, quia sine uno non invenitur aliqua multitudo, sed invenitur aliquod unum absque omni multitudine. Unum igi-

tur est prius omni multitudine et principium ejus. Cujus signum apparet in numeris, quia unitas est ante omnem numerum, qualitercumque multiplicetur.

Deinde cum dicit : « Et si omnibus omnia unita aliquis supponat, omnia erunt in toto unum, » ponit tertiam rationem, quæ procedit ex quadam suppositione, scilicet quod omnibus omnia sint unita. Hoc enim negant soli illi qui non ponunt unum principium omnium, sicut illi qui dicunt quod bonum et malum sunt duo prima principia, et quod mala non coordinantur bonis. Sed cum ex supra dictis sit manifestum, esse unum principium omnium, quod est bonum, necesse est omnia omnibus coordinata esse et unita, saltem secundum ordinem ad unum principium. Quæcumque autem uniuntur ad invicem, se habent sicut partes unius totius, quod per eorum unitionem constituitur. Sic igitur si omnia omnibus sunt unita, necesse est quod omnia conveniant in uno toto ; et sic omnia participabunt uno, sicut partes participant forma totius. Erit igitur unum principium omnium.

Deinde cum dicit : « Et aliter et hoc sciendum est, quoniam secundum uniuscujusque præexcogitatam speciem unita dicuntur esse ea quæ sunt unita, » ponit quartam rationem ex eadem suppositione procedentem. Quæ enim ad invicem sunt unita, non solum conveniunt in una forma totius, sed etiam secundum aliquam unam præexcogitatam speciem unita esse dicuntur, sicut partes domus, quæ uniuntur in una forma domus præexcogitata ab artifice. Sic igitur si omnia omnibus sunt unita, non solum conveniunt in una forma totius, sed etiam conveniunt in hoc quod sunt unita omnia secundum unam formam ab eo excogitatam qui est auctor universorum. Ipsa enim unitas universi procedit ab unitate divinæ mentis, sicut forma domus quæ est in materia provenit a forma domus quæ est in mente artificis.

Deinde cum dicit : « Et omnium est unum elementatum, » ponit quintam rationem, quod unum est omnium elementatum. Est autem elementum ex quo componitur aliquid primo, et est in eo, et non dividitur secundum formam. Manifestum est autem quod in omni composito est aliqua componentium multitudo. Omnis autem multitudinis elementum est unum, cum unum sit indivisibile, et unum sit in multitudine, sicut id ex quo primo componitur multitudo. Relinquitur ergo quod unum sit sicut principium elementare omnium elementatorum.

Patet ergo ex præmissis quod unum quinque modis habet rationem principii. Uno modo, sicut participatum participantium. Alio modo, sicut universale, a quo non convertitur consequentia essendi. Et hi duo modi procedunt secundum opinionem Platonis. Tertio modo, sicut formatio ejus, et principium formale, ex quibus componitur totum. Quarto modo, sicut forma præexcogitata ab artifice est principium eorum quæ producunt effectum. Quinto modo, sicut elementum est principium. Et ita, probato multipliciter quod unum sit principium omnium, quasi concludendo subdit quod si removeatur unum, neque totum, neque pars, neque aliquod existentium remanebit, quia unum in se omnia præaccepit tanquam principium omnium.

LECTIO III.

Quomodo unum attribuitur Deo.

Ita igitur theologia totam thearchiam sicut omnium causam laudat unius nominatione. Et unus Deus Pater, et unus Dominus Jesus Christus, et unus et idem Spiritus, propter excedentem totius divinæ unitatis simplicitatem, in qua omnia singulariter congregata sunt et superunita, et præsunt supersubstantialiter. Propter quod et omnia ad ipsam juste remittuntur et reponuntur, a qua et ex qua, et per quam, et in qua, et ad quam omnia sunt, et coordinata sunt, et manent, et continentur, et adimplentur, et convertuntur. Et non invenies aliquid existentium quod non in uno, secundum quod omnis deitas supersubstantialiter nominatur, et sit hoc quod est, et perficietur, et salvetur. Et oportet et nos a multis ad unum virtute divinæ unitatis conversos, unitive laudare totam et unam deitatem, scilicet omnium causam, unum quod est ante omne unum, et multitudinem, et partem, et totum, et definitionem omnem, et infinitatem, et terminum, et interminabilitatem, quod omnia existentia et ipsum esse definit, et omnium est, et totorum omnium, et simul, et ante omnia, et super omnia singulariter causa, et super ipsum unum existens, et ipsum unum existens terminat. Quoniam

existens unum quod est in existentibus numerabile est; numerus autem essentia participat; supersubstantiale autem unum, et existens unum, et omnem numerum terminat, et ipsum est unius et numeri et omnis existentis principium et causa et numerus et ordo. Propter quod et unitas laudata, et Trinitas, quæ est super omnia deitas, non est neque unitas neque Trinitas quæ a nobis aut alio quodam existentium sit cognita; sed et super unum ipsius et deigenum vere laudamus Trinitatis, et Unitas Dei nominationem supernominabilem nominamus, et existentibus superessentialem. Nulla autem monas aut trinitas neque numerus, neque unitas aut fecunditas, neque aliud aliquid aliter existentium cognitum [1], educit existens super omnia, et rationem et mentem, occultum superdeitatis super omnia supersubstantialiter superexistentis; neque nomen ipsius est, neque sermo, sed in inviis segregatum. Et neque asserimus ipsum nomen bonitatis sicut concordantes ipsi, sed desiderio intelligendi aliquid et dicendi de ineffabili natura illa, nominum dignissimum sanctificamus ipsi primum. Et concordabimus quidem et hic [2] theologis; a rerum autem veritate deficiemus. Propter quod et ipsi per negationes assensum præhonoraverunt sicut exsuscitantes [3] animam ab his quæ sunt ipsi connaturalia, et per omnes divinos intellectus pergentem, a quibus segregatum est quod est super omne nomen et omnem rationem et omnem cogitationem. In ultimis autem totorum ipsi conjungentes, inquantum nobis illi conjungi est possibile.

« Ita igitur theologia totam thearchiam sicut omnium causam laudat unius nominatione. » Postquam Dionysius ostendit quod unum secundum propriam rationem est principium omnium, hic ostendit quomodo unum attribuatur Deo, et dividitur in partes duas. In prima, ostendit quomodo unum attribuatur Deo; in secunda, ostendit differentiam hujus unius quæ est ad omne aliud unum, ibi : « Et oportet et nos a multis ad unum virtute divinæ unitatis conversos unitive laudare totam et unam deitatem, scilicet omnium causam. » Circa primum duo facit. Primo, assignat rationem quare unum attribuatur Deo; secundo, rationem etiam assignatam manifestat, ibi : « Propter quod et omnia ad ipsam juste remittuntur. »

Est autem advertendum quod tria supra dixerat de uno, scilicet quod sit omnium causa; quod sit singulare, vel simplex et indivisum, et quod omnia in se præaccepit. Unde per hæc tria unitatem Deo attribuens, ex præmissis concludit quod sacra Scriptura « laudat totam thearchiam, » id est principalem deitatem totius Trinitatis, « sicut omnium causam, » in hoc quod nominat eam unam. Dicit enim Apostolus I ad Corinth., VIII, 6 : *Unus Deus Pater .... et unus Dominus Jesus Christus;* et ibid., XII, 2, dicit : *Unus atque idem Spiritus hæc omnia operatur.* Et sic attribuit singulis unitatem propter excellentem simplicitatem divinam. In qua quidem simplici unitate omnia sicut in causa sunt aggregata, et supereminenter unita « singulariter, » id est indivisibiliter, et omnia præexistunt in ea, non per modum proprium, sed per modum ipsius Dei, scilicet « supersubstantialiter. »

Deinde cum dicit : « Propter quod et omnia ad ipsam juste remittuntur, » manifestat rationem positam de causalitate divinæ unitatis; et primo, per auctoritatem Scripturæ; secundo, per experimentum humanæ rationis, ibi : « Et non invenies aliquid existentium quod non in uno ..., et sit hoc quod est, et perficiatur, et salvetur. »

Dicit ergo primo quod quia Deus laudatur unus, sicut omnium causa, et sicut omnia in se præhabens, propter hoc in sacra Scriptura « juste, » id est rationabiliter, omnia « ad ipsam » deitatem « remittuntur, » id est reducuntur, sicut effectus ad suam causam a qua procedunt. Addit autem « et reponuntur, » quantum ad hoc quod effectus præexistunt in causa. Dicit enim Apostolus, Rom., XI, 36 : *Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia;* quibus tribus Dionysius duo addit, scilicet a quo et ad quem, quæ etiam non longe sunt a traditione Scripturæ. Quibus quinque habitudinibus quinque correspondentia ponit, ut intelligatur quod a Deo sunt omnia sicut a principio, quod omnibus esse influit; ex Deo autem « ordinata sunt » omnia, inquantum in se ordo rerum sumitur ex ipsa ratione divinæ bonitatis ; per Deum « manent » omnia, sicut per causam conservantem, in Deo « continentur » omnia, sicut effectus in causa; et ad Deum « convertuntur » omnia sicut ad finem; et « adimplentur, » id est perficiuntur omnia. Ultima enim rei perfectio est ex eo quod attingit proprium finem.

Deinde cum subdit : « Et non invenies aliquid existentium quod non in uno, secundum quod omnis deitas supersubstantialiter nominatur, et sit hoc quod est, et perficiatur, et salvetur, » manifestat idem

[1] In citata translatione : « neque aliud aliquid existentium aut alicui cognitum. » — [2] Ibid. : « in hoc. » — [3] Al. : « exsuscitantem. »

per experimentum humanæ rationis, et dicit quod si quis diligenter consideret, non poterit invenire aliquid quod non habeat et esse et perfectionem et salutem, id est conservationem, per unum, « secundum quod deitas » Trinitatis una « supersubstantialiter nominatur. »

Deinde cum dicit : « Et oportet et nos a multis ad unum virtute divinæ unitatis conversos, unitive laudare totam et unam deitatem, scilicet omnium causam, » ostendit differentiam unius secundum quod de Deo dicitur, ad omnia alia[1] quibus attribuitur unum[2], et circa hoc tria facit. Primo, ponit ordinem hujus unius ad alia[3]; secundo, assignat hujus[4] ordinis rationem, ibi : « Quoniam existens unum quod est in existentibus, numerabile est ; » tertio, concludit differentiam, ibi : « Propter quod et Unitas laudata, et Trinitas, quæ est super omnia deitas, non est neque unitas, neque trinitas quæ a nobis aut alio quodam existentium sit cognita. »

Dicit ergo primo quod oportet nos laudare totam et unam Trinitatis deitatem « unitive, » id est secundum rationem unius, ita quod convertamur a multis creaturis, quæ participant unum, ad id quod vere unum est, scilicet Deum ; et hæc conversio fit in nobis virtute divinæ Unitatis. Dum enim consideramus quod divina Unitas est virtuosior omni unitate, omnia relinquentes, in ipsam convertimur. Et quia dixerat quod oportet unam deitatem laudare unitive, quid hoc importet, exponit subdens : « scilicet omnium causam. » Est enim de ratione unius causalitas, ut supra dictum est, similiter etiam prioritas ; unde subdit : « Unum quod est ante omne unum » creatum, et ante omnem « multitudinem, et » ante omnem « partem et totum, » de quibus supra dictum est quod participant unum ; et iterum est ante « omnem definitionem, et infinitatem » oppositam, « et terminum » oppositum ad « interminabilitatem. » Finis enim et terminus ad rationem unius pertinere videntur. Unumquodque enim inquantum est finitum et terminatum, secundum hoc habet unitatem in actu. Sed unum quod est Deus, est ante omnem finem et terminum et opposita eorum ; est et causa terminationis omnium, et non solum existentium, sed etiam ipsius esse. Nam ipsum esse creatum non est finitum si comparetur ad creaturas, quia ad omnia se extendit ; si tamen comparetur ad esse increatum, invenitur deficiens, et ex præcogitatione divinæ mentis, propriæ rationis determinationem habens ; et ipsum unum divinum est causa omnium, et non solum particularium entium, sed etiam « omnium totorum, » id est entium universalium ; et est « simul » cum omnibus « et ante omnia, » quia scilicet sua æternitate continet omnium durationes, et excedit ; et est « super omnia » sublimitate suæ naturæ, et « singulariter » sua celsitudine ab omnibus separatum existens ; et cum sit unum supersubstantiale, ipse est super omnia ipsum « unum existens, » id est super unum creatum, quod in existentibus creatis invenitur ; « et ipsum unum existens terminat, » id est, dat terminationem propriæ rationis uni creato, quod non est superexistens, sed existens, quasi intra genus existentium contentum.

Deinde cum dicit : « Quoniam existens unum quod est in existentibus, numerabile est, » assignat rationem præmissi ordinis, quare scilicet unum quod est Deus, est ante ipsum unum creatum, et ante omnia alia ; et dicit quod hoc ideo est, quia unum existens quod est in genere creaturarum, est numerabile, id est quædam pars numeri. Omne enim quod est unum in creaturis, connumeratur alteri cum quo convenit aut specie aut genere, aut in aliquo ordine ; sed numerus participat existentia, cum sit quædam species entis ; unde per consequens unum quod est in rebus creatis, participat existentia. Sed unum supersubstantiale, quod Deus est, non connumeratur alteri, nec participat existentia, sed dat terminationem propriæ rationis et uni creato et numero, inquantum ipsum est principium[5], et causa, et numerus, et ordo unius creati, et numeri, et universaliter omnis entis. Dicitur autem esse principium omnis entis, prout est ante omnia ; causa autem, secundum quod ab ipso omnia procedunt ; numerus autem, secundum quod est mensura omnium, unicuique proprium modum statuens ; ordo autem est omnium, secundum quod omnia sua sapientia ordinat.

[1] Parm. omittit : « alia. » — [2] Parm. omittit : « unum. » — [3] Parm. omittit : « hujus unius ad alia. » — [4] Parm. : « præmissi. » — [5] Al. : « antequam ipsum est principium, est causa, » etc.; Parm. : « atque ipsum est. »

Deinde cum dicit : « Propter quod et Unitas laudata, et Trinitas, quæ est super omnia deitas, non est neque unitas neque trinitas quæ a nobis, aut alio quodam existentium sit cognita, » concludit ex præmissis differentiam unius quod attribuitur Deo, ad unum quod est in creaturis, et dicit quod quia unum, quod est Deus, est supra omne unum creatum, et supra omnem numerum, ideo cum in deitate, quæ est supra omnia, laudatur Unitas ac Trinitas, non est accipiendum quod sit talis unitas aut trinitas quæ sit a nobis cognita, aut a quocumque existentium secundum naturalem cognitionem, quia nec ipsi angeli ad cognoscendam Unitatem et Trinitatem divinam, prout est in se, per sua naturalia pertingere potuerunt, sed tamen per gratiam non solum angeli, sed et nos pertingere poterimus ad videndum essentiam unius æterni Dei, sed non ad comprehendendum. Et quamvis ipsa Unitas et Trinitas Dei non sit talis qualis nota est nobis, tamen Deum, qui superessentialiter existit omnibus existentibus, et qui est supra omne id quod nominatur, nominamus nomine divinæ Unitatis et Trinitatis, ut per hæc duo nomina « laudemus superunitatem ipsius, » id est excellentiam unitatis ejus, quæ est super omne unum; « et vere laudemus deigenum » ejus, id est, ut nomine Trinitatis insinuetur nobis divina processio, prout Filius generatur a Patre, et Spiritus sanctus procedit a Patre et Filio. Trinitas enim personarum non distinguitur nisi per relationes originis, quibus designatur processio unius personæ ab alia. Et quamvis intendamus in Deo laudare superunum et deigenum ejus, nomine Unitatis et Trinitatis, hoc retinendum est quod « nulla monas, » id est unitas, « aut trinitas, neque » universaliter quicumque « numerus, » aut quæcumque « unitas, » sive quæcumque « fecunditas, » neque quodcumque aliud, quod[1] a quocumque entium creatorum naturaliter cognoscatur, « educit, » id est manifestat, et perfecte exprimit illud occultum superexcellentis deitatis, quæ supersubstantialiter superexistit omnibus. Quod quidem dico occultum non propter sui defectum, sed quia existit supra omnem et rationem humanam et mentem angelicam. Et quia voce exprimuntur ea quæ ratione vel mente capiuntur, ideo subdit quod illius occulti, quod est super mentem et rationem, nec potest esse nomen simplex, neque sermo compositus, exprimens ipsum ut in se est, « sed in inviis[2] est segregatum. » Et loquitur ad similitudinem sensibilium rerum, in quibus ea sunt posita extra vias per quas homines transeunt. Ita et essentia deitatis est occulta, quia est præter omnes vias quas ratio aut mens creata excogitare potest.

Est autem considerandum quod platonici posuerunt Deum summum esse quidem super ens et super vitam et super intellectum, non tamen super ipsum bonum, quod ponebant primum principium. Sed ad hoc excludendum Dionysius subdit quod neque ipsum nomen bonitatis afferimus ad divinam prædicationem sicut concordantes ipsis, quasi hoc nomen per quamdam æquiparantiam ei respondeat. Sed quia desiderabile est nobis ut de illa ineffabili Dei natura aliquid quantumcumque modicum intelligamus et dicamus, consecramus Deo primo et principaliter dignissimum nominum, quod est bonum, et in hoc quidem concordamus cum « theologis, » id est apostolis et prophetis, qui sacras Scripturas ediderunt, qui et hoc nomen Deo attribuunt; sed multum deficiunt a rerum veritate. Manifestum est enim quod hoc nomen *bonum*, cum sit a nobis impositum, non signat nisi quod nos mente capimus. Unde, cum Deus sit supra mentem nostram, superexcedit hoc nomen. Et quia theologi consideraverunt quod omne nomen a nobis impositum deficit a Deo, ideo ipsi inter omnes modos quibus in Deum possumus ascendere per intellectum, præordinaverunt eum qui est per negationes, per quas quodam ordine in Deum ascendimus. Primo enim anima nostra quasi exsuscitatur et consurgit a rebus materialibus, quæ sunt animæ nostræ connaturalia : puta, cum intelligimus Deum non esse aliquid sensibile aut materiale, aut corporeum; et sic anima nostra negando pergit, « per omnes » divinos « intellectus, » id est per omnes ordines angelorum, a quibus est segregatus Deus, qui est supra omne nomen et rationem et cogitationem. Ad ultimum autem anima nostra Deo conjungitur ascendendo per negationes « in ultimis totorum, » id est in supremis finibus universaliorum et excellentiorum creaturarum. Et

[1] Al. : « aliud sit quod. » — [2] Al. : « divinis. »

quidem conjunctio animæ ad Deum fit, inquantum nobis possibile est nunc Deo conjungi. Non enim conjungitur in præsenti intellectus noster Deo ut ejus essentiam videat, sed ut cognoscat de Deo quid non est. Unde hæc conjunctio nostri ad Deum, quæ nobis est in hac vita possibilis, perficitur quando devenimus ad hoc quod cognoscamus eum esse supra excellentissimas creaturas.

LECTIO IV.

Epilogus.

Has nos intelligibiles Dei significationes colligentes sicut est possibile, reseravimus non solum ab earum intelligentia deficientes (hoc enim vere et angeli dicant) neque a laude ipsarum ab angelis, nam apud nos potentissimi theologi minus habent quam illorum extremi, neque a laude philosophantium illis[1], aut comitantium, sed et nobis coordinatorum extreme et subjecte. Quare recte si quidem habent dicta, et sicut secundum nos vere tetigimus deliberatione reserationem Dei nominationum ad omnium bonorum causam res est referenda, quæ dat primum dicere, postea bene dicere. Et si aliquid æquipollentium est prætermissum, et illud nos secundum easdem rationes et easdem regulas subaudire oportet. Si autem ista aut non recte, aut imperfecte se habent, et a veritate aut totaliter aut particulariter erravimus; tuæ sit benignitatis dirigere non voluntarie ignorantem, et tradere rationes discere indigenti, et subvenire sufficientem virtutem non habenti, et sanare ægrotare nolentem. Et hæc quidem per teipsum, alia autem per alios invenientem, omnia autem ex bono recipientem, et ad nos transferre. Ne pigriteris autem amico benefaciens. Vides enim quod et nos nullum traditorum nobis thearchicorum sermonum ad nosipsos contraximus; sed sursum currentes, ipsos et vobis et aliis sanctis viris tradidimus et trademus, sicut quidem et nos sumus sufficientes dicere, et quibus dicitur audire, secundum nihil traditioni injuriam facientes, nisi forsitan ad intelligentiam aut expositionem ipsorum infirmemur. Sed hæc quidem qualiter Deo erit amicum, ita et habeantur et dicantur. Et sit quidem iste intelligibilibus Dei nominationibus secundum nos finis; ad *Symbolicam* autem *theologiam* duce Deo transibimus.

« Has nos intelligibiles Dei significationes colligentes, sicut est possibile, reseravimus. » Postquam Dionysius in hoc libro exposuit divina nomina, hic epilogat ea quæ in hoc libro sunt dicta; et primo, recapitulat ea quæ dicta sunt; secundo, continuat se ad sequentem librum, ibi : « Sed hæc quidem qualiter Deo erit amicum, ita et habeantur et dicantur. » Circa primum tria facit. Primo, ostendit quomodo divina nomina exposuerit; secundo, inducit ad reddendas Deo gratias de bene dictis, ibi : « Quare si recte quidem se habent dicta ..., ad omnium bonorum causas res est referenda; » tertio, petit corrigi et dirigi, si qua sunt in quibus non bene dixit, ibi : « Si autem ista aut non recte aut imperfecte se habent ..., tuæ sit benignitatis dirigere non voluntarie ignorantem. »

Dicit ergo primo quod ipse in hoc libro reseravit, id est exposuit, secundum suam possibilitatem « intelligibiles significationes » divinorum nominum, congregando et redigendo in unum opus. Dicit autem « intelligibiles » ad differentiam eorum quæ symbolice vel metaphorice dicuntur de Deo, quorum significationes sunt sensibiles. Et ne aliquis intelligat quod ipse præsumat se sufficienter exposuisse significationes divinorum nominum, ad hoc excludendum subjungit quod non solum in exponendo significationes prædictas defecit « ab earum diligentia[2], » id est ab earum perfecta expositione, secundum quod res requirit, quia hoc neque angeli facere possent, cum non comprehendant divinam bonitatem et divinum esse et divinum vivere et alia hujusmodi, de quibus dictum est. Nec solum dicit se defecisse a laudando significationes prædictas sicut ab angelis laudantur, quia excellentissimi theologi qui sunt apud nos, deficiunt in minimis angelorum, sicut dicitur Matth., XI, quod *qui minor est in regno cœlorum, major est Joanne Baptista;* neque etiam dicit se solum defecisse a laudando significationes prædictas sicut theologi philosophantes de rebus divinis, scilicet prophetæ et apostoli, aut etiam socii eorum, qui canonicas Scripturas edideruut, ut Lucas et Marcus, sed asserit se deficienter et inscite dixisse per comparationem ad alios qui erant sui gradus et ordinis.

Deinde cum dicit : « Quare si recte quidem se habent dicta ....., ad omnium bonorum causam res est referenda, » concludit quia ex quo ita deficientem se cognoscit in rebus divinis, si recte se habent ea qua dicta sunt, et si secundum deliberatio-

[1] Forte : « de illis. » — [2] Textus Dionysii habet : « intelligentia. »

nem sibi proportionatam vere tetigit expositionem divinorum nominum, referendum est hoc cum gratiarum actione ad Deum, qui est causa omnium bonorum, qui primo quidem dat nobis virtutem loquendi, et postea dat nobis ut hac virtute bene utamur, bene aliquid dicendo. Et tamen si aliquid est prætermissum quod æquipolleat his quæ dicta sunt, oportet hoc subintelligere secundum easdem rationes et regulas secundum quas prædicta exposita sunt. Et hoc ideo dicit, quia forte aliquod nomen in Scripturis dictum de Deo, non est expositum, quod tamen æquipollet alicui præmissorum. Vel si aliquis modus exponendi est prætermissus in aliquo dictorum nominum, potest subintelligi ex aliorum nominum expositione.

Deinde cum dicit : « Si autem ista aut non recte aut imperfecte se habent ....., tuæ sit benignitatis dirigere non voluntarie ignorantem, » petit corrigi in non bene dictis ; et primo, ponit petitionem; secundo, rationem petitionis assignat, ibi : « Ne pigriteris autem amico benefaciens. »

Dicit ergo primo quod si ista quæ dicta sunt ab eo in expositione divinorum nominum, « aut non recte aut imperfecte se habent, » et si ipse vel in toto vel in parte erravit a veritate, petit a Timotheo ut ex sua benignitate dirigat eum, quia si ipse alicubi erravit, non hoc fuit ex voluntaria ignorantia, et ideo vult dirigi; si qui enim voluntarie ignorant, dirigi nolunt. Hæc est ergo prima conditio ex parte sui quare petit se dirigi, quia non voluntarie ignoravit. Secunda conditio est, quia secundum suam reputationem indiget addiscere; et ideo tradendæ sunt ei rationes quibus addiscere possit. Supervacaneum autem videtur tradere disciplinam ei qui se non reputat disciplina indigere. Tertia conditio est, quia subveniendum est ei qui non reputat se sufficientem virtutem habere. Quarta conditio est, quia sanitatis cura impendenda est ei qui nolens ægrotat. Quomodo autem ipsum possit dirigere ostendit, subdens quod quædam potest ei tradere ad ejus directionem, quæ per seipsum Timotheus cognoscit; quædam autem quæ potest invenire accipiendo ab aliis, accipiat ; certum est enim quod recipiuntur a bono, quod est Deus; et accepta a Deo qualitercumque petit ad se transferri.

Deinde cum dicit : « Ne pigriteris autem amico benefaciens, » assignat rationem petitionis positæ; et primo quidem, ex parte amicitiæ, quia non debet homo esse piger ad benefaciendum amico. Maximum autem beneficium alicui impenditur, si ab errore ad veritatem reducatur. Secundo, assignat rationem ex sui exemplo, quia scilicet ipse nullum sacrorum sermonum sibi traditorum ad se contraxit, id est sibi avare retinuit, sed currendo sursum ad Dei imitationem ea quæ sibi tradita sunt, jam tradidit, et in futuro tradere intendit et Timotheo, et aliis sanctis viris, secundum quod ipse sufficiens est dicere, et alii sunt sufficientes audire. Et in hoc in nullo facit injuriam traditioni divinorum, cui fit injuria, dum vel tradita avare retinentur, vel inconsiderate sparguntur. Sic autem ea quæ sibi sunt tradita, aliis tradere intendit, nisi forte in aliquibus ipse non sit potens ad intelligendum aut ad exponendum aliis.

Deinde cum dicit : « Sed hæc quidem, qualiter Deo erit amicum, ita et habeantur et dicantur, » continuat se ad sequentem librum. Et quia quædam dixerat ad futurum pertinentia, scilicet quod tradet aliis quæ sunt sibi tradita, ideo dicit quod hæc ita habeantur et dicantur sicut est « Deo amicum, » id est sicut Deo placet, secundum illud Jacob., IV, 15 : *Pro eo ut dicatis : Si Dominus voluerit.* Et in hoc sit finis expositionis intelligibilium divinorum nominum quantum ad ipsum. Sed intendit ulterius transire « Deo duce ad *Symbolicam theologiam*, » in qua scilicet exponit nomina quæ symbolice dicuntur de Deo; puta quod dicitur leo, lapis, ignis, et alia hujusmodi, qui quidem liber apud nos non habetur. Et nos post expositionem dictorum beati Dionysii longe ab ejus intellectu deficientes, corrigi de non recte dictis postulamus. Si qua autem bene dicta sunt, referendæ sunt gratiæ bonorum omnium largitori, qui est trinus et unus Deus, vivens et regnans per omnia sæcula sæculorum. Amen.

EXPLICIUNT

OPUSCULA CONTRA GUILLELMUM DE S. AMORE, DE SACRAM. ALTARIS, CONTRA ERRORES GRÆCORUM, SERMONES DOMINICALES AC FESTIVI, ET COMMENTARIA IN LIB. DE DIVINIS NOMINIBUS.

INDEX

EORUM QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

TERTIA PARS.

In qua ostenditur quomodo religiosorum famam corrumpere nituntur, in multis eos frivole impugnando.

OPUSCULUM II.

De perfectione vitæ spiritualis.

OPUSCULUM III.

Contra pestiferam doctrinam retrahentium homines a religionis ingressu.

OPUSCULUM IV.

Sermones pro dominicis diebus et pro sanctorum solemnitatibus.

SERMONES DOMINICALES.

SERMONES FESTIVI.

OPUSCULUM V.

Officium de festo Corporis Christi,

Ad mandatum Urbani papæ IV dictum festum instituentis.

OPUSCULUM VI.

Contra errores Græcorum,

Ad Urbanum IV, P. M.

LIBER I.

LIBER II.

OPUSCULUM VII.

In librum beati Dionysii de divinis nominibus commentaria.

CAPUT PRIMUM.

Quæ sermonis intentio et quæ de divinis nominibus traditio.

CAPUT SECUNDUM.

De unita et discreta theologia, et quæ est divina unitio et discretio.

CAPUT TERTIUM.

Quæ orationis virtus, et de beato Hierotheo, et de reverentia et Tractatu theologico.

CAPUT QUARTUM.

De bono, lumine, pulchro, amore, extasi et zelo, et quod malum neque existens, neque ex existente, neque in existentibus est.

CAPUT QUINTUM.

De existente, in quo et de exemplis.

CAPUT SEXTUM.

De vita.

CAPUT SEPTIMUM.

De sapientia, mente, ratione, veritate et fide.

CAPUT OCTAVUM.

De virtute, justitia, salvatione, liberatione, in quo et de inæqualitate.

CAPUT NONUM.

De parvo, magno, eodem, altero, simili, dissimili, statione, sessione, motu, æqualitate.

CAPUT DECIMUM.

De omnipotente, vetere dierum; in quo et de ævo, et de tempore.

CAPUT UNDECIMUM.

De pace, et quid vult per se esse, quæ per se vita, et quæ per se virtus, et quæ ita dicuntur.

CAPUT DUODECIMUM.

De Sancto sanctorum, Rege regum, Domino dominorum, Deo deorum.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

De perfecto et uno.

FINIS INDICIS VOLUMINIS VIGESIMI NONI.

VESUNTIONE. — EX TYPIS J. BONVALOT.